COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA

CURA ET STUDIO

SALVATORIS PALLOTTINI

S. THEOLOGIAE DOCTORIS, IN ROMANA CURIA ADVOCATI, PENES EAMDEM SACRAM CONGREGATIONEM MATRIMONIORUM, SACRARUM ORDINATIONUM, PROFESSIONUM RELIGIOSARUM DEFENSORIS EX OFFICIO SUPPLICUM LIBELLORUM ET COMMISSIONUM, QUAE BREVIBUS APOSTOLICIS LITTERIS ANNULO PISCATORIS OBSIGNATIS CONFECTAE AD ECCLESIASTICOS IUDICES EXTERIS IN REGNIS MORANTES MITTUNTUR, REVISORIS, ET CONCILII VATICANI NOTARII.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY 1962

ALMA COLLEGE 262.211 LIBRARY P179 Alma, California

TOMUS VIII.

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXI.

37247

1831
C65
v.8
1868

Liber hic cum aliis iam in lucem editis Typographica proprietate gaudet ad legum vigentium normam etiam in aliud idioma translatus.

COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA.

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANAE

1. Nomina Beneficiorum ac Praebendarum penitus incognita fuerunt prioribus Ecclesiae seculis, cum bonorum et redituum omnium ecclesiasticorum cura et administratio ad solos pertineret Episcopos, a quibus statis temporibus, iuxta praescriptam a sacris Canonibus mensuram, inter Clericos servitio Ecclesiae adscriptos dividebantur. Erectis vero postmodum Beneficiis ac Praebendis cum separatione redituum, opus fuit, ne Ecclesiae servitium negligeretur, in quotidianas convertere distributiones certam partem redituum repartiendam inter eos, qui praesentes et interessentes essent *in Cephaluden. Distributionum die 31 Martii 1770* §. *Nomina.*

2. Quum itaque primo Ecclesiae tempore Clericis ex collatis Fidelium eleemosynis communi mensa alerentur, hinc est, quod Beneficia ex solis distributionibus constare visa sunt, Thomass. de veter. et nov. Eccles. disciplin. part. 3 lib. 2 cap. 35: verum secuta ex post bonorum divisione, et unicuique Beneficio suis peculiaribus fundis assignatis, secerni ceperunt fructus Praebendarum et Distributionum, ut Ecclesiastici hoc praemio adlecti frequentius ad Ecclesiae servitium convenirent *in Pisauren. Massae communis die 14 Decembris 1782* §. *Cum.*

3. Auctor harum distributionum renunciatur Ivo Episcopus Carnotensis, nam ex eius epistola 219 ita habetur: – Cum in quampluribus Canonicorum desuevisset disciplinae Regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Praeposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, ut, quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret, quamvis eorum annua Praebenda eis ad hoc sufficiens esse deberet – *in Cephaluden. Distributionum die 31 Martii 1770* §. *Auctor.*

831
C65
v.8
1868

Liber hic cum aliis iam in lucem editis Typographica proprietate gaudet ad legum vigentium normam etiam in aliud idioma translatus.

COLLECTIO

OMNIUM CONCLUSIONUM ET RESOLUTIONUM

QUAE IN CAUSIS PROPOSITIS

APUD

SACRAM CONGREGATIONEM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

PRODIERUNT AB EIUS INSTITUTIONE

ANNO MDLXIV AD ANNUM MDCCCLX

DISTINCTIS TITULIS ALPHABETICO ORDINE PER MATERIAS DIGESTA.

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANAE

1. Nomina Beneficiorum ac Praebendarum penitus incognita fuerunt prioribus Ecclesiae seculis, cum bonorum et redituum omnium ecclesiasticorum cura et administratio ad solos pertineret Episcopos, a quibus statis temporibus, iuxta praescriptam a sacris Canonibus mensuram, inter Clericos servitio Ecclesiae adscriptos dividebantur. Erectis vero postmodum Beneficiis ac Praebendis cum separatione redituum, opus fuit, ne Ecclesiae servitium negligeretur, in quotidianas convertere distributiones certam partem redituum repartiendam inter eos, qui praesentes et interessentes essent *in Cephaluden. Distributionum die 31 Martii 1770* §. *Nomina.*

2. Quum itaque primo Ecclesiae tempore Clericis ex collatis Fidelium eleemosynis communi mensa alerentur, hinc est, quod Beneficia ex solis distributionibus constare visa sunt, Thomass. de veter. et nov. Eccles. disciplin. part. 3 lib. 2 cap. 35: verum secuta ex post bonorum divisione, et unicuique Beneficio suis peculiaribus fundis assignatis, secerni ceperunt fructus Praebendarum et Distributionum, ut Ecclesiastici hoc praemio adlecti frequentius ad Ecclesiae servitium convenirent *in Pisauren. Massae communis die 14 Decembris 1782* §. *Cum.*

3. Auctor harum distributionum renunciatur Ivo Episcopus Carnotensis, nam ex eius epistola 219 ita habetur: – Cum in quampluribus Canonicorum desuevisset disciplinae Regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Praeposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, ut, quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret, quamvis eorum annua Praebenda eis ad hoc sufficiens esse deberet – *in Cephaluden. Distributionum die 31 Martii 1770* §. *Auctor.*

Item *in Pisauren. Massae communis die 14 Decembris 1782* §. *Cum.*

4 Morem hunc tamquam utilem ac necessarium quammaxime laudavit et confirmavit tum ius Canonicum in Cap. *Licet* de Praebendis, Cap. *Olim* de verborum significatione, Cap. unic. de clericis non residentibus in 6, tum Sacrum Concilium Tridentinum in sess. 21 cap. 3, et in sess. 24 cap. 12 de reformatione *in Cephaluden. Distributionum die 31 Martii 1770* §. *Usum.*

Item *in Pisauren. Massae communis die 14 Decembris 1782* §. *Morem.*

5. Unde in iure ea est distributionum origo et causa finalis, ut choro addicti, facilius hac illecebra ducti, frequentius ad illum convenirent *in Firmana Distributionum die 2 Decembris 1843* §. *In iure.*

6. Indubium tamen est, quod si adhuc adsint Capitulares, qui haud id amittere curant, Episcopus eos remediis extraordinariis aliquarum poenarum praescriptarum cogere valeat ad effectum interessendi divinis officiis; proposito enim dubio: – An saltem Quadragesimae et Adventus tempore vel in aliis solemnibus Festis possit Episcopus Beneficiatos, qui legitimo careant impedimento, remediis extraordinariis aliquarum poenarum praescriptarum cogere, quum alias non curent, quod, quidquid residendo et interveniendo est lucri, aliis accrescat? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Licere etiam per alias poenas – *in Castellaneten. Residentiae die 7 Iunii 1650.*

7. Hinc docent Canonistae, fructus Praebendarum, ac distributiones quotidianas valde differre inter se, illorum enim nomine venit quidquid percipitur ex bonis vel iuribus fixe ac perpetuo ipsi Beneficio adnexis, ac Beneficiato ex sola ratione Beneficii absque alio onere vel servitio debitis: distributionum e contra appellatione intelliguntur ii reditus, quibus Beneficiatus fruitur ex causa actualis servitii interessentiae in choro ac divinis officiis *in Auximana Distributionum die 24 Novembris 1821* §. *Docent.*

Item *in Praenestina Distributionum die 25 Maii 1833* §. *At.*

8. Certum quippe esse tradit De Luca de Canon. disc. 16 n. 2 et 6 dictis distributionibus non convenire vocabulum fructus; quodque magis praecise confirmat Gonzalez in Reg. 8 cancell. §. 7 prooem. n. 186, id ipsum tradit Pitonius discept. eccles. 1 2 16, et Rota in addit. ad decis. 576 Recent. part. 4 n. 52 *in Auximana Distributionum die 24 Novembris 1821* §. *Docent.*

9. Unde eas, docet Redoanus in quaest. 3 de spol. §. 1 n. 4, – non imputari in valorem fructuum, nec esse de corpore Beneficii, nec sub illo comprehendi, – et Card. Petra in Comment. ad Constit. 12 Innocentii III. sect. 2 n. 4 *in Auximana Distributionum die 24 Novembris 1821* §. *Docent.*

Item *in Praenestina Distributionum die 25 Maii 1833* §. *At.*

10. Nam tralatitium in iure est, nomine fructuum reditum proventuum non venire distributiones quotidianas, Ferrar. verb. Distributiones art. 1 n. 6, Maschath Instit. can. lib. 3 tit. 4 sect. 7, Benedict. XIV de Synod. diaeces. lib. 5 cap. 2 n. 5, et Instit. eccles. 60 §. 11, et Gonzalez in Reg. 8 cancell. de mens. et alter. §. 7 prooem. n. 190: – Tota die apponuntur ista verba, fructus reditus et proventus in Literis Apostolicis ad narrandum valorem fructuum, exclusis distributionibus, et omnia insimul denotant fructus, non autem distributiones – *in Firmana Distributionum die 2 Decembris 1843* §. *Consonat.*

Item *in Mileten. Emolumentorum die 28 Augusti 1858* §. *Perperam.*

11. Fructus autem naturam induunt distributionum, si distribuuntur singulis Canonicis ad ratam servitii praestiti, ita ut absentes eos amittant, lucrentur vero iure accrescendi, qui chori Ecclesiaeque servitio incumbunt; ex hac enim circumstantia quotidianas distributiones a fructibus Praebendalibus discerni, tametsi non singulis diebus, sed nonnullis anni temporibus soleant inter Canonicos partiri, per Text. in Cap. *Licet de* Praebendis, in Cap. unic. de cleric. non resid. in 6, et in Clement. *Ut ii, qui* de aetat. et qualit. notant Leuren. de for. Benef. sect. 3 cap. 1 tit. de oner. Benef. quaest. 423 per totum, Monet de distrib. quotid. part. 1 quaest. 9 n. 37, Antonell. de loc. leg. lib. 1 cap. 13 n. 12 *in Neapolitana Spolii die 27 Iulii 1737* §. *Secundo.*

Item *in Anagnina Distributionum quotidianarum die 29 Februarii 1744* §. *Fru-*

stra; in Praenestina Distributionum die 25 Maii 1833 §. *At; in Anagnina Distributionum die 22 Augusti 1840* §. *Fructus.*

12. Proposito hinc dubio: - An massa communis distribui solita certis anni temporibus inter Canonicos Cathedralis partim in pecunia, et partim in frumento sub nomine cedularum et replicarum habeant naturam et qualitates distributionum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, et amplius - *in Capuana Spolii die 9 Iulii 1735.*

13. Si tamen possibile esset, distributionum divisio fieri deberet singulis diebus, uti notant Doctores in Cap. *Consuetudinem* de clericis non residentibus *in Anagnina Distributionum die 8 Iunii 1720* §. *Praepositus.*

14. Unde nomine distributionum intelliguntur emolumenta, quae tamquam fructus Canonicatus dietim lucratur Canonicus ratione servitii et laboris, non autem comprehenduntur punctaturae et Anniversariorum emolumenta; et ratio est, quia punctaturae non sunt fructus Canonicatus, sed tamquam praemium intervenientibus debentur, Anniversaria sunt pia legata a titulo et Praebenda Canonicali seiuncta, Fagnan. in Cap. *Licet* de Praebendis n. 2, Piton. discept. eccles. 1 n. 35 *in Reatina Iubilationis die 28 Aprilis 1770* §. *Neque.*

Item *in Praenestina Fallentiarum die 29 Iulii 1837* §. *Neque; in Spoletana Executionis Rescripti et participationis Fallentiarum die 25 Ianuarii 1851* §. *Super.*

15. Hoc tamen cum limitatione sentiendum: siquidem ubi contingat, nullimode distributiones existere, vel quae ex integra Praebenda componuntur, vel ex tertia ipsius parte, vel ex bonis ecclesiasticis omnino discretis, sed illarum vice haberi fallentias seu punctaturas, quas Praebendati non ex fructibus Beneficii, sed aere proprio solvere tenentur, habito respectu ad finem, quo hae persolvuntur, videri procul dubio poterit, has omnino locum distributionum quotidianarum tenere, quippe quemadmodum illae constitutae sunt, ut Praebendati alliciantur ad divina officia accuratius obeunda, ceu praeter Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 3 de reformatione tradit Ceccoper. animadvers. ad tit. 6 n. 1, et tit. 8 n. 42; ita hae in poenam negligentiae exolvuntur atque diligentioribus accrescunt: igitur et si non per se, effectu tamen inspecto, inter quotidianas distributiones enumerari posse docet quoque Card. De Luca de iurepatronat. disc. 10 n. 12, et de Canonicis disc. 18 n. 6 *in Spoletana et Reatina Punctaturarum die 3 Aprilis 1841* §. *Verum.*

Item *in Spoletana Executionis Rescripti et participationis Fallentiarum die 25 Ianuarii 1851* §. *Hoc.*

16. Quoties autem huiusmodi punctaturae subrogatae sint in locum distributionum, consequens est, ut in omnibus earum naturam et conditionem innuant, ad Textum in L. *Si eo* §. qui ff. si quis etc., Gratian. discept. 624 n. 10, Card. De Luca de statu success. n. 4, et Rota in Recent. decis. 56 n. 4 part. 18 *in Spoletana et Reatina Distributionum die 3 Aprilis 1841* §. *Quoties.*

Item *in Spoletana Executionis Rescripti et Fallentiarum die 25 Ianuarii 1851* §. *Quoties.*

17. Quapropter fallentiae Canonicorum absentium, in reditibus positae certe eventualibus et incertis, sub nomine fructuum, qui semper certi sunt et invariabiles, nequeunt venire, sicuti eadem causa stricte non veniunt distributiones, docente Fagnano in lib. 3 Decret. Cap. *Licet* 32 de Praebendis n. 3 et 17 *in Spoletana et Reatina Punctaturarum die 3 Aprilis 1841* §. *His.*

18. Hinc distributiones quotidianae a fructibus praebendalibus ex eo praesertim discernuntur, quod illae inter singulos Canonicos ad ratam servitii praestiti dividuntur, ita ut absentibus non acquirantur, sed iis, qui in choro intersunt, accrescant, Cap. *Licet* de Praebendis, Cap. unic. de Cleric. non resid. in 6, Card. De Luca de Canon. disc. 16 n. 6, et in annot. ad Concil. Trid. disc. 15 n. 8, Card. Petra in comment. ad Constit. 9 Bonifacii VIII n. 28 tom. 3 *in Capuana Spolii die 9 Iulii 1735* §. *Capitulum.*

19. Itaque duplicis generis sunt distributiones, aliae scilicet quotidianae, et aliae inter praesentes, quae melius dici possent extraordinariae eventuales et incertae, quaeque ut distinctae sunt a communi Massa et Praebenda, ita praesentibus tantum praestari solent, sive ex peculiari statuto aut consue-

tudine cuiuslibet Ecclesiae, sive expressa Benefactorum voluntate *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Indulta abessendi.*

Item *in Anagnina Distributionum die 22 Augusti 1840* §. *Distributiones.*

20. Qua de re distributiones inter praesentes non percipere absentes a choro etiam ex iusta causa, vel etiam Indulto Apostolico, docent Scarfantonius ad Ceccoperium lib. 2 tit. 10 n. 1, Pitonius discept. 1 per totum, Fagnanus in Cap. *Licet* de Praebendis n. 20, et Benedictus XIV Instit. 107 a n. 58: quin imo etiam in casu Apostolici Indulti cum facultate percipiendi quascumque distributiones quotidianas ordinarias et extraordinarias, quas percipiunt personaliter residentes, firma semper sententia censuit Sacra Congregatio, ut exclusae remanerent eae distributiones, quae ex Fundatorum voluntate inter praesentes dividi debent, etiamsi ageretur de Canonico cum Indulto iubilationis, ac demum in casu etiam Canonici amplissimo causa infirmitatis Indulto donati *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Indulta abessendi* §. *Quin.*

21. Hinc distributiones minutae, quae inter praesentes vocantur, regulariter quidem eodem privilegio et iure utuntur, quo distributiones quotidianae, non tamen absolute licitum est arguere a distributionibus quotidianis ad huiusmodi distributiones minutas, cum non in omnibus conveniant: nam praeterquamquod hae non comprehenduntur in privilegio percipiendi distributiones quotidianas in absentia, – disparitas in eo est, quod percipere anniversaria et mortuaria non ita praecise et per se convenit ratione Canonicatus et Beneficii in Ecclesia Collegiata, sicut de perceptione distributionum, atque adeo potius ratione Personae ipsius Beneficiati, vel Ordinis clericalis, quam ex Beneficio ipso provenire aut pendere dici possunt –, ceu perpendunt Monet. de distrib. part. 2 quaest. 14 n. 22, Pignatell. tom. 9 consult. 134 n. 11, Navarr. consil. 13, Barbos. de iur. eccles. cap. 18 n. 4, et de Canon. cap. 21 n. 3, Fagnan. in Cap. *Licet* de Praebendis, Piton. discept. eccles. 1 n. 35 *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *De quinto.*

22. Unde nihil obstitit, quominus Thesaurarius Ecclesiae Ferrariensis ex legitima consuetudine percipere posset distributiones minutas, quamvis distributiones quotidianas non lucraretur, nec residentiam praecisam haberet, praesertim quia in favorem earum animarum, pro quibus anniversaria ac alia huiusmodi fiebant, omnis benignior interpretatio sumenda erat, ex qua maius suffragium ipsis animabus obveniret; his enim in terminis proposito dubio: – V. An lucrari possit distributiones inter praesentes in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quintum, ad formam consuetudinis – *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843.*

23. Ceterum distributiones quotidianae, etsi valde differant ab iis, quae inter praesentes dicuntur, tamen in hoc aliquatenus conveniunt, quod utraeque in Indultis absentiae concedendis excludantur; istae videlicet de iure, etiam sine expressa mentione, illae vero excludi soleant cum expressa clausula, – amissis distributionibus –, quarum nomine in iis Capitulis, quorum universi reditus in distributionibus consistunt, tertia pars venit, reliquis partibus Praebendae naturam assumentibus, ut ad Tridentinum sess. 21 cap. 3 de reformatione docet cum communi Reiffenstuel in Decret. lib. 3 tom. 4 §. 7 *in Anagnina Distributionum die 23 Augusti 1840* §. *Distributiones.*

24. Idcirco distributiones inter se valde differunt; aliae enim sunt Beneficio adnexae, aliae conceduntur ratione servitii, aliae appellantur inter praesentes, vel quia ex massa communi praesentibus tantum conceduntur, vel quia ex voluntate Testatorum atque Benefactorum his dantur, qui divinis officiis personaliter intersunt *in Sutrina Indulti die 19 Aprilis 1823* §. *Probe.*

25. Siquidem ex iuris dispositione, distributiones quotidianas ideo fuisse institutas, ut alacriores Canonici divinis intersint officiis, explicant Doctores ad caput unicum de clericis non residentibus in 6; seu, ut ait Tridentina Synodus, – ne qua in parte divinus minuatur cultus, sed ei debitum in omnibus obsequium praestetur – *in Firmana Distributionum die 6 Maii 1843* §. *Ex.*

26. Hinc statis cuiusque diei horis certas assignandas esse distributiones, ac pro modo laboris inter praesentes dividendas tradit Moneta de distrib. quotid. part. 2 quaest. 3 n. 2 *in Melevitana Erectionis novae mas-*

sae Distributionum die 25 Septembris 1762 §. *Quae.*

Item *in Derthonen. Constitutionum capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Dubium; in Firmana Distributionum die 6 Maii 1843* §. *Hinc.*

27. Enimvero Sacra Congregatio declaravit, ab Episcopo esse assignandas distributiones quotidianas singulis horis, quas nisi interessentes lucrari possint *in Maurianen. die 14 Februarii 1625 lib. 12 Decretorum pag. 259.*

28. Episcopus vero non potest dividere distributiones quotidianas aliquibus horis iam designatas, sed debet detrahere tertiam partem fructuum ex qualibet Praebenda, et horis distributiones quotidianas non habentibus assignare *in Mediolanen. lib. 1 Decretorum pag. 81 a tergo.*

29. Idcirco distributiones iam assignatae certis horis canonicis, etiamsi pingues sint, non sunt applicandae etiam illis, quae distributionibus carent, sed nova quantitas ex communi massa Praebendarum est detrahenda, et horis distributionibus carentibus applicanda *in Novarien. Distributionum die 9 Ianuarii 1666 lib. 25 Decretorum pag. 4.*

30. Nam debent taxari ad formam Concilii in Cap. 3 sess. 21 de reformatione *in Albanen. Distributionum die 9 Decembris 1690 lib. 40 Decretorum.*

31. Qua de re quum in Capitulo Cathedralis Tergestinae usus distributionum diu iam aboleverit, proposito dubio: – I. An et quomodo teneatur Episcopus partem redituum capitularium Cathedralis Tergestinae assignare pro distributionibus quotidianis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, Affirmative; et Episcopus procedat ad formam Sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 3 de reformatione – *in Tergestina et Iustinopolitana die 28 Novembris 1850.*

32. Iamvero Concilium Tridentinum in cap. 3 sess. 21 de reformatione haec habet: – Cum Beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur, statuit Sancta Synodus, in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum tam Dignitatum, quam Canonicatuum Personatuum Portionum et Officiorum, separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quae inter Dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes proportionabiliter, iuxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur; salvis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt, non obstantibus exemptionibus ac aliis consuetudinibus etiam immemorabilibus et appellationibus quibuscumque, crescenteque non serventium contumacia, liceat contra eos procedere, iuxta iuris ac sacrorum Canonum dispositionem – *in Leodien. Dispensationum die 5 Iulii 1738* §. *Cum.*

Item *in Maceraten. die 20 Decembris 1766* §. *De; in Cephaluden. Distributionum die 31 Martii 1770* §. *Usum.*

33. Conformiter ad hanc conciliarem sanctionem pluries fuit a Sacra Congregatione declaratum, distributiones quotidianas, non obstante contraria consuetudine, debere ex tertia parte fructuum cuiusque Canonicatus constitui, easque singulis horis canonicis ab Episcopo sub consueta punctaturarum lege assignari, ut signanter contigit *in Alexandrina lib. 3 Decretorum pag. 22.*

Item *in Maurianen. die 14 Februarii 1625 et die 24 Ianuarii 1632; in Guardien. die 8 maii 1649; in Seguntina die 12 Decembris 1654 lib. 19 Decretorum pag. 439; in Albanen. Distributionum die 9 Decembris 1690; in Aquipendien. die 29 Novembris 1692; in Civitatis Castellanae Punctaturarum die 5 Maii 1696.*

34. Nam irrationabilis dicenda est consuetudo, quae amplam negligendo Ecclesiae servitio viam sternit et finem evertit, ob quem distributiones quotidianae fuere constitutae *in Balneoregien. Servitii chori die 29 Maii 1824* §. *Ceterum.*

35. Quin imo ne consuetudinis quidem nomen meretur, sed abusus et corruptela est appellanda, ideoque illam omnino reprobari et abusum eliminari oportet *in Balneore-*

gien. Servitii chori die 29 Maii 1824 §. *Ceterum.*

36. Unde Sacra Congregatio respondit, observandum esse Decretum editum ab Episcopo, quo mandavit, dismembrari tertiam partem fructuum Canonicatuum in distributiones quotidianas convertendam, non obstante Decreto contrario Visitatoris Apostolici *in Papien. lib. 2 Decretorum pag. 101.*

37. Nam Episcopus potest etiam cogere Capitulum ad reddendam rationem de applicatione distributionum quotidianarum *in Dubium ad cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

38. Idcirco Episcopus potest, renitente etiam et contradicente Capitulo, detrahere tertiam partem fructuum Dignitatum et Canonicatuum, easque in distributiones proportionabiliter dividendas convertere, iuxta cap. 3 sess. 21 de reformatione *in Ripana lib. 7 Decretorum pag. 72.*

39. Non potest tamen Episcopus ex dispositione Concilii Tridentini statuere Dignitatibus Personatibus Officiis certam servitii formam praeter solitam, pro lucranda dicta tertia parte fructuum in distributiones conversa *in Elboren. mense Augusti 1597 lib. 7 Decretorum pag. 121.*

Item *mense Septembris 1597 lib. 7 Decretorum pag. 131; in Burgen. anno 1597 lib. 7 Decretorum pag. 138.*

40. Nec Concilium Tridentinum in cap. 3 sess. 21 de reformatione tollit appellationem, circa detractionem tertiae partis fructuum in distributiones quotidianas convertendae *in Burgen. anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 127.*

41. Hinc detractio tertiae partis fructuum Praebendarum et Dignitatum in quotidianas distributiones convertendae non debet fieri ex una, vel altera tantum pinguiori Praebenda, sed ex omnibus indistincte *in Rossanen. die 15 Aprilis 1592 lib. 7 Decretorum pag. 39.*

42. Nec huiusmodi detractio tertiae partis stabiliri potest, exempli gratia, in duodecim scutatis tantum pro quolibet, sive Dignitate, sive Canonicatu, singulis annis in perpetuum *in Aquipendien. Distributionum die 29 Novembris 1692 lib. 42 Decretorum.*

43. Nam ad constituendam tertiam partem, distributiones sunt considerandae secundum communem valorem fructuum *in Burgen. lib. 1 Decretorum pag. 32.*

44. Potest tamen arbitrari Episcopus, ut ea constituatur in pecunia, tam pro Dignitatibus, quam pro Canonicis ad ratam fructuum uniuscuiusque: ita Sanctissimus respondit, approbando Decretum Episcopi, non obstante Decreto Visitatoris Apostolici *in Papien. lib. 2 Decretorum pag. 101.*

45. Facienda propterea est detractio tertiae partis, detractis pensionibus aliisque legitimis oneribus, quamdiu duraverint *in Rossanen. die 15 Aprilis 1592 lib. 7 Decretorum pag. 39.*

46. Unde facta detractio tertiae partis fructuum, ut supra computatis pensione aliisque legitimis oneribus, ex eadem tertia parte pars tertia solvitur pensionis, ita ut, cum pensio extinguatur, in augmentum dictae tertiae partis cedere debeat extinctio *in Burgen. die 19 Decembris 1591 lib. 7 Decretorum pag. 30.*

47. Amplia, etiam quoad Canonicum absentem cum indulto Sacrae Congregationis detractio tertiae partis fructuum Canonicatus, in distributiones convertendae, est facienda, detracta pensione, non autem a toto fructu Canonicatus *in Romana Indulti die 3 Iunii 1690 lib. 40 Decretorum.*

48. Quin imo est etiam intelligenda de illis Dignitatibus et Canonicatibus, quorum fructus sunt illius Ecclesiae, in cuius choro hae Dignitates et Canonici sedem habent *in Burgen. anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 138.*

49. Idcirco distributiones sunt ab Episcopo constituendae non ex fructibus omnium Praebendarum in confuso, sed distincte retrahenda tertia pars fructuum Dignitatis et Praebendae, detractis prius pensionibus et aliis legitimis oneribus *in Aesina die 24 Ianuarii 1633 lib. 14 Decretorum pag. 567.*

50. Hinc Sacra Congregatio respondit, non esse locum detractioni tertiae partis fructuum Praepositurae in distributiones quotidianas, durante onere non modicae pensionis, quo tunc gravabatur, maxime cum distributiones quotidianae iam existerent nec adeo tenues, utpote ad summam octoginta scutorum ascendentes, ut verisimiliter possent negligi a Praeposito *in Aretina anno 1595 lib. 8 Decretorum pag. 117.*

51. Qua de re Episcopus debet assignare distincte cuilibet Praebendae Canonicali sua bona, deductis oneribus et expensis, ac detracta tertia parte in distributiones quotidianas convertenda *in Perusina die 2 Septembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 397.*

52. Amplia, distributiones sunt etiam constituendae ex tertia parte Portionum, quas simplices Sacerdotes participant *in Brixien. mense Ianuarii 1649 lib. 18 Decretorum.*

53. Hinc et in sacris non constituti tenentur dimittere tertiam partem fructuum in distributiones convertendam *in Patavina lib. 2 Decretorum pag. 16 a tergo.*

54. Immo et possunt ad id compelli *in Patavina lib. 2 Decretorum pag. 16 a tergo.*

55. Unde obtinens Canonicatum in Cathedrali et Collegiata tenetur dimittere tertiam partem fructuum Canonicatus Collegiatae, etiamsi residere teneatur in Cathedrali *in Alexandrina lib. 3 Decretorum pag. 22.*

56. Quapropter est facienda et in distributiones quotidianas convertenda detractio tertiae partis fructuum bonorum legatorum pro erectione Canonicatus in Cathedrali, etiamsi Canonicatus sit de iurepatronatus laicorum *in Pisana Erectionis Canonicatus die 13 Ianuarii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 398.*

57. Quum autem in erectione Collegiatae constituta fuerit summa distributionum ex tertia redituum parte, Canonicus, qui Praebendam a communi massa distinctam possidet, si dos pro Sacrario constituta impar evadit, tenetur quidem pro rata cum aliis contribuere, sed haud cogi potest ad augendam summam distributionum, ex eo quod eadem Praebenda maiores reddant fructus, et alii Canonici eam iam augere putaverint, is tamen percipere nequit aliorum augmentum *in Ariminen. Distributionum aliorumque onerum die 18 Decembris 1847.*

58. Siquidem parochialem Ecclesiam S. Luciae Oppidi Sabiniani in universali rerum ecclesiasticarum clade, ineunte hoc seculo, Collegii dignitate bonisque spoliatam, pristino tandem decori restituit s. m. Leo XII anno 1828, pinguiori Praebenda e publico Aerario solvenda tribus Canonicis Amatinis (a Fabritio Amati fundatore nuncupatis), totidemque Mansionariis assignata, nonnullis adiectis, praeter suetum chori pensum, oneribus in animarum curae levamen. Factum hinc est, ut praefati Amatini Canonici e re sua duxerint partem quotam distributionum quotidianarum ad scuta annua viginti evehere, quae adamussim tertiam conflabant partem novae Praebendae Canonicalis, in scutatis sexaginta cuique Canonico constitutae. Huic distributionum legi, putavit Capitulum, obnoxium perpetuo fore possessorem pro tempore Canonicatus, qui fundatus anno 1735 a quodam Petro Francisco Perticari fuerat, ac in erectionis Collegiatae Bulla Benedicti XIV edita anno 1741 in gremium Capituli admissus, iisdemque iuribus ac oneribus subiectus, licet distincta a communi massa esset Praebenda. Sed spem fefellit eventus: nam Iulius Perticari, qui tunc eo fruebatur Canonicatu de iurepatronatus suae familiae, quum iisdem bonis adhuc perfrueretur, quae in primaeva fundatione Praebendae suae Canonicali assignata fuerunt ac in citata Bulla pro reditu annuo scutatorum quinquaginta, prout et ceteris Canonicis Amatinis, computata reperiebantur, censuit, minime locum fieri posse distributionum augmento quoad suam Praebendam, nec aliud amplius sibi pendendum praeter scutatorum 16. 66. 6 summam. Namque contendit, semel facta distributionum deductione ad formam cap. 3 sess. 21 de reformatione, haud amplius fas esse novam inire, rebus in eodem statu manentibus; idque cum adamussim fuerit adimpletum in ipso Collegiatae erectionis actu non precario nec demonstrative, sed stabiliter et taxative, ceu suadebant verba, quae in ipsa Bulla habebantur: – perpetuo applicet et appropriet –, contra ius esse quamlibet in hac materia mutationem, nec ab iis recedere licere, quae per Apostolicas Literas ac per fundationis leges statuta fuerant. Nec obesse dixit, quod reditus in praesens aucti fuerint: nam idem praedium *di tornature* 36 permanebat, quin aliquid unquam ei accesserit. Si hinc fructus in praesens aucti sint, id non valori, sed meliorationibus, sed maiori pretio rerum pro temporum conditione tribuendum, quae quantum instabilia sint, nemo rerum humanarum vicissitudinibus edoctus non noscit. Ceterum ambigendum etiam esse putavit Perticarius, utrum in augmento, quod eo-

rum Praebendis accessit, iusta adfuerit ratio, cur Canonici etiam distributionum quantitatem augerent. Nam augmentum in scutatis sexaginta Leo XII forte peregit pro adiectis oneribus circa animarum curam: et si ipsi liberales esse voluerunt, nihil pro novis oneribus detrahendo vel statuendo, id profecto in Canonici Perticari perniciem vertendum haud erat, cuius in memorato Leonis XII Decreto nulla occurrebat mentio, nec quoad augmentum, nec quoad onera; et nemo invitus ad id, quod iure non tenetur, adigendus est. Demum tenuis haud esse videbatur quota distributionum, iuxta praescriptum Concilii Tridentini cap.3 sess. 22, habito respectu ad praesentem suae Praebendae reditum scutatorum octuaginta, ita ut omnino augeri deceret, ne verisimiliter negligeretur. Nec se teneri contendit pro rata contribuere in expensas, quae praeter annua scuta viginti quinque assignata Sacrario erogabantur pro Ecclesiae cultu, cum id onus Canonicis Amatinis inhaereret, et observantia centum annorum accederet, qua possessores Canonicatus Perticari nunquam ab erectione Collegiatae contribuerunt.

59. Contra Canonici Amatini sustinuerunt, parem ceteris Canonicis distributionum assignationem ferre debere Canonicum Perticari, si vel iuris dispositio spectaretur, si erectionis Collegiatae Bulla, si statutum capitulare, si denique fundatoris Canonicatus expressa voluntas. Nam ex Concilio Tridentino cap. 3 sess. 21 tertia pars redituum constitui debet pro distributionibus quotidianis: at summa antiqua scutatorum 16. 66. 6 tertiam redituum partem haudquaquam constituebat, cum reditus in praesens pertingerent summam scutorum octuaginta, quin obesset Bulla erectionis Collegiatae, cum assignatio in ea facta demonstrative, non vero taxative accipi deberet, scilicet quatenus Praebendae scutata quinquaginta haud excederent, secus vero ubi ipsae incrementum obtinuissent; hoc enim in casu distributiones etiam, adhibita tertii proportione, augendae forent, de quo sane dubitationem omnem submovebat initium cap. 3 Constitutionum capitularium, quae ipsius Bullae veluti commentum efformabant, illudque sic se habebat: – Igitur Praebenda scutorum quinquaginta proventuum non excedat, tertia parte detracta, cuilibet Canonico etc. –. Praeterea res erat de nova dispositione, quae meliorem servitii choralis disciplinam divinumque cultum apprime tuebatur. Idcirco etsi ab initio distributiones taxative fuissent constitutae, fas erat Capitulo ob immutatum rerum statum alias statuere, cum Summus Pontifex in literis fundationis permiserit statuta – in melius reformare alterare immutare seu alia de novo ex integro condere–. Tandem ipse Fundator expresse voluit, ut Canonicus pro tempore iisdem legibus, quibus Canonici Amatini obtemperare debebant, subiiceretur. Idcirco aequalitas in omnibus servari debebat, etiam quoad dotem scutatorum viginti quinque pro Sacrario constitutam, cum ipsa impar evasisset.

60. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et in qua summa a Canonico Perticari solvendae sint distributiones quotidianae in casu? II. An idem Perticarius teneatur pro rata cum ceteris Canonicis contribuere in expensas, quae praeter annua scuta viginti quinque assignata Sacrario erogantur pro Ecclesiae cultu in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in scutatis 16. 66. 6 ita tamen, ut Canonicus Perticarius in eadem proportione percipiat de aliorum Canonicorum distributionibus. Ad secundum, Affirmative – *in Ariminen. Distributionum aliorumque onerum die 18 Decembris 1847.*

61. Itaque a veteribus restitutae Collegiatae Canonicis contribuenda non est pro distributionibus quotidianis tertia pars pensionum, quae ipsis in suppressione a Gubernio usurpatore assignatae fuerunt, quum ex Summi Pontificis verbis in actu eiusdem redintegrationis satis constet, quod nuperi tantum Canonici ad huiusmodi onus fuerint subiecti, salvis remanentibus praefatis illorum pensionibus *in Firmana Distributionum die 16 Iulii 1836.*

62. Iamvero antiquissima Collegiata loci Civitatis Novae censu quadraginta circiter argenteorum millium ditabatur; sed universali rerum ecclesiasticarum clade reditibus praediis, quae expoliata, ex Capitularibus singuli annuam centum quatuordecim scutorum summam receperunt, idoneaque congrua ditatus extitit Archipresbiter, cui tamen relictum onus

erat, stipendium praebendi tribus Capellanis curatis aeque ac Vicario, qui in Ecclesia S. Mariae ad Portum spirituali animarum bono incumbebat. Gregorius XVI Kalendis februarii anni 1832 – dictam Ecclesiam S. Pauli ad primaevum Collegialitatis statum gradum et honorem, retenta sua parochialitate, cum omnibus iuribus praerogativis privilegiis et indultis insignibus aliisque honoribus ac oneribus et obligationibus illis antea adnexis et competentibus perpetuo restituit atque redintegravit –. Mandavit praeterea, – ut, firma remanente quoad septem superextantes veteris Collegiatae Ecclesiae Capitulares annuali assignatione centum quatuordecim scutorum, ab Aerario publico, ad eorum vitam loco distractae Praebendae ac in bonorum deperditorum compensationem, illorum cuilibet persolvenda etc. –; futuros vero nuperosque capitulares quod attinebat, voluit, ut singulis argentei nummi octuaginta adsignarentur, sexaginta Beneficiatis, ac unus et alter ex Clericis choralibus – quadraginta scutorum annuis respective assignàtionibus ex communi massa desumendis –, loco suae Praebendae perfrueretur, ea tamen adiecta lege, tertiam ipsorum partem pro pecuniariis et quotidianis distributionibus, iuxta Tridentinae Synodus praescriptum, seiungendi. Hinc nuperi Canonici disparem reditum ineuntes postularunt, ut massa distributionum ex tertia parte fructuum sive redituum uniuscuiusque Capitularis in communi reponendarum constitueretur, punctaturae vim haberent a tempore, quo fallentiae signari inceperunt, ac demum fallentiae cum lucrentur ratione laboris et diligentiae, aequa lance dividerentur, absque ullo respectu ad plus minusque pro quotidianarum distributionum massa communiter contributum. Nam Summus Pontifex, nemine excepto, mandavit, ut unusquisque tertiam fructuum partem, pro massa distributionum, conferret. Contra veteres Capitulares sustinuerunt, dictionem *unusquisque* nuperos tantum Canonicos comprehendere, non autem ad veteres Capitulares esse extendendam. Pontifex enim dixit: – Ita tamen, ut firma remanente quoad septem superextantes veteris Collegiatae Ecclesiae Capitulares annuali assignatione centum quatuordecim scutorum, ab Aerario publico, ad eorum vitam, illorum cuilibet persolvenda, unusquisque ex futuris in restitutae Collegiatae Ecclesiae Canonicis octuaginta scutorum, ac cuilibet ex Beneficiis sexaginta scutorum, ac unus et alter ex Clericis choralibus praedictis quadraginta scutorum annuis respective assignationibus ex hac communi massa desumendis, expressa quidem sub lege, tertiam ipsorum partem pro punctaturis et quotidianis distributionibus, iuxta Tridentinae Synodus praescriptum, seiungendi, atque singula Missarum onera dictis Beneficiis seu Capellaniis huiusmodi inhaerentia convenienti proportione inter eos dividenda fideliter adimplendi, loco suae Praebendae perfruatur –. Ex recitatis hucusque verbis liquido scatere asseruerunt, Summum Pontificem voluisse ante omnia, ut salva et integra maneret veteribus Capitularibus adsignata pensio, unusquisque ex futuris, novis nempe, non autem veteribus, tertiam fructuum partem pro distributionibus et punctaturis seiungerent et in unum conflarent. Idcirco nec contraria aliarum Collegiatarum exempla vim ullam habere poterant, cum perspicua essent Pontificis verba. Quod si ex in facto absurda hypothesi et ipsi conferre tenerentur tertiam redituum partem, a iure absonum erat, ut fallentiae dividerentur aequa lance, absque ullo respectu ad plus minusque pro quotidianarum distributionum massa communiter contributum. Unusquisque enim ex quotidianis distributionibus tantum percipere debet, quantum de sua Praebenda detractum fuit. Quisque igitur plus contribuit, cuique plus oblatum est ex pinguiori Praebenda, eique plus dandum est de distributionibus quotidianis.

63. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An quomodo et a quo tempore sit a veteribus restitutae Collegiatae Canonicis contribuenda et repartienda tertia pars pensionum pro quotidianis distributionibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Firmana Distributionum die 16 Iulii 1836.*

64. Post haec, in promptu est etiam altera sanctio Concilii Tridentini in cap. 3 sess. 22 de reformatione, qua statuitur, tertiam partem fructuum quorumcumque Canonicatuum et Dignitatum ab Episcopo detrahendam, et in distributiones quotidianas convertendam

habere locum etiam in Dignitatibus, quae sunt de iurepatronatus laicorum *in Mediolanen. lib. 1 Decretorum pag. 32.*

Item *in Dubium ad cap. 3 sess. 22 de reformatione Posit.* 41.

65. Idcirco distributiones sunt assignandae ex fructibus Dignitatum illius Ecclesiae, in cuius choro ipsae locum et sedem habent *in Burgen. lib. 1 Decretorum pag. 32.*

66. Unde habet locum non solum in Ecclesiis, in quibus a Dignitatibus nullum servitium praestatur; sed etiam in quibus minus congruum praestatur *in Dubium ad cap. 3 sess. 22 de reformatione Posit. 41.*

67. Qua de re Episcopus potest separare tertiam reditui partem, uti praescriptum est a Sacro Concilio Tridentino sess. 21 cap. 3 de reformatione, et propterea impediri nequit separatio cum applicatione fallentiarum favore fabricae Ecclesiae, iuxta aliam Concilii censuram in sess. 22 cap. 3 de reformatione, quam habere locum in Dignitatibus habentibus Praebendam haud constitutam ex bonis Ecclesiae, tradunt Fagnanus in cap. *Quia nonnulli* a n. 12 de Cleric. non residentibus, Garz. de Benef. part. 3 cap. 2 n. 465, et Benedictus XIV Instit. eccles. 107 n. 41 *in Imolen. Distributionum die 25 Aprilis 1761* §. *Episcopus.*

68. Censura vero haec conciliaris locum non habere videtur, cum Dignitas ex lege fundationis participare debeat de communibus distributionibus, ex eo quod eadem legi fundationis non derogat, ut notant Garz. de Benef. part. 3 cap. 2 n. 493, Barbos. de Canon. Cap. 21 n. 25, et ad Concil. Trid. sess 22 cap. 3 n. 9 *in Imolen. Distributionum die 25 Aprilis 1761* §. *In visitatione.*

69. Hinc detractio tertiae partis fructuum Primiceriatus, habentis fructus distinctos a massa capitulari et nihil prorsus ex distributionibus quotidianis massae communis participantis, non est intelligenda cum distributionibus dictae massae communis; sed separatim ponenda, et ex ea Primicerius tantum lucrari potuerit deserviendo, quantum illi ex Praebenda fuit detractum, iuxta assignationem ab Episcopo faciendam, portioque illarum horarum, quibus Primicerius non deserviet, fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat, sin minus alteri pio loco arbitrio Ordinarii est applicanda *in Patavina anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 62.*

70. Nec aliter fuit responsum, quoad detractionem tertiae partis fructuum Praepositurae *in Cornetana anno 1598 lib. 9 Decretorum pag. 59.*

71. Sicuti autem in sess. 22 cap. 3 de reformatione sermo est de iis Ecclesiis, in quibus vel nullae, vel adeo tenues sunt distributiones, ut verisimiliter negligantur, ita ubi sufficientes constitutae sint distributiones, tertiam hanc fructuum partem in eam causam erogandam detrahi non posse, monent Piasec. in prax. Episcop. part. 2 cap. 3 n. 7, Zerol. in prax. Episcop. part. 2 verb. distributiones quotidianae, Aloisius Ricci in prax. rer. for. eccles. part. 1 n. 2, et alii *in Sabinen. Participationis die 13 Iulii 1771* §. *Nondum.*

72. Iamvero statuitur in cap. 3 sess. 22 de reformatione Concilii Tridentini, distributiones quotidianas ad tertiam fructuum partem augendas esse, ubi vel – nullae sunt, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur –, unde iam quaeri posset, quaenam regula tuta sequenda in dignoscendo, quandonam tenues in sensu legis dicendae sint distributiones, ut locus fiat eiusdem legis dispositioni. Barbosa collect. Doctor. in Concil. Trid. commentans memorati capitis verba – ut verisimiliter negligantur –, haec tradit: – ubi autem essent distributiones sufficientes et tolerabiles, tertiam partem fructuum Praebendarum applicandam distributionibus detrahi non posse refert resolutum Piasec. prax. Episcop. part. 2 cap. 3 n. 7 et 129, Zerola in prax. Episcop. part. 2 verb. distributiones quotidianae – *in Ariminen. Distributionum aliorumque onerum die 18 Decembris 1847* §. *Partium.*

73. Unde tuta regula statuta videtur in iis verbis – verisimiliter negligatur – *in Ariminen. Distributionum aliorumque onerum die 18 Decembris 1847* §. *Partium.*

74. Siquidem Sacra Congregatio – censuit, ita demum posse Episcopum tertiam ex Praepositura fructibus partem in distributiones quotidianas convertere vigore capitis 3 sess 22, si distributiones Aretinae ita tenues sint, ut verisimiliter negligantur, alioquin remedio illius Capitis 3 uti ipsum non posse – *in Aretina die 6 Aprilis 1695 lib. 45 Decretorum.*

75. Idcirco non est locus separationi tertiae partis ex fructibus et proventibus Dignitatum et applicandae fabricae Ecclesiae ad formam sacri Concilii Tridentini cap. 3 sess. 22, quando praefatae Dignitates iam subiaceant amissioni aliarum distributionum interessentibus accrescentium, etiamsi habeant peculiarem distinctam et considerabilem Praebendam, qua sunt destituti Canonici, et ex cuius facultatibus nulla tertia pars separata reperitur, quin etiam punctaturae infra tertiam partem per Episcopum constitutae substineri valeant saltem per modum poenae *in Cathacen. Constitutionum capitularium die 19 Maii 1703 lib. 53 Decretorum.*

76. Enimvero – inter Constitutiones capitulares pro bono regimine Ecclesiae Cathedralis Cathacensis stabilitas per Episcopum, et ab Emo Colloredo, praevia revisione de ordine huius Sacrae Congregationis, approbatas, illa praecipue habetur, qua demandatur separatio tertiae partis ex fructibus et proventibus Praebendarum Dignitatum Personatuum et Officiorum in dicta Cathedrali Ecclesia existentium, applicandae favore fabricae Ecclesiae ad formam dispositionis Conciliaris in cap. 3 sess. 22 de reformatione, iuxta edictum ab eodem Episcopo antea promulgatum in §. 5 cum approbatione huius Sacrae Congregationis, emanata die 4 iunii 1701, praevia pariter revisione cl. me. Cardinalis Petrucci. Ab hoc Decreto separationis tertiae partis fructuum reclamantibus Dignitatibus et Personatibus, praefatus Emus Colloredus in suo voto, in fine dictarum Constitutionum capitularium apposito, illas laudando, circa punctum huius separationis, an scilicet sustineri queat, non obstante, quod praedictae Dignitates iam subiaceant amissioni aliarum distributionum interessentibus accrescentium, iuxta illud cap 3 sess. 21 de reformatione, varias Doctorum sententias referens ita concludit: « Huius difficultatis resolutio pendere videtur ex facto melius dilucidando; nam si distributiones, quorum amissioni Dignitates et Personatus non inservientes subiacebant, non ascendunt ad tertiam partem fructuum et proventuum quorumcumque omnibus computatis, locus est etiam separationi per caput 3 sess. 22 demandatae, etiamsi distributiones antiquae non essent tenues, sed tales, quae verisimiliter non negligerentur, ut notat Fagnanus in cap. *Quia nonnulli* de Cleric. non resid. n. 5. Quod si praedictae primae distributiones iam ascendunt ad tertiam partem, non est utique locus dispositioni saepe citati cap. 3 sess. 22, quia ibi expresse cavetur, tale Decretum pro illis tantum Ecclesiis emanasse, in quibus nulla est consuetudo vel statutum, ut dictae Dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum et proventuum ascendat; et ita censeo etc. ». E contra autem pro parte Advocati fiscalis Episcopi asseritur, quod Dignitates et Personatus Ecclesiae Cathedralis, ultra distributiones quotidianas, de quibus cum Canonicis participant, habent etiam peculiarem distinctam ac considerabilem Praebendam, quam non habent Canonici, ex cuius fructibus nulla tertia pars separata reperitur, ideoque optime fieri valeat saparatio dictae tertiae partis per Episcopum demandata favore fabricae Ecclesiae applicandae, in casu amissionis ob non interessentiam certis horis per eumdem Episcopum praescribendam –.

77. His itaque praehabitis, propositis dubiis: – I. An ex fructibus et proventibus Praebendarum Dignitatum Personatuum et Officiorum in Cathedrali Ecclesia Cathacensi existentium sit deducenda tertia pars, illaque applicanda fabricae Ecclesiae ad formam sacri Concilii Tridentini sess. 22 cap. 3 de reformatione non obstante, quod praedictae Dignitates Personatus et Officia subiaceant amissioni aliarum distributionum interessentibus accrescentium? *Et quatenus negative.* II. An punctaturae infra tertiam partem per Episcopum constitutae possint substineri saltem per modum poenae? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative – *in Cathacen. Constitutionum capitularium die 19 Maii 1703 lib. 53 Decretorum.*

78. E contra quum anno 1819 Pius VII Ecclesiam Ceriniolensem ad Cathedralis dignitatem evexerit et aeque principaliter univerit Ecclesiae Asculanae, cumque Canonici satis probaverint, laudatum Pontificem praescripsisse, ut quidquid superesset post impleta onera in actu erectionis praescripta erogari deberet in distributiones quotidianas,

huiusmodi distributiones taxari non debent pro tertia parte singularum Praebendarum, quin obstet, quod alias Canonici maius perciperent augmentum ultra tertiam partem; his enim in terminis proposito dubio: – I. An distributiones quotidianae taxandae sint pro tertia parte singularum Praebendarum, vel potius pro universis reditibus superextantibus post impleta onera in Bulla praescripta in casu? –, Sacra Congregatio die 11 iulii 1840 respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes hinc inde –. Hinc novis a Canonicis allatis probationibus, silente Episcopo, qui contrarium tuebatur, responsum tulit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Asculana et Ceriniolen. Literarum Apostolicarum die 22 Augusti 1840.*

79. Quum enim ipsa Tridentina Synodus sess. 21 cap. 3 salvas voluerit earum Ecclesiarum consuetudines, in quibus non residentes seu non servientes nihil vel minus tertia parte percipiunt, satis ostendit, alienos non fuisse Tridentinos Patres, ut distributiones augmentum etiam gravissimum nancisci possint ultra tertiam partem, ceu profecto eruere est ex una Ianuen. Praecedentiarum S. Congregationis rituum apud Ursayam discept. eccles. 6 part. 1 tom. 1 n. 206 *in Ecclesien. die 16 Augusti 1794* §. *Iamvero.*

Item *in Asculana et Ceriniolen. Literarum Apostolicarum die 11 Iulii 1840* §. *Et.*

80. Alias vero quum Sacra Congregatio antiquitus iam mandaverat, ut, deductis oneribus et expensis, fieret assignatio bonorum distincta cuilibet Praebendae Canonicali, et Episcopus id adamussim in executionem deduxerat, sed inde post longum temporis spatium eiusdem Successor in sacra visitatione animadvertens, distributiones fere deperditas, pro tunc aliquot proventus assignaverit pro distributionibus quotidianis, Capellani et Clerici autem pro exequutione antiqui Sacrae Congregationis Decreti institerint, Sacra Congregatio statuit, ut firmaretur per Episcopum status bonorum ac interim servaretur Decretum Episcopi, quin rata destinata pro distributionibus converti posset, nisi in favorem eorum, qui inserviebant choro iuxta naturam distributionum, et fructus bonorum pro expensis destinati in casu, quo non sufficerent, venirent supplendi cum distributionibus *in Perusina Distributionum die 22 Iunii 1715 lib. 65 Decretorum.*

81. Siquidem – ad enixas preces Capitularium Ecclesiae Cathedralis Perusinae, Sacra haec Congregatio sub die 7 septembris 1647 censuit: « Iniungendum Episcopo, ut pro eius arbitrio deductis oneribus et expensis fiat assignatio bonorum distincta cuilibet Praebendae Canonicali, constituta tamen prius tertia parte bonorum pro distributionibus quotidianis, ut servitium Ecclesiae laudabiliter impleatur ». In obsequium eiusmodi Oraculi Praesul tunc temporis, exquisita relatione Officialium Capituli tam super canonicalibus proventibus, cum etiam super oneribus, edito Decreto, duorum Peritorum iudicium firmavit, qui convenerant, assignari posse cuilibet Praebendae annuam scutorum summam 130, ac pro quotidianis distributionibus determinandam esse adamussim quantitatem scutorum 1498. 16, quae tertiae parti proventuum correspondebant, deductis prius scutis 678. 44 pro expensis et oneribus annuis, una cum aliis scutis 66. 36 pro reparatione Ecclesiae ac cuiusdam aedificii. Subinde vero Capitulares confirmationem expetierunt quorumdam Decretorum super distributionibus, quae Decreta neque in Regesto, neque in libro Literarum Sacrae Congregationis exprimuntur; placuit tamen EE. PP. sub die 16 ianuarii 1683 rescribere: « Episcopo Perusino, quatenus tertiam partem redituum Cancellariae nuncupatorum pro quotidianis distributionibus servari atque respective erogari mandet ». Atqui iterum sub anno 1692 octo Canonici et Beneficiati coram EE. PP. recensuerunt, quod impossibile omnino fuit Praebendas aequales in annuo reditu constituere, ita quod providere oportuit, praevia conditione, quod pinguiores tenuioribus supplere deberent. Verum enim vero quae pinguiores Praebendae dicebantur, neque tum summam pertingebant in fundatione statutam, iam dicti Oratores declarari exposcebant, quod deinceps supplere nullatenus tenerentur; at Sacra Congregatio sub die 20 decembris mox dicti anni rescripsit: « Episcopo Perusino, qui cum Deputatis a Capitulo et Beneficiatis Praebendas eorumque bona discutiat, ac proportionabiliter dividat iuxta currentem annuum reditum,

habito respectu ad assignationem alias factam ad praesens diminutam, ac renuentes quoscumque facti et iuris remediis compellat, etiam auctoritate Sacrae Congregationis ».

82. His praehabitis modo exponi contingit, quod distributiones quotidianae in hoc Capitulo pene exoleverunt, vel quia nunquam fuerunt separatae, et usque modo confuse a Canonicis administrantur, et in alios usus insumuntur, ut contendunt Cappellani et Clerici Beneficiati, vel quia proventus capitulares tanta diminutione decreverunt, ut, intercedente capitulari provisione, eodem anno 1694 distributiones reduxisse oportuit in summa scutorum 627 proportionabiliter repartienda, dummodo tamen ex aliqua causa eroganda non foret in expensas necessarias Ecclesiae, ut reipsa modo accidit, ita ut omnes insummantur pro manutentione Ecclesiae aliisque annuis impendiis, ut autumant Canonici. Id certum est, quod Episcopus in sancta visitatione peracta, anno decurrente 1712, cum animi molestia animadvertens distributiones fere in hac Cathedrali deperditas, pro nunc statuit, et decrevit, quod ex promptioribus reditibus Cancellariae portio desumatur, ex qua cum proventibus communium, ut dicitur, adamussim constitui posset scutorum summa viginti dividenda tam inter Canonicos, quam inter Capellanos et Clericos perpetuos, ut vocant de massa, divinis interessentes, reservando tamen sibi suisque successoribus facultatem praedictam assignationem augendi, prout melior temporis suggeret occasio, et pinguior eiusdem Cancellariae conditio ferre poterit, donec et quousque assignatio praedicta libere responderet tertiae parti redituum earumdem Praebendarum iuxta conciliarem dispositionem, nec non ad formam Decreti Sacrae huius Congregationis emanati anno 1647, et alterius pariter Decreti editi anno 1683. Minus huic recensito Decreto acquieverunt Capellani et Clerici, qui nuncupantur perpetui, Cathedralis Perusinae, sed appellatione interposita ad tribunal A. C. monitorium obtinuerunt super observatione et executione resolutionis Sacrae Congregationis factae de anno 1647. Remissa vero hac controversia sub iudicio EE. PP. mediante Decreto R. P. Auditoris Sanctissimi domini nostri, impraesentiarum Capellani et Clerici praememorati autumant, quacumque exceptione dilatoria non obstante, nunc ex capitularibus bonis separari debere proventus pro distributionibus, aliosque pro expensis ad formam Decreti anni 1647, adeo ut distributiones ipsae in alios usus deinceps non insumantur, quod si expensae superabundent, suppleri debeant cum proventibus canonicalibus, potius quam ex distributionibus –.

83. His mature perpensis, propositis dubiis: - I. An divisio redituum canonicalium facta ad formam Decreti anni 1647 tam pro distributionibus, quam pro expensis, sit servanda, sive potius quaenam rata applicanda sit pro distributionibus, et quaenam pro expensis in casu etc. II. An rata destinata pro distributionibus nullo modo possit per Capitulares converti in alios usus, nisi ad favorem eorum, qui inservierunt choro, iuxta naturam distributionum quotidianarum in casu etc. III. An fructus bonorum pro expensis destinati in casu, quo non sufficerent, veniant supplendi cum distributionibus, vel potius ex fructibus Praebendarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata; et firmetur per Episcopum status bonorum, ac servetur interim Decretum Episcopi. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative ad primam, dilata ad secundam – *in Perusina Distributionum die 22 Iunii 1715 lib. 65 Decretorum.*

84. Idcirco quum quotidianarum distributionum tenuitasansam praeberet Canonicis eas plerumque negligendo debitam residentiam praetermittere, ob idque Episcopus dum volebat huic malo occurrere peragendo divisionem fructuum cuiuscumque Praebendae tertiamque partem eorumdem in quotidianas distributiones convertendo, et Canonici reclamaverint, ex eo quod Statuta haberent, S. Congregatio resolvit, Statuta non esse servanda, sed attendendam dispositionem Concilii Tridentini in cap. 3 sess. 21 de reformatione, atque per Episcopum faciendam esse divisionem per singulas horas; cumque mox Canonici praetenderent habere Statutum ab alio antecessore Episcopo antiquitus factum, quin dispositioni Concilii adversaretur, Sacra Congregatio mandavit, ut firmaretur status specificus redituum et onerum ac expensarum, et libri at-

tento Episcopi consensu exhiberentur penes tertiam personam Partibus nos suspectam *in Giennen. Distributionum die 24 Aprilis 1700 et die 16 Februarii 1704 lib. 50 et 54 Decretorum.*

85. Enimvero – exoptans modernus Episcopus Ecclesiarum Cathedralium Giennensis et Beacensis plene ac religiose servari in illis ea omnia, quae iuxta sacros Canones ac ipsammet Tridentinam Synodum, quoad Dignitatum Canonicatuum aliorumque Portionariorum residentiam, statuta sunt, pluries utriusque Cathedralis Capitulares monuit ac novissime etiam iudicialiter et praeceptive demandavit residentiam et interessentiam in choro statutis temporibus, qua tamen neglecta, signanter in Ecclesia Beacensi necesse fuit adhuc pertinaces publice excommunicatos declarari per Sacram Rotam, ut ex decisione edita in Giennen. Iuris mulctandi super declaratoria 3 aprilis 1699 coram Ansaldo, et subsequuta sententia, ita ut, destituto prorsus Altissimi servitio, non immerito lugeant filiae Syon, quia parvuli petunt panem et non est. qui frangat eis, ea dumtaxat ratione, quia dictarum Cathedralium quilibet Canonicatus seu Praebenda suos peculiares reditus habet, constituentes summam decem millium quatuor centum sexaginta quatuor regalium de Vellon et Merapitinorum 31 monetae aeris Hispaniarum, monetae vero Romanae scutorum 563 et obulorum 84. Distributiones autem quotidianae ad rationem centum Merapitinorum pro quolibet die ac pro quolibet Canonico, iuxta eorum statuta, constituentes in annum quantitatem mille septuaginta trium regalium de Vellon, monetae nempe Romanae scutorum 60, decimam tantum partem fructuum Praebendae attingunt. Quamobrem cum in comperto sit, cur (hac attenta distributionum modicitate) tot irrepserint abusus in illicitis huiusmodi vacationibus et contemptu servitii Dei, illudque penitus negligatur, praefatus modernus Episcopus, ad normam canonicarum sanctionum ipsiusque Concilii Tridentini, in restaurationem divini cultus, humillime petit ab EE. VV. declarari, non attentis statutis Ecclesiae Giennensis, servandam fore dispositionem conciliarem in dicto Cap. 3 sess. 21 de reformatione, quoad distributiones quotidianas earumque divisionem per singulas horas faciendam sub infrascriptis dubiis, videlicet: – I. An statuta Cathedralis Ecclesiae Giennensis circa distributiones quotidianas sint servanda, sive potius attendenda dispositio Concilii Cap. 3 sess. 21 de reformatione? *Et quatenus negative, ad primam partem, ac affirmative ad secundam.* II. Quomodo illarum divisio per Episcopum facienda sit per singulas horas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et servandam esse dispositionem Concilii Cap. 3 sess. 21 de reformatione. Ad secundum, per Episcopum ad formam Concilii – *in Giennen. Distributionum die 24 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum.*

86. Unde – in huiusmodi Rescripti executionem, Decretum edidit Episcopus pro exhibitione omnium librorum et documentorum, ad effectum deveniendi ad dictam divisionem; verum praetendentibus modo praefatis Canonicis, quamdam Constitutionem seu Statutum antiquissimum conditum fuisse ab Episcopo Sarmiento quoad distributiones quotidianas, illudque nullatenus adversari sacro Concilio Tridentino, et propterea esse servandum, absque eo quod deveniri debeat ad novam divisionem seu distributionum assignationem, tria infrascripta dubia inter Partes concordata EE. VV. decidenda proponuntur: – I. An Constitutio seu Statutum Episcopi Sarmienti quoad distributiones quotidianas adversetur dispositioni sacri Concilii Tridentini, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 24 aprilis 1700? II. An et de quibus fructibus sit facienda divisio per Episcopum? III. An sint exhibendi libri ceteraque documenta ad formam Decreti Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et firmetur status specificus tam redituum, quam onerum et expensarum. Ad tertium, attento consensu Episcopi, exhibeantur libri penes tertiam personam, Partibus non suspectam – *in Giennen. Distributionum die 16 Februarii 1704 lib. 54 Decretorum.*

87. Episcopus enim, ubi distributiones quotidianae sunt ita tenues, ut negligantur, debet eas augere ad praescriptum Concilii Tridentini *in Burgen. mense Novembris 1584 lib. 4 Decretorum.*

Item *in Ariminen. die 21 Iunii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 458.*

88. Non tamen Episcopus convertere potest in distributiones quotidianas reditus, pro celebratione Missarum pia Testatorum voluntate relictos, contra eorum, qui eos reliquerunt, mentem *in Sutrina anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 45.*

89. Nam Sacra Congregatio saepe declaravit, non posse ab Episcopo converti in distributiones quotidianas reditus, pia Testantium voluntate relicti pro Missarum celebratione *in Castellaneten. die 20 Ianuarii 1600 lib. 9 Decretorum pag. 84 et 85.*

90. Idcirco multo minus tertia pars redituum Beneficii simplicis converti potest in distributiones quotidianas *in Meliten. anno 1592 lib. 4 Decretorum pag. 38.*

91. Nec enim auctoritate Ordinarii, nec vigore Concilii Tridentini converti potest pars fructuum Capellaniae in distributiones quotidianas *in Mediolanen. anno 1600 lib. 9 Decretorum pag. 110.*

92. Idcirco nulla et irrita censetur ac est unio Beneficiorum simplicium per Episcopum facta communi quotidianarum distributionum massae *in Salernitana Unionis die 21 Novembris 1739.*

93. Enimvero cum b. m. Fabritius de Capua Archiepiscopus Salernitanus in pastorali visitatione anno 1734 habita compererit, tenues adeo esse distributiones quotidianas, quae pro divinorum officiorum penso Dignitatibus Canonicis et Mansionariis Capituli Metropolitanae suae Ecclesiae contingebant, ut eaedem oneri per illos assidua chori frequentatione subeundo prorsus impares viderentur, dum Canonici et Dignitates nonnisi asses quinque, Mansionarii quatuor cum dimidio qualibet die percipiebant, et eos quoque non omnino tutos, utpote ex incertis reditibus pro maiori parte conflandos, ad consulendum Ecclesiae servitio, quod facile a praefatis Capitularibus ob enunciatam quotidianarum distributionum tenuitatem negligi asserebatur, choro sive communi earumdem distributionum massae perpetuo univit atque incorporavit viginti quinque Beneficia simplicia. Verum anno 1736 vacante sub mensem Apostolicae Sedi reservatum uno ex dictis simplicibus Beneficiis, illud exposita nullitatis unione a Summo Pontifice obtinuit Sacerdos Silvester Torques: hinc lis super executione Literarum Apostolicarum inter eum et Capitulum oborta est. Namque Silvester contendit, nullam fuisse unionem; primo, quia Capitulum consensum praestare non poterat huiusmodi unioni, quae in commodum eiusdem cedebat, sed necessaria erat accessio Beneplaciti Apostolici; secundo, quia massa distributionum paullatim per Archiepiscopos antecessores ex aliorum Beneficiorum unione ita adaucta erat, ut unusquisque Ecclesiae servitio laudabiliter et assidue vacaret; tertio, quia unio Beneficiorum simplicium potest quidem Canonicalibus Praebendis fieri, si tenues admodum illae comperiantur, sed Beneficia simplicia nequeunt communi quotidianarum distributionum massae uniri secundum ea, quae firmavit Rota in decis. 200 n. 24 ad 28 coram Peutingero. Proposito hinc dubio: – An unio sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Salernitana Unionis die 21 Novembris 1739.*

94. Unde Episcopus non modo nequit unire Beneficia simplicia pro distributionibus quotidianis Capellanorum Ecclesiae Cathedralis augendis; sed neque fabricae Ecclesiae vel Sacristiae Cathedralis ob eius paupertatem eadem unire potest *in Tudertina lib. 1 Decretorum pag. 63 a tergo.*

95. Multo minus itaque unire potest Episcopus Mensae capitulari fructus parochialis Ecclesiae etiam citra suppressionem *in Dubium ad Cap. 13 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

96. Idcirco haud indulgetur applicatio fructuum Paraeciae ad effectum eos distribuendi Canonicis primae horae, quae distributionibus caret, interessentibus *in Astoricen. Unionis die 16 Maii 1711 lib. 61 Decretorum.*

97. Iamvero – Ecclesia Cathedralis Astoricensis inter ceteras Hispaniarum antiquissima componitur modo ex triginta sex Canonicis, ultra Portionarios, qui, divinis officiis intenti et ecclesiasticis muniis obeundis addicti, illud nuper inconveniens adverterunt, quod cum horae primae nullae reperiantur assignatae distributiones, pauci vel nulli Praebendati illi interesse curent. Cumque ob paupertatem Mensae capitularis et Praebendarum tenuitatem non sit, unde detrahatur ali-

qua portio convertenda in distributionem eiusdem primae horae, nec in Diaecesi extent Beneficia simplicia unienda, vel si quae sint tenuissimis potiuntur reditibus; idcirco, ad restituendum debitum pensum omnibus et integris horis, Capitulum et Canonici humillimas preces SS. D. N. porrexerunt ad hanc Sacram Congregationem remissas, quatenus dignetur unire et incorporare Mensae capitulari Ecclesiam parochialem S. Stephani de Valdeorres nuncupatam eiusdem Diaecesis, cum primum illa per cessum vel decessum moderni Possessoris, vel alias quomodocumque vacaverit, cuius fructus viginti quatuor una vero cum incertis ter centum ducatos aureos de Camera non excedunt, praevia suppressione et extinctione illius tituli collativi ad effectum, ut dicti fructus applicentur Canonicis in dicta prima hora residentibus, reservata tantum Vicario perpetuo, pro exercitio curae animarum, congrua ad tenorem Constitutionis Beati Pii V. Uberius praemissa confirmavit Episcopus informare requisitus, non tamen approbavit extinctionem tituli, sed potius existimavit annexionem dimidii omnium decimarum fructuum et proventuum eiusdem Parochialis cum annexis faciendam Capitulo, ad effectum eos distribuendi Canonicis dictae primae horae interessentibus, reliqua vero pars dimidia dictorum fructuum, quae satis sufficiens est congrua, reservetur Parocho pro tempore eiusdem Ecclesiae, ut fusius ex eadem relatione danda in Summario –. Proposito vero dubio: – An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Astoricen. Unionis die 16 Maii 1711 lib. 61 Decretorum.*

98. Quum igitur postulata fuerit Parochialium unio, ut massa quotidianarum distributionum ex earum reditibus adaugeretur, Sacra Congregatio die 19 ianuarii 1647 responsum dedit: – Unionem Parochialium pro augmento distributionum quotidianarum non esse concedendam –. Reproposita dein Causa, respondit: – Standum in decretis sub die 19 ianuarii proxime praeteriti, scilicet unionem Parochialium pro augmento distributionum quotidianarum non esse concedendam, sed utendum remediis a Sacro Concilio praescriptis in Cap. 15 sess. 24 de reformatione – *in Celsonen. die 2 Septembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 279 et 404.*

99. Qua de re ob peculiares tantum circumstantias gravesque causas concurrentes quandoque indulgetur suppressio Beneficii etiam Curati, ut consulatur decenti statui Canonicorum et insignis Collegiatae Ecclesiae, ubi reditus temporum iniuria admodum exigui facti inter praesentes tantum distribuuntur, quin interim ullum animarum cura detrimentum patiatur *in Zamoren. Unionis die 19 Aprilis 1738* (1).

100. Etenim ad consulendum Praebendarum tenuitati, plura statuit Sacrum Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 15 de reformatione; voluit enim, ut in illis Ecclesiis, in quibus Praebendae et distributiones quotidianae adeo tenues erunt, ut, habita ratione ad loci et personarum qualitatem, Canonicorum sustentationi non sufficerent, Episcopus cum consensu Capituli aliquot Beneficia simplicia uniret, vel si hoc modo provideri non posset, Praebendae ad pauciorem numerum redigerentur, ita tamen, ut tot superessent, quot et divino cultui et dignitati Ecclesiae responderent, ac reditus Praebendarum, quae suppressae forent, reliquis applicarentur *in Nucerina Reductionis die 13 Martii 1784* §. *Ad.*

Item *in Fulginaten. Reductionis die 24 Martii 1792* §. *De; in Perusina Distributionum die 21 Iunii 1828* §. *Porro; in Brictinorien. Praebendarum et Servitii chori die 22 Novembris 1828* §. *Cum; in Pisana Residentiae die 24 Martii 1838* §. *Neque; in Asculana et Ceriniolen. Literarum Apostolicarum die 11 Iunii 1840* §. *Porro.*

101. Tantus immo est distributionum favor, ut in extremo quandoque casu auctae etiam fuerint per reductionem Missarum, veluti in Syracusana Missarum 10 martii 1759 et in Nucerina Reductionis die 3 maii 1784 *in Fulginaten. Reductionis die 24 Martii 1792* §. *De.*

Item *in Brugnaten. Reductionis die 27 Augusti 1831* §. *Verum.*

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Beneficia*, §. XXV, n. 40 ad 43, Tom. III.

102. Quapropter si necessitas urgeat, multo magis indulgetur gratia unionis quatuor Beneficiorum simplicium eiusdem Diaecesis, non vero alterius Diaecesis pro massa distributionum *in Vico – Equen. Visitationis sacrorum Liminum die 7 Iunii 1777.*

103. Enimvero Episcopus Vico – Equensis in relatione de statu Ecclesiae exposuit, ob defectum massae distributionum haud parum in Cathedrali Ecclesia negligi chori servitium a Capitularibus praestandum. Huic malo cum occurri non posset ordinariis Sacri Concilii Tridentini remediis, nimirum suppressione Praebendarum, quae tenuissimae erant, sive Beneficiorum suae Diaecesis unione, quae aut non sufficiebant, aut in graviorem causam cedere debebant, censuit proinde, supplicandum Summo Pontifici, ut Beneficia alterius Diaecesis unirentur pro sufficienti distributionum massa constituenda. Verum obstabat dispositio Concilii Tridentini in cap. 14 cap. 9 de reformatione, qua prohibetur unio Beneficiorum unius Diaecesis, etiam ratione augendi cultum divinum, alterius Diaecesis Beneficio aut Collegio. Deficiebat autem in Capitulo Praebenda, quae iuxta Caput 15 sess. 24 de reformatione uniri posset. Aderant tamen quatuor Beneficia Diaecesis in totum annui reditus ducatorum 71: sed primo perpendendum erat, an menti Sacri Concilii consonum esset omnia unire, dum permisit dumtaxat aliquorum unionem; secundo, an ex hac unione haberi possent congruae distributiones pro omnibus Capitularibus, vel saltem pro iis, qui erant liberae collationis; tertio, an potius expediret ea unire Seminario, cuius reditus iam ascendebant ad annua ducata ter centum, et cui occurri poterat aliis remediis a Sacro Concilio praescriptis in sess. 25 cap. 18 de reformatione. His itaque perpensis proposito dubio: - An et quomodo consulendum sit distributionibus in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: – Quoad unionem Beneficii extra Diaecesim positi, Negative; et amplius: in reliquis pro gratia unionis quatuor Beneficiorum simplicium suae Diaecesis pro massa distributionum – *in Vico - Equen. Visitationis sacrorum Liminum die 7 Iunii 1777.*

104. Nisi vero constet ex opportunis documentis de necessitate augendi massam distributionum, haud indulgetur suppressio Praebendarum aut unio Beneficiorum simplicium. Quandoquidem quum Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Rossanensis contenderet, haud omnes Dignitates Canonicos et Presbiteros participantes teneri choro interesse omnibus Dominicis et Festis de praecepto primae et secundae classis, iuxta synodales Constitutiones paullo ante editas, sed iuxta veterem morem per quartariam, vel saltem ad id compelli non posse, nisi prius quotidianae distributiones, praevia Praebendarum suppressione aut simplicium Beneficiorum unione, aut alia ratione in notabili summa augerentur, propositis dubiis: – II. An sit locus augmento distributionum quomodo et in qua summa? *Et quatenus affirmative.* III. An, donec idem augmentum non fuerit factum, teneantur omnes dictis diebus Dominicis et Festis choro et Ecclesiae interesse in casu etc. -, Sacra Congregatio, postquam declaravit, omnes debere interesse choro diebus Domnicis et Festis, die 1 martii 1738 respondit: - Ad secundum, habebitur ratio in casu recursus cum opportunis documentis. Ad tertium, Affirmative –. Et repropositis dein dubiis sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis in omnibus, et amplius - *in Rossanen. Servitii chori die 24 Maii 1738.*

105. Quum autem Canonici Ecclesiae Cathedralis Melevitanae postulaverint a Summo Pontifice, ut ex reditibus Ecclesiae seu Fabricae et Sacristiae ordinarios sumptus excedentibus exiles Praebendae augerentur ad annuam usque summam scutorum 400 monetae Melitensis, eiusdemque monetae annua scuta 3000 assignarentur pro nova erigenda massa quotidianarum distributionum dividendarum inter Capitulares, etiamsi Coadiutores, qui choro interessent, propositis dubiis: – I. An sit approbanda deliberatio Capitularis super erectione novae massae distributionum, seu potius addendae sint punctaturae pro recitatione Officii parvi Beatae Virginis aliisque functionibus contentis in Decreto Rmi Episcopi? II. An de nova massa participare debeant Canonici Coadiutores? *Et quatenus negative.* III. An ex summa assignata pro nova massa sint detrahenda scuta 1000 mo-

netae Melitensis, illaque applicanda in erectionem decem Canonicatuum secundariorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem; et dentur nova dubia - *in Melevitana Erectionis novae massae Distributionum die 25 Septembris 1762.*

106. Itaque massa communium distributionum conficienda quidem est per reductionem Praebendarum ad formam Concilii Tridentini in cap. 15 sess. 24 de reformatione, sed ita tamen, ut tot supersint Praebendae, quae divino cultui celebrando et Ecclesiae dignitati commode valeant respondere *in Perusina Distributionum die 21 Iulii 1827 et die 21 Iunii 1828.*

107. Siquidem Canonici Cathedralis Ecclesiae Perusinae, cum novas Constitutiones capitulares edere curarent, exposuerunt, quinquaginta Capitulares chorali servitio alternis hebdomadis esse addictos, quos inter octo Beneficiati et quatuor Clerici perpetui peculiaribus Praebendis aucti ac distributionibus tum quotidianis, tum communibus praediti: verum quinque supra decem Beneficiati ac tres Clerici perpetui, licet Praebendis non destituti, quotidianis tamen et communibus carebant; quo fiebat, ut aliquando a choro impune abessent. Hanc eorum negligentiam mirum in modum augebat tenuitas Praebendarum, qui namque maiori fruebantur Praebenda, subductis publicis vectigalibus ac Missarum oneribus, quolibet anno lucrabantur scutata 48, qui vero minori annua percipiebant scutata 30, alii 20, et alii 15. Aderant etiam alii, qui longe minori Praebenda gaudebant. Ut itaque huiusmodi Beneficiati et Clerici ad laudes divinas in Ecclesia rite diligenterque persolvendas inflammarentur, postularunt Canonici, ut ex singulis Praebendis detraheretur certa quantitas fructuum in quotidianas distributiones eroganda, quae aliorum Beneficiatorum et Clericorum aequaret quotidianas distributiones; atque insuper, ut ea impertiretur Missarum reductio, quae satis esset ad statuendas communes distributiones, quibus alii Beneficiati et Clerici similiter gaudebant. Contra Episcopus censuit: - Ad efformandam massam communem in ea forem sententia, potiusquam minuantur onera Missarum, satius esse, si aliquod Beneficium, quod sit de iurepatronatus eiusdem Capituli, cum primum vacaverit, usurpetur –. Haec autem Episcopi sententia magis consona dispositioni Concilii Tridentini in cap. 15 sess. 24 de reformatione videbatur. Proposito hinc dubio: – II. An et quomodo sit efformanda massa distributionum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Perusina Distributionum die 21 Iulii 1827.*

108. Huic Rescripto haud plauserunt Canonici: namque methodum, quam suggessit Episcopus, constituendi massam distributionum communium, divino cultui exitiosam existimavit eius Defensor. Quandoquidem etiam Tridentina Synodus sess. 24 cap. 15 ad efformandam massam distributionum reductionem Praebendarum permisit, ita tamen, ut tot superessent Praebendae, quae divino cultui celebrando et Ecclesiae dignitati commode valeant respondere. In Perusina autem Ecclesia, licet valde frequens esset Capitularium numerus, attamen si detraherentur Infirmi et Senes, decem rude iam donati, quatuor absentes studiorum causa, duo Canonici, qui Episcopo inserviebant, Canonici Theologus ac Poenitentiarius et alii, qui fidelium confessionibus excipiendis incumbebant, duo dumtaxat supra viginti supererant Capitulares, qui choro interesse tenerentur. Ex his insuper alii alternis hebdomadis, alii diebus tantummodo communibus divinas laudes persolvere obstringebantur. Quocirca pauci erant Capitulares, qui choro inserviebant; ac propterea in praesenti casu posthabenda erat choralium Praebendarum unio, ne divinus cultus et Ecclesiae dignitas contra Tridentinorum Patrum mentem detrimentum pateretur. His itaque perpensis, reproposito dubio sub formula: – II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Dilata; et Episcopus referat super noviter deductis per Capitulum – *in Perusina Distributionum die 21 Iunii 1828.*

109. Quum autem pluribus variisque de causis Capituli et legatorum reditus commixti et valde imminuti reperirentur, et Canonici in suo primo ingressu pro massa distributio-

num solverent summam pecuniae, quae fructus biennii aequabat, Sacra Congregatio nedum statuit, ut applicarentur massae distributionum duae ex tribus partibus totius massae, relicta tertia parte pro legatis, et novi Canonici in suo primo ingressu solverent mediam annatam pro massa distributionum; sed etiam ipsa legata pro diversa eorumdem qualitate reduxit *in Ecclesien. Onerum et Distributionum die 9 Septembris 1786 die 16 Augusti 1794 die 18 Aprilis 1795 die 11 Februarii die 17 Iunii 1797 die 26 Martii et die 23 Iulii 1803.*

110. Iamvero ortam in Cathedrali Ecclesiensi inextricabilem confusionem Canonicalium redituum cum reditibus Piorum onerum sola evolvere potuit Emi Cardinalis Antonelli diligentia. Allegatis enim ad eum precibus praefatae Cathedralis, ut rem perpendere votumque suum aperire dignaretur, nullum non adhibuit studium, nullique pepercit labori, ut totius rei historiam ob oculos poneret. Dubia ipsemet efformavit, quae adhibenda confusioni remedia complecterentur, sapientissimum protulit iudicium suum, voluitque demum, ut quaestio omnis ipsaque sententia sua gravissimo EE. PP. examini subiiceretur. In facto itaque erat, quod Capitulum Ecclesiense anno 1504 a Civitate Sulcitana per Literas Apostolicas Iulii Papae II Yglesias translatum fuerat. Cum exigui aut nulli tunc essent fructus in distributiones quotidianas impendendi, ex quodam capitulari statuto condito anno 1518, approbante Ioanne Pilares Episcopo tunc Ecclesiensi, consuetudo invaluit, ut Canonici aliquam argenti vim persolverent, quae in unum coacta acervum, fructus, qui ex ea redigerentur, in quotidianas distributiones essent partiendi inter eos dumtaxat Canonicos, qui argentum initio contulissent, quam largitionem charitativum subsidium, aut etiam dotationum massam appellarunt. Exequutioni huiusmodi statutum demandatum fuisse ab ipso sui initio, affirmabat Episcopus, nec tamen eamdem semper argenti summam collatam fuisse asseruit: nam anno 1556 solvebantur librae sexaginta, deinceps octoginta; ab anno 1594 usque ad annum 1626 solutae sunt tercentae, ab eo anno usque ad hodiernam tunc diem quadringentae. Id praeterea in praesens in more positum erat, ut, ultra quadringentas libras, solverent novi Canonici usuras eiusdem summae, quam pro primo anno in foenore ad rationem sex pro quolibet centenario ponere haud facile poterant; hae vero usurae in distributiones quotidianas illius anni olim erogabantur, inde massae, seu capitali accrescebant, ita ut in praesens non quadragintae librae dumtaxat, sed quadrigentae viginti quatuor circiter a novis Capitularibus suppeditarentur. Omnis autem Capituli census duo bonorum genera complectebatur: alterum constabat ex memorata dotationum massa, cuius capitale in antiquis Capituli monumentis describebatur librarum 74589; alterum conficiebatur ex iis Fundatorum largitionibus, quae vel adscripto onere, vel etiam plena liberalitate Capitulo relictae sunt, eaeque summam conflabant librarum 77735. Coacervatis igitur his duabus summis, totum Capituli patrimonium constare debuisset in libris 152324. Attamen haud ita se res habebat: nam duplo fere minus aestimatum in praesens erat, ut affirmabat Episcopus; et praeter aliquas Vaccas et aliam summam librarum 26821 in foenore positam cum Civitate Ecclesiensi, omnis Capituli possessio non excedebat in praesens valorem librarum 84000 circiter. Episcopus plures retulit causas, cur tantam suorum bonorum iacturam eorumque administrationes passum fuerit Capitulum. Neque enim, ut decebat, bona, quae Capitulum ex massa dotationum comparavit, ab aliis distincta erant, quae legata, aut donata fuerunt pia fidelium liberalitate. In unum acervum omnis collata pecunia erat, et sine ulla distincta adnotatione originis pecuniarum investimenta nomine Capituli confecta extabant, ita ut, exceptis quibusdam recentioribus legatis, impossibile in praesens esset separare bona, quae dotationibus, aut quae legatis erant adscribenda; atque id unum certum manebat, totum aes Capituli censeri in praesens in libris 84000. Quoad onera etiam nec certus praescriptus erat numerus Missarum 13595 singulis annis celebrandarum, quin certitudo haberi potuerit, cum e contra certus esset legatorum numerus; quaelibet enim legata vel Missarum vel aliorum onerum Capitulo impositorum, pro quibus fundus, vel totus, vel eiusdem pars manebat adhuc integra, indistin-

ctam classem Episcopus et Canonici descripserunt.

111. Rebus sic stantibus, praefatus Emus Relator censuit, consulendum esse Sanctissimo pro condonatione Missarum atque onerum a Capitulo praeterito tempore non impletorum. Namque peccarunt quidem Canonici, qui annua 13595 Sacra peragere aliaque pia opera adimplere, sicuti tenebantur, praetermiserunt; sed multa erant excusatione digni. Haud tolerandam vero censuit consuetudinem solvendi in ingressu libras quadrigentas seu verius quadringentas viginti quatuor ad augendam et conservandam massam distributionum quotidianarum. Quum enim summa huiusmodi librarum in dies aucta fuerit, nec quidquam ex distributionibus modicum perciperet, qui illam in ingressu non solverit, atque ita quidem, ut, si suo Sacerdotio Praebenda adiuncta non fuerit, omni penitus servitii lucro destitueretur, nemo quippe erat, qui non videret, quantum huiusmodi consuetudo aequitati notisque S. Pii V *Durum nimis* et Innocentii XII *Catholicae* Constitutionibus Apostolicis adversaretur. Nam ex Concilio Tridentino sess. 24 cap. 14 subministrationes novi Canonici unius tantum semestris fructum excedere non possunt, dum in themate subministratio quadringentarum viginti quatuor librarum biennii fructum absorbebat. Illud maxime reprehendi debebat, quod novis Canonicis aliqua pars proventuum subtraheretur, contra Concilium Tridentinum et Pianam Constitutionem *Durum nimis,* in qua quaelibet – ad distributiones lucrandas adiectae conditiones – improbantur, non obstante quovis statuto vel consuetudine. Hinc Emus Relator pluribus in medium prolatis rationibus facti et iuris arbitratus est, – praevia sanatione impetranda a Sanctissimo, applicandam esse massae distributionum medietatem omnium capitalium et fundorum Capituli nunc existentium, relicta alia medietate pro legatis piis, et in posterum obligandos esse omnes Capitulares, ut in eorum ingressu mediam annatam eidem massae distributionum dimittere teneantur; quod si reditus adhuc ad congruam quotidianarum distributionum taxam non sufficiant, Episcopus pro sui arbitrio et conscientia utatur aliis remediis a Concilio Tridentino praescriptis cap. 3 sess. 21 et Cap. 15 sess. 24 de reformatione –. Unde censuit etiam, ut Episcopus ea legata, quae ipsi temporaria visa fuerint, et iam pridem extincta, deleret omnino atque abrogaret. Legata tam Missarum, quam aliorum onerum, quae dubia et incerta erant, quaeque non habebant peculiarem fundum superstitem, non esse delenda censuit Emus Relator, sed reducenda ab Episcopo iuxta modum, quem ipse designavit. Idcirco multo magis praeservanda putavit legata, quae peculiarem habebant fundum adhuc superstitem, nec cum reliquis Capituli bonis confusum, sed quatenus reditus imminuti fuerint, esse reducenda iuxta modum, quem pariter indigitavit. Hinc et legata, quae ad Populi et Ecclesiae commodum et utilitatem instituta erant, servanda esse iuxta modum ab eodem insinuatum censuit. Quid demum decernendum esset de capitali ac fructibus librarum 26821, quae foenori datae erant Communitati Yglesiarum, respondit: – In casu restitutionis totius, vel partis eiusdem capitalis seu solutionis usurarum, medietatem tum capitalis, tum usurarum perpetuo assignandam esse massae distributionum, aliam vero medietatem reservandam esse pro legatis piis, aucto nunc numero Missarum, ut supra reductarum –. Post editum praefati Emi Cardinalis votum, Episcopus proposuit, providendum Canonicis de sacris utensilibus per capitale constituendum ex legatis receptis in usum Sacristiae, vel Ecclesiae aegestatis tempore aliisque, quae vel suum finem, ad quem relicta erant, assequi non poterant, vel commodam aliquam patiebantur detractionem.

112. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro condonatione Missarum atque onerum a Capitulo praeterito tempore non impletorum? II. An sit toleranda consuetudo, quod Capitulares in ingressu solvant libras quadringentas seu verius quadringentas viginti quatuor ad augendam et conservandam massam distributionum quotidianarum prout in casu, ita ut, qui non solverit, omni penitus quotidianarum distributionum fructu privetur? III. Quonam modo ea distributionum massa confici debeat? IV. An pia legata tam Missarum, quam aliorum onerum, quae dubia et incerta sunt, quaeque non habeant peculia-

rem fundum superstitem, sint penitus delenda iuxta Capituli preces, seu potius reducenda et quomodo? V. An sint praeservanda legata, quae peculiarem habent fundum adhuc susperstitem, nec cum reliquis Capituli bonis confusum, et quatenus imminuti sint reditus, an et quomodo sint reducenda? VI. An legata, quae ad Populi et Ecclesiae commodum et utilitatem instituta sunt, sint servanda, aut etiam reducenda? VII. Quid decernendum de capitali ac fructibus librarum 26821, quae foenori datae sunt Communitati Yglesiarum? VIII. Quid demum de sacris utensilibus, ad quorum solutionem onerantur Canonici? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris. Ad secundum, Negative iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium, applicandas esse massae distributionum duas ex tribus partibus, relicta tertia parte pro legatis piis; in reliquis iuxta votum Emi Relatoris. Ad quartum quintum et sextum, iuxta votum Emi Relatoris. Ad septimum, divisionem faciendam esse, iuxta responsionem ad tertium dubium. Ad octavum, iuxta votum Episcopi – *in Ecclesien. Onerum et Distributionum die 9 Septembris 1786.*

113. In his exequendis Rescriptis, alia decessori Episcopo visa fuerunt declaranda, alia ex integro postulanda. Primo igitur EE. PP. oraculum exquisivit super intelligentia quarti Rescripti, num Missae scilicet celebrandae ex contractu, quarum in eo Rescripto habita non fuit ratio, deducendae essent ex tertia parte attributa legatis piis, ut ipse arbitrabatur, vel ex duabus aliis distributionum. Petiit secundo pro se suisque Successoribus facultatem iterum ad tempus reducendi Missas iam ex quinto Rescripto reductas, quousque scilicet otiosae forent sortes censuum in frequenti extinctionum casu, quum nulla Fundatorum hereditas compelli tunc posset ad compensandum fructuum deficientiam. Declarandum tertio postulavit, num tenuissima capitalia libellarum centum, bis centum, vel ad summum quingentum Magistri chori caeremoniarum Sacristae Diaconi Subdiaconi etc., quorum tria ultima dumtaxat officia in usu erat, addicenda essent pro Missis, quibus ea Beneficia gravabantur, vel potius proportione servata ad numerum Missarum in fundatione praescriptum esset hic numerus reducendus, ut etiam Beneficia quoad officia, quamvis reducta, servarentur. Institit quarto pro licentia alienandi census piarum fundationum, ut pretium in emptionibus fundorum data opportunitate erogarentur, vel ad aptiorem normam censuaretur, iuxta exigentiam novae administrationis. Et quinto demum pro facultate augendi stipendium Missarum cuiusdam Canonici Olargia ab hispanico regali uno ad unum cum dimidio, dum legatum prae tenui eleemosyna neque Capitulum voluit acceptare, neque aliqua ex Communitatibus religiosis, etiam interpellatis. Quoad primum censuit Emus Antonellus, liberalius agendum atque indulgendum, ut earum Missarum onus desumeretur ex massa pro legatis piis efformanda. Ad secundum nedum aequum putavit huiusmodi facultatem impertiri Episcopo, sed imo suo quoque iure sibi illam vindicare posse arbitratus est, cum nulli perciperentur fructus. Respondendum censuit ad tertium, non oportere fundos trium Beneficiorum Sacristae Diaconi et Subdiaconi omnino pro Missis addicere, sed potius proportione servata ad numerum Missarum in fundatione praescriptum, sic eum esse reducendum, ut etiam Beneficia, quoad officia, quamvis reducta, servarentur. De quarto agens, cautius agendum monuit. – Quum enim censum sponte sua redimet debitor, iam alienatio seu potius extinctio census necessaria est, nec ulla indiget Episcopus speciali auctoritate, ut huic necessariae alienationi consentiat; sed potius diligentia opus est, ut quam citissime sors illa in aliis fundis comparandis erogetur. At praeter hunc necessitatis casum, laudabo equidem Capituli studium census in fundos stabiles et frugiferos convertendi –; sed, attenta sacrorum canonum sanctione, conclusit: – Grave igitur esse non debet Ecclesiensi Capitulo ad Apostolicae Sedis auctoritatem confugere, cum census alienare opus ei fuerit –. Ad quintum denique de augendo stipendio Missarum Olargia, – nulla, dixit, difficultas esse potest huic postulato –.

114. Dum haec proponenda erant decessoris Episcopi postulata, alia, eo absente, supervenerunt ab illius Vicario Generali, aliaque deinde a Vicario Capitulari. Vicarius

enim Generalis quaesivit, an reductio Missarum solemnium et Anniversariorum ad Missas lectas, de iis etiam esset intelligenda fundationibus, ex quibus sufficiens erat fundus pro una, vel pluribus Missis solemnibus, vel ubi neque esset satis pro una Missa solemni, cui Emus Relator respondendum esse censuit negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Exquisivit etiam Vicarius Generalis, an et quomodo esset sustinenda assignatio fundi per decessorem Episcopum facta cuilibet legato Missarum in exequendo Rescripto anni 1786 ad quartum dubium. At Emus Relator primum advertit, quod in sua consultatione statuerat: - Primo ea legata, quae ipsi (Episcopo) temporaria visa fuerint et iampridem extincta, deleat omnino atque abroget, reliqua reducat, servata proportione inter numerum Missarum, iuxta uniuscuiusque legati descriptionem in tabella adnotatam, et fructus, qui ex communi legatorum fundo, ut supra designato, percipi poterunt –. Narravit autem Vicarius, satius Episcopo visum fuisse, totam rem hanc absolvere, si non modo cuilibet legato suum Missarum numerum assignaret, sed etiam fundum, qui proportionabiliter numero Missarum eidem praefixo responderet. Hoc enim modo cum singulis legatis piisque largitionibus suus constaret fundus, quaevis confusionis periculi et dubitationis auferebatur occasio, quae tamen facillime subreperet, si quis fundus vel penitus deficeret, vel partim imminueretur, vel ad tempus solum nullos afferret fructus. At si contra unicus omnium redituum constitueretur acervus unaque massa legatorum omnium, incommodum consequeretur, quod unius proprietatis censualis deletio totam legatorum massam turbaret. Unde Emus Relator monuit, legatorum exequutionem a communi fundorum acervo ideo fuisse demandatam, eo quod praedecessor Episcopi ita rem omnem tenebris in sua priori relatione obduxerat, ut impossibile omnino arbitraretur legata a legatis segregare, sua cuique opera adscribere, fundos decernere, cum a remotissima aetate originem ducerent, et tabulae fundationum interiissent. – Gratulandum igitur est, ac novo Episcopo eiusque Vicario gratia habenda, quod priori obscuritate depulsa nihil non modo gesserint contra Sacrae Congregationis sententiam, immo etiam eius mentem et voluntatem plenissime sint assequuti –. Denique postulavit Vicarius, ut daretur Vicario Generali, absente Episcopo, et Vicario Capitulari, eo defuncto, facultas reducendi vel suspendendi Missas, pluribus tamen cum adiectis pactis et conditionibus; cui sane assentiendum esse putavit Emus Relator. Nil enim aequius decerni poterat, quod praefati Vicarii praedicta potirentur facultate suspendendi ad tempus Missarum celebrationem, cum in eas angustias redacti fuerint, ut nulli superessent fructus ad earum eleemosynam persolvendam. Vicarius autem Capitularis petiit, num sustinenda esset deletio Missarum solemnium pro Benefactoribus Capituli pro Capitularibus et Benefactoribus operae, quin sciretur, quae opera esse posset, an fabrica, vel aliud; quas Missas delevit Episcopus, dum non apparebant fundationes particulares. Huic postulationi Emus Relator respondit, affirmative; ac censuit, ut Orator Episcopi facto penitus acquiesceret. Nam anno 1786 data fuerat Episcopo huiusmodi facultas, unde nisi clarissime constaret, excessisse illum fines sibi traditae potestatis, nefas erat de religiosissimo Viro suspicari.

115. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Missae celebrandae ex contractu reduci debeant ex tertia parte attributa legatis piis, seu potius ex massa distributionum, et quomodo sint reducendae in casu etc. II. An et quomodo Episcopo Ecclesiensi eiusque Successori sit concedenda facultas reducendi vel suspendendi Missas in casu etc. III. An et quomodo reditus Beneficiorum Magistri chori caeremoniarum Sacristae Diaconi et Subdiaconi sint erogandi in casu etc. IV. An et quomodo sit concedenda facultas alienandi census et erogandi pretium in stabilia in casu etc. V. An et ad quam summam sit augendum stipendium Missarum Olargia in casu etc. VI. An reductio Missarum solemnium et Anniversariorum ad Missas lectas iuxta Rescriptum 9 septembris 1786 ad quintum dubium, de iis etiam sit intelligenda fundationibus, ex quibus sufficiens est fundus pro una, vel pluribus Missis solemnibus, vel ubi neque sit satis pro una Missa solemni in casu etc. VII. An et quomodo sit sustinenda assignatio fundi per decessorem Episcopum

facta cuilibet legato Missarum in exequendo Rescripto anni 1786 ad quartum dubium in casu etc. VIII. An et quomodo Vicario Generali, absente Episcopo, et Vicario Capitulari, eo defuncto, sit concedenda facultas reducendi, vel suspendendi Missas in casu etc. IX. An sit sustinenda deletio Missarum solemnium pro Benefactoribus Capituli et Operae ac pro Capitularibus in casu etc. – Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium, erogandos esse in celebrationem Missarum reditus officiorum Magistri chori et ceremoniarum; in reliquis, iuxta votum Emi Relatoris. Ad quartum quintum sextum septimum et nonum, iuxta votum Emi Relatoris – *in Ecclesien. die 16 Augusti 1794.*

116. Satis autem visa non fuit Capitulo abolitio onerum illius Cathedralis, quae fundum amiserant et reductio aliorum, quae adhuc eum, sed imminutum habebant; iterumque propterea ob aucta rerum pretia, per Episcopum postulavit augmentum eleemosynae Missarum, quibus ex piis fundationibus gravabatur, a solidis nempe quinque ad hispanicum regale unum cum dimidio seu obulos duodecim Romanos: sed in Congregatione 18 aprilis anni 1795 fuit rescriptum: – Satis provisum sub die 9 septembris 1786 et 16 augusti 1794. Renovatis tamen precibus, favit modernus Episcopus, et Emus Antonelli Relator pro augmento, quod postulabat, eleemosynae Missarum, ex tribus rationibus, scilicet: – prima est magna illorum Canonicatuum tenuitas, quorum quidem reditum multo minorem esse dicunt, quam in quavis alia Regni Sardiniae Ecclesiae: altera est, pretium rerum, quae ad omnem vitae cultum et victum sunt necessariae, duplo auctum fuisse: tertia est, exemplum illius maioris eleemosynae, idest unius regalis et dimidii in contermina Diaecesi Lezitana seu Vallensi –. Episcopus autem suis literis datis die 15 februarii 1795 affirmavit, veras esse causas petitionis a Capitulo allatas, atque id etiam addidit, - communem esse iuxta praesentem aestimationem incongruitatem ordinarii stipendii, unius nempe regalis monetae Sardiniae–. His igitur perpensis, proposito dubio: - An et ad quam summam sit augenda eleemosyna Missarum ex fundatione in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, iuxta votum Emi Relatoris - *in Ecclesien. die 11 Februarii 1797.*

117. Praeterea alia etiam dubia ex tertio dubio die 9 septembris 1786 resoluto exorta fuerunt. Nam Ecclesiensis Ecclesia viginti et duos habebat Capitulares, quorum quilibet ex communi massa distributionum percipiebat annuas centum viginti libras, quae erant triginta et octo scutata quatuor iulii monetae Romanae. At duodecim solum, praeter distributiones, Praebendas etiam habebant speciales, quarum aliquae erant sexaginta, aliae septuaginta, nonnullae octoginta, aliquae demum quingentorum scutatorum monetae Sardiniae. Unde compertum erat, primam annatam a Capitularibus, in primo suo ingressu solvendam, non esse unam omnibus parem, sed maiorem, vel minorem pro Beneficiorum diversitate; et Capitulares ad vacantes Canonicatus, qui, praeter distributiones, habebant Praebendam, solere optare. Hinc primum exorta fuit quaestio, an illi Capitulares, qui ante Sacrae Congregationis Decreta libras 424 massae distributionum solverant, post autem aliam Praebendam assecuti fuerunt, deberent solvere mediam annatam, seu potius antiqua consuetudo retinenda esset, qua is, qui eam summam semel dedisset, nihil aliud solvere deberet, licet Praebendam pinguiorem acciperet. Rursus, an illi Capitulares, qui post illa Decreta in Capitulum ingressi, solam mediam annatam dederint, si deinde ad aliam Praebendam admittantur, novam mediam annatam tum Praebendae, tum distributionum solvere tenerentur. His duabus quaestionibus respondendum esse censuit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam iuxta modum, nempe si libellae 424, semel a Capitulari in suo primo ingressu solutae, mediam annatam novae Praebendae forte non adaequent, id, quod deest, tantum erit addendum. Ad secundum, Negative pariter iuxta modum, nempe quod si prior media annata iam soluta novam alterius Praebendae non adaequet, quod deerit, suppleri oportet –. Altera subinde quaestio exorta his verbis concepta exhibebatur, num scilicet Capitulum licite posset Beneficii possessionem impedire, antequam Capitularis scripto et cum alterius fideiussione se obligaret, se ex fructibus perceptis

mediam annatam soluturum, et eorum quantitatem legitimis documentis probaturum; cui Emus Relator respondendum esse arbitratus est, affirmative. Praeterea dubitabatur, an et quae expensae detrahi deberent a Praebendae reditibus ; illis enim a fructu detractis media annata decresceret, positis, augebitur. Quaerebatur idcirco, num in mediae annatae rationibus subducendis detrahere oporteret impensas certas et stabiles, arbitrarias et extraordinarias. Quoniam vero fructus non idem omnibus annis erat, annique steriles et fertiles alternatim recurrebant, quaesitum est, num anni tam sterilis , quam fertilis ratio simul habenda esset. Denique cum fieri posset, ut praedecessor Capitularis fructus in solo pendentes reliquerit, quos proinde illius in Praebenda Successor consequebatur, quaerebatur, num mediae annatae quantitas aestimari deberet a die, quo Praebendae Successor possessionem adipiscebatur, an a die ipso, quo illa vacans facta erat.

118. Singulis his tribus quaestionibus postremis Emus Relator censuit, responderi non posse particulariter, cum multa scitu necessaria deessent, quae si ab Episcopo, vel Capitulo expectanda erant, infinitum propemodum quaestiones exoriebantur, novae semper explicationes quaerendae, quin unquam huiusmodi negotium , ab annis quatuordecim inceptum, conticesceret. Censuit propterea: – Scribatur Episcopo, ut iubeat, per Capitulum statum decennii confici redituum singularum Praebendarum: ut enim ab initio observavimus , plures sunt Canonicatus , qui praeter distributiones omnibus Capitularibus communes et pares praecipuas habent Praebendas dispares. Decennium autem illud ita conficiatur, ut in eo describatur quidquid singulis illis decem annis quaevis Praebenda habuerit tum reditus , tum impensae, si fructuum et impensarum genera fuerint ordinaria et arbitraria. Et re quidem vera quemadmodum praeter impensas ordinarias, occurrunt quandoque extraordinariae; sic etiam in reditu fieri potest, ut, praeter ordinarios Praebendae fructus, fuerit aliquis extraordinarius. Cum autem in lapsu decennii aequa etiam habeatur ratio annorum tam sterilium, quam fertilium, verissime et iustissime colligetur valor mediae annatae: ea enim erit dimidium decimae partis illius summae, quae superest ex summa facta decennalis reditus tam ordinarii, quam extraordinarii, detractis tamen ante expensis omnibus per decennium factis, sive ordinariis, sive extraordinariis. Media autem annata, singularum Praebendarum hoc decennio constituta, ea erit, quae pro singulis Praebendis iuxta earum valorem semper eademque quantitas a Praebendarum possessoribus praestabatur. Patet autem decennii ratione habita, dissolvi simul et evanescere quaestiones quarto et quinto et sexto loco propositis, et vel iure tacente, unusquisque intelligit, eas nullum amplius locum habere posse, et e contra rectissime ac tutissime definiri posse, quid ab unoquoque Canonico in adeptione Praebendarum in massam distributionum sit conferendum –. Quoniam vero Emus Relator ad futuras tollendas quaestiones proposuit, ut certa pro qualibet Praebenda statueretur media annata, hinc deliberandum etiam erat, an et quomodo essent liquidandi cuiusque Praebendae reditus ad certam in futurum constituendam mediam annatam.

119. His igitur perpensis , propositis dubiis: – I. An illi Capitulares, qui ante Sacrae Congregationis Decreta libras 224 massae distributionum solverint, post aliam Praebendam assecuti sunt, debeant solvere mediam annatam, seu potius antiqua consuetudo retinenda sit, qua is, qui eam summam semel dedisset, nihil aliud solvere debeat, licet Praebendam pinguiorem acciperet? II. An illi Capitulares, qui post illa Decreta in Capitulum ingressi solam mediam annatam dederint, si deinde ad aliam Praebendam admittantur, novam mediam annatam tum Praebendae, tum distributionum solvere teneantur? III. Num Capitulum licite possit Beneficii possessionem impedire, antequam Capitularis scripto et cum alterius fideiussione se obliget, se ex fructibus perceptis mediam annatam soluturum, et eorum quantitatem legitimis documentis probaturum? IV. Num in mediae annatae rationibus subducendis detrahere oporteat impensas tum certas et stabiles , tum arbitrarias et extraordinarias? V. Num anni tam sterilis, quam fertilis ratio simul habenda sit? VI. Num mediae annatae quantitas aestimari debeat a die, quo Praebendae Successor possessionem adipiscitur, an a die ipso, quo illa

vacans facta est? VII. An et quomodo sint liquidandi cuiusque Praebendae reditus ad certam in futurum constituendam mediam annatam? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium, Affirmative iuxta modum, nempe facta obligatione et praestita fideiussione solvendi mediam annatam, constituendam ut in sequentibus. Ad quartum quintum sextum et septimum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris - *in Ecclesien. Massae Distributionum die 17 Iunii 1797.*

120. Post haec in facto erat, quod a Sacra Congregatione applicatae fuerint massae distributionum duae ex tribus partibus totius massae, relicta tertia pro legatis; et reductio concessa extiterit pro diversa quantitate legatorum. Quae enim dubia et incerta erant nec habebant peculiarem fundum superstitem reducta fuerunt iuxta regulas, quas alias Sacra Congregatio in reductionibus huiusmodi praescripserat: quandoquidem Emus Antonelli in priori suo voto de quarto dubio censuit, ut – reductio fiat ad rationem eleemosynae manualis, cum haec sit norma, quam Sacra Congregatio in huiusmodi reductionibus praescribit, demptis expensis pro utensilibus aliisque necessariis, in bonorum administratione et cura impendendis –. Quae vero legata fundum habebant superstitem, nec cum reliquis Capituli bonis commixtum, ea servata fuerunt, ita tamen, ut, si casu imminuti essent reditus, ad aequalitatem redigendus foret fundus et onus. His acceptis Sacrae Congregationis resolutionibus, statim Episcopus Ecclesiensis ad exequutionem properavit. Separata est massa distributionum, eique adscriptae fuere geminae ex tribus partibus omnium redituum, assignata reliqua tertia pro legatis. Exiguae vero erant distributiones, quae Capitulo ex dicta massa obveniebant, quoniam annua scuta 38 monetae Romanae pro unoquoque Canonico non excedebant, tertioque minorem ratam capiebant Capellani; et septem Canonici absque Praebenda distributionibus tantum gaudebant, ac tenui Praebenda reliqui undecim erant provisi. Insuper unusquisque solvebat in causam tributorum circiter scuta sex pro centenario, et ad manutentionem Ecclesiae et celebrationem festi S. Titularis tenebantur. Hinc dubitatum est, num legata ante annum 1652 acceptata subire deberent augmentum salarii Collectoris a scutis quinque ad scuta septem in singula centum, ex Decreto Capituli praedicti anni 1652. At censuerunt Capitulares, ex integra massa legatorum nedum deducere scuta septem in singula centum pro salario Collectoris, verum etiam scuta novem et obulos sex ex fructibus huius massae, pro stipendio Archivistae Advocati et Procuratoris. Inde vero dubitarunt, num id iure fecerint nec ne. Altera quoque suborta est dubitatio quoad fundationem factam anno 1594 a Canonico Antioco Murgia. Hic enim Capitulo donavit libras Sardas 1000, ut diceret ac perpetuo celebraret Missam maiorem, quae dicebatur pro populo, orando pro illius anima eiusque propinquorum. Hinc dubium ortum est, num ex fundatione Murgia Canonici solam praesentiam praestare deberent Missae Conventuali, seu potius ipsam Missam pro Fundatore applicare tenerentur, dum librae 1000 Sardae, quae pro fundo datae fuere, aequabant scuta 320 monetae Romanae, ex quibus scuta vix decem septem redibant omnino imparia ad onus applicationis Maioris Missae, seu ut explicabat Episcopus, Conventualis. Quod si Sacra Congregatio in negativam sententiam ferretur quoad praefata dubia, quaerendum etiam erat, num Canonicis impertienda esset absolutio quoad praeteritum, qui tamen in bona versari fide videbantur.

121. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo ex massa legatorum sit deducendum salarium Archivistae Procuratoris et solvendum stipendium Collectoris in scutis septem pro centenario etiam pro legatis Missarum ante annum 1652 acceptatis in casu etc. II. An ex fundatione Murgia Canonici teneantur applicare Missam maiorem in casu etc. III. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad Emum Gabrielli, qui dignetur rem perpendere, et votum suum aperire – *in Ecclesien. Onerum die 26 Martii 1803.*

122. Singulis itaque, quae ad rem faciebant, sedulo expensis, praefatus Emus Gabriellis ad primum dubium respondendum esse censuit, – affirmative in omnibus iuxta resolutionem diei 9 septembris 1786 ad quartum

dubium, et non licere Episcopo legata, de quibus agitur, reducere ad taxam Concilii Romani vigore indulti diei 27 septembris 1800 –. Nam Sacra Congregatio non semel, sed bis et tertio paucis ab illinc annis annuerat pro reductione, maxime quia nulla occurrebat necessitas, neque Capitulum, de cuius interesse agebatur, novam hanc postulabat reductionem. Et Episcopus memoravit quidem in sua informatione indultum reducendi Missas ad taxam Concilii Romani, novissime a Sacra Congregatione sub praedicta die 27 septembris 1800 impetratum; sed concessum fuerat huiusmodi indultum cum clausula, dummodo legata ab Episcopo praedecessore reducta non fuerint, ideoque facultatem non tribuerat reducendi iam reducta Missarum legata. Ad secundum autem dubium quod spectabat, teneri forte quidem Capitulum censuit Emus Relator ad applicationem Missae Maioris; sed attenta redituum tenuitate, qui absque Capituli culpa imminuti fuerant, censuit, – esse describendum Canonicum Antiochum Murgia in tabula Benefactorum, et acquiescant –. Ita enim non imminuebatur massa distributionum Capituli, quae valde tenuis existebat, et consentanea erat resolutio dispositioni Fundatoris et sententiae Episcopi. Demum censuit Emus Relator, veniam Canonicos mereri, tum ob praeconceptam opinionem, licet erroneam, indebitae applicationis, cum ob tenues ipsorum reditus, imposito tamen onere celebrandi unicam Missam cum cantu in suffragium Canonici Murgia. His itaque perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris; et ad mentem: mens est, quod exprimatur, salarium Archivistae Procuratoris detrahi debere proportionabiliter ex massa Capituli et ex massa legatorum – *in Ecclesien. Onerum die 23 Iulii 1803.*

123. Ceterum Sacra Congregatio declaravit quidem, necessariam esse effectivam et realem tertiae partis redituum separationem, sed haud necessariam censeri ad effectum solvendi distributiones, cum loco earum subrogentur punctaturae *in Aquipendien. Distributionum die 29 Novembris 1691 lib. 41 Decretorum.*

124. Hinc ubi facta non sit separatio tertiae redituum partis pro distributionibus quotidianis, Sacra Congregatio saepe saepius occurrentibus casibus absentes aut negligentes damnavit ad punctaturarum solutionem, tertiae Praebendarum parti respondentem *in Ilcinen. Dirtributionis seu Punctaturarum die 13 Septembris 1856* §. *Quod.*

125. Idcirco Sacra Congregatio iustis de causis permisit, ut non tertia pars massae communis et redituum omnium ad Canonicos spectantium assignaretur pro distributionibus quotidianis dividenda, sed unusquisque ex Canonicis teneretur quotidianas distributiones in annua designata pecuniae summa ex suis reditibus annuatim detrahendis adaugere *in Leodien. Distributionum die 23 Augusti 1738.*

126. Siquidem Card. Franciottus Tanara, dum Apostolici Nuncii munere ad Tractum Rheni fungebatur, anno 1668 Collegiatam Ecclesiam utriusque sexus sub titulo Beatae Mariae Virginis in Oppido Thorensi erectam et S. Sedi immediate subiectam visitans deprehendit, Canonissas quidem divinis officiis assidue interesse, sed Canonicos rarius eisdem interesse; adeoque praecepit, ut iidem imposterum spatio novem saltem mensium quotannis residerent, nec non tenerentur singulis diebus divini officii recitationi in choro interesse, ac praeterea timens, anteactam Canonicorum negligentiam ex quotidianarum distributionum tenuitate pervenisse, decrevit, – ut tertia pars massae communis et redituum omnium ad Canonicos spectantium assignaretur pro distributionibus quotidianis, dividenda in tot partes, quot sunt dies in anno, portio deinde cuique diei respondens subdividatur in decem partes Canonicis in choro praesentibus et deservientibus, hac ratione distribuendas –. Canonici subinde choro semper interfuerunt: sed praefatum Decretum, tametsi anno 1672 a s. m. Clementis X fuisset approbatum, quoad assignationem tertiae partis massae communis omniumque redituum, nunquam Canonici adimpleverunt; unde postularunt a Summo Pontifice, ut illud dignaretur hunc in modum temperare, videlicet ut non tertia pars massae communis et redituum omnium ad eos spectantium assignaretur pro distributionibus quotidianis dividenda, sed unusquisque ex ipsis teneretur quotidianas di-

stributiones in annuis quinquaginta florenis Brabantiae ex suis reditibus annuatim detrahendis adaugere. Mentem enim Tridentinorum Patrum et Sacrae Congregationis haud unquam fuisse dixerunt, ut assignatio dictae tertiae partis fructuum pro quotidianis distributionibus fieret in ipsismet fructibus, seu, ut aiunt, in specie, quin immo earumdem distributionum augmentum commodius aptiusque censeri, si in pecunia ex fructibus cuiusque Canonicatus retracta constitueretur, secundum ea, quae ad rem ponderat Card. De Luca de Benef. disc. 41 n. 6; primo, quia quotidianae distributiones, quae eousque consueverunt inter Canonicos et Canonissas partiri, consistebant in viginti patacconibus pro qualibet, ut aiebant, praesentia, isti vero coniuncti cum aliis emolumentis, ex Missarum et Anniversariorum celebratione provenientibus, constituebant quotidianas distributiones in ea quantitate, quae non solebat a Canonicis negligi, vel certe sufficiebant, nisi etiam abundabant, ubi in earum augmentum dicta summa quinquaginta florenorum accederet; secundo, quod executio memorati Decreti ferme impossibilis aut saltem difficultatibus plena erat, sive inspiceretur varia et diversa qualitas fructuum et proventuum, quibus massa communis componebatur, sive spectaretur redituum incertitudo et difformitas, cui eadem massa de anno in annum reperiebatur obnoxia; tertio, quod ex dicta massa communi participabant Canonissae aeque ac Canonici, et tamen Canonissis nullum novum onus fuerat iniunctum, sed Canonicis dumtaxat legebatur demandata assignatio seu contributio tertiae partis omnium fructuum ex massa communi deducendae; et quarto tandem, quod in ceteris quoque Collegiatis Ecclesiis Civitatis Leodii certa pecuniarum quantitas, ob similes forsam difficultates, pro quotidianis distributionibus, constituta reperiebatur, secundum vetera Episcopalis Curiae statuta.

127. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit annuendum precibus Canonicorum, vel potius an et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative quoad primam partem – *in Leodien. Distributionum die 23 Augusti 1738.*

128. Qua de re summa fallentiarum constituenda est in tertia parte fructuum, etiamsi in Capitulo observantia adfuerit immemorabilis; his enim in terminis proposito dubio: – II. An et in qua summa sint constituendae fallentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative in tertia parte fructuum ad formam Decreti Concilii Tridentini sess. 21 cap. 3 de reformatione – *in Brundusina seu Ostunen. Servitii chori die 26 Iunii 1824.*

129. Eam enim pro distributionibus normam statuit laudata Synodus, – non obstantibus exemptionibus ac aliis consuetudinibus etiam immemorabilibus – *in Brundusina seu Ostunen. Servitii chori die 29 Maii 1824* §. *Quoad.*

130. Idcirco taxa punctaturarum nulla est, si servata non fuerit forma Concilii Tridentini sess. 21 Cap. 3 de reformatione, nec habita fuerit ratio onerum Praebendis annexorum, nempe cathedratici collectarum procurationum, emolumentorum parochialium, quae a Canonico Curato et Beneficiato Vice-Parocho percipiuntur, nec discriminati fuerint dies solemnes ab aliis, nec habita fuerit proportionabilis distributio inter Capitulares, qui plures diversas classes efformant et stipendia inaequalia percipiunt *in Maceraten. die 20 Decembris 1766* §. *Quoad* §. *Conqueritur.*

131. Quum itaque Episcopus praescripserit modum, quo fieri deberet divisio punctaturarum, Sacra Congregatio mandavit, ut praefatus Episcopus transmitteret formulam, quin tamen punctaturae in casu, de quo res erat, deberentur ex emolumentis provenientibus a celebratione Missarum et Anniversariorum, cumque et ipse praetenderet quartam partem punctorum vigore Decreti manutentionis, rem pro definitione ad Sacram Congregationem Episcoporum remisit *in Ruben. Punctaturarum die 18 Augusti 1708 lib. 58 Decretorum.*

132. Iamvero – comperto per Episcopum in postrema visitatione, quod Dignitates aliique Participantes huius Ecclesiae Cathedralis in distributione punctaturarum absentes participarent de propriis fallentiis; Decretum edidit demandans, ut nullus participaret de quantitatibus, in quibus punctatur, ob non interessentiam in choro, utque illae accre-

scere deberent dumtaxat interessentibus. Gravati iidem Capitulares recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem pro observatione soliti, ob assertam impossibilitatem reducendi ad praxim praefatum Decretum, ratione tenuissimae summae cuiuscumque fallentiae, unius nempe bononensi monetae Regni pro qualibet hora, respective ad magnum numerum quinquaginarium Participantium, quorum alii integram portionem, nonnulli duas ex tribus partibus, reliqui vero unam tertiam partem retrahunt. Conquesti ulterius recurrentes de alia praetensione Episcopi, sibi desumendi, pro quarta parte totius quantitatis conflatae ex punctis, certam annuam summam ducatorum triginta. Requisitus idem Episcopus in praemissis informare, post recensitam servitii chori qualitatem et punctorum quantitatem, refert, sese facillimum tradidisse modum, non tamen amplexum a Capitularibus, faciendi divisionem, absque eo quod absentes participent de eorum fallentiis, nec non Episcopos semper fuisse in quasi exigendi quartam partem punctaturarum, vigore Decreti manutentionis, cuius copiam transmisit, sed postmodum a longissimo tempore solutionem dictae quartae fuisse introductam in summa certa ducatorum triginta, uti latius in eius relatione =.

133. Partibus itaque hinc inde informantibus, propositis dubiis: – I. An et quomodo inter Capitulares sit facienda divisio punctaturarum? II. An punctaturae debeantur ex emolumentis provenientibus a celebratione Missarum et Anniversariorum? III. An competat Episcopo ius exigendi seu percipiendi quartam portionem punctaturarum, quae fiunt in anno? *Et quatenus affirmative.* IV. An eadem quarta portio debeatur Episcopo ad proportionem punctaturarum, quae fiunt, vel potius in quantitate certa in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, dilata; et Episcopus transmittat formulam. Ad secundum, Negative in casu, de quo agitur. Ad tertium et quartum, ad Sacram Congregationem Episcoporum – *in Ruben. Punctaturarum die 18 Augusti 1708 lib. 58 Decretorum.*

134. Possunt autem ab Ordinario augeri punctaturae Canonicis negligentibus interesse recitationi divini officii *in Nullius Orbetelli die 14 Aprilis 1696 lib. 46 Decretorum.*

135. Hinc est deputandus Punctator, qui distributiones quotidianas Canonicis assignet *in Guardien. die 8 Maii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 616.*

136. Quin imo Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 3 de reformatione statuit quidem, tertiam partem omnium redituum separari debere pro distributionibus quotidianis: sed simul addidit, – salvis tamen Constitutionibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes nihil, vel minus tertia parte percipiunt – *in Asculana seu Ceriniolen. Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Concilium.*

Item *in Signina Distributionum die 29 Iulii 1854* §. *At.*

137. Unde id satis ostendit, alienos non fuisse Tridentinos Patres, ut distributiones augmentum etiam gravissimum nancisci possint, ultra tertiam partem *in Asculana et Ceriniolen. Literarum Apostolicarum die 11 Iulii 1840* §. *Et.*

138. Idcirco quum ex antiquis Constitutionibus Capitularibus maxima redituum pars naturam quotidianarum distributionum indueret, sed Canonici sensim eam aequis partibus sese diviserint, Sacra Congregatio condonationem quidem celebratis quinque Missis super indebita ipsarum perceptione quoad praeteritum indulsit, sed simul mandavit, ut Episcopus proponeret Sacrae Congregationi modum restituendi communem administrationem substantiae distributionum quotidianarum iuxta primaevam institutionem, permissa interim ad annum solutione unius iulii quolibet die et pro quolibet Canonico ad effectum supputandi fallentias *in Signina Distributionum die 29 Iulii 1854.*

139. Siquidem ex pervetusta et immemorabili Signinae Cathedralis consuetudine omnia omnino bona ad Capitulum spectantia, exceptis dumtaxat Praebendis, pro distributionibus quotidianis assignata erant; et ex Constitutionibus capitularibus immediatus eorum administrator erat Camerarius, ac ea Capitulum distribuebat pro rata servitii praestiti, iuxta supputationem fallentiarum prius conficiendam. At vero anno 1758 Canonici statuerunt, ut singulis annis inter sese divide-

rent nonnulla praedia rustica, et unusquisque in meliorem portionis suae culturae incumberet, ita tamen, ut quidquid lucri ex iisdem fundis annuatim obveniret, integrum in communem arcam statuto tempore versari deberet, et inde in distributiones quotidianas inter Capitulares, iuxta taxationem inibi statutam, quae fere redituum medietatem pertingebat, partiretur. Sensim tamen portionem suam unusquisque Canonicus sibi addicere arbitratus est, quasi ex Praebendis proveniret, et, seposita distributionum ratione, haud amplius fallentiae ab iisdem detrahebantur, donec iurgiis inter Capitulares obortis, Sacra Congregatio die 4 augusti 1830 decrevit: – Praevia confirmatione resolutionis capitularis 2 maii 1758 ac sanatione et condonatione summarum a Canonicis hactenus perceptarum, imposterum servetur eadem resolutio, et quilibet ex Canonicis praeter fructus agrorum deponere debeat in manus Camerarii summam pecuniae taxatam in praefata resolutione, pro massa distributionum –. Verumtamen ea fuit Capitularium aut pervicacia aut ignavia, ut, posthabito prorsus Decreto, pecuniae divisio aequis partibus, nulla habita choralis servitii ratione, prout abusus inveteratus ferebat, semper peracta fuerit, quin ullus ex ipsis contradiceret. Id tandem contigit anno 1851, quo, quum distributionem scutorum fere triginta solito more Camerarius inter Canonicos peregisset, oppositores expertus est Canonicos Iosephum Manni Iosephum Forti et Anselmum Amadio, qui petierunt a Sacra Congregatione, ut etiam praefata summa triginta scutorum ad formam Constitutionum capitularium distribueretur, cum alia summa scutorum quadraginta unius adhuc exigi deberet. Episcopus vero advertit, nedum difficile, sed impossibile esse distributiones factas ad tramites capitularium Constitutionum in praesens recomponere, quia fallentiarum tabulae frustra desiderabantur: quod locum etiam habere dixit quoad distributionem, de qua questus movebatur, cum ipsa referretur ad pecunias lucrifactas superiori anno capitulari 1850 ad 1851, cuius punctaturae, reddita iam administrationis ratione, suum exitum et ipsae habuerunt, ac proinde earum tabulae nullo prorsus modo asservabantur. Quocirca Sacram Congregationem obtestatus est, ut tribus Canonicis conquerentibus silentium imponeret, et summas pecuniarias a Canonicis eousque perceptas sanare et condonare dignaretur. Ut autem norma tuta et indeclinabilis in posterum statueretur, in votis Episcopi erat, ut Capituli petitio benigne exciperetur, in eo posita, ut distributiones quotidianae pro supputandis fallentiis in summa unius iulii quolibet die, et pro quolibet Canonico taxaretur; quod quidem dum aequum existimavit, habito respectu ad peculiarum Praebendarum exiguitatem, quarum pleraeque vix ad tria scutata pertingerent, quammaxime etiam expedire sibi pollicebatur ad permultas in eodem Capitulo controversias praecidendas. Obstare tamen videbatur tum resolutio capitularis 2 maii 1758, tum Decretum Sacrae Congregationis 4 augusti 1830, tum Concilium Tridentinum in Cap. 3 sess. 21, cum sartas tectasque servari mandaverit consuetudines earum Ecclesiarum, – in quibus non residentes seu non servientes nihil, vel minus tertia parte percipiunt –.

140. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus condonationi super indebita distributionum perceptione quoad praeteritum in casu? II. An et quomodo sustineatur distributio reddituum facta a Camerario die 30 decembris 1851 in casu? III. An et quomodo probanda sit fallentiarum taxatio ab Capitulo proposita in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative celebratis quinque Missis cum cantu, facto verbo cum Sanctissimo. Ad tertium, Affirmative in omnibus ad mentem; mens est, ut Episcopus proponat Sacrae Congregationi modum restituendi communem administrationem, iuxta primaevam institutionem – *in Signina Distributionum die 29 Iulii 1854.*

141. Ceterum licet servanda sit dispositio Concilii Tridentini sess. 21 cap. 3, qua salvae esse debeant Constitutiones Ecclesiarum, in quibus a choro absentes nihil, vel minus tertia parte percipiunt, nihilominus Sacra Congregatio iustis de causis indulget, ut punctaturae non amplius habita universi reditus ratione, sed ex tertia distributionum parte computentur, singuli tamen participare debent de distributionibus, quae a non inservientibus amittuntur, iuxta individuos eius-

dem coetus tantum, cum distributionum massa non sit omnium communis, quin gratia retrotrahi valeat ad tempus praeteritum *in Asculana seu Ceriniolen. Distributionum die 27 Martii 1847.*

142. Enimvero in Asculi Apuliae Cathedrali praeter Canonicos et Mansionarios, Portionarii quoque recensebantur, chorali et ipsi servitio mancipati, ac insuper in munerum parochialium exercitatione Parocho in subsidium addicti. Verumtamen portiones, quibus ipsi potiebantur, proximis temporibus veram Beneficii naturam haud praeseferebant, ideoque nil aliud iidem erant, nisi ecclesiastici Viri choralibus officiis mancipati, vulgo *Servizianti*, qui idcirco participationes in tot praefinitas distributiones pro rata servitii lucrabantur, ac deinde postquam per quinque annos huiusmodi officio rite perfuncti forent, ad Mansionariatus gradum ipso iure conscendebant. Cum vero editae fuissent Apostolicae Literae s. m. Pii VII incipien. *Impensa* diei 13 augusti 1819, quibus praescribebatur, ut in Receptitiis Neapolitanae ditionis citra Pharum Ecclesiis praefinitae Portiones nonnisi per examen rite peragendum deferrentur; illud factum est, in huiusmodi ordinatione exequenda, quae in Asculana Cathedrali anno 1837 locum habuit, ut Portiones illius Ecclesiae nedum Sacerdotibus et Clericis, qui commendatiores reperti essent, in posterum obtinendae assignarentur, sed et ipsae Portiones a simplicium distributionum natura ad veri Beneficii gradum eveherentur. At vero Portionarii ex hac innovatione deteriorem suam conditionem evasisse arbitrati sunt, non solum quia pristino iure ad Mansionariatus adipiscendos exciderunt, quod menti Pontificiae consonum erat, sed etiam quia participationum percipiendarum ratio gravis admodum et nimis iniqua, ob onera noviter imposita, sibi videretur. Cum enim Portiones, quibus ipsi fruebantur, non constituerent Praebendas separatas ac certas, sed distributiones starent loco Praebendae, et ceteroquin distributiones ipsae pro rata servitii per eos, ut antea, dispertirentur, illud fiebat, quod iactura, quam patiebantur, quando abesse a choro contingeret, non ex tertia omnium fructuum Beneficiorum parte, ceu praescribit Synodus Tridentina, sed ex universo Portionum reditu taxari adhuc soleret. Praeterea ipsi Portionarii non vocabantur in lucri partem, quod ex absentium fallentiis praesentibus accrescebat; quidquid enim inde colligebatur, inter Canonicos et Mansionarios tantummodo dividebatur. Qua de re iidem petierunt, ut punctaturae non amplius habita universi reditus ratione, sed ex tertia distributionum parte computarentur, ad tramites Tridentinae Synodus sess. 24 cap. 12, ut etiam Oratores ad participationum divisionem admitterentur, quae a non inservientibus amittebantur, tandem ut haec participatio ad annum 1837 retrotraheretur. Quamquam enim Concilium Tridentinum consuetudines retineri voluerit, quibus Beneficiati nihil, vel minus tertia parte percipiunt, nihilominus iustis de causis Sacra Congregatio deflexit. Unde id ipsis, cum deterior eorum conditio facta esset, indulgendum esse videbatur. Hinc et participatio quoad aliorum fallentias admittenda esse videbatur, cum in facto esset communis Canonicorum et Mansionariorum massa, ex qua etiam participationes Portionariis distributae detrahebantur; adeoque punctaturarum participationem exorarunt Portionarii ab anno 1837, quo novus rerum status erat invectus. Contra advertebatur, Concilium Tridentinum disertissime cavisse, salvas esse debere illarum Ecclesiarum consuetudines, ubi absentes nihil, vel minus tertia parte percipiunt, quin causa reducendarum punctaturarum constitui posset in Brevis *Impensa* dispositione; ibi enim Portionum natura non immutabatur, imo adiecta clausula fuit, – illis (Constitutionibus et consuetudinibus) alias in suo robore permansuris –. Nec Portionarii participare poterant ex fallentiis Mansionariorum et Canonicorum; nam quod supererat ex massa eorum, postquam omne onerum genus impletum erat, ad Canonicos et Mansionarios, non vero ad Portionarios pertinebat. Insuper Portiones in novo statu poterant considerari, ut Beneficia in Capitulum noviter recepta, adeoque ita admittendi erant, ut non participarent de punctaturis non residentium. Absonum etiam erat a praxi Sacrae Congregationis, quod gratia ad tempus praeteritum retrotraheretur.

143. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo annuendum sit

precibus Oratorum circa reformationem fallentiarum ad rationem a Concilio Tridentino sess. 21 cap. 3 traditam in casu? II. An et quomodo annuendum sit precibus Oratorum circa participationem distributionum, quae a non inservientibus amittuntur in casu? *Et quatenus affirmative ad secundum dubium.* III. An participatio distributionum retrotrahenda sit ad annum 1837 in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; erogata tertia parte in distributiones quotidianas, ad formam sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 3. Ad secundum, Affirmative quoad individuos eiusdem coetus tantum. Ad tertium, Negative – *in Asculana et Ceriniolen. Distributionum die 27 Martii 1847.*

144. Alias enim probatum in iure est, quod ubi Praebendae consistunt in distributionibus quotidianis, binae ex tribus earum partibus assumunt naturam Praebendarum, ut per Extravag. *Cum nonnullae* II de Praebendis tradunt Moneta de distrib. quotid. part. 1 quaest. 3 n. 2, Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 21 n. 2, et pro duabus saltem partibus in conciliari absentia lucrantur, Piton. discept. eccles. 34 n. 1 tom. 1, Pignatell. consult. 115 n. 43 tom. 9 *in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792* §. *Flagitatum.*

Item *in Firmana Distributionum die 6 Maii 1843* §. *Tandem; in Asculana et Ceriniolen. Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Concilium.*

145. Itaque Capitulares non tenentur contribuere Seminario pro ea portione, quae cedit in distributiones quotidianas, neque pro legatis piis pro celebratione Missarum relictis, neque incertis de eleemosynis Sacristiae elargitis *in Sabinen. die 26 Martii 1640 lib. 16 Decretorum pag. 330.*

146. Nam Sacra Congregatio saepe saepius declaravit, distributiones assignatas solummodo personaliter interessentibus non posse taxari pro contributione Seminarii *in Panormitana mense Septembris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 73.*

Item *in Messanen. mense Iunii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 104; in Hieracen. mense Martii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 236; in Avenionen. mense Aprilis 1587 lib. 4 Decretorum pag. 244.*

147. Hinc fructus, qui naturam habent distributionum quotidianarum, haud subiacent spolio, si ante Canonicorum obitum non fuerint exacti; proposito enim dubio: – An distributiones quotidianae pro personali assistentia praestita in choro Canonicis debitae et ante ipsorum obitum non exactae spolio subiiciant? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Non subiacere spolio – *in Neapolitana Distributionum die 9 Februarii 1669 lib. 26 Decretorum pag. 153.*

Item *in Termularum die 24 Ianuarii 1671; in Arianen. die 13 Februarii 1672; in Frigentina die 28 Augusti 1683 lib. 33 Decretorum pag. 265.*

148. Amplia, id locum habet, licet omnes reditus in solis distributionibus consistant, quandoquidem cum disceptatum fuerit: – An resolutio edita in dicta Neapolitana Distributionum habeat locum, etiamsi reditus omnes in solis distributionibus consistant? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Camerinen. Spolii die 13 Ianuarii 1677 lib. 29 Decretorum pag. 351.*

149. Qua de re omnes fructus, qui certis anni temporibus distribui solent inter singulos Canonicos ad ratam servitii praestiti, eorumdemque portio tempore vacationis Canonicatuum maturata Canonicis choro et Ecclesiae inservientibus accrescit, naturam habent distributionum quotidianarum, adeoque spolio haudquaquam subiiciuntur *in Capuana Spolii die 9 Iulii 1735.*

150. Enimvero praeter annuos Praebendarum reditus quidam in Metropolitana Ecclesia erant fructus partim in frumento, et partim in pecunia consistentes, sub nomine *di cedole a grano e di cedole a danaro*, qui, servata punctaturae norma, quolibet mense partiti, certis anni temporibus, ad ratam servitii Canonicis distribuebantur, aliique insuper erant, vulgo nuncupati *repliche*, quorum traditio sub eadem punctaturae lege eousque fieri consuevit Canonicis, qui nedum chori et Ecclesiae servitio incumbebant, verum etiam Capitulo sub diem festum S. Petri interveniebant. Contendit autem Promotor Fiscalis Nunciaturae Apostolicae Neapolis, memoratos fructus a Canonicis defunctis non exactos consueto spolio subiici, ita ut illi nec Heredibus eorumdem Canonicorum restitui,

nec superstitibus Canonicis choro et Ecclesiae inservientibus accrescere possent; primo, quia non singulis diebus, sed nonnullis dumtaxat anni temporibus distribuebantur; secundo, quia non omnes Canonici choro et Ecclesiae inservientes eos lucrabantur, sed illi tantum, qui praeter servitium Ecclesiae praestitum die festo S. Petri Capitulo interessebant; tertio, quia Capitulum aliam habebat massam distinctam et separatam pro distributionibus quotidianis, quemadmodum colligi putabat ex fide Ratiocinatorum eiusdem Capituli data; et quarto demum, quia iidem fructus non exacti ad Defunctorum Heredes non transmittebantur, cum de cetero distributiones quotidianae non ad eos deferri deberent, uti tradunt Moneta de distribut. quotid. part. 3 quaest. 3 n. 4, Redoan. de spol. quaest. 2 n. 26, Gratian. discept. for. cap. 381 n. 11, Scarfanton. ad Ceccop. lucubrat. can. lib. 2 tit. 10 a n. 13. Capitulum contra sustinuit, omnes praedictos fructus habere naturam distributionum quotidianarum, cum inter Canonicos ad ratam servitii praestiti dividerentur, ita ut a Canonicis absentibus non acquirerentur; sed iis, qui choro interessebant, accrescerent. Insuper portio eorumdem fructuum maturata tempore vacationis Canonicatuum non subiiciebatur asserto spolio; sed Canonicis choro et Ecclesiae inservientibus accrescebat, adstipulante etiam auctoritate Marant. lib. 3 resp. 24, et Ventrigl. in prax. for. eccles. annot. 16 de bon. cleric. §. 2 n. 21, qui loquentes in specie de assertis fructibus sub nomine di *reppliche* in praefata Ecclesia distribui consuetis asserunt, eos habere naturam distributionum quotidianarum, proindeque enunciato spolio non comprehendi. Archiepiscopus haec habuit: – Ex continua praxi observata in meo Capitulo, si quis habet indultum ratione studiorum, cum in ipso indulto dicatur, « amissis distributionibus quotidianis », amittit totum id, quod pertinet ad massam communem; nam totum, quantum est, ad distributiones pertinet, retenta tantum sibi Praebenda: sed quoniam in praedictis indultis saepe additur, « verum si omnes fructus consistant in solis distributionibus etc. », tunc praedictum indultum adamussim servatur; et si omnes fructus constant in solis distributionibus, et si Praebenda tertiam partem distributionum non attingat, facto uno cumulo distributionum et Praebendae, amittit tertiam partem praedicti cumuli ad formam indulti –.

151. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An massa communis distribui solita certis anni temporibus inter Canonicos Cathedralis partim in pecunia et partim in frumento, sub nomine cedularum et replicarum, habeat naturam et qualitates distributionum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et amplius – *in Capuana Spolii die 9 Iulii 1735* (1).

152. Unde distributiones sicut spolio non subiacent, ita nec ad Successores perveniunt, ubi viget praxis antiqua de Beneficii vacantis fructibus Successori reservandis, sed Canonicis et Praebendatis superstitibus interessentibus etiam tempore vacationis sunt solvendae *in Ilcinen. Distributionis et Punctaturarum die 13 Septembris 1856* §. *Ex quo.*

153. Idcirco punctaturae pro tempore vacationis Canonicatus sunt solvendae a Subcollectore spoliorum, qui per id temporis fructus percepit, non vero a Successore, etiamsi immemorabilis consuetudo obesse videatur *in Praenestina Distributionum die 25 Maii 1833.*

154. Siquidem novem Canonicis antiquae erectionis Capituli Ecclesiae Cathedralis Praenestinae communis erat bonorum census, non item reliquis tredecim supra numerum, qui peculiaribus singuli potiebantur Praebendis. Tertia vero redituum portio, cuilibet ex Canonicis obvenientium, scutatis viginti quinque aestimata, in distributiones quotidianas ex Tridentina lege addicta erat. Unde in Capituli Constitutionibus cautum legebatur: – Vigeant distributiones quotidianae usque ad summam scutatorum viginti quinque circiter ascendentes, sive pro Canonicis massae antiquae et numerariis, sive pro Canonicis recens adiectis et supranumerariis, fundus tamen sive bonorum omnium massa pro fructibus dividendis inter choro servientes deerat adhuc, nec nisi ex chori fallentiis stata lege solvendis ab iis, qui non interessent, coalescere et

(1) Reliqua habebis in Verb. *Spolium ecclesiasticum.*

praesentibus accrescere consueverat –. Quamobrem anno 1759 Cardinalis Spinellius Praenestinorum Episcopus id urgendum duxit, ut constituatur – bonorum omnium massa, facta a reliquis separatione; quae quidem non ad integra scutata viginti quinque, sed ad dimidium circiter conficeretur, et ut in eam tam veteres, quam recentes Canonici pro rata divisionis facilius convenirent –. Id quoque sancitum fuit, – ut, si qui Canonici punctaturis sive fallentiis chori suam massae communis fructuum portionem excesserint, e Canonicatuum provenientiis usque ad integram summam supplere teneantur. Praxis igitur quotidianas distributiones dividendi est, ut in fine cuiuslibet mensis, supputatis per Punctatores singulorum Canonicorum fallentiis, atque in folio de more in Sacristia conspicuo loco exponendo notatis, Camerarius massae communis portionem a singulis Canonicis amissam omnino solvat infra dies octo sequentis mensis in manibus Syndacorum. Si vero per Camerarium fructus e massa communi quotannis alicui Canonico obvenientes pro chori fallentiis fuerint integre persoluti, quod opportune Canonico illi notum faciat, tunc Canonicus idem e reditibus sui Canonicatus infra eumdem terminum octo dierum summam, si quam ultra debet, tradere teneatur Syndacis, qui totam pecuniam in unum collectam aequaliter omnibus, quibus ea accrescit, sine mora dividant –. Cum itaque Aloisius Marinius possessionem Canonicatus Iacobelli supra numerum adeptus fuisset decimo, quo ille vacuus erat, mense requisitus a Capitulo fuit, ut punctaturas solveret pro iis etiam decem mensibus ad eam summam, qua eaedem portionem communis cumuli, scutata scilicet plus minus duodecim cum dimidio excesserant, ipse persolveret, licet universos per id temporis Canonicatus reditus Subcollector spoliorum acceperit. Supplex ideo postulavit Sacrae Congregationis iudicium. Cum enim ipse fructus Canonicatus per id temporis vacationis nec perceperit nec administraverit, nullo se ad eas solvendas titulo alligari contendit, quippe quae fructus tantum Canonicatus afficiebant, et ab iis ideo erant praestandae, qui fructibus gavisi fuerant. Curatores ergo spoliorum, qui iis fructibus potiti fuerunt, ad punctaturas illas solvendas tenebantur, iuxta tritissimum iuris adagium, quod incommoda illos sequantur, qui commoda eiusdem rei sunt consequuti. Insuper distributiones quotidianae nunquam Successori in Beneficio de iure reservantur, nec in Ecclesiae utilitatem attribuuntur, cum illae subsint iuri accrescendi; igitur nec Camera spoliorum eas lucrari poterat. At vero Curator Spoliorum perpetuum obiecit morem apud Apostolicum Fiscum invaluisse, ut ex fructibus Canonicatuum vacantium punctaturae solverentur. Idipsum Canonici Praenestini facto suo confirmabant, cum non a Spoliorum Curatore, sed a Marinio punctaturas, quae sex menses vacationis excesserunt, pro quatuor nimirum mensibus, repeterent consuetudini innixi, quae praeter hominum memoriam ea in Ecclesia percrebuit, quam quidem consuetudinem vim omnem habere ac pro lege custodiri potissimum in his, quae non descendunt ex scripto, iuris principium est in L. 32 et L. 33 de legibus. Marinius vero advertit, quod ipsi Canonici faterentur, se interdum a Curatore Spoliorum punctaturas exegisse. Hinc Ordinarius Praenestinus Oratori favit.

155. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et a quo persolvendae sint punctaturae pro tempore vacationis Canonicatus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative a Subcollectore spoliorum – *in Praenestina Distibutionum die 25 Maii 1833.*

156. Itaque Canonicus, qui fructus haud lucratus est tempore vacationis Canonicatus, solvere non tenetur fallentias, etiamsi antiqua extet consuetudo, qua novi Canonici punctaturas solverint pro tempore vacationis *in Ilcinen. Distributionis seu Punctaturarum die 13 Septembris 1856.*

157. Iamvero post diuturnam septem annorum vacationem provisus est mense iulio 1853 de Canonicatu, quem vocabant magistralem, ob onus docendi seu scholam habendi eidem adnexum, in Collegiata Ecclesia Terrae S. Quirici Diaecesis Ilcinensis, Sacerdos Michael Coppi. Hic autem, antequam praefati Canonicatus adipisceretur possessionem, monitus est a Capitulo de solvenda quota in libellis 753 circiter taxatis, respondente fallentiis tempore vacationis adnotatis. In ea

siquidem Collegiata vigebat Constitutio, qua Praebendarum possessores negligentes in obeundo chorali servitio, vel muneribus implendis socordes, aut recusantes eorum exercitium, taxata quadam punctaturarum poena plectebantur (nunquam ibi facta erat separatio tertiae partis, et massa distincta distributionum constituta ad tramites Concilii Tridentini Cap. 3 sess. 21 de reformatione), quae – singulo quoque bimestri inter eos, qui interfuerunt, ad instar quotidianarum distributionum, modo in Bullis praescripto dividantur,sub poena suspensionis contra solvere recusantes –. Canonicus autem Coppi, licet Capituli petitioni visus fuerit annuere, capta tamen possessione, urgentibusque solutionem Capitularibus, aperte cepit contendere sese non teneri, eo quod ex reditibus tempore vacationis obventis nihil aut fere nihil accepisset. Nam in Hetruriae ditione regius quidam erat constitutus Oeconomus, qui vacationum occasione Beneficiorum quorumcumque proventus colligebat pium in usum erogandos, impletis oneribus, vacanti Beneficio diversimode inhaerentibus: penes quem Oeconomum, durante controversae Praebendae vacatione, Capitulum pluries, sed incassum institisse referens, ideo punctaturarum solutionem in summa praedicta a novo proviso sese repetere iure tuebatur, ex consuetudine, quam allegabat, vetustissima, cuius vi novi semper Canonici easdem pro rata vacationis absque contradictione eo usque persolverent, etsi sufficientem ex reditibus vacantiae summam haud fuerint consecuti. Unde Capitulum duo protulit exempla, alterum anni 1752, et alterum anni 1773, quibus Capituli ius manifestum patere videbatur. Nec obstare poterat, quod nondum facta esset separatio tertiae partis; nam ex doctrina Sacrae Congregationis, ad effectum solvendi punctaturas, necessaria non sit effectiva et materialis tertiae partis separatio. Idcirco punctaturae tertiae huic parti respondentes debentur Canonicis et Praebendatis superstitibus interessentibus etiam tempore vacationis. Distributiones enim quotidianae sicut spolio non subiacent, ita nec ad Successores perveniunt, ubi viget praxis antiqua de Beneficii vacantis fructibus Successori reservandis. Licet vero constare in genere videretur de bono iure Capituli, in specie tamen haud sustineri posse videbatur actio contra Canonicum Coppi, qui diuturnae vacationis fructus non percepit. Solutio enim punctaturarum ab eo repetenda est, qui Beneficii proventibus fruitur. Quapropter, etsi probaretur per Capitulum allegata consuetudo, in concreto tamen casu vim habere non poterat, utpote contraria naturae et iustitiae principiis, ceu monuit ipse Episcopus, et proinde irrationabilis cum appareret, haud servanda.

158. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An a Canonico Michaele Coppi solvendae sint fallentiae de tempore vacationis Canonicatus in casu? II. An et quomodo providendum sit quoad futurum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Episcopus provideat ad tramites Concilii Tridentini sess. 21 cap. 3 de reformatione – *in Ilcinen. Distributionis seu Punctaturarum die 13 Septembris 1856.*

159. Cum autem nomine absentis veniat etiam, qui mortuus est, statim post mortem Canonici, Canonicis interessentibus distributiones accrescunt, Monet. in tract. de distributionibus quotidianis *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Non ita.*

160. Idcirco distributiones etiam ex vacanti Beneficio debitae accrescunt aliis inservientibus: quamquam enim Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 3 de reformatione decernat divisionem distributionum inter inservientes actu, ita ut de Beneficiis plenis intellexisse appareat; attamen cum ratio cur praesentibus acquirantur distributiones, quas absentes lucrari non possunt, ea sit, ut praesentes habeant praemium laboris, Passerin. lib. 3 de Cleric. non resid. n. 4, Monet. de distrib. quotid. part. 1 pag. 6 n. 11, haec ratio quoque convenit, si Beneficium vacuum sit, cum ex vacatione ceteris inservientibus labor accrescat *in Senogallien. Distributionum die 22 Iunii 1805* §. *Deinde.*

161. Siquidem proposito dubio: – An vacante Praepositura Collegiatae Ecclesiae Buxeti per obitum, debeantur Capitularibus inservientibus distributiones quotidianae constitutae ex fructibus pro tertia parte separatae portioni Praeposito assignatae? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Deberi – *in*

Burgi S. Domnini die 24 Maii 1642 lib. 17 Decretorum pag. 50.

162. Unde cum absentes tempore vacationum minime lucrentur distributiones, eaedem propterea praesentibus accrescunt *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Dubium.*

Item *in Ipporegien. Servitii chori die 30 Ianuarii 1830* §. *Si Emi; in Alben. Servitii chori die 23 Martii 1839* §. *Postremo; in Firmana Servitii chori die 27 Aprilis 1844* §. *Quatenus; in Mazzarien. Applicationis et Reductionis Missarum die 14 Februarii 1846* §. *Tandem.*

163. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, non posse Canonicos absentes tribus mensibus vacationum a Sacro Concilio Tridentino permissis lucrari distributiones quotidianas *in Meliten. mense Maii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 263.*

164. Idcirco proposito dubio: – VI. An absentes tempore vacationis ultra fructus suarum Praebendarum lucrentur etiam distributiones quotidianas? –, Sacra Congregatio die 22 maii 1706 respondit: – Dilata –; ac inde reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative; et amplius – *in Asculana die 15 Ianuarii 1707 lib. 56 et 57 Decretorum.*

165. Unde Sacra Congregatio mandavit, ut – dentur Literae in forma illmo Episcopo Fanensi, qui per Procuratorem pro decimo quarto triennio SS. LL. visitavit, quae inter cetera contineant, Canonicos divinis non interessentes distributiones minime lucrari, nec etiam pro tempore vacationum ab eodem Sacro Concilio Tridentino permissarum – *in Fanen. die 17 Novembris 1628 lib. 13 Decretorum pag. 559.*

166. Similiter – Sacra Congregatio, attenta relatione et voto Emi Card. Episcopi benigne indulsit, ut Canonici Oratores vacatione trium mensium a servitio Ecclesiae singulis annis frui et gaudere valeant, ita tamen, ut uno et eodem tempore ultra tertiam eorum partem non absint, et dies vacationum huiusmodi non sumantur tempore Adventus Quadragesimae aut in octava Nativitatis Domini Paschae Resurrectionis et Pentecostes Corporis Christi, neque in diebus Dominicis aut festivis, et dummodo tempore huiusmodi absentiae percipiant tantum fructus Praebendae, amissis distributionibus quotidianis, quae inservientibus accrescant – *in Lunen. die 2 Decembris 1634.*

167. Idcirco nequeunt Canonici Ecclesiae Cathedralis Suessanae tempore vacationum percipere distributiones quotidianas, quin duae ex tribus earum partibus cedere debeant in augmentum Praebendarum; propositis enim dubiis: – III. An Canonici praefati, qui per dies continuos vel interpolatos quolibet anno ad eorum arbitrium non festivos de praecepto abesse possunt a servitio Ecclesiae, frui possint distributionibus quotidianis in dictis diebus eo modo, quo gaudent praesentes? *Et quatenus negative.* IV. An duae ex tribus partibus dictarum distributionum cedere debeant pro fructibus in augmentum Praebendarum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium et quartum, Negative – *in Suessana Tabellae horarii et servitii chori die 18 Augusti 1708 lib. 58 Decretorum.*

168. Quum itaque Praebendati Ecclesiae Metropolitanae Firmi postulaverint declarari, an absentes tempore vacationis lucrentur distributiones quotidianas, ultra fructus Praebendarum, eo modo, quo fruuntur praesentes, non obstante praetensa consuetudine, proposito dubio: – IV. An Dignitates Canonici et Praebendati tempore vacationis permisso a servitio chori lucrentur distributiones quotidianas in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quartum, non deberi iuxta modum; modus est, ut, si fructus respectivae Praebendae cuiuscumque tertiam partem distributionum singulis Canonicis respective tangentibus attingant, nullo modo distributiones deberi; si vero attingant duas ex tribus partibus fructuum Praebendae respective ac distributionum inde cumulatarum deberi, amissa tertia parte, quae inservientibus accrescat – *in Firmana Distributionum die 3 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

169. Certum enim est, absentes causa vacationum a Concilio Tridentino permissarum amittere distributiones quotidianas, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili; hisce quippe in terminis Sacra Congregatio die 14 iunii 1670 edixit, dandum esse Decretum die 3 decembris 1644 editum his verbis: – Canonicos tempore vacatio-

num non lucrari distributiones quotidianas, non obstante consuetudine immemorabili - *in Pisauren. die 14 Iunii 1670 lib. 26 Decretorum pag. 353* (1).

170. Unde Sacra Congregatio concessit quidem indultum unius mensis vacationis Canonicis aliisque Capitularibus Collegiatae, quae Empoliae in honorem S. Andreae Apostoli dicata extabat; sed proposito dubio: - II. An Canonicis aliisque Capitularibus a choro et a residentia tempore vacationum absentibus sit tribuendum privilegium lucrandi quotidianas distributiones in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad secundum, Affirmative dimissa tamen tertia parte - *in Florentina Vacationum die 30 Iulii 1831.*

171. Nam etiam qui a choro vacationum tempore absunt, privantur distributionibus, etiamsi in morbum inciderint, secundum Fagnanum in Cap. *Licet* de Praebendis n. 149 *in Oriolen. die 6 Decembris 1794* §. *Quatenus.*

Item *in Alben. Servitii chori die 23 Martii 1839* §. *Postremo,*

172. Qua de re distributiones a pio Testatore ex suis bonis ea relictae conditione, quod ex illis non participent, nisi soli praesentes choro, occupati in ministerio Altaris, infirmi, atque Poenitentiarius actu existens in confessionario, negatae fuerunt aliis Canonicis tribus etiam mensibus vacationum absentibus de consensu Capituli ac pro servitio et utilitate eiusdem et Ecclesiae *in Tarraconen. Distributionum die 17 Septembris 1695 die 17 Martii 1696 et die 26 Ianuarii 1697 lib. 45 46 et 47 Decretorum.*

173. Enimvero - ad magis augendum divinum cultum in servitio chori Didacus Gyron et Rebolledo Prior et Canonicus Ecclesiae Metropolitanae reliquit Capitulo eiusdem Ecclesiae quoddam capitale sub nomine bursae canonicalis, cuius fructus converti voluit in distributiones quotidianas inter Canonicos interessentes, sub ea tamen lege et infrascriptis verbis: «Fundetur bursa una canonicalis in dicta Ecclesia Tarraconensi pro distributionibus Canonicorum de Capitulo ad horas canonicas nocturnas et diurnas residentium, et quod solummodo distributiones lucrari valeant illi, qui aliqua adversa valetudine actu erunt detenti ac impediti, ferentes fidem firmatam a Medicis Capituli pro diebus, quibus impediti fuerint occasione suarum infirmitatum, et qui in choro aut in Altari maiori occupabuntur, dum celebratur Missa maior, absque eo quod ex alio legitimo titulo possit aliquis praesens haberi, dempto Canonico Poenitentiario, dum in confessionario adfuerit, attento quod praesens fundatio sit ad maius divini cultus augmentum, et ut Canonici continuam in choro faciant residentiam ». Cum autem propter dubium amittendi praefatas distributiones valde pingues, nullus inveniatur ex Capitularibus, qui negociis Ecclesiae incumbere velit, non sine maximo eiusdem Ecclesiae detrimento; hinc Canonici et Capitulares, huic absurdo consulere cupientes, supplicarunt Sacrae Congregationi pro declaratione, ut absentes de consensu Capituli pro Ecclesiae servitio et utilitate, atque pro expediendis Ecclesiae et Capituli negociis de huiusmodi distributionibus participare possent. Et quamvis Archiepiscopus desuper auditus, late confirmata expositorum veritate, votum suum favorabile his verbis protulerit: « Cum igitur praemissa omnia vera esse cognoverim, prout EE. VV. attestor, consonum videtur, rigorem institutionis et fundationis huiusmodi circa actualem praesentiam in praefatis casibus mitigari », placuit nihilominus Sacrae Congregationi diebus 17 septembris 1695 et 17 martii 1696 instantiam reiicere, quibus resolutionibus non acquiescentes Canonici, instant saltem admitti ad participationem in tribus mensibus vacationum a Sacro Concilio concessis, quoties dicto tempore absentes fuerint pro servitio Capituli ac pro expediendis illius negociis, ne aliter ex dispositione Testatoris sequatur per indirectum inhabilitatio Canonicorum ad obeunda munia Capituli. Quare ex iuribus ab ipso circumferendis, dignabuntur EE. VV. decernere: - An saltem Canonici absentes de consensu Capituli pro necessitate Ecclesiae in tribus mensibus vacationum a Sacro Concilio permissis lucrari possint supradictas distributiones? -, Sacra Congregatio respondit: - Negative, et am-

(1) Card. Petra ad Constit. IX Bonifacii VII, n. 28 tom III, pag. 297.

plius – *in Tarraconen. Distributionum die 26 Ianuarii 1697 lib 47 Decretorum.*

174. Idcirco distributiones legatae pro interessentibus et aliis ab ipso Testatore nominatis, non debentur Canonicis procuratoribus et massariis occupatis in litibus et negotiis Ecclesiae et Capituli, cum non sint ex nominatis a Testatore *in Mantuana Distributionum die 31 Iulii 1694 lib. 44 Decretorum.*

175. Compertum hinc est, quod Canonici tempore vacationis, non obstante quacumque consuetudine, etsi immemorabili, lucrari nequeant distributiones quotidianas; Episcopus tamen substitutiones permittere potest ad eas lucrandas, dummodo facultate huiusmodi non abutatur, et Canonicus substituens sit in Civitate *in Aquilana die 16 Ianuarii et die 3 Decembris 1644 lib.17 Decretorum pag.39 et 277.*

176. Enimvero – Canonici Ecclesiae Cathedralis Aquilanae obtinuerunt, ut supponitur, anno 1581 ab hac Sacra Congregatione facultatem quotannis vacandi a choro quatuor mensibus, sub expressa tamen conditione, quod tempore vacationis teneantur ad mulctam duplicatam, quam conditionem cum non impleant, et insuper dicto tempore vacationis praetendant percipere distributiones aliorum, idem Episcopus pro quiete suae conscientiae et Capitularium supplicat pro responsione, an id debeat ab Episcopo permitti. Sacra Congregatio censuit, Canonicos teneri adimplere conditionem supra expressam, et tempore vacationis minime lucrari distributiones quotidianas; Episcopum tamen permittere, ut Canonicus in sua hebdomada servitio Ecclesiae adscriptus possit substituere alium Canonicum, qui ipsa hebdomada eiusdem servitio adscriptus non sit, et hoc casu distributiones quotidianas lucrari ac si divinis personaliter interesset, ita tamen, ut huiusmodi facultate substituendi non abutatur, et Canonicus substituens sit praesens in Civitate –; idque subinde confirmavit – non obstante quacumque consuetudine, etsi immemorabili – *in Aquilana die 16 Ianuarii et die 3 Decembris 1644 lib. 17 Decretorum pag. 39 et 277.*

177. Idcirco Canonici absentes a chori servitio tempore vacationum a Sacro Concilio Tridentino permissarum, nequeunt lucrari distributiones quotidianas, licet adsit immemorabilis consuetudo; quae enim, utpote a sacris Canonibus improbata, abusus et corruptela est potius dicenda, ut pluribus allatis resolutionibus demonstrat Fagnanus in Cap. *Cum omnes* de constit. a n. 34, et in Cap. *Licet* de Praebendis n. 92 *in Oriolen. die 6 Decembris 1794* §. *Quatenus.*

Item *in Derthonen. Constitutionum die 12 Septembris 1829* §. *Dubium; in Ipporegien. Servitii chori die 30 Ianuarii 1830* §. *Si; in Florentina Vacationum die 18 Iulii 1831* §. *Si; in Firmana Distributionum die 6 Maii 1843* §. *Iuvabit; in Derthonen. Visitationis Sacrorum Liminum die 22 Iunii 1844* §. *In*; *in Mazzarien. Applicationis et Reductionis Missarum die 14 Februarii 1846* §. *Tandem.*

178. Unde Sacra Congregatio saepe declaravit, non posse Canonicos absentes tribus mensibus vacationum a Sacro Concilio Tridentino permissarum lucrari distributiones, non obstante quacumque consuetudine immemorabili *in Vicentina mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 81.*

179. Similiter Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Canonicos absentes per tres menses eis a Sacro Concilio Tridentino permissos, lucrari fructus suarum Praebendarum, amissis distributionibus quotidianis, quae inservientibus accrescant, quacumque consuetudine etiam immemorabili non obstante – *in Nicien. die 18 Novembris 1628.*

180. Qua de re licet Canonici Ecclesiae Cathedralis Ipporegiensis ex immemorabili consuetudine lucrarentur distributiones quotidianas, dum tempore vacationum a chori servitio aberant, et ex gratia subinde postularent huiusmodi privilegium, proposito tamen dubio: – II. An Canonicis a choro et residentia tempore vacationum absentibus sit concedendum privilegium lucrandi quotidianas distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Negative quod distributiones quotidianas, quae constare debent ex tertia parte redituum ad formam Concilii Tridentini sess. 21 cap. 3 de reformatione – *in Ipporegien. Servitii chori die 20 Martii 1830.*

181. Amplia, licet in Ecclesia Cathedrali Derthonensi mos invaluisse videretur lucrandi distributiones tempore vacationum iam inde ab anno 1356 et ab Episcopo Peiretti

anno 1788 potius instauratus, quam inductus, ideoque omnino servandus, praesertim quia quadragenaria postea accessit observantia, et in novissimis Constitutionibus nihil adversi decretum fuerit, proposito tamen dubio: – IV. An Canonici absentes a choro tempore vacationum lucrentur distributiones in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Negative – *in Derthonen. Constitutionum capitularium die 12 Septembris 1829.*

182. Quin imo posthac modernus Episcopus Derthonensis – enixe postulat, ut concedantur Canonicis Ecclesiae Cathedralis menses duos vacationum, ita ut habeantur pro iisdem tamquam praesentes. Id fuit ipsis concessum a quopiam ex Praedecessoribus, qui credidit, se potuisse. Nunc vero ex supra memorata huius Sacrae Congregationis definitione diei 12 septembris 1829 liquet, eam concessionem fuisse cassatam. Attamen cum sat aequa videatur, nec nova sit huiusmodi concessio, quae nondum insuper remedium afferat ad penitus delendas praeteritas dissensiones, eam habere Episcopus Orator tamquam gratiam latissimam –. Proposito vero dubio: – I. An et quomodo annuendum sit postulato Episcopi circa distributiones vacationum tempore a Canonicis lucrandas in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, in decisis sub die 12 septembris 1829 – *in Derthonen. Visitationis sacrorum Liminum die 27 Iulii 1844.*

183. Unde Sacra Congregatio declaravit, Canonicos absentes tribus mensibus vacationum a S. Concilio Tridentino permissarum non posse lucrari distributiones, etiamsi adsit consensus Primatis et Capituli *in Tullen. anno 1616 lib. 11 Decretorum pag. 174.*

184. Idcirco distributiones quotidianas amissas a Canonicis in absentia dictorum trium mensium vacationum Episcopus auferre potest, quacumque consuetudine contraria etiam immemorabili non obstante *in Vercellen. die 14 decembris 1619 lib. 12 Decretorum pag. 28.*

185. Quod si consuetudo originem habeat ab Statutis capitularibus, quae approbavit Summus Pontifex, tum Canonici lucrari valent distributiones quotidianas tempore vacationum *in Ipporegien. Servitii chori die 23 Aprilis 1831* (1).

Item *in Derthonen. Visitationis Sacrorum Liminum die 22 Iunii 1844* §. *Hinc.*

186. Hinc Benedictus XIV Inst. eccles. 107 §. 6 n. 36 inquit: – Neque omitti debet, licere quidem Canonicis vacationis praescriptae tempore chorum dimittere; id tamen solum suffragari, ut fructus Praebendarum accipiant, non autem distributiones quotidianas, nisi forte peculiares ipsorum Constitutiones a Sede Apostolica confirmatae ante Synodum Tridentinam hoc etiam emolumentum ipsis Canonicis impertiant – *in Derthonen. Visitationis sacrorum Liminum die 22 Iunii 1844* §. *Hinc.*

187. Enimvero Sacra Congregatio declaravit, Constitutiones confirmatas a Sede Apostolica ante Concilium, quibus conceduntur distributiones quotidianae absentibus etiam duobus mensibus vacationum, non esse sublatas a Concilio in cap. 12 sess. 24 de reformatione *in Bononien. anno 1586 lib. 4 Decretorum pag. 186.*

188. Compertum hinc est, Concilium Tridentinum in cap. 12 sess. 24 de reformatione vers. *Praeterea*, non substulisse privilegium a Sede Apostolica confirmatum percipiendi distributiones quotidianas, quae dantur interessentibus a Canonicis etiam in vacationibus duorum mensium *in Pistorien. mense Decembris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 212.*

189. Alias si Canonici immemorabili tantum innixi consuetudine distributiones quotidianas perceperint tempore vacationum, locus est condonationi quoad preteritum; his enim in terminis proposito dubio: – III. An sit consulendum Sanctissimo pro condonatione distributionum quoad tempus praeteritum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative erogata in pauperes aliqua eleemosyna, arbitrio Episcopi – *in Ipporegien. Servitii chori die 20 Martii 1830.*

190. Quin imo Summi Pontifices tum ante, tum post Tridentinam Synodum quaedam Capitula nonnumquam donarunt privilegio fruendi quotidianis distributionibus etiam tempore

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonici*, §. IX, n. 159 et 160, ubi a n. 162 ad 166 alias habes resolutiones, Tom. V.

vacationum, non secus ac si choro adstantes divinas laudes persolverent, Benedict. XIV Instit. eccles. 107 §. 7 n. 37 *in Ipporegien. Servitii chori die 30 Ianuarii 1830 §. Si.*

Item *in Florentina die 18 Iulii 1831 §. Si.*

191. Iamvero Summus Pontifex, attenta reddituum tenuitate, ex sententia Sacrae Congregationis, medietatem distributionum quotidianarum indulsit absentibus tribus mensibus vacationum *in Mediolanen.* mense *Augusti 1589 lib. 6 Decretorum pag. 28.*

192. Quin imo integras omnes distributiones concessit Canonicis Cathedralis Auximanae duobus mensibus vacationum, dummodo eodem tempore duae partes Canonicorum Ecclesiae inservirent *in Auximana die 3 Martii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 48.*

193. Qua de re Sacra Congregatio, ob reddituum decrementum aut ob aliam rationabilem causam, simile privilegium interdum tribui posse respondit *in Ipporegien. Servitii chori die 30 Ianuarii 1830 §. Si.*

194. Siquidem his de causis Sacra Congregatio privilegium gaudendi quotidianis distributionibus indulsit Canonicis Cathedralis Ecclesiae Oriolensis, nec non Canonicis Collegiatae S. Nicolai Civitatis de Alicante *in Oriolen. die 24 Ianuarii 1792 et die 6 Decembris 1794* (1).

195. Unde Sacra Congregatio etiam Canonico, qui Romam se contulit pro lucranda indulgentia anni Sancti, indulsit facultatem lucrandi huiusmodi distributiones, dummodo, discessus mansionis et reversionis tempore computato, duos menses a residentia non abfuisset *in Mediolanen. et Eugubina anno 1625 lib. 12 Decretorum pag. 257.*

196. Nemo autem absens tempore vacationis percipere potest integras distributiones, nisi post indultum a Sacra Congregatione obtentum *in Firmana Distributionum die 14 Martii 1711 die 2 Decembris 1713 et die 3 Martii 1714 lib. 61 63 et 64 Decretorum.*

197. Iamvero obtinuit Alexander Fabritius Beneficiatus Praebendatus Ecclesiae Metropolitanae Firmi praesens tunc in Urbe, durante, ut asseruit in precibus, tempore vacationis a servitio Ecclesiae, sub die 14 iunii 1710 indultum ab Sacra Congregatione, ut ex causa terminandi sua negotia abesse posset a residentia ad duos menses tunc proximos dumtaxat arbitrio et conscientiae Ordinarii, a quo fuit dictum indultum executioni demandatum. Praetendit subinde dictus Fabricius integras distributiones decursas pro tempore absentiae: sed renuit Capitulum, quia is discesserat absque eius licentia contra praescriptum Statutorum Capitularium, quibus statuebatur, quod Praebendati discedentes a Civitate sine Capituli licentia punctaturas, quas per totum annum acquisivit, amittere deberent, et quia in praedicto indulto nulla prorsus habita fuerat mentio de distributionibus. Proposito interim dubio: – II. An Alexandro Fabritio Praebendato debeantur integrae distributiones, vel quae vigore indulti obtenti a Sacra Congregatione die 14 iunii proxime praeteriti, non obstante dicta asserta Constitutione Capitulari in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 martii 1711 respondit: – Pro meliori informatione iuxta instructionem –, quae huiuscemodi fuit, quatenus comprobaretur, an consuetudo, vel statutum in controversia adductum esset in viridi observantia, praesertim vacationum tempore, quae Praebendatis a Sacro Concilio Tridentino permittuntur, a quo tempore emanaverit, anve a Sede Apostolica, vel ab Ordinario approbatum. Rursus vacationum tempus probaretur ac edoceretur, num dictus Fabritius Praebendam haberet a distributionibus quotidianis separatam, quot fructus annuos perciperet, quae onera subiret. His adamussis impletis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 2 decembris 1713 respondit: – Ad secundum, Negative; et Fabritius redeat ad residentiam –. At huic resolutioni non acquiescens Fabritius, noviter audiri desuper obtinuit. Hinc propositis dubiis: – II. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 2 decembris proxime praeteriti quoad secundum dubium in casu etc. III. An Praebendato Alexandro Fabritio debeantur integrae distributiones, vel quae pro tempore seu temporibus, quibus permansit in Urbe post in-

(1) Species et resolutiones Causarum harum habes in Verb. *Canonici*, §. IX, n. 174 et 196, Tom. V.

dultum Sacrae Congregationis diei 14 iunii 1710 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, in decisis iuxta modum. Ad tertium, deberi Fabritio integras distributiones – *in Firmana Distributionum die 3 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

198. Itaque Episcopus curare debet, ut distributiones absentium accrescant interessentibus, nec reponantur in massa communi *in Ariminen. die 21 Iunii 1631 lib. 14 Decretorum.*

199. Idcirco quum turnus per hebdomadam sit faciendus per duas ex tribus partibus, si aliqui ex Canonicis in sua hebdomada non inserviant, ac ideo duae tertiae illorum partes choro non intersint, alii interessentes lucrari debent distributiones; his enim in terminis propositis dubiis: – III. An et quomodo sit faciendus turnus per hebdomadam? *Et quatenus affirmative.* IV. An si aliqui ex Canonicis in sua hebdomada non inserviant, ita ut duae tertiae illorum partes choro non intersint, alii inservientes et interessentes lucrentur distributiones? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative per duas ex tribus partibus; et amplius. Ad quartum, Affirmative; et amplius – *in Asculana die 22 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

200. Nam patet, Capitulares mulctandos esse punctaturis, si debitam divinis officiis operam assiduitatemque non praestiterint, statasve horas non obierint, vel contra disciplinam chori Ecclesiaeque deliquerint, parique ex causa distribuendam inter alios dispertiendamqne absentium mercedem, si navent ipsi divino cultui officiisque divinis operam *in Parmen. Beneficiorum die 24 Novembris 1832* §. *Disputatur.*

Item *in Aquipendien. Vocis in Capitulo et Punctaturarum die 7 Iunii 1834* §. *Patet.*

201. Siquidem ad rectam divinarum rerum procurationem tuendam, atque ad Populorum erga ipsas venerationem conciliandam fovendamque, in primis confert sacrorum Ministrorum assiduitas ac pietas, atque ita cuiusque distributae partes, ut nemo vel suas negligat, vel occupet alienas *in Parmen. Beneficiorum die 27 Novembris 1832* §. *Addit.*

202. Nefas hinc est, Praefecto chori obsistere, iussaque et praecepta eius detrectare, cum ipsius munus sit chori disciplinam continere, ut divina officia recte atque ordine peragantur: iure idcirco praescribi, ut Beneficiarius, qui in id culpae inciderit, portione, quae ea die illi deberetur, mulctetur *in Parmen. Beneficiorum die 24 Novembris 1832* §. *Addit.*

203. Proposito itaque dubio: – VI. An et qua punctatura mulctandi sint Beneficiarii Azzi, si choro aut aliis sibi delatis muneribus desint in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Affirmative pro tertia parte distributionum, iuxta tabellam ab Episcopo conficiendam – *in Parmen. Distributionum die 24 Novembris 1832.*

204. Compertum enim est, distributiones, quae ex communibus massae capitularis reditibus, aut ex tertia parte cuiuslibet Praebendae proveniunt, ita esse constitutas, ut Canonicis in choro Ecclesiaeque inservientibus tradantur, quaeve ordinariae nuncupari solent, regulariter accrescere iis, qui divinis intersunt, si ab aliis, qui a servitio chori absunt, amittantur, uti ex Tridentino cap. 3 sess. 21 de reformatione tradunt Gloss. in Clem. 2 verb. pars dimidia de aetat. et qualit., Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 22 n. 14, Garz. de Benef. part. 3 cap. 2 n. 445, Reiffenst. in ius can. lib. 3 tit. 4 §. 6 n. 182, Schmalgrueb. eodem loco §. 4 a n. 82, Monacell. in form. leg. tom. 1 tit. 2 form. 6 a n. 10 *in Alexanen. Distributionum die 30 iulii 1735* §. *Hoc.*

Item *in Cephaluden. Distributionum die 31 martii 1770* §. *Indubii; in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Non ita.*

205. Siquidem id saepe Sacra Congregatio adamussim declaravit *in Papien. lib. 2 Decretorum. pag. 102.*

Item *in Crotonen. lib. 3 Decretorum pag. 19; in Meliten. lib. 4 Decretorum pag. 263; in Pisauren. lib. 5 Decretorum pag. 25.*

206. Nam distributiones a non inservientibus amissae ideo acquiruntur, ut praesentes praemium habeant laboris, Passerin. in lib. 3 de cler. non resid. n. 4, Moneta de distrib. part. 1 quaest. 6 n. 11 *in Senogallien. Distributionum die 22 iunii 1805* §. *Deinde.*

Item *in Asculana et Ceriniolen. Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Hisce.*

207. Hinc est, quod Sacra Congregatio

eradicandam omnino iusserit abusionem, qua fallentiae non interessentium indiscriminatim inter Capitulares dividebantur in Carpenctoraten. proposita per Summaria precum die 2 iunii 1731 lib. 81 Decretorum pag. 269 *in Asculana et Ceriniolen. Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Hisce.*

208. Quapropter non est permittenda consuetudo dividendi punctaturas absentium aequaliter inter Canonicos, ita ut de eis participent tam interessentes, quam non, immo et ipse punctatus *in Urbinaten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Martii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 452.*

209. Unde distributiones eorum, qui choro non intersunt, reponi nequeunt in massa communi et dividi aequaliter, sed ipsae sunt dividendae ad ratam servitii; proposito enim dubio: - V. An distributiones non intervenientium possint reponi in massa communi et dividi aequaliter, seu potius ad ratam servitii? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius - *in Asculana die 22 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

210. Nam distributiones quotidianae non interessentium, provenientes ex reditibus non solum certis, sed etiam incertis, accrescere debent interessentibus, quin ullatenus Episcopus per Edictum punctaturas absentium applicare valeat pro tertia parte punctatori et pro aliis duabus massae capitulari ad effectum eas erogandi in meliorandis bonis Capituli, et quin etiam permittendum sit, ut dividantur aequaliter in fine cum omnibus etiam punctatis, non obstante antiqua consuetudine in contrarium; his enim in terminis propositis dubiis: - I. An Edictum Episcopi sit observandum? *Et quatenus negative* II. An distributiones provenientes ex reditibus certis, nempe afflictibus terrarum et domorum censibus et canonibus pro rata absentium accrescant praesentibus, vel potius sint applicandae fabricae Ecclesiae aut alicui usui pio arbitrio Episcopi? III. An distributiones quotidianae provenientes ex reditibus incertis, puta exequiis processionibus etc. accrescant, ut supra? *Et quatenus affirmative.* IV. An sit permittendum, ut dividantur aequaliter in fine anni cum omnibus de Capitulo, ita ut admittantur ad illius participationem etiam punctati? V. Quid stante consuetudine in contrarium? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative prout iacet. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam in casu proposito. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum et quintum, Negative etiam non obstante consuetudine - *in Cathacen. Edicti seu Punctaturarum die 18 Iulii 1699 lib. 47 Decretorum.*

211. Qua de re distributiones amissae a Dignitatibus non interessentibus dividi debent inter Dignitates praesentes ad formam Cap. 3 sess. 21 Concilii Tridentini, non vero sunt applicandae fabricae, vel loco pio, cum in earum erectione cautum fuerit, ut distributiones ex tertia redituum parte conflatae inter praesentes et interessentes repartirentur *in Cephaluden. Distributionum die 6 Martii 1749 et die 28 Aprilis 1770.*

212. Iamvero postulante Carolo II Hispaniarum et Siciliae Rege anno 1671, quatuor Dignitates Capituli Cephaludensis, quae priscis temporibus Regulares erant, Seculares factae fuerunt, et alia Beneficia unita fuerunt iisdem Dignitatibus, decretumque fuit, ut detraheretur tertia pars redituum, et in quotidianas distributiones converteretur; nunquam tertia haec ab aliis reditibus separata fuit. Anno 1691, qui tum Ecclesiae Cephaludensi praeerat Episcopus Orlandus, proposito Edicto, tertiae huius partis separationem indixit iussitque, eas distributiones - in casu fallentiae pro suo arbitrio et successorum in posterum erogandas in fabricam Ecclesiae, quatenus egeat, seu minus alteri Pio Loco -. Aegre id tulerunt Dignitates, aditaque sequenti anno 1694 Sacra Congregatione, duo proposita fuerunt dubia, scilicet: - I. An praedictae distributiones quotidianae amissae ob non interessentiam Episcopi arbitrio cedant? vel potius II. An ipsis interessentibus Dignitatibus accrescere debeant? -, et prodiit responsum: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Post hoc tamen responsum, neque ab ipso Episcopo Orlando neque a Successore separata fuit portio aliqua in distributiones quotidianas convertenda, ita ut eousque Dignitates fructus integre et sine ulla diminutione perceperint. Anno 1745, qui in praesens easdem Dignitates obtinebant, postularunt ab EE. PP. vel responsi illius abro-

gationem, vel novam declarationem, ut distributiones accrescerent iis, qui choro intererant. Rogatus fuit Episcopus, ut sententiam animi sui diceret, auditis pridem Dignitatibus: non respondit Episcopus; sed omnes reditus et fructus Dignitatum sequestratione obstrinxit, ut observaretur responsum editum ab Sacra Congregatione anno 1694. Dignitates manu potius militari, quam Episcopali auctoritate id factum dicentes, ad amplissimos Patres confugerunt. Datae fuerunt urgentiores Literae, ut responderet Episcopus, – firmo remanente sequestro, quoad ratas fallentiarum tantum –. At neque exinde respondit Episcopus, neque sequestrationem generalem revocavit: atque ita Dignitates sine ullis stipendiis servitium praestiterunt Ecclesiae. Tandem satius duxerunt postulare facultatem iura proponendi adversus responsum Sacrae Congregationis editum anno 1694.

213. Proposito interim dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 6 martii 1694 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 iunii 1749 respondit: – Dilata ad sequentem –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 5 iulii 1749 respondit: – Dilata, et exibeatur erectio Dignitatum, firmo remanente sequestro, per rata fallentiarum –. Diu siluit subinde quaestio omnis; atque interim Dignitates fructus omnes integre perceperunt. Verum cura et vigilantia moderni Episcopi expergefactae dictae Dignitates iterum, transmissa erectione, postularunt, ut, praevio recessu a decisis sub anno 1694, declararetur, ut, firma manente erogatione tertiae partis redituum cuiuscumque Dignitatis in quotidianas distributiones, harum fallentiae dividerentur proportionabiliter inter Dignitates praesentes et interessentes. Id autem statutum fuisse dixerunt in ipsarum Dignitatum erectione, in qua habebatur: – Ita quod saltem tertia pars omnium fructuum tam Decanatus, quam Archidiaconatus, nec non Cantoratus et Theologalis Praebendae, quia Archidiaconatus et Praebenda Theologalis competenter dotati existunt, in distributiones quotidianas iuxta formam Decretorum Concilii Tridentini omnino converti debeat –. Nec obstare contenderunt caput 3 sess. 22 de reformatione; nam ibi non de quotidianis agitur distributionibus, nec de onere interessentiae chori, sed tantum de aliis oneribus vel ex lege fundationis, vel ex Episcopi Decreto adimplendis. Perperam idcirco anno 1693 Episcopum edixisse, fallentias absentium Dignitatum applicandas fore Fabricae, vel Loco Pio, contra iuris dispositionem in cap. 3 sess. 21 de reformatione, qua praescribitur, illas Dignitatibus accrescere debere.

214. His igitur perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Praevio recessu a decisis sub die 6 martii 1694, distributiones amissas a non interventibus dividi debere inter praesentes – *in Cephaluden Distributionum die 28 Aprilis 1770*

215. Idcirco hoc in casu haud possunt ab Episcopo applicari fabricae Ecclesiae, etiamsi indigeat *in Papien. lib. 2 Decretorum pag. 101.*

Item *in Pisauren. anno 1587 lib. 5 Decretorum pag. 25.*

216. Distributiones enim, constitutae ex tertia parte fructuum Dignitatum et Canonicatuum ad praescriptum Concilii, ab absentibus amissae, accrescere debent interessentibus choro *in Meliten. mense Maii 1587 lib. 4 Decretorum pag. 263.*

217. Intellige tamen de illis interessentibus, ex quorum Praebendis tertia pars fuit detracta et in distributionibus fuit conversa, ita ut qui nihil contulit, nihil etiam possit participare *in Aprutina et Rossanen. lib. 7 Decretorum pag.35 et 39.*

218. Unde Sacra Congregatio declaravit, distributiones constitutas ex tertia parte reddituum Dignitatum ita proportione servata dividendas esse inter ipsas Dignitates, ut quae plus contulerunt, plus etiam ad ratam partem lucrentur inserviendo; amissae vero ob non interessentiam, inservientibus accrescere debent *in Crotonen. anno 1581 lib. 3 Decretorum pag. 18 a tergo.*

219. Alias distributiones amissae a Dignitatibus ob non residentiam, non debent accrescere aliis Dignitatibus interessentibus choro; sed sunt applicandae arbitrio Episcopi *in Cephaluden. Distributionem die 6 Martii 1694 lib. 44 Decretorum.*

220. Nec possunt commisceri ab Episcopo cum aliis distributionibus Canonicorum *in*

Cephaluden. Distributionum die 6 Martii 1694 lib. 44 Decretorum.

221. Nam distributiones, quae amittuntur a Dignitatibus, quae habent fructus distinctos a mensa capitulari, debent vigore cap. 3 sess. 22 de reformatione applicari fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat, ac, nisi indigeat, est in facultate Episcopi illas alteri Pio Loco suo arbitrio applicare *in Caurien. Distributionum die 6 Novembris 1621 lib. 12 Decretorum pag. 81 a tergo* (1).

222. Idcirco totum id, quod tertiae partis fructuum Praepositurae, quae non est de gremio Capituli, detractae et in distributiones quotidianas conversae, Praepositus non inserviendo amiserit, inservientibus non accrescit; sed fabricae Ecclesiae si indigeat, vel alteri Pio Loco arbitrio Episcopi est applicandum *in Cornetana anno 1598 lib. 9 pag. 59.*

223. Unde quidquid dixerint Canonistae ad conciliandum cap. 3 sess. 22 cum praecedenti cap. 3 sess. 21 de reformatione, recepta modo interpretatio ac conciliatio est, Decretum sess. 22, iniungens applicationem amissarum distributionum favore fabricae Ecclesiae, vel alteri Loco Pio, loqui tantum de distributionibus extraordinariis et impropriis, quae de reditibus particularibus Dignitatum Personatuum et Officiorum assignandae sunt pro implemento particularium onerum ac Officiorum eisdem Dignitatibus et Personatibus, vel ex fundatione, vel ab Episcopo iniunctorum, non vero de quotidianis distributionibus ex massa communi Capituli assumendis, et pro rata interessentiae divinis officiis dividendis, de quibus iam edixerat in sess. 21 cap. 3 *in Cephaluden. Distributionum die 31 Martii 1770* §. *Verum.*

224. Similiter Canonici non residentis et distributionibus privati, cum omnes fructus in eisdem distributionibus consistunt, eaedem non accrescunt interessentibus, sed debent applicari fabricae Ecclesiae, si indigeat, sin minus Piis Locis *in Tarentina ad cap. 12 sess. 25 de reformatione Posit. 85.*

225. Idcirco neminem latet, beneficio Ecclesiae cedere, eique ab Episcopo applicandas esse distributiones illas extraordinarias, quae non ex reditibus communibus, sed ex propriis Dignitatum et Personatuum vel Officiorum atque a mensa capitulari distinctis provenientibus detractae fuerunt, ad praescriptum eiusdem Sacri Concilii Tridentini cap. 3 sess. 22 de reformatione *in Alexanen. Distributionum die 30 Iulii 1735* §. *Hoc.*

226. Iamvero Sacra Congregatio id pluries edixit, ac praesertim *in Caurien. Distributionum die 4 Iunii 1701 lib. 51 Decretorum pag. 304.*

227. Unde, circa distributiones a non servientibus amissas, sequenda esse videtur regula a Fagnano tradita in cap. 3 de cler. non resid. n. 17: – Ubi reditus sunt communes inter participantes, ex illis habet locum ius accrescendi seu non decrescendi; ubi autem sunt separati, reditus, qui amittuntur, nemini accrescunt, sed Ecclesiae applicantur – *in Ianuen. die 2 Iunii 1838* §. *Verumtamen.*

Item *in Asculana seu Ceriniolen. Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Ad secundum.*

228. Id enim a Tridentinis Patribus tuendo divino cultui statutum est, ut quotidianae distributiones praesentem divinis officiis operam navantibus dispertiantur: absentium hinc portio additur dividenda inter praesentes, coniunctionis et accrescendi iure, si ex communi censu proventus suos ipsi percipiant; fabricae autem Ecclesiae, aut alteri loco Pio applicatur arbitrio Ordinarii, quando secretos ipsi neque ex Collegii patrimonio proventus obtinent *in Praenestina Distributionum die 25 Maii 1833* §. *Id.*

Item *in Ianuen. Literarum Apostolicarum die 24 Martii 1838* §. *Verumtamen.*

229. Qua de re cum in Ecclesia Collegiata S. Petri Montis Martiani duo tantum existerent Mansionarii, si uterque a choro abessent, eorundem distributiones et fallentias in utilitatem Sacrarii cedere debere contenderunt Canonici, nec non solvendas esse huiusmodi distributiones singulis mensibus in manibus Sacristae, ne per dimissionem negligentis Mansionarii, iis privaretur, qui diligentem assistentiam praestitit choro. Propositis hinc dubiis: – XIII. An et in qua summa statuendae sint distributiones quotidianae

(1) Resolutio haec prostat in Verb. *Applicatio*, n. 206, Tom. II.

Mansionariorum et fallentiae ab iis persolvendae, et cuius commodo cedere debeant, absente utroque Mansionario a choro in casu etc. XIV. An quo tempore et apud quem faciendum sit depositum dictarum fallentiarum pro tuta illarum solutione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum tertium, Affirmative ad formam Decreti Emi Episcopi 1781; et amplius. Ad decimum quartum, Affirmative singulis mensibus in manibus Sacristae; et amplius – *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

230. Hinc Episcopus statuere potest modum et formam lucrandi distributiones easque dividendi inter Canonicos et Mansionarios *in Ariminen. die 21 Iunii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 458.*

231. Exorta itaque quaestione in Ecclesia Cathedrali de massae distributionum participatione inter Canonicos et Capellanos Beneficiatos, propositis dubiis: – IV. An iidem Canonici possint in propriam utilitatem convertere laudemia debita ex alienatione bonorum spectantium ad officium massae quotidianarum distributionum, vel potius illa sint inter Canonicos et Capellanos Beneficiatos pro parte rata partienda? V. An iidem Canonici possint in suam utilitatem convertere laudemia debita ex alienatione bonorum spectantium ad cetera officia, vel potius illa converti debeant in utilitatem uniuscuiusque officii, ad quod bona alienata spectent? VI. An et quomodo servandum sit Decretum Sacrae Congregationis editum die 17 iunii 1673 (1), vel potius servanda concordia inita anno 1674 (2) –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad sextum, servandam esse concordiam quoad contrahentes tantum; et quoad non contrahentes et Beneficiatos successores, servandum esse Decretum Sacrae Congregationis anni 1673 – *in Asten. Administrationis et Participationis die 12 Iulii 1687.*

232. Quum autem Mansionarii et Canonici communem quidem habeant massam, sed ex actu erectionis et consuetudine neque Canonici participent ex fallentiis Mansionariorum, neque Mansionarii ex fallentiis Canonicorum, sive Mansionariatus sit plenus, sive vacuus, distributiones non integrae massae, sed aliis Mansionariis, si alter ex eis servitium non praestet, accrescere debent *in Senogallien. Distributionum die 22 Iunii et die 23 Novembris 1805.*

233. Siquidem anno 1795 erecta est Collegiata Civitatis Montis Bodii tribus constans Dignitatibus, quindecim Canonicis, ac septem Mansionariis. Haec autem in Bulla erectionis dicta est lex, – quod quarta fructuum redituum et proventuum pars massae capitulari annuatim obventura in usum distributionum quotidianarum inter pro tempore existentes Archipresbiterum Archidiaconum ac Canonicos et Mansionarios etc. praesentes ac divinis officiis interessentes dividatur, ita ut quarta pars pro usu praefatarum distributionum quotidianarum semper stare debeat in modum, ut distributionum huiusmodi non interessentium portiones, infirmitatis aut alio cessante impedimento, praesentibus et personaliter interessentibus accrescant, et ipso iure auctae censeatur –. Evenit anno 1800, ut alter ex Mansionariis Sacerdos Petrus Coacci ex provisione Apostolica Canonicatum consequutus sit, et possessionem die 28 septembris eiusdem anni nactus sit. Sed in iudicium vocatus statim fuit a Sacerdote Nicolao Rossetti, qui uti ex fundatione qualificatus praelationem in Canonicatu sibi debitam contendebat. Perdiu stetit iudicium, a quo tamen post fere quadriennium Rossettus recessit. Coaccius, interea dum lis calebat, semper choro interfuit tamquam Canonicus, non tamquam Mansionarius, neque pendente lite Mansionariatum dimisit. Hinc orta est controversia

(1) Siquidem Sacra Congregatio praefata die 17 iunii 1673 confirmavit Decretum Visitatoris Apostolici, qui praecepit, ut Capellani Beneficiati participes fieri debeant quorumcumque redituum et emolumentorum, etiam sub praetextu Regaliarum, quae sub massa distributionum veniunt, *ut in lib. 37 Decretorum pag. 421.*

(2) Concordia sane peracta fuit mediante interpositione Episcopi die 19 februarii 1674, in qua Capellani Beneficiati quosdam *Cappones* Regaliarum iure debitos annuatim Canonicis relaxarunt, *ut in lib. 37 Decretorum pag. 421.*

inter Mansionarios et reliquos Canonicos. Illi enim sibi proprias esse contenderunt distributiones, quas Coaccius lucrari non potuit, vel saltem fallentias, quae ab ipso solvendae erant, quo tempore choro adfuit non tamquam Mansionarius. Contra Canonici communi massae eas distributiones accrescere putarunt. Censuit Emus Episcopus, nullum ius habere Mansionarios, ut has distributiones vindicarent, – quia huiusmodi Mansionariatum tamquam vacatum a die adeptae per Coaccium possessionis Canonicatus considerari reputabam, neque Mansionarii massam haberent, sed Capitulum, nullo modo Mansionariis competere ius percipiendi fallentias a choro a Mansionario non existente opinabar –. Mansionarii vero negarunt, Mansionariatum pro vacuo haberi debere; quia per assecutionem alterius Beneficii incompatibilis vacuum non fit primum, nisi alterum per duos menses pacifice possideatur. Si igitur Coaccius statim post adeptam possessionem ei oblatum fuit vadimonium, profecto pacifica non fuit possessio alterius Beneficii. Praeterea Coaccius nunquam Mansionariatum de facto dimisit, ut ex litis pendentia verisimile esset, animo retinuisse Mansionariatum possessionem, ne illum amitteret, si in lite super Canonicatu offendisset. Deinde Mansionarii demonstrare sategerunt, quod distributiones etiam ex vacanti Beneficio debitae accrescant aliis inservientibus. Ex Bulla autem erectionis Collegiatae constabat, quod massa capitularis communis esset etiam Mansionariis; adeoque sive vacans, sive plenus censeretur Mansionariatus, distributiones non integrae massae, sed aliis Mansionariis, qui praecipue ferebant laborem, si alter ex eis sevitium non praestaret, accrescere debebant.

234. His interim perpensis, proposito dubio: – An quibus et a quo tempore debeantur distributiones quotidianae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 iunii 1805 responsum tulit: – Dilata, et scribatur Emo Archiepiscopo iuxta mentem; mens est, ut referat, utrum Canonici participent ex fallentiis Mansionariorum, et Mansionarii ex fallentiis Canonicorum –. Hisce fuit satis Emus Episcopus; namque retulit: – In erectione Collegiatae Civitatis Montis Bodii sancitum ac deinde in more positum fuit, quod Canonici eiusdem ex fallentiis Mansionariorum nunquam participarent, et vicissim. Siquidem Mansionarii ibi non habent Praebendas seorsim separatas; sed, uti in mea Cathedrali est, massa capitularis extat, ex qua Canonici ac Mansionarii fructus quotannis percipiunt, nec mihi constat, quod Sacerdos Petrus Coacci, usque dum uti Canonicus in choro sedit, emolumenta et distributiones Mansionariorum unquam postulaverit atque receperit –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative favore Mansionariorum a die 25 septembris 1800 – *in Senogallien. die 23 Novembris 1805.*

235. E contra quum massa distributionum, per summos Pontifices divisa inter Canonicos et Mansionarios, diversa penitus sit et separata, ob quemcumque eventum et numeri Canonicorum variationem, Mansionarii praetendere nequeunt ius accrescendi, si illa Canonicorum augeatur *in Patavina Distributionum die 2 Martii 1844.*

236. Iamvero in Ecclesia Cathedrali Patavina a seculo decimo sexto iam aderat Capitulum ex viginti novem Canonicis et Dignitates obtinentibus ac uno Primicerio conflatum. At cum minorum choro inservientium congruus numerus desideraretur, a Summis Pontificibus tres Canonicatus suppressi extiterunt, et eorumdem bona in duodecim partes discreta, duodecim Clericis assignata fuere, quorum sex Mansionarii, reliqui Custodes vocabantur. Inter bona vero Capituli Patavini reperiebatur massa communis Canipae maioris nuncupata, quae distributiones quotidianas iam ante Sacrum Concilium Tridentinum constituebat. Hanc igitur massam Summus Pontifex Gregorius XIII, instante Episcopo et Capitulo Patavino, per Breve editum anno 1575 nonis martii, deductis antea oneribus eidem adnexis, in viginti novem portiones divisit, et ex tribus earum portionibus massam distributionum quotidianarum pro Mansionariis et Custodibus efformavit, reliquas portiones pro massa distributionum quotidianarum Canonicorum et Dignitates obtinentium, excepto Primicerio, assignavit. Canonicis insuper et Dignitates obtinentibus onus Pontifex adiecit augendi ex propriis Praebendis residuum massae Canipae ad ipsos

pertinens usque ad ducatos tres mille, nempe libras 18000, quae summa certa singulis annis pro distributionibus Canonicorum et Dignitates obtinentium esset eroganda. Quod per Gregorium XIII constitutum fuerat, Paulus V per aliud Breve editum anno 1620 kalendis martii confirmavit, et praeterea declaravit, quod portiones non interessentium Canonicorum et Dignitates obtinentium praesentibus Canonicis et Dignitatibus accrescerent. Res ita pacifice processerunt usque ad annum 1806, quo tempore cum nonnulli Canonicatus vacarent et deficientium interim Canonicorum portiones ceteris Canonicis et Dignitatem obtinentibus accrescerent, Mansionarii ac Custodes et ipsi de praefatis vacantibus portionibus percipere posse contenderunt: sed Episcopus in arbitrum electus per definitivam sententiam, quae in rem abiit iudicatam, Mansionariorum et Costodum petitionem reiecit. Vix lata sententia ab Episcopo, denuo Galli Italiam occuparunt et nonnullos Canonicatus Cathedralis Ecclesiae Patavinae ferme omnibus proventibus spoliarunt. His malis ut provideret idem Episcopus, anno 1829 de consensu Germani Imperatoris Francisci I et de Capituli suffragio, ex viginti sex ad viginti Canonicatus reduxit, et suppressorum Canonicatuum reditibus superextantium Canonicatuum proventus auxit. Canonici vero eodem tempore Mansionariorum et Custodum bona ad ampliorem censum perduci curarunt, ex propriis Praebendis annuis libris 2397 Custodibus, et Mansionariis annuis libris 1546 ex Beneficio divo Clementi nuncupato assignatis. Omnia haec Gregorius XVI Apostolica auctoritate firmavit. Anno autem 1840 praedicti Mansionarii et Custodes petierunt, ut sex portiones redituum massae Canipae ad sex suppressos anno 1829 Canonicatus pertinentes, quae iam ceteris Canonicis et Dignitates obtinentibus accreverant, etiam ipsis accrescerent, scilicet dividendo dictos reditus non amplius in viginti novem, sed in viginti tres portiones, ita ut ipsis non tres ex viginti novem, sed tres ex viginti tres portiones contingerent.

237. Etenim animadverterunt, eatenus in viginti novem portiones reditus massae Canipae a Summis Pontificibus divisos fuisse, quatenus a viginti novem Canonicis et Dignitates obtinentibus tempore suppressionis trium Canonicatuum, quorum reditibus ipsi fruebantur, Capitulum Patavinum efformabatur; quod cum in praesens non verificaretur, ex quo sex Canonici evanuerunt, ideo non in viginti novem, sed in viginti tres portiones divisionem ineundam esse contenderunt. Praeterea in medium protulerunt caput 3 sess. 21 de reformatione Concilii Tridentini, ex quo profluere pugnarunt, divisionem redituum massae Canipae in viginti tres tantum portiones ineundam esse, ut servaretur proportio inter divinis interessentes, quae proportio haud remaneret, si Canonici viginti tantum numero, viginti sex portiones pro eorum distributionibus quotidianis consequerentur, ac Mansionarii et Custodes, uti tres Canonicos repraesentantes, reliquis tribus tantum portionibus contenti esse deberent. Contra Defensor Capituli negavit, circa reditus massae Canipae distributiones quotidianas constituentes, adesse ius accrescendi inter Canonicos et Dignitates obtinentes, ac inter Mansionarios et Custodes, quia ut hoc ius locum haberet, aliqua extare debebat inter participantes coniunctio, quam coniunctionem penitus exulare dixit, cum ostenderet, distinctam omnino ac separatam esse massam distributionum Canonicorum et Dignitates obtinentium ab illa Mansionariorum et Custodum. Hanc enim separationem elucescere affirmavit, tam ex verbis, quam ex sensu Literarum Apostolicarum. Adduxit etiam observantiam bis centum et ultra annorum, quae ita supradictas Literas Apostolicas interpretata est, ut distincta semper ac separata existimata sit massa Mansionariorum et Custodum ab illa Canonicorum, utpote cum nunquam portiones deficientium Canonicorum portionibus Mansionariorum ac Custodum accreverint. Tandem memoratam Episcopi sententiam attulit, quae augmentum ex deficientia Canonicorum Mansionariis et Custodibus denegavit, ex quo distincta erat ac separata massa distributionum Canonicorum et Dignitates obtinentium ab illa Mansionariorum et Custodum. Divisio enim perfecta a Pontificibus fuit, adeoque eam, ob quemcumque eventum et variationem numeri Canonicorum, nemo poterat immutare, cum Pontifices tantum Mansionariis et Custodibus tribuere voluerint, quantum tres Ca-

nonici eo tempore habebant, non quantum in posterum habere potuissent. Censuram autem Tridentini in cap. 3 sess. 21 de reformatione extra chorum adduci clamavit, quod in illo capite agitur de distributionibus quotidianis a tertia parte quorumcumque proventuum Dignitatum et Beneficiorum efformatis; sed in themate res erat circa distributiones minime ex hac tertia parte confectas, nec unquam a Mansionariorum ac Custodum proventibus auctas.

238. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit ineunda divisio residui redituum massae Canipae maioris ad effectum assignandi tres portiones Mansionariis ac Custodibus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et firmis remanentibus tribus partibus iam assignatis Mansionariis et Custodibus iuxta Literas Apostolicas s. m. Gregorii XIII et Pauli V, reliquas partes esse dividendas inter Canonicos tantum – *in Patavina Distributionum die 2 Martii 1844.*

239. Unde Sacra Congregatio probat consuetudinem, qua Canonici non percipiunt de fallentiis Mansionariorum, et vicissim, etiamsi communem habeant massam *in Asculana et Ceriniolen. Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Quando.*

240. Qua de re punctaturae Canonicorum novae massae non percipiuntur a Canonicis antiquae erectionis, sed accrescunt solum novis Canonicis *in Eugubina Erectionis Canonicatuum die 26 Februarii 1763* §. *Pertinet.*

241. Nec novi Canonici punctaturas antiquorum percipiunt; id enim ex Sacrae Congregationis praescripto est, ut, quamvis Canonici recens constituti ad reliquos honores ac privilegia admittantur, arceantur tamen a punctaturarum communione, nisi in quotidianarum distributionum cumulum summam conferant, quae tertiam Praebendarum partem exaequet *in Aquipendien. Vocis in Capitulo et Punctaturarum die 7 Ianuarii 1834* §. *Haec.*

242. In casu autem omnium absentiae applicantur Sacristiae *in Eugubina Erectionis Canonicatuum die 26 Februarii 1763* §. *Pertinet.*

243. Quum novus itaque Canonicus in Ecclesia Collegiata S. Mariae novae Terrae Tophiae admissus fuerit cum omnibus honoribus et oneribus antiquorum Canonicorum, participare debet de omnibus distributionibus et emolumentis, cum praesertim ipsum Capitulum assentiatur; his enim in terminis proposito dubio: – III. An eidem debeantur distributiones quotidianae emolumenta funerum Anniversariorum et Missarum cum cantu a Benefactoribus requisitarum et candelae inter Archipresbiterum et Canonicos repartiri solitae? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative; et amplius – *in Nullius seu Farfen. die 21 Novembris 1761.*

244. Idcirco novus Canonicus quum in actu fundationis fuerit admissus cum omnibus iuribus et oneribus instar aliorum Canonicorum, lucrari quidem debet etiam distributiones, quae proveniunt ex piorum legatorum reditibus antiquis Canonicis ante illius admissionem relictorum, sed insimul onera in eadem fundatione imposita implere tenetur *in Sancti Miniatis die 27 Aprilis 1822.*

245. Siquidem anno 1633 Alexander Strozzi Episcopus S. Miniatis in Oppido Castri Franchi Collegiatam septem Canonicorum cum Praeposito erexit: et quum nulla redituum pars instituta fuerit pro distributionibus, tum Canonici, tum Praepositus sese obligarunt, quis octo, quis sexdecim annua scutata ex eorum reditibus deponendi, ut in quotidianas distributiones dividerentur. Statuit ideo Episcopus, ut singulis annis Capitulum eligeret – unum Quaestorem seu Camerarium capitularem, qui exigere debeat (sunt Constitutionum verba) a Praeposito et Canonicis eas pecuniarum summas, ipsisque Praeposito et Canonicis solvere debebit Camerarius –; hinc decernebatur: – Maiores vel minores distributiones Praepositum et Canonicos lucrari debere, prout maiores vel minores summas Capitulo ex eorum reditibus concesserunt.... Verum si futuris perpetuis temporibus reditus et proventus Capituli ex pia fidelium voluntate, vel quovis alio modo augeantur, statuimus, ut pro tempore existentes Praepositus et Canonici de ipsis in distributiones aequale lucrum reportent –. Aucti revera fuere Capituli reditus ex piis fidelium largitionibus, quae tamen Missarum gravarentur, ut colligebatur ex Decreto Episcopi Cattani 1723,

unde parum supererat in distributiones quotidianas erogandum; propterea Praesul ille statuit, – ut tam Praepositus, quam ceteri de Capitulo contribuant aequaliter sex scuta dumtaxat pro quolibet in singulos annos mense augusti –. Decem post annos, nimirum anno 1733, Moniales SS. Iacobi et Philippi nec non familia Franceschini patroni Beneficii simplicis seu Capellaniae S. Ioannis Baptistae petierunt, ut illud in Canonicatum erigeretur. Canonici cunctis suffragiis consensum praestiterunt, pluribus tamen adiectis conditionibus, quas Episcopus Cattani probavit; ac eapropter reservato Monialibus et familiae Franceschini iurepatronatus, decrevit, – ut praesentatus et institutus habeat plenum ius canonicale .... praecedentiam eventualem iuxta ordinem receptionis, absque ullo discrimine ab antiquis Canonicis, ac omnibus iuribus honoribus privilegiis praeeminentiis praerogativis et emolumentis quibuscumque instar aliorum dictae Collegiatae Ecclesiae Canonicorum fruatur..., ac praesertim distributiones tum ordinarias, tum extraordinarias et obventiones quascumque, attenta tamen infra decernenda contributione et non alias, participet et lucretur –. Quoad vero onera novum Canonicum adstrinxit ad residentiam, ad celebrationem Missarum, tum solemnium, tum privatarum pro oneribus Capituli, nec non ad onera omnia, quae alii Canonici ferre debebant. Praeterea – indemnitati aliorum Canonicorum consulere volens, Canonicum pro tempore existentem ad contribuendum singulis annis Mensae capitulari ad effectum lucrandi omnes et quascumque distributiones, ut praefertur, ac pro huiusmodi contributione ad libere solvendum quotannis ad totam diem 15 augusti libras quadraginta monetae (Florentinae) penes Camerarium – obligavit. Nova demum methodus ab Episcopo Poltri anno 1764 circa distributiones inducta fuit. Primo enim singulis Canonicis scutata sex solvendi obligationem confirmavit: dein vero quoad modum solutionis statuit, ut – debeant Canonici et quilibet eorum iuxta divisionem factam (quae ignorabatur) celebrare Missas, quas Capitulum celebrandas suscepit, et fundos pro eleemosyna recepit, qui Canonici ad distributiones chorales lucrandas in fine anni non admittantur, nisi prius ad Sancta Dei Evangelia iuraverint, Missas iuxta numerum sibi ipsis assignatum celebrasse. Permittimus autem, ut dicta scuta sex persolvantur a praedictis Canonicis cum eleemosynis talium Missarum, quae si non sufficiant, suppleant aere proprio. Si vero aliquis ex eis tot punctaturas subierit, quae summam scutorum sex excedant, adhuc tamen celebrasse Missas supradictas iurare debuerit in fine mensis decembris, ne commodum reportet ex propria negligentia, alias iuris et facti remediis ad earum celebrationem compellatur –.

246. Hoc non obstante Decreto, Canonicus Franceschini quoad vixit semper has libras quadraginta penes Capituli Camerarium deposuit. Id ipsum egit usque ad annum 1783 Canonicus Antonius Damiani, in cuius familiam devenerat iuspatronatus; sed postea putans, vigore dicti Decreti Episcopi Poltri ab hac solutione se esse exemptum ad instar aliorum Canonicorum, praedii pro distributione Capitulo assignati dominium seu restitutionem petiit et obtinuit, nihil autem circa obligationem deponendi quadraginta libras statutum esse videbatur. Successit in Canonicatu Franciscus Damiani, qui postulavit praedicti Decreti effectibus gaudere, nempe ut ius in legatis sive ante, sive post sui Canonicatus erectionem Capitulo obventis, nec non distributionum, quae ex massa conficiebatur, pars sibi concederetur, cum onere celebrandi tot Missas, quot suas distributiones aequarent. Quaestio haec, extraiudicialiter ad Vicarium Generalem delata, diu indecisa mansit; ac interea Canonicus Damiani Missarum celebrationem, ad quam tenebatur ex Bulla fundationis, omisit adimplere. Unde numerus Missarum non celebratarum ab anno 1782 ad annum 1820 ascendebat ad ter centum octoginta quatuor. Tandem ipse Canonicus Damiani Sacrae Congregationis iudicium praestolatus est contendens, se nullo iure excludi posse a beneficio, quod Episcopus Poltri Capitulo concessit, quum ex actu erectionis novus Canonicus in illud fuerit admissus cum omnibus iuribus honoribus privilegiis et emolumentis quibuscumque instar aliorum dictae Collegiatae Canonicorum, nec non distributionibus ordinariis et extraordinariis et obventionibus quibuscumque. Quin

imo ipse Missas solemnes et privatas, per consuetum turnum, pro oneribus Capituli celebrare tenebatur; quod quidem respicere videbatur onera, quae ante Canonicatus erectionem iam extabant. Nam de illis, quae in posterum erant Capitulo obventura, nil dubii esse poterat. At Episcopus Poltri decrevit, ut Canonici in distributionum corbonam harum Missarum eleemosynam deponerent pro illis scutatis sex ab altero Episcopo Cattani statutis; igitur hoc beneficium a se quoque sentiendum sustinuit, cui et onus erat privatas Missas celebrandi, nec non omnes percipiendi distributiones. Nec obesse dixit verba illa, – attenta tamen infra decernenda contributione, et non aliter –, quae contributio constituta fuit in quadraginta libellis, quia falso laborabant supposito. E contrario Capitulum contendit, Canonicum Damiani percipere non posse utilitatem illorum legatorum, quae Capitulo relicta fuere, priusquam eius Canonicatus erigeretur. Nam Capitulum novi Canonicatus erectioni consensit, quin ad huiusmodi utilitatem novum Canonicum admisisset, cum nec in resolutione Capitulari, nec in fundationis Bulla verbum fieret de annuis libellis 320 veluti fundo seu massa distributionum, sed tantum ibi legeretur, quod – indemnitati aliorum Canonicorum consulere volens Episcopus – Cattani novum Canonicum ad deponendas quadraginta annuas libras pro memorata corbona obligaverit. Addidit, Episcopi Poltri Decreta primae erectionis Canonicis tantum facultatem fuisse impertita, permutandi scilicet cum reditibus legatorum piorum seu cum eleemosyna Missarum, quas celebrasse probavissent, ea scutata sex, quae solvere ex Constitutionibus tenebatur. Idque probare intendit Capitulum ex eo, quia ad has Constitutiones se referret Episcopus Poltri, et quia compensatio iis concessa videbatur, qui in vim earumdem Constitutionum scutata illa sex persolvebant. Non poterat hinc privilegium hoc ad Canonici Damiani utilitatem extendi, qui tempore Episcopi Cattani inter Capitulares non erat adscriptus, nec libellas quadraginta persolvere debebat: hae insuper libellae, facto calculo, minoris erant valoris sex scutatis, quae persolvenda erant ab aliis Canonicis. Demum accedebat observantia decem et septem annorum tam Canonici Franceschini, quam Canonici Antonii Damiani, qui tantum anno 1783 a solutione cessavit.

247. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo et a quo tempore Canonico Damiani distributiones debeantur ex piorum legatorum reditibus in casu etc. II. An et quomodo Decreto Episcopi Poltri gaudere possit Canonicus Damiani in casu etc. III. An et cui sit onus Missas inadimpletas et futuras celebrandi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative pari modo, ut ceteri Canonici a die captae possessionis, solutis tamen annuis libellis quadraginta ad formam Bullae erectionis. Ad secundum, Affirmative solutis annuis scutis sex, vel applicatis Missis. Ad tertium, Affirmative Canonico Damiani – *in Sancti Miniatis die 27 Aprilis 1822.*

248. Canonicus autem, cui pro participatione distributionum assignatus est fundus a Testatore, non tenetur de proprio ad manutentionem dicti fundi eiusque reditus, ut de dictis distributionibus aliisque Canonicalibus emolumentis possit participare, reservato tamen iure Capitulo agendi contra heredes pro supplemento *in Alexandrina Distributionum die 25 Septembris 1694 et die 27 Augusti 1695 lib. 44 et 45 Decretorum.*

249. Quum itaque hereditas Rodulphi Valtieri Prioris Collegiatae S. Iacobi Civitatis Tolentini applicata fuerit a Summo Pontifice Seminario eiusdem Civitatis cum onere solvendi quotannis reditus quatuor Canonicatuum ad formam testamenti eiusdem Fundatoris, qui mandavit, Canonicos tot fructus percipere debere, quot alii reddebant Canonicatus, quos Fidius et Sonnius in eadem Ecclesia Collegiata S. Iacobi possidebant, imposito tamen onere celebrandi tres Missas qualibet hebdomada, quumque praefati Canonici Fidius et Sonnius, dum praedictus Rodulphus obiit, perciperent etiam nonnulla emolumenta, ipsis obvenientia ex Missarum legatis eisdem privative relictis, ac etiam ex aliis legatis Capitulo delatis, a quorum perceptione novos Canonicos Capitulum excluserat, nec non iidem Fidius et Sonnius a quolibet Missarum onere exempti essent, adeoque novi Canonici institerunt, ut Seminarium adigeretur ad sibi praestandos annuos fru-

ctus dictis emolumentis respondentes, nec non tradendam trium dictarum Missarum eleemosynam, propositis dubiis: – I. An et quomodo et in qua summa debeantur fructus? II. An debeatur eleemosyna pro onere trium Missarum pro qualibet hebdomada celebrandarum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 maii 1785 respondit: – Ad primum,A ffirmative iuxta modum; nempe deberi annua scutata quatuordecim ultra rubra quatuor frumenti et scutata sex, solutis a Seminario utensilibus Missarum cathedratico et collectis. Ad secundum, Negative –. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius – *in Tudertina die 1 Aprilis 1786.*

250. Licet vero Sacerdos Antonius Carboni Canonicatum laicalis patronatus anno 1822 in Metropolitana Ecclesia Calaritana instituisset cum lege, ut primus Canonicus exemptus esset a punctaturis et omnibus gauderet privilegiis ac iuribus, quibus ceteri Canonici fruebantur, adeoque massam distributionum sorte scutatorum Sardicentium sex mille dotaverit, ipse tamen, qui sui Canonicatus possessionem primus obtinuit, frustra contendit, sibi etiam absenti deberi nedum omnes ceterorum Capitularium distributiones, sed ea etiam emolumenta, quae ex Testatorum aut Benefactorum voluntate solis Canonicis actu praesentibus erant dispertienda, ex eo quod, dum praefatam communem massam munifice dotaverat et ab omnibus punctationibus seu a choralibus cuiuscumque speciei officiis exemptus erat fundationis lege, nullum distributionis et emolumenti genus fuisse a Capitulo exceptum putabat, quod sibi absenti denegari posset; proposito enim dubio: – V. An Canonico Carboni, licet choro non intersit, debeantur extraordinaria emolumenta, quae ex Testatorum aut Benefactorum voluntate Canonicis actu tantummodo praesentibus distribuenda sunt in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quintum, Negative – *in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831* (1).

251. Iamvero Concilium Tridentinum in Cap. 3 sess. 21 statuit, divisionem distributionum inter divinis interessentes, servata proportione, esse faciendam: hinc verbum istud accipiendum non *arithmetice,* sed *geometrice,* scilicet iuxta collatarum portionum proportionem, docet verior Canonistarum sententia, iustitiae distributivae innixa, de qua Gallemart ad sess. 21 cap. 3 n. 8 verb. *proportionabiliter,* et Pignatell. consult. can. 134 tom. 9 n. 35, ubi etiam refert resolutionem Sacrae Congregationis in quadam Patavina, sine die, qua statuitur, quod – unusquisque percipere debet tantum de distributionibus quotidianis, quantum de sua Praebenda detractum fuit –. Sed prae omnibus rem acu tangere videtur Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 21 n. 25: – Quid autem est, quod Concilium Tridentinum loco citato voluit, debere istam tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum ab Episcopis dividi proportionabiliter in ipsa prima fructuum deductione? Circumfertur ea de re declaratio quaedam, quae ab Emis Concilii Tridentini interpretibus dicitur emanasse, « plus dandum esse ex quotidianis istis distributionibus ei, cui plus est ablatum ex Dignitate vel Praebenda pinguiore, adeo ut nihil dandum sit illi, cui nihil fuit ablatum –. Et alias iterum his verbis: « Qui plus conferunt, etiam pro rata eius, quod conferunt, lucrentur ». Quod per se satis bonam exhibet rationem, ex ipsa naturali aequitate et iure societatis promanantem, ut scilicet ii, qui plus conferunt, ex proventibus suorum Beneficiorum ad massam contributionum, plus quoque percipiant in distributione collatorum. Itaque si in Ecclesia fuerit Dignitas, quae in annuis proventibus habeat mille aureos, fuerit item Canonicus, qui habeat quingentos, fuerit denique alius Canonicus, qui solummodo habeat ducentos, prout contingere potest, ubi Praebendae sunt distinctae, ac separatos habent proventus, et unicuique istorum detrahatur tertia pars, quae convertatur in distributiones quotidianas, aequum et iustum est, ut prima fructuum talium distributio fiat *proportionabiliter,* hoc est, ut is, cui plus detractum ex grosso sui Beneficii, aliquid am-

(1) Reliqua habes iu Verb. *Canonici,* §. IV, Tom. IV.

plius accipiat ex distributionibus quotidianis, secundum modum et proportionem eius, quod amplius ipsi fuit detractum – *in Ariminen. Distributionum aliorumque onerum die 18 Decembris 1847* §. *Quod* §. *Sed.*

252. Qua de re choro inservientes lucrantur de distributionibus totum id, quod de tertia parte suae Praebendae detractum est, et in distributionibus fuit conversum *in Nullius anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 27 et 28.*

253. Unde si nihil contulerunt in massam distributionum, nihil pariter lucrantur *in Aprutina anno 1592 lib. 7 Decretorum pag. 35.*

254. Siquidem Sacra Congregatio usque ab initio, quo dubia resolvere incepit, declaravit, Canonicum inserviendo tantum lucrari, quantum suae Praebendae fuisse detractum, ita ut, cui plus detractum, plus etiam lucrari debeat *in Melevitana lib. 1 Decretorum pag. 75.*

255. Idcirco particularis massa distributionum non est inter omnes dividenda, habita proportione ad interessentiam, sed potius ad quantitatem in eamdem massam collatam, cum dubium non sit, conciliarem repartitionem ita esse intelligendam, ut quilibet Capitularis tantum accipiat, quantum de sua contulit Praebenda, ut pluries declaravit Sacra Congregatio, et praesertim in Patavina lib. 2 Decretorum pag. 70, in Melevitana lib. 2 Decretorum pag. 76, et in Cortonen. lib. 3 Decretorum pag. 18, Gallemart ad sess. 21 cap. 3 de reformatione *in Imolen. Distributionum die 6 Maii 1772* §. *Dubium.*

Item *in Firmana Distributionum die 15 Maii 1790* §. *Praeposito; in Firmana Distributionum die 4 Iunii 1836* §. *Quod.*

256. Sicut enim si [quis contribuit, eum participare de distributionibus debere aequitas et iustitia postulat; ita e contrario iniquum fore videtur, ut qui de suo nil ceteris Canonicis contulit, de eorum tamen proventibus perfruatur, Card. De [Luca de Canon. disc. 6 n. 13, Pignatell. consult. 134 n. 25 tom. 9 *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Quoad quartum.*

257. Tunc sane cessat ius accrescendi *in Spoletana Punctaturarum die 8 Maii 1762* §. *Cum itaque.*

Item *in Ferrarien. Thesaurariae die 4 Februarii 1843* §. *Quartum.*

258. Ad inducendam tamen interpretativam consuetudinem praestandi maiores distributiones, uni quam alteri, satis est decennium, Abbas in Cap. fin. de consuetudine, Moneta de distrib. quotid. part. 2 quaest. 4 a n. 4 *in Firmana Distributionum die 15 Maii 1790* §. *Accedit.*

259. Qua de re quum ex conventione inter Capitulum et Canonicum inita hic percipere debeat duas portiones Canonicales ex reditibus et massa Canonicali, Canonicales hae portiones nedum ordinarias, sed etiam extraordinarias, nimirum a quibusdam legatis funeribus aliisque sacris functionibus adventitiis provenientes, distributiones comprehendunt, cum praesertim observantia interpretativa et praescriptiva concurrat; his enim in terminis proposito dubio: – II. An constet de iure Canonici Iosephi Musolino eiusque in eodem Canonicatu Successorum percipiendi duplicem quotam Canonicalem in extraordinariis distributionibus in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Mileten. Emolumentorum die 28 Augusti 1858* (1).

260. Hinc Franciscus Marres, Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Arborensis, quum obtinuisset a S. Apostolica, ob Coadiuti dementiam, Coadiutoriam Archipresbiteratus dictae Ecclesiae, sub expressione in Literis Apostolicis apposita, eam retinendi cum Canonicatu, iure ac merito existimavit, se nedum duplex in actibus capitularibus suffragium ferre, sed et duplicatas distributiones percipere posse; his enim in terminis, proposito dubio: – An Canonico et Coadiutori Archipresbiteri debeantur duplicatae voces et distributiones quotidianae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad utrumque ad formam Literarum Apostolicarum – *in Arboren. die 24 Aprilis 1700 lib. 50 Decretorum.*

261. Idcirco duplices distributiones debentur habentibus duplicem titulum, licet utrique unico servitio satisfaciant, quando quilibet titulus separatus suas exigit distributiones *in Gerunden. Distributionum die 18 Martii 1690 lib. 40 Decretorum.*

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Appellatio*, §. III, n. 32, ad 36, Tom. II.

262. Unde legitime obtinens Dignitatem cum Canonicatu in eadem Ecclesia, distributiones duplices lucratur, munia Dignitatis obeundo *in Bononien. anno 1592 lib. 7 Decretorum pag. 35.*

Item *in Agrigentina anno 1596 lib. 8 Decretorum pag. 161.*

263. At Canonicus obtinens ex legitima dispensatione duos Canonicatus in diversis Ecclesiis, amittit distributiones quotidianas eius, cui non inservit *in Novarien. lib. 2 Decretorum pag. 233.*

264. Habens autem Capellaniam in Cathèdrali, lucratur etiam distributiones ratione Capellaniae *in Pisana die 1 Aprilis 1651 lib. 16 Decretorum pag. 117.*

265. Valida hinc est et observanda nec est sublata a Concilio in cap. 14 sess. 24 de reformatione consuetudo, secundum quam Canonici in ordine Subdiaconatus tertiam, in ordine Diaconatus dimidiam, et in ordine Presbiteratus integram portionem accipiunt *in Marsicana mense Aprilis 1591 lib. 7 Decretorum pag. 7.*

266. Observanda est etiam consuetudo, quod obtinentes Dignitatem cum Canonicatu lucrentur tantum unam ratam distributionum quotidianarum, non autem duas *in Messanen. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 31.*

267. Qua de re quum in Cathedrali Ecclesia Anagnina quaedam fieret distributio in Festis Natalitiis et orta esset controversia, utrum fieri deberet inter eos, qui anno capitulari immediate praecedenti inservierunt, an inter eos, qui currenti anno capitulari servitium praestiterunt, Sacra Congregatio, ex eo quod proportionabilis ratio servitii supputari soleat in fine anni capitularis, cum praesertim antiqua concurreret consuetudo, declaravit, praefatam distributionem faciendam esse pro rata servitii praestiti in anno capitulari antecedenti *in Anagnina Distributionum die 8 Iunii 1720.*

268. Enimvero in Cathedrali Anagnina fiebat quaedam inter Canonicos distributio scutorum 208 in Festis Natalitiis: sed nonnulli Canonici supplicarunt Sacrae Congregationi, ut demandare dignaretur Praeposito Anagnino, quod distributionem faceret natalitiam inter eos, qui in anno capitulari currenti servitium praestiterunt. Nam Bonifacius VIII, qui Praeposituram erexit, inter alia privilegia liberam etiam potestatem dicto Praeposito concessit dividendi distributiones et obventiones inter Canonicos, sublata in hoc facultate tam Episcopo, quam Vicario. At alii Canonici contenderunt, quod dicta distributio natalitia fieri deberet non inter eos, qui servitium praestiterunt currenti anno capitulari, sed inter eos, qui anno capitulari immediate praecedenti inservierunt. Praepositus fuit in sensu, quod huiusmodi distributio fieret inter eos, qui currenti anno capitulari servitium praestiterunt, tum quia per hanc viam procedendo evitabatur confusio, quae dicebatur inevitabilis in hypothesi, in qua distributio fieri deberet inter eos, qui anno capitulari antecedenti servitium praestiterunt, tum quia modus hic faciendi distributiones erat uniformis nedum Constitutionibus Ecclesiae, sed etiam iuri communi in Cap. unico de clericis non residentibus in 6, et Sacro Concilio Tridentino sess. 24 cap. 12 de reformatione, attenta quippe horum iurium dispositione distributiones sunt stipendium quotidiani servitii et quotidianae interessentiae omnibus et singulis tam nocturnis, quam diurnis partibus officii divini, et si possibile esset, earum divisio fieri deberet singulis diebus, uti notant Doctores in Cap. *Consuetudinem* de clericis non residentibus in 6. Nec Praepositus putavit esse in casu praesenti deferendum consuetudini, tum quia methodus distribuendi taxam fixam scutorum 208 in Festis Natalitiis suum habuit initium anno 1683, tum quia consuetudo nec laudabilis, nec praescripta dici poterat, et signanter quia obstabant Ecclesiae Constitutiones editae, vel renovatae anno 1701. E contra Episcopus fuit in sensu, quod divisio scutorum 208 fieret ad mensuram servitii proxime praeteriti anno capitulari praestiti, tum quia proportionabilis ratio servitii supputari solet in fine anni capitulari, tum quia sic ex traditione Seniorum a multo tempore factum erat, et tandem quia divisio, de qua tunc agebatur, non adversabatur naturae distributionum quotidianarum, de earum siquidem essentia est, quod dividantur habito respectu ad quotidianum servitium, sive divisio deinde fiat una, sive altera parte anni.

269. His utrinque perpensis, propositis

dubiis: – I. An distributio natalitia nuncupata annuorum scutorum 208 sit facienda pro rata servitii praestiti in anno capitulari antecedenti in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit facienda? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, satis provisum in primo; et amplius – *in Anagnina Distributionum die 8 Iunii 1720.*

270. Itaque quum in Capitulo Collegiatae Ecclesiae Terlitii omissa fuisset consuetudo distributiones quotidianas solvendi quolibet quadrimestri, ob idque Decanus Canonici ac plures Portionarii capitulares reclamaverint contra Primicerium, aliosque Canonicos administratores, proposito dubio: – I. An Primicerius et Canonici deputati Ecclesiae Collegiatae Terlitii, ad formam Statuti dictae Ecclesiae per Visitatorem Apostolicum de anno 1727 confirmati, teneantur solvere distributiones quotidianas maturatas et non solutas a die 1 septembris 1743 et in futurum decurrendas in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 aprilis 1745 responsum tulit: – Ad primum, Affirmative –; et reproposito mox dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Iuvenacen. Distributionum quotidianarum die 29 Maii 1745.*

271. Nam consuetudo et observantia maximi habenda est in distributionum materia, quippe quae in dubio iuris una ea sat est ad distributionum perceptionem, Barbos. de Canon. et Dignit. Cap. 23 n. 18 *in Cotronen. Residuorum die 3 Martii 1855* §. *Iamvero.*

272. Idcirco intortitia, quae obveniunt occasione funerum Canonicorum, quorum cadavera in proprio eorum sepulchro in Ecclesia Collegiata S. Iacobi Tolentini tumulantur, haud spectant ad ipsos Canonicos una cum Priore dictae Ecclesiae, qui est Parochus, sed servari debet solitum; proposito enim dubio: – VI. An intortitia, quae obveniunt occasione funerum Canonicorum tumulandorum in proprio eorum sepulchro spectent ad Canonicos una simul cum Priore in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, Negative; et servetur solitum – *in Tolentina Missae parochialis et professionis fidei die 26 Maii 1739.*

273. Unde Sacra Congregatio respondit, servandum esse solitum circa divisionem emolumentorum inter Canonicos aliosque participantes; proposito enim dubio: – IV. An super emolumentis funerum dividi solitis inter Capitulum et alios participantes debeatur Vicario Curato alia portio ultra congruam, et in qua quantitate? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, servetur solitum – *in Isernien. Vicariae die 11 Ianuarii 1698 lib. 48 Decretorum.*

274. Quum autem distributiones, quae aequaliter dantur residentibus et choro interessentibus in pecunia numerata, censeantur verae distributiones, iuxta Cap. unicum de clericis non residentibus, et Concilium Tridentinum in cap. 12 sess. 24 de reformatione vers. *Distributiones;* idcirco has lucrari non debent absentes, praeterquam in casibus expressis in dicto Cap. unico de clericis non residentibus *in Tirasonen. anno 1588 lib. 5 Decretorum pag. 84.*

275. Hinc non possunt integre percipi ab iis, qui saltem novem mensibus continuatis aut interpolatis Ecclesiae non inservierunt, consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante *in Baren. anno 1585 lib. 4 Decretorum pag. 19.*

276. Idcirco nec percipere nec facere suas potest, imo receptas restituere tenetur Canonicus, qui dicto tempore non inservierit, etiamsi Capitulum eas illi condonaverit, vel remiserit *in Neapolitana anno 1592 lib. 7 Decretorum pag. 75.*

277. Certum enim in iure est, distributiones quotidianas solum praesentibus seu divinis officiis interessentibus tribui debere, non obstante quocumque statuto aut consuetudine, et qui aliter illas receperint, exceptis casibus iure concessis, teneri ad ipsarum restitutionem: haec est communis Canonistarum ac Theologorum sententia, quod etiam aperte decrevit Bonifacius VIII in Cap. unico de clericis non residentibus in 6, et confirmavit Tridentina Synodus in sess. 24 cap. 12, ubi S. Synodus in usum revocat praedictam Constitutionem Bonifacii VIII – non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus – *in Anagnina Distributionum die 29 Februarii 1744* §. *Decreto.*

Item *in Rossanen. Iuris percipiendi die*

13 Februarii 1745 §. *Ambigi; in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792* §. *Flagitatum; in Derthonen. Constitutionum capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Dubium quartum; in Ipporegien. Servitii chori die 30 Ianuarii 1830* §. *Si Emi; in Turritana Distributionum die 14 decembris 1839* §. *Certum; in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Hisce; in Signina Distributionum die 29 Iulii 1854* §. *Quibus.*

278. Amplia, hoc etiam procedit, licet consuetudo contraria sit immemorabilis, ut inquit Fagnanus in Cap. *Licet* de Praebendis n. 77 et 79, asserens, Sacram Congregationem saepius respondisse, quod citato Decreto Concilii Tridentini etiam immemorialis consuetudo sublata fuerit, quam Tridentinum reprobat, ut – iniquam et irrationabilem –: immo etiamsi speciali cuiuspiam Ecclesiae statuto confirmata sit; huiusmodi enim statuta expresse revocata sunt per Concilium Tridentinum *in Rossanen. Iuris participandi die 13 Februarii 1745* §. *Ambigi.*

Item *in Turritana Distributionum die 14 Decembris 1839* §. *Hoc.*

279. Lex enim Tridentini tanti est roboris, ut nedum nulla invehi possit eidem contraria consuetudo etiam immemorabilis, sed nec iurata Capituli Constitutio, ut docet Fagnanus in Cap. *Licet* de Praebendis n. 92, licet auctoritate Episcopi roborata, cum non valeat Episcopus quidquam statuere, quod iuri communi adversetur *in Callien. Iurium Parochialium die 20 Decembris 1828* §. *Ex his.*

Item *in Derthonen. Constitutionum capitularium die 12 Septembris 1829* §. *Dubium.*

280. Nimis quippe a rectae disciplinae ratione abhorreret, eos, qui praesentes non adfuerint divinisque rebus operati non sint, illa potiri mercede, quae tantum impensae operae laborique debetur *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834* §. *Explorati.*

281. Idemque obtinet, quamvis universi Praebendarum reditus distributionibus tantum conflentur *in Anagnina Distributionum die 29 Februarii 1744* §. *Decreto.*

Item *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Hisce.*

282. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Statuta Ecclesiae Cathedralis, quae circa chori interessentiam ac distributiones quotidianas haud sint conformia Sacro Concilio Tridentino, non sunt observanda *in Cavallicen. Residentiae et Distributionum die 24 Martii 1703 lib. 53 Decretorum.*

283. Nam Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 12 de reformatione ait: – Distributiones vero, qui statis horis interfuerit, recipiat; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, iuxta Bonifacii VIII Decretum, quod incipit *Consuetudinem,* quod S. Synodus in usum revocat – *in Segobricen. Indulti die 19 Ianuarii 1765* §. *Concilium.*

Item *in Maceraten. die 20 Decembris 1766* §. *Concilium et die 23 Aprilis 1768* §. *Concilium; in Mileten. Emolumentorum die 28 Augusti 1858* §. *In.*

284. Unde clausula, qua consuetudines abrogantur, nedum tempus Concilio antecedens, sed subsequens etiam afficit, ad tradita per Rotam in decis. 31 coram Peutingero, decis. 577 n. 9 coram Cerro, et in Salamantina 9 maii 1754 §. 9 coram Frangipane *in Mileten. Emolumentorum die 28 Augusti 1858* §. *In.*

285. Qua de re Sacra Congregatio pluries declaravit, sublatam penitus esse sive Episcopo, sive Capitulo quamlibet facultatem distributiones remittendi ac condonandi absentibus *in Isernien. anno 1619 lib. 12 Decretorum pag. 10.*

Item *in Terracinen. die 13 Ianuarii 1624 lib. 12 Decretorum pag. 149; in Dubium die 14 Decembris 1624 lib. 12 Decretorum pag. 225.*

286. Alioquin enim ansa praeberetur Canonicis sese eximendi a chori servitio sub spe condonationis earum distributionum, quas ob ignaviam amittere deberent, quod quidem in diminutionem divini cultus vergere animadvertit Pignatellius in consult. 15 tom. 6 *in Signina Distributionum die 29 Iulii 1854* §. *Patet.*

287. Idcirco nedum Episcopo vel Capitulo distributiones condonandi facultas haud inest: sed imo si Canonici huiusmodi distributiones sibi invicem remitterent, Episcopus deberet eas in poenam fraudis fabricae Ecclesiae, aut

alteri pio loco applicare, haud refragante, vel quod Canonici divinis interessentes, postquam absentium portionem perceperunt, illas, quibus placuerit, dare valeant, Reiffenst. tom. 3 tit. 4 de cleric. non resid. §. 6 n. 181, vel quod diu exactae non fuerint, quum et post annos triginta adhuc exigi posse demonstrat Moneta de distrib. part. 3 quaest. 3 n. 16 et 17 *in Signina Distributionum die 29 Iulii 1854* §. *Patet.*

288. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Canonicos choro interessentes non posse condonare tertiam partem distributionum, quam amittit Canonicus Vicarius Episcopi, cum ratione officii impeditus divinis officiis interesse non valet, etiam postquam ipsis est applicata *in Bituntina Distributionum die 1 Iulii 1679 lib. 30 Decretorum pag. 337.*

289. Ceterum Sacra Congregatio declaravit etiam, Concilium Tridentinum haud tollere privilegia; sed statuta et consuetudines contrarias residentiae praescripto in cap. 12 sess. 24 de reformatione, et ideo habenti privilegium non obstare Concilium, quin in absentia percipiat distributiones quotidianas scilicet et eleemosynas ex anniversariis provenientes *in Aegitanien. et Pistorien. ad Cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

290. Requiritur enim, ut privilegium seu statutum sit per Sedem Apostolicam confirmatum, alias nullius est roboris *in Anagnina Servitii chori et Distributionum die 20 Novembris 1819* §. *Antequam.*

291. Nec aliter dicendum, si ex lege fundationis cautum fuerit, ut absentes in aliquo casu percipiant distributiones quotidianas *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834* §. *Cum.*

292. Siquidem Canonici absentes a choro et residentia nedum fructus, sed etiam distributiones et quaelibet emolumenta lucrari possunt, si ex lege fundationis Canonicatus cautum sit, ut absentes in aliquo casu percipiant de distributionibus quotidianis; Tridentinum enim Concilium ses. 24 cap. 12 fundationibus non derogavit, Fagnan. in Cap. *Licet* de Praebendis n. 131, Schmalzgrueber ius. eccles. tom. 3 part. 1 tit. 4 n. 100, Moneta de distrib. part. 2 quaest. 13 n. 33 *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834* §. *Cum.*

Item *in Cornetana Distributionum die 6 Februarii 1847* §. *Quae.*

293. Quum expedit enim quammaxime, ut fideles ita alliciantur ad benefaciendum Ecclesiae et proprias substantias erogandum in operibus piis, consequens est, ut dispositio communis iuris eo in casu cesset, ob inductam ex dispositione hominis exceptionem *in Cornetana Distributionum die 6 Februarii 1847* §. *Quae.*

294. Concilium Tridentinum autem in cap. 12 sess. 24 de reformatione vers. *Praeterea* et vers. *Distributiones*, non comprehendit Canonicos Regulares, neque habet locum in Collegiatis et Cathedralibus Regularibus *in Caesaraugustana ad cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

295. His vero exceptis, ut ii, qui ad chori servitium tenentur, percipere possint fructus suae Praebendae, continuo residere debent, ex Tridentino sess. 24 cap. 12 de reformatione: at ad lucrandas quotidianas distributiones et residere et choro interesse debent, ex altero eiusdem Synodus Decreto sess. 21 cap. 3 de reformatione *in Senen. Indulti die 3 Augusti 1816* §. *Ex.*

296. Idcirco eamdem etiam obligationem habet Episcopus simul et Canonicus residendi et inserviendi; unde si per se ipsum choro non interest, distributiones quotidianas non lucratur, quacumque consuetudine immemorabili non obstante *in Elnen. mense Martii 1614 lib. 11 Decretorum pag. 142.*

Item *in Laiacen. die 23 Maii 1615 lib. 11 Decretorum pag. 154.*

297. Amplia, distributiones pariter non debentur Episcopo simul et Praeposito Commendatario Ecclesiae Nullius Diaecesis, si non residet et choro interest in dicta Ecclesia *in Nullius Atinae die 17 Iunii 1702 lib. 52 Decretorum.*

298. Iamvero – suppressa Cathedra Episcopali in Ecclesia Collegiata Atinensi, ob sequutam diminutionem redituum eiusdem Ecclesiae, ipsius regimen concessum fuit Praeposito mitrato, qui ultra Praebendam Praeposituralem participabat quoque de distributionibus quotidianis, compositis ex certis reditibus praediorum anniversariorum et signanter cuiusdam molendini, qui reditus quolibet quadrimestri dividi solent inter Canoni-

cos inservientes, deficientium vero portiones accrescunt interessentibus, iuxta antiquam consuetudinem. Defuncto autem postremo eiusdem Ecclesiae Praeposito, concessa fuit dicta Praepositura in commendam moderno Episcopo Aquinatensi, cui ob non residentiam in Civitate Atinensi denegatae fuerunt dictae distributiones a Canonicis praedictae Collegiatae, qui subinde preces porrexerunt huic Sacrae Congregationi pro declaratione, ut dicto Episcopo Praeposito Atinensi debitae non sint praefatae distributiones, super quibus precibus idem Episcopus auditus, ait, adeo tenues effectus esse reditus Praeposituraе, ut nec pro ipsius Vicarii Generalis ibidem residentis congrua sustentatione sufficiant, et insuper inquit, ipsum esse in quasi possessione perceptionis fructuum dictorum praediorum ac molendini. Contendentibus autem e contra Canonicis, dictum Episcopum nullum ius seu quasi possessionem habere exigendi praefatos fructus seu distributiones, ex iuribus hinc inde deducendis, EE. VV. sequens dubium resolvendum proponitur: – An Episcopo Aquinatensi Praeposito Commendatario Ecclesiae Atinensis, in eadem Ecclesia nec in divinis interessenti nec residenti, debeantur distributiones quotidianae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Nullius Atinae Distributionum die 17 Iunii 1702 lib. 52 Decretorum.*

299. Idcirco quum Sacra Congregatio declaraverit, Godefridum Stapff Canonicum Collegiatae Ecclesiae S. Margaritae Waldkirchii teneri ad personalem residentiam, quin valeret alium substituere, proposito dubio: – II. An tempore absentiae participare valeat de omnibus distributionibus tam ordinariis, quam extraordinariis, prout participant ceteri Canonici interessentes, seu quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 maii 1747 respondit: – Ad secundum, Negative extra casus a iure permissos –. Reproposito mox dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Constantien. die 15 Iulii 1747.*

300. Qua de re quisque Capitularis praesens esse debet in respectiva Ecclesia seu choro: unde quum Cathedra ab antiquo Templo ad aliud fuerit legitime translata cum omnibus iuribus et honoribus, Canonici choro primaevi Templi interessentes nequeunt lucrari distributiones novae Ecclesiae Cathedralis, licet adsit vetusta consuetudo, cum haec sit absolute improbanda, attenta tamen bona fide, indulgetur condonatio quoad praeteritum, erogata aliqua eleemosyna ab Ordinario taxanda favore Sacrarii *in Turritana Distributionum die 1 Februarii 1840.*

301. Enimvero cum peste bellisque vastata fere esset anno 1441 antiqua Civitas Turritana, Eugenius IV permisit, ut Episcopi illius Civitatis Cathedram a Templo SS. Proti et Ianuarii nuncupato ad Parochialem Ecclesiam S. Nicolai Sassaris transferrent, cui etiam omnia iura et privilegia et praeeminentiae veteris illius Cathedralis concessa sunt ea tamen lege, ut Archiepiscopus et Capitulum Turritanum, ubi Cathedralem hanc obtinuissent Ecclesiam, ne vetus illa ad profanos usus converteretur, per idoneum Sacerdotem eidem inservirent. Pontificiae autem Constitutioni obsequutum est Capitulum Turritanum Sassaris degens: hinc per duos Pro-Parochos ab Ordinario approbatos in ea Ecclesia iura exercebat parochialia, et per Canonicum quotannis ad id officii constitutum illius Basilicae bona admistrabat. Successu temporis Sassaritani Fideles, qui Torres vernali tempore ad otiandum se recipiebant, plures Capellanias ad Patronorum nutum amovibiles seu pia legata in ea Ecclesia constituerunt, quibus qui fruerentur, Missas celebrarent in Fundatorum suffragium, mane et vespere divina officia persolverent per novem anni menses, reliquo temporis intervallo Sassaris in Cathedralis Ecclesiae choro inservire tenebantur. Praefati autem Beneficiati seu Capellani non Missam conventualem in Turritana Ecclesia, non choralem distributionem, non chori magistrum, non cantum Gregorianum habebant; et a die 25 iulii ad diem 25 octobris interesse tenebantur choro Sassaritano iuxta mentem Patronorum, quin distributionibus, massa Capitulari, iure pedagii et anniversarii, atque alio privilegio gauderent. In more positum etiam erat, quod Canonici aliquando se a choro avocarent, ut se Torres reciperent, tum devoti animi sensu, tum re-

laxandi gratia, et per ea tempora cum supradictis Capellanis in Ecclesia dictorum sanctorum Martyrum divina officia persolvebant. Per id autem temporis, quo choro cum Beneficiatis interessebant, ita distributiones percipiebant Ecclesiae Sassaritanae ac praesentes in choro. Hinc et Angelus Manca Simon Archipresbiter Sassaritanus, ceterorum exemplum sequutus, quotannis per triginta septem ferme annos vernali tempore id peregit: sed mense iulii 1837 dubitans, num bene se gesserit, ad Sacram Congregationem confugit, petens facultatem percipiendi in posterum absque scrupulo distributiones quotidianas, dum choro in ea Ecclesia cum Beneficiatis inserviebat, attenta consuetudine et gravi aetate sexaginta trium annorum. Vicarius Capitularis retulit, ab anno 1596 Episcopos Synodos proviciales atque Capitulum aliquando id moderate permisisse, aliquando huiusmodi consuetudinem veluti corruptelam damnasse. Et revera Concilium Tridentinum etiam immemorabilem consuetudinem percipiendi distributiones, exceptis casibus iure concessis, quin Canonicus praesens choro adsit, e medio sustulit. Idcirco ad restitutionem teneri videbatur Archiepresbiter Sassaritanus: attenta tamen vetusta consuetudine et bona eiusdem fide, locus esse poterat condonationi quoad praeteritum.

302. His mature perpensis, propositis dubiis: - I. An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris quoad perceptionem distributionum in casu? II. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo quoad praeteritum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative; et esse improbandam assertam consuetudinem, ac Archiepiscopus curet omnino observari praescriptum SS. Tridentini Concilii sess. 24 cap. 12 de reformatione. Ad secundum, Affirmative, erogata aliqua eleemosyna ab Ordinario taxanda favore Sacrarii - *in Turritana Distributionum die 1 Februarii 1840.*

303. Quin imo qui obtinuit Canonicatum in una Ecclesia, et obtento Archidiaconatu in alia, ea adiecta conditione, quod habita pacifica possessione illius, Canonicatum intra sex menses dimittat, inserviens Archidiaconatui, quin adhuc dimiserit Canonicatum, ex eo quod Archidiaconatus sit litigiosus, debet amittere omnes reditus Canonicatus a die possessionis Archidiaconatus *in Dubium Distributionum die 25 Februarii 1679 lib. 30 Decretorum pag. 282.*

304. Hinc pro rata temporis absentiae licet Capitulo detrahere distributiones etiam Coadiutori et Coadiuto absentibus a choro *in Aretina die 22 Martii 1659 lib. 21 Decretorum pag. 584.*

305. Nam punctaturis subiacet Coadiutus exemptus a servitio chori vigore iubilationis, vel alterius indulti, absente a dicto servitio chori Coadiutore, easque potest de iure Capitulum exigere *in Dubium Coadiutoris die 12 Martii 1642 lib. 27 Decretorum pag. 337 a tergo.*

Item *in Dubia Punctaturarum die 31 Iulii 1644 lib. 44 Decretorum.*

106. Idcirco quum Canonici, suspensi ab administratione suorum Canonicatuum, non possint choro interesse, consequens est, ut amittere debeant distributiones quotidianas *in Mediolanen. anno 1582 lib. 2 Decretorum pag. 173 a tergo.*

307. Quin imo praeter personalem praesentiam quisque Capitularis canere tenetur; nam docet quidem Sanchez cons. moral. lib. 2 dub. 99 n. 2, eos, qui choro superveniunt, privatim officium recitant, solamque exhibent praesentiam, donandos esse distributionibus quotidianis ,quia in Concilio Tridentino cap. 3 sess. 21 et sess. 24 cap. 12 de reformatione nulla fit mentio de cantu, sed tantum dicitur: – Distributiones vero, qui statis horis intersunt, recipiant –; sed adversus hanc sententiam pugnat Benedictus XIV in Instit. 107 n. 16, argumentum sumens ab eodem Tridentino Concilio, aliosque innuens Doctores, qui tenent, Cononicos non lucrari quotidianas distributiones, nisi elata voce psallant in choro *in Placentina Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Circa.*

308. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Canonicum haud lucrari distributiones, dum choro intersit, sed non psallit *in Aesina die 7 Aprilis 1618 lib. 11 Decretorum pag. 212.*

309. Quinimo - Sacra Congregatio respondit, Canonicos alta voce in choro non psallentes, distributiones quotidianas non lucrari, quamvis consuetudine non obstante – *in Vi-*

centina die 7 Iunii 1636 lib. 15 Decretorum pag. 365.

Item *in Brixien. die 19 Iunii 1636 lib. 16 Decretorum pag. 38; in Smoleken. die 7 Iunii 1646 lib. 18 Decretorum pag. 143.*

310. Hinc et confabulantes in choro aequiparantur absentibus, uti eruitur ex Persico de horis canon. cap. 4 dub. 3; – quia revera dici non potest formaliter praesens alicui rei, qui ad aliud attendit – *in Placentina Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Requirebant.*

311. Idcirco propositis dubiis: – IV. An et quomodo confabulantes in choro tempore divinorum officiorum amittant quotidianas distributiones in casu? V. An confabulationes, ob quas amittuntur distributiones, constitui possint a pluribus parvis collocutionibus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Affirmative, si plures fiant in eadem hora – *in Placentina Distributionum die 27 Martii 1847.*

312. Insuper distributiones debentur tantum iis, qui statis horis choro intersunt *in Maceraten. die 20 Decembris 1766* §. *Concilium.*

Item *in Callien. et Pergulana die 20 Decembris 1834* §. *Inspiciendum.*

213. Qua de re Capitulum Cathedralis Ecclesiae Derthonensis, dum novas Capitulares Constitutiones edere curaret, exposuit, methodum in ea lucrandi omnes distributiones, ubi Canonici puncta 4000 quoquo anno expleverint, invaluisse videri inde ab anno 1356 et ab Episcopo Peiretti anno 1788 potius instauratam, quam inductam, ideoque omnino servandam, praesertim quia quadragenaria postea accessit observantia, et in novissimis Constitutionibus nihil adversi decretum fuerit, hinc ut petitioni calculum adderet, similia protulit finitimarum Diaecesum exempla; proposito vero dubio: V. An ad integras lucrandas distributiones sufficiat choro interesse usque ad quatuor mille notas, vel potius quotidianarum distributionum partitio sit facienda pro ratione punctorum in casu etc –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Derthonen. Constitutionum Capitularium die 12 Septembris 1829.*

314. Unde haud est toleranda, sed prorsus tollenda consuetudo percipiendi distributiones quotidianas integri mensis a residente quotidie per unam horam in uno ex novem mensibus residentiae *in Palentina Fructuum mense Februarii 1585 lib. 4 Decretorum pag. 28.*

315. Consuetudinem tamen immunem et exemptum facientem a choro horis canonicis et Missis Conventualibus Canonicum, qui in hebdomada dicit Missam in aurora, et nihilominus, uti praesentem distributiones quotidianas percipientem, esse validam et permittendam respondit Sacra Congregatio, etiamsi per alium celebret, dummodo substitutus sit etiam Canonicus *in Signina Distributionum die 19 Iunii 1660 lib. 22 Decretorum pag. 172.*

316. Qua de re Canonici possunt quidem lucrari omnes distributiones consistentes in frumentis cum assistentia Missae maiori, vel Vesperis tantum, et in pecunia cum assistentia tam Missae maiori, quam Vesperis officii cuiuslibet diei, iuxta consuetudinem immemorabilem; sed haud possunt participare de distributionibus amissis a Beneficiatis, qui pariter officio diurno non interfuerunt, nec iidem habuerunt facultatem disponendi, quod hi, qui non interfuerunt Missae maiori et Vesperis simul, si tamen interfuerint vel Vesperis vel dictae Missae eiusdem diei, lucrari valeant duas tertias partes earumdem distributionum in pecunia consistentium, nec etiam statuere potuerunt, quod illi, qui officiis divinis in festis duplicibus interfuerint, recuperare valeant distributiones amissas aliorum officiorum diurnorum, quibus antecedenter non interfuerunt, quin tamen restituere teneantur Capitulo et Ecclesiae distributiones sibi applicatas in dictis casibus *in Avenionen. Distributionum die 25 Septembris 1700. lib. 50 Decretorum.*

317. Enimvero – in Bulla Ioannis XXII erectionis Ecclesiae Collegiatae S. Agricolae de anno 1321 sequutae ita expressum reperitur, sunt praecisa verba: «Hortamur itaque Avenionensem Episcopum, qui erit pro tempore, ac Decanum et Capitulum memoratos, eisque districte iniungimus et mandamus, quatenus per ordinationes suas salubres et utiles studeant efficaciter providere, quod tam Canonici, quam singuli Servitores alii supradicti, prout cuilibet officium respicit, celebrationibus Missarum maiorum et privatarum et

aliis divinis nocturnis et diurnis officiis devote et solemniter, adiuvante Domino, peragendis studiose intendant ». Huius Collegiatae Canonicatus nullos prorsus habent fructus, praeter duplicem distributionem, alteram nempe consistentem in sex panibus, qui commodioris solutionis gratia in fine anni solvuntur in frumentis ad salmatas quinque, singulis annis non ascendentibus, et alteram in pecunia, videlicet in quinque solidis pro diebus ordinariis, et septem in solemnioribus, unoquoque mense persolvendis. Ex consuetudine immemorabili per plura secula nunquam immutata, dictam distributionem in sex panibus consistentem percipiunt Canonici interessendo dumtaxat Missae maiori, vel Vesperis; distributionem vero consistentem in pecunia integre lucrantur interessendo Missae maiori insimul et Vesperis cuiuslibet diei, videlicet quinque solidos, ut dictum est, diebus ordinariis et septem diebus solemnioribus, ratione interessentiae horis matutinis, pro quibus tamen nullae sunt assignatae distributiones, nec punctaturae aliis diebus; si vero Canonici intersunt vel Missae maiori vel Vesperis tantum, ex inveterata quadam Capituli eiusdem Ecclesiae determinatione, duas solummodo tertias partes dictae distributionis pecuniariae percipiunt, et tandem ipsi Canonici, qui horis seu officiis festi duplicis maioris sunt praesentes, omnes distributiones amissas in aliis officiis, quibus non interfuerunt, recuperant, idque pariter observatur, quoad Beneficiatos eiusdem Ecclesiae. Cum autem dictis Beneficiatis visum fuerit valde absonum ac praeter legem fundationis, Canonicos horis matutinis aliisque officiis non interessentes lucrari debere omnes distributiones quotidianas, ita ut ex hac ratione chori servitium negligatur, cum nulla existente formidine poenae non sint, qui veniant ad solemnitatem; hinc Nicolaus Coquillhat alter ex supradictis Beneficiatis supplicem porrexit libellum huic Sacrae Congregationi pro resolutione nonnullorum dubiorum, quo remisso Archiepiscopo, ut auditis etc. referret, et ob illius absentiam datis literis pro informatione et voto eius Vicario Generali, is praenarratam facti seriem confirmando suumque votum aperiendo putat, punctaturas singulis horis assignandas esse, eisque servata proportione dividendam distributionem quotidianam consistentem in pecunia et distribui solitam Missae maiori insimul et Vesperis solummodo interessentibus; alteram vero distributionem, in sex panibus consistentem, intactam relinquendam pro uno ex maioribus officiis diei, cum illi non sint divisibiles in septem horas canonicas et Missam maiorem, et si ita essent divisi difficillime invenirentur Sacerdotes, qui Canonicatus susciperent, et demum inhibendum esse Canonicis et Capitulo eiusdem Ecclesiae, ne amplius sibi invicem aut Beneficiatis condonent absentias, sub poena restitutionis perceptarum distributionum, aut alia benevisa huic Sacrae Congregationi –.

318. Propositis itaque dubiis: – I. An Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Agricolae lucrari possint omnes diurnas distributiones consistentes in frumentis cum assistentia Missae maiori vel Vesperis tantum, et in pecunia cum assistentia tam Missae maiori, quam Vesperis officii cuiuslibet diei? II. An Canonici, qui non interfuerunt officio diurno, possint participare de distributionibus amissis a Beneficiatis, qui pariter dicto officio non interfuerunt? III. An praedicti Canonici habuerint facultatem dispensandi, quod hi, qui non interfuerunt Missae maiori et Vesperis simul, si tamen interfuerunt vel Vesperis, vel dictae Missae eiusdem diei, lucrari valeant duas tertias partes earumdem distributionum in pecunia consistentium? IV. An iidem Canonici statuere valuerint, quod illi, qui officiis divinis in festis duplicibus interfuerint, recuperare possint distributiones amissas aliorum officiorum diurnorum, quibus antecedenter non interfuerunt? V. An praefati Canonici teneantur restituere Capitulo et Ecclesiae distributiones, iniuste sibi applicatas in casibus praemissis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. In reliquis, Negative – *in Avenionen. Distributionum die 25 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum.*

319. Hinc accedentes ad chorum tempore, quo recitatur tertius Psalmus alicuius horae canonicae, amittunt distributiones quotidianas illius horae, quin ullatenus obstet consuetudo in contrarium *in Seguntina die 12 Decembris 1654 lib. 19 Decretorum pag. 439.*

320. Idcirco qui intersunt horae tertiae, haud lucrantur distributiones quotidianas ho-

rae sextae, si ei pariter non intersint, non obstante consuetudine in contrarium *in Seguntina die 12 Decembris 1654 lib. 19 Decretorum pag. 439.*

321. Qua de re permittenda non est consuetudo, qua Praebendati interessentes horae tertiae lucrentur distributiones quotidianas horae sextae, et interessentes horae sextae lucrentur distributiones quotidianas horae tertiae, etiamsi praefatis horis non intersint *in Seguntina die 12 Decembris 1654 lib. 19 Decretorum pag. 439.*

322. Scitum hinc etiam est, Canonicos et Beneficiatos non percipere quotidianas distributiones, nisi choro processionibus aliisque huiusmodi actibus proprio habitu ipsis convenienti utantur, ceu firmant Ferrar. in Biblioth. can. verb. *Canonicus* art. 94, Barbos. de Canonicis cap. 18 n. 87, ac resolvit S. Rituum Congregatio in Meliten. 7 augusti 1621, et in Spoletana 9 iulii 1690 *in Novarien. Capellaniarum et Distributionum die 19 Iulii 1828* §. *Restat.*

323. Quapropter bini Mansionarii Collegiatae Ecclesiae S. Petri Montis Martiani distributiones lucrari nequeunt, si non deferant in choro et processionibus Almutiam, cum haud pro interessentibus, sed pro absentibus habeantur; proposito enim dubio: – XVI. An Mansionarii, non deferentes in choro et processionibus Almutiam, haberi debeant pro interessentibus, seu potius pro absentibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad decimum sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Senogallien. die 13 Iunii 1789.*

324. Unde nec distributiones lucratur Canonicus assistens choro in habitu Protonotarii Apostolici, etiamsi sit prima Dignitas et loco praecedat omnes Canonicos *in Lucana die 3 Februarii 1685 lib. 35 Decretorum pag. 43 a tergo.*

325. Haec itaque locum sibi vindicant vel in ipsis Capellanis aut Beneficiatis Caeremoniariis, quando officium suum non exercent et in choro interesse tenentur, ut resolvit S. Rituum Congregatio in Patavina 28 novembris 1609 apud Barbosam in summ. Apost. constit. verb. Magister caeremoniarum n. 7 *in Novarien. Capellaniarum et Distributionum die 13 Iulii 1828* §. *Sed.*

326. Dum vero munere Caeremoniarii funguntur, superpelliceo dumtaxat induti, sacris functionibus adstare debent; ita enim legitur in caerem. Episcop. lib. 1. cap. 5 de officio Magistrorum caeremoniarum: – Eorum habitus sit honestus et clericalis, ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum divina officia celebrantur, cottam mundam induent –, et concinit S. Rituum Congregatio in Senarum 3 martii 1667, in qua proposito dubio: – An Magistri caeremoniarum debeant assistere functionibus cum cotta, vel potius cum habitu, quem deferunt alii Capellani in choro? –, responsum prodiit: – Ad formam Caeremonialis – *in Novarien. Capellaniarum et Distributionum die 19 Iulii 1828* §. *Sed.*

327. Hisce sanctionibus cohaesit Emus Episcopus Novariensis quoad Capellanos Ecclesiae Cathedralis, inquiens: – Etsi Capellani Cathedralis in choro palliolum gerant, ad illud tamen deferendum tempore divinorum officiorum caeremoniarum Magistrum Capituli, sive iubilatione ille, ut in praesens occurrit donatus sit, sive non, teneri dicerem, quoties alicui functioni mane aut vesperis adesse Altari vel Sacrario debet; si vero nulla functio maxime tempore vesperarum dierum ferialium ad Altare, choro praesente, peragatur, tunc palliolo indutum, ut a ceteris Capellanis fit, eum interesse vellem. Sicuti enim ad uniformitatem servandam convenit, ut iisdem insigniis utatur, quae adhibent Capellani chorales omnes, ita nullo modo deceret, ut illud haberet ornamentum, dum Altari inservit, vel hinc et illinc, prout munus suum exposcit, per Ecclesiam excurrit. Igitur cum sacrae alicui functioni, cui chorus assistit, adesse Capellanus caeremoniarius debet, tunc licet sit sola cotta indutus, fructus residentiae atque extraordinarias distributiones ei permittendas sentirem –. Proposito hinc dubio: – VI. An Capellanus caeremoniarius gaudeat distributionibus, dum Altari inservit superpelliceo tantum indutus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad sextum, Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Novarien. Capellaniarum et Distributionum die 16 Augusti 1828.*

328. Parochus vero, cuius Praebendae in eadem Ecclesia est adnexus Canonicatus, di-

scedens a choro pro utilitate Populi sibi commissi, percipit distributiones quotidianas *in Ariminen. Servitii chori die 18 Augusti 1827* §. *At*.

329. Nam tunc servitium Parochiae succedit loco servitii choralis *in Augustana Distributionum die 14 Decembris 1844* §. *Ad haec*.

330. Hinc distributiones quotidianae percipit Canonicus, dum exercet curam animarum adnexam suae Praebendae *in Venusina die 4 Decembris 1762* §. *In Tribus*.

Item *in Faventina Coadiutoriae die 22 Ianuarii 1763* §. *Id etiam; in Cuneen. Pontificalium die 12 Decembris 1829* §. *Aliter*.

331. Siquidem Sacra Congregatio saepe saepius definiit, eum, qui curam animarum alicui Ecclesiae vel Dignitati aut Canonicatui imminentem exercet, tempore, quo munia exequitur parochialia, etiamsi divinis officiis non intersit, distributiones lucrari quotidianas, ea potissimum ex ratione, ne illarum intuitu, si absens privaretur, oves sibi creditas contemneret, ceu patet ex multis resolutionibus, quas refert Benedictus XIV in sua Inst. 107 *in Burgi S. Donnini Congruae paraecialis die 24 Ianuarii 1846* §. *Insuper*.

332. Unde lucro distributionum donatur, ut commodius ad animarum curam ipse suae Ecclesiae in subditorum salutem incumbat, Moneta de distrib. quotid. part.2 quaest. 5 n.25 et 28, et Scarfant. lucubr. can. lib. 2 tit. 10 n. 8 *in Augustana Distributionum die 14 Decembris 1844* §. *Nec*.

333. Quapropter disserentes Doctores, utrum distributiones in congruam imputandae sint Vigore Constitutionis S. Pii V *Ad exequendam*, quae eam taxandam esse iubet, – computatis omnibus etiam incertis et aliis obventionibus communiter percipi solitis, – hanc adhibent distinctionem: nimirum, aut participatio distributionum oritur ratione choralis servitii absque alio onere celebrationis Missarum privatarum pro Anniversariis ac aliis piis legatis, et tunc imputandae sunt, quia servitium Parochiae succedit loco servitii in choro, ita ut praesentia ficta sufficiat ad eas lucrandas; aut vero participatio distributionum oritur etiam ex adiuncto onere Missarum privatarum, et tunc computandae non sunt, quia in istis requiritur praesentia vera et actuale servitium, nec suffragatur fictum adimplementum, sicut sat est pro interessentia in choro, Card. De Luca de Paroch. disc. 10 n. 7 et 8, Piton. discept. eccles. 46 n. 9, Rota in Recent. decis. 392 a n. 10 part. 13, ac eadem Sacra Congregatio distributiones quotidianas in congruam imputari resolvit in una Acernen. 14 Novembris 1690 et in Isernien. 20 aprilis 1697 *in Burgi S. Donnini Congruae paraecialis die 24 Ianuarii 1846* §. *Insuper*.

334. Idcirco ubi omnes proventus induant naturam distributionum quotidianarum ac eas non percipiat Dignitas, cui inest cura animarum, dum huiusmodi munere fungitur, merito singulis Canonicatibus et Beneficiis et Dignitati constituitur annuus fructus certus et a distributionibus aliisque emolumentis discretus, quas illa lucratur, dum curam animarum exercet, ac tempore eiusdem vacationis Oeconomo stipendium persolvendum est e reditibus certis eiusdem Dignitatis, et si quid defecerit, suppleri debet ex massa capitulari *in Burgi S. Donnini Congruae paraecialis die 14 Februarii 1846*.

335. Enimvero Ecclesia, quae Martyri Laurentio sacra in Castro, cui nomen *Monticelli d' Ongina*, olim Cremonensis, inde Burgi S. Donnini Diaecesis, ope et munificentia Caroli Pallavicini Episcopi Laudensis ac eiusdem Castri Comes extructa atque dotata erat, ad Collegialem honorem fuit evecta a fel. rec. Paulo II editis Apostolicis Literis die 6 februarii anni 1470. Harum vigore una Dignitas Praepositura nuncupata, quatuor Canonicatus et duo Beneficia inibi instituta fuerunt, eidem Episcopo ac eius in Castri temporali dominio Successoribus reservato iurepatronatus; unicuique autem peculiaris Praebenda assignata fuit, nec non communis distributionum massa constituta. Insuper nonnullis Paraeciis extinctis, eamdem Ecclesiam Pontifex Parochialem quoque declaravit voluitque, ut earum bona huic perpetuo unirentur, ac animarum cura Praepositurae immineret, per Praepositum ipsum exercenda. Subinde cum capitulares Constitutiones conditae fuissent, pro diligentiori Ecclesiae servitio, statutum fuit, ut, Praebendarum distinctione sublata, ex reditibus una conficeretur massa commu-

nis distributionum, ea tamen lege, ut Praepositus duplicatam perciperet portionem, et distributiones huiusmodi etiam Infirmi lucrarentur, ac is etiam, quem contigerit – esse absentem pro factis Capituli, vel saltem domini Praepositi, vel Notatoris –; idque probavit Sixtus IV datis Apostolicis Literis anno 1481. Tandem die 23 ianuarii anni 1780 Pius VI, Episcopi ac Ferdinandi Hispaniarum Regis Infantis, ad quem patronatus tunc pertinebat, annuens votis, Praepositurae ac Canonicatuum pingues reditus dismembravit, aliosque quatuor Canonicatus ac duo Beneficia erexit, ut ita decentiori chorali servitium consultum foret: et quamquam Pontifex ille sartam tectam voluerit antiquam proventuum partitionem, Antistiti tamen praecepit, ut pro Praepositura Canonicatibus ac Beneficiis annuum fructum certum et a distributionibus aliisque emolumentis discretum constitueret, quod reapse Episcopali Decreto executioni commissum fuit, adsignatis Praepositurae ac cuilibet Canonicatui scutatis viginti ac decem Beneficiatis; at constabat, huiusmodi separatam solutionem a Capitulo nunquam ad praxim deductam esse. Qua de causa cum nonnisi ratione praestiti choralis servitii distributiones Praepositus lucrari posset, illud sequebatur, ipsum, ubi e choro abesse contigeret, etiam parochialia munera explendi causa, omni prorsus emolumento destitutum iri, nec non et aliud sequebatur, nulla media suppetere, quibus stipendium persolvi valeret Oeconomo, animarum cura exercenti, dum Praepositura suo Rectore viduaretur. Idcirco modernus Episcopus bonorum divisionem explevit quidem, sed non ad formam Literarum Apostolicarum Pii VI et subsequuti Decreti exequutorialis Episcopi tunc temporis; hinc praedictae divisionis approbationem postulavit.

336. Proposito vero dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi Oratoris in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et ad mentem: mens est, ut Episcopus curet exequutionem Literarum Apostolicarum s. m. Pii VI diei 23 ianuarii anni 1780 ac subsequuti Decreti exequutorialis Episcopi quoad assignationem certae Praebendae singulis Capitularibus, nec non servari resolutiones Sacrae Congregationis quoad distributiones lucrandas a Praeposito, dum vacat a chori servitio pro exercitio curae animarum, et tandem in casu vacationis Praeposituraе stipendium persolvi e reditibus certis eiusdem Praeposituraе, et si quid defecerit, suppleri ex massa Capitulari – *in Burgi S. Donnini Congruae paraecialis die 14 Februarii 1846.*

337. Hinc distributiones quotidianae debentur Parocho simul et Canonico pro iis horis, quibus interest, sine praeiudicio servitii suae Parochiae *in Turritana mense martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 1.*

338. Amplia, distributiones debentur Archipresbytero, cui imminet cura animarum, occupato in administratione Sacramentorum etiam de tempore Iubilaei, dum ob hanc causam choro interesse non potest *in Comen. mense Februarii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 111.*

Item *in Lauden. anno 1623 lib. 12 Decretorum pag. 122.*

339. Quin imo Archipresbiter iure gaudet lucrandi distributiones, licet ex fundatione curam gerit animarum in alia Ecclesia *in Montis Regalis Distributionum die 6 Decembris 1722* (1).

340. Nam cautum habetur in Sacro Concilio Tridentino sess. 22 cap. 3, quod si alicui Dignitati in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia immineat cura animarum extra Civitatem in Diaecesi, is, qui talem obtinet Dignitatem, pro tempore, quo in Ecclesia curata residet, perinde habeatur, ac si divinis intersit in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, pro perceptione omnium fructuum ac etiam distributionum, in quas tertia pars fructuum divisa fuerit, nisi obstet statutum vel consuetudo aliquid amittendi *in Aquilana die 2 Iunii 1731* §. *Quantum.*

Item *in Montis Regalis Distributionum die 22 Novembris 1732* §. *Sancitum.*

341. S. Pius V vero in Constitutione 65 sancivit, eum, qui ex dispensatione Apostolica retineat Ecclesiam Parochialem cum Canonicatu vel Dignitate in alia Ecclesia, fructus omnes Canonicatus posse percipere, dum

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Archipresbiter*, §. III, n. 16 ad 25, Tom. II, ubi alia prostant exempla.

resident apud Parochialem, non tamen distributiones quotidianas et alia, quae percipi non solent ab absentibus ex iusta causa, et consonant plura Sacrae Congregationis Decreta, quae referuntur etiam apud Garz. de Benef. part. 3 cap. 2 a n. 185, Pignatell. consult. 114 n. 39, et consult. 115 n. 35 tom. 9 *in Aquilana die 2 Iunii 1731* §. *Quantum.*

342. Quae tamen Constitutio sic conciliatur cum Tridentino Decreto, ut istud locum sibi vindicet, ubi cura animarum sit inhaerens Dignitati, vel ei perpetuo annexa sit Ecclesia parochialis : Constitutio autem Piana spectat casum, quo obtinens Dignitatem in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, ultro suscipiat etiam regimen Ecclesiae parochialis alioquin non annexae, et utramque ex Apostolico Indulto retineat, quemadmodum explicant Garz. de Benef. part. 3 cap. 2 n. 337, Barbos. ad Concil. Trid. cap. 3 sess. 22, Gallemart ibidem n. 8, Gonzalez ad Reg. 8 cancell. gloss. 6 n. 269, Fagnan. in cap. *Quia in tantum* a n. 25 de Praebendis, Reiffenst. in ius can. lib. 3 tit. 4 de cleric. non resid. §. 4 n. 99 *in Montis Regalis Distributionum die 22 Novembris 1732* §. *Sancitum.*

343. Idcirco quum Canonico haud liceat exercere curam animarum extra Ecclesiam Cathedralem, quando ea ad Capitulum non spectat, is eam exercens lucrari non potest distributiones quotidianas ; propositis enim dubiis: – VI. An liceat Canonico curam parochialem exercere extra Ecclesiam Cathedralem, quae neque actualiter, neque habitualiter ad Capitulum spectet? *Et quatenus affirmative* VII. An talis Canonicus curam praefatam exercendo frui possit massa capitulari ac distributionibus quotidianis, sicut praesentes et interessentes, non obstante, quod choro non interveniat? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Negative; et amplius. Ad septimum, provisum in sexto – *in Venusina die 30 Iulii 1763.*

344. Quum autem tres ex Canonicis Cathedralis Ecclesiae Valvensis ex abusu residerent in Castro Hylaris, ibique veluti Parochi actuales animarum curam Capitulo forsan adnexam exercerent, Sacra Congregatio mandavit quidem, eos esse revocandos ad residentiam in Cathedrali, sed proposito dubio: – II. An dicti Canonici, residendo in dicta Cathedrali, participare debeant de distributionibus quotidianis legatis piis Anniversariis aliisque emolumentis certis et incertis, prout alii Canonici? –, Sacra Congregatio die 25 ianuarii 1738 respondit: – Ad secundum, Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis, et amplius – *in Valven. Residentiae die 20 Decembris 1738.*

345. Unde distributiones debentur tantum Canonicis deputatis et necessariis ad curam animarum exercendam toti Capitulo incumbentem, quando ob dictae curae exercitium choro interesse non possunt *in Cremonen. mense Decembris 1617 lib. 11 Decretorum pag. 206.*

Item *in Miranden. et Ianuen. die 30 Maii 1620 lib. 12 Decretorum pag. 43 et 45.*

346. Idcirco distributiones quotidianae computandae sunt in congruam Archidiaconi, cui commissa seu unita est cura animarum, alias penes totum Capitulum existens, prout cetera emolumenta solis praesentibus debita *in Vicariae die 14 Novembris 1693 et die 13 Februarii 1694 lib. 43 et 44 Decretorum.*

347. Hinc etiam qui coadiuvant Parochum Cathedralis in cura animarum de mandato Episcopi lucrantur distributiones quotidianas, quum ratione dicti servitii choro interesse non possint, licet contradicente Capitulo *in Mediolanen. ad cap. 3 sess. 22 de reformatione Posit. 41.*

348. Canonicus vero, licet mandante Ordinario tamquam pro-oeconomus curam exerceat animarum, quae Capitulo haud inhaeret, solvere tenetur punctaturas, dum ea de causa a chori servitio et Ecclesia absit *in Nullius Farfen. Punctaturarum die 15 Maii 1802.*

349. Iamvero ita a ruralibus Plebanis cura animarum gerebatur in Villa Collis Todini, et in Villa Canneti, ut super eas iura matricitatis exerceret parochialis Ecclesia S. Antonini Oppidi Pharae, in qua erecta erat Collegiata. Antequam vero rurales illae Paraeciae constituerentur, ex Constitutionibus Ecclesiae cavebatur, ut in Oppido et Territorio Pharense deberet – curam animarum penes Archipresbiterum quoad omnes privative

residere, nullumque ex Canonicis Sacramenta administrare posse, absque licentia ipsius Archipresbiteri –. Hinc qui rura habitabant, ad Parochialem Oppidi accedere tenebantur, ut vivi in ea paschale praeceptum implerent, Matrimonia celebrarent, et mortui in ea tumularentur, quin Parochi perciperent emolumenta, quae dividebantur inter Archipresbiterum et Canonicos. Quum itaque anno 1783 et 1786 Paraecia Canneti vacaverit, deputatus fuit in oeconomum Aloisius Turchetti Canonicus praedictae Collegiatae S. Antonini, qui licet in prima administratione per sex menses, in secunda per annum saepe a chori servitio abfuisset, ut munera parochialia obiret, nunquam tamen fuit punctatura notatus, immo in codice punctaturarum adnotatum legebatur : – Discessit ut Oeconomus Canneti – A biennio subinde vacabat altera Paraecia Collis Todini, et idem Canonicus Turchetti, mandante Vicario Generali Farfensi, vices Oeconomi gerebat, cum Presbiter Bernardini, cui hoc munus datum erat, nunquam ad Villam Collis Todini accessit. Unde Canonici Collegiatae contenderunt, quod Canonicus Turchetti punctaturas solvere deberet, quibus diebus a choro vacavit, tum ex dispositione iuris, tum ex Constitutionibus Ecclesiae, quibus cura animarum privative penes Archipresbiterum attribuebatur. Immo cum retineret duo incompatibilia sine indulto et utriusque reditus perciperet, punctandus omnino erat, ex eo quod neque apud Collegiatam residebat, neque choro interessebat. Contra Turchetti sustinuit, se iusta de causa abesse; namque mandante Ordinario curam animarum gerebat, hinc aderat Ecclesiae utilitas ad formam sacrorum Canonum. Neque Constitutiones Ecclesiae adversabantur, cum in Cap. 3 expresse cautum legebatur: – Quoties Archipresbiter pro parochialibus muniis obeundis a choro exierit, sive etiam ad eum accedere non potuerit, non punctetur –. Paraeciam autem Collis Todini haud in titulum habebat, sed tamquam pro-oeconomus; et eius percipiebat reditus, ut oneribus parochialibus satisfaceret: nec anno 1783 et 1786 tamquam oeconomus Villae Canneti, licet a choro aliquoties abfuisset, fuerat punctaturis notatus.

350. His utrinque perpensis, proposito dubio: An per Canonicum Aloisium Turchetti sint solvendae punctaturae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Nullius seu Farfen. Punctaturarum die 15 Maii 1802.*

351. Qua de re Canonicus voluntarie inserviens Archipresbytero Cathedralis in cura animarum, si ratione huius servitii a choro absit, amittit distributiones quotidianas *in Firmana die 6 Februarii 1639 lib. 16 Decretorum pag. 153.*

352. Alias etiam Vicarius Curatus integras lucrari debet distributiones, quin Capitulum expensas litis, quam cum ipso egit, detrahere valeat; his enim in terminis proposito dubio: – An distributiones integre debeantur Xaverio de Marchis, seu potius detrahenda sit ab eis rata expensarum litis contra ipsum factae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Aquilana Distributionum die 7 Iulii 1736.*

353. Unde Canonicus seu Beneficiatus per Capitulum, cui inest cura animarum, electus ad exercitium praefatae curae animarum, iure gaudet percipiendi distributiones quotidianas, cum tempore divinorum officiorum actu illam exerceat, etiamsi is non sit Vicarius perpetuus, sed amovibilis *in Augustana Distributionum die 14 Decembris 1844.*

354. Siquidem Cathedrali Ecclesiae Augustanae adiuncta erat animarum cura, quae per Vicarium perpetuum peculiari donatum dote exercebatur. At ab anno 1664 annuente s. m. Alexandro VII bona omnia praefatae Vicariae Capitulo tradita sunt, ad effectum erogandi reditus in alimoniam Iuvenum in Seminario degentium, salva congrua portione Vicario a Canonicis eligendo (qui efficiebatur amovibilis) pensitanda praeter Praebendam, sive qua Canonicus, sive qua Beneficiatus, eidem obvenientem. Congrua hinc constituta fuit ab Episcopo tunc temporis existente in summa scutorum triginta aureorum. Capitulum itaque instrumentum cum Vicariis amovibilibus, facta vix eorum electione inter Canonicos aut Beneficiatos, conficiebat, quo definiebantur iura Capituli et Vicarii recenter electi, ac praesertim praestituebatur summa quaedam a Vicario annuatim solvenda Capitulo. Ita factum est, ut Capitulum Vicarium haberet ut praesentem in choro ad effectum

ordinarias distributiones percipiendi, quamvis reapse abesset ad animarum curam exercendam. At post Gallorum invasionem, cum reditus Beneficiorum Cathedralis facti fuerint valde tenues et etiam tenuissimi, cessavit Vicarius amovibilis a pecunia solvenda Capitulo: semper tamen habitus fuit ut praesens in choro, quando aberat ratione muneris parochialis. Equidem iam a pluribus annis aucti erant sufficienter reditus, sed nihil solutum fuit Capitulo. Atque hac sane ratione se gessit perpetuo Franciscus Nourissat ipsius Ecclesiae Canonicus ac modernus Vicarius, qui, nulla facta de praefata summa conventione cum Capitulo, possessionem Vicariae iniit et curam exercebat viginti circiter ab illinc annis, percepitque pacifice ordinarias distributiones. Primum sub anno 1831 exorta quaestio est in Capitulo, utrum quotidianae deberentur distributiones Vicario ratione sui muneris absenti, quae tamen illico finita est, ex usu inducto Metropolitanae Taurinensis Ecclesiae, et iterum distributiones, ut antea, Vicario ex munere absenti decretae fuerunt. At anno 1841, ob disparitatem status Ecclesiae Taurinensis et Augustanae agnitam in Capitulo, sopita revixit quaestio, et conquerentibus de annua summa, quae antea ipsi rependebatur, ex Gallica invasione amplius a Vicario non persoluta Capitularibus, annotari ceperunt illius fallentiae, etiamsi munia expleret parochialia. Episcopus Augustanus retulit: – Lucrum annuum perceptum ex munere vulgo *Casuel* est circiter sexcentarum et sexaginta librarum; 2 reditus annuus Praebendae Canonicalis est circiter mille et octingentarum librarum, praeter domum; 3 reditus annuus bonorum extinctae Vicariae et quorumdam aliorum, quae data sunt Capitulo, est circiter mille centum et quinquaginta librarum, praeter domum; 4 summa pecuniae, quae olim solvebatur annuatim, nec erat semper eadem, plus aut minus solvebat unusquisque Vicarius amovibilis, ordinarie trecentae librae solvebantur singulis annis –. Suam deinde pandens sententiam, favit Vicario.

355. His in facto positis, Capitulum contendit, distributiones haud deberi, nisi reapse in choro praesentibus; et Sacram Congregationem concedere quidem distributiones curam animarum exercentibus in Cathedralibus vel Collegiatis, si eorum Praebendis adnexum sit curae animarum onus, non vero aliis, qui huiusmodi adnexum minime habeat. In casu autem nedum onus adnexum non erat, cum alius quilibet de gremio deputari posset, sed Vicarius erat ad nutum amovibilis, qui propterea non Curatus, verum Capellanus Curatus appellari debebat. Insuper ipse reditus habebat ad hoc speciales, qui ipsi ex cessis extinctae Vicariae bonis et quibusdam aliis proveniebant. Ita enim duplex ex uno labore obtineret beneficium, distributiones in absentia, et fructus Vicariae. Advertit tandem Capitulum, antea Vicario ob id in absentia distributiones fuisse tributas, quia sibi a Vicario summa rependebatur annua; asseruitque, hoc fuisse veluti correspectivum. Ad haec Archipresbiter Vicarius respondit, Sacram Congregationem saepius definiisse, deberi distributiones quotidianas curam animarum actu exercentibus, etiamsi divinis officiis non intersint, cum servitium Parochiae succedat loco servitii in choro, quin obesset, quod Sacra Congregatio quandoque usa fuerit verbo – adnexa imminens vel incumbens Canonicatui vel Praebendae –; hoc enim demonstrative, non vero taxative accipiendum est, vel eo tantum casu taxative locuta intelligenda est, quo revera ageretur de Canonicatu vel Praebenda, cui exclusive cura animarum inesset. Quod si taxative etiam locuta fuisset Sacra Congregatio, sibi adhuc distributiones deberi contendit. Cura enim animarum adnexa erat Capitulo, quae exerceri debebat per Canonicum, vel Beneficiatum de gremio; idcirco quod corpori conveniebat, necesse erat, ut et membris conveniret, ducto exemplo a Collegiatis Urbis, in quibus licet nulla sit separata Praebenda, sed una communis Massa, Vicarii tamen pro tempore distributiones percipiunt, dum actu curam animarum exercent. Nec obesse poterat amovibilitas; ratio enim, quae militat pro Vicario perpetuo percipiendi distributiones, militat etiam pro Vicario amovibili, scilicet ut commodius in salutem animarum Christifidelium possit incumbere. Quoad fructus autem suppressae Vicariae aliorumque bonorum, quae cessit Capitulum Vicariis pro tempore, advertit, illa non sine onere correspectivo cessisse, nec leve etiam videri onus alium Vi-

carium substendandi, nec ullum esse ius Capitulo Vicarium illis privare distributionibus, quae a iure illi conceduntur. Invocavit etiam sui favore Archipresbiter Vicarius consuetudinem antiquissimam in Capitulo cumulandi Vicarium distributionibus quotidianis, quas et ipse a viginti duobus annis percepit, dum tempore divinorum officiorum actu curam animarum exercebat. Idcirco gratis per Capitulum asserebatur, summam pecuniae eidem a Vicario repensam fuisse uti correspectivam distributionum.

356. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo debeantur distributiones Vicario absenti ob parochialia munia in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative in omnibus – *in Augustana Distributionum die 14 Decembris 1844.*

357. Idcirco Vicarius Curatus, ultra propriam exemptionem a punctaturis, lucratur etiam aliorum fallentias, cum extet consuetudo *in Romana die 13 Iunii 1711 lib. 61 Decretorum.*

358. Enimvero – animarum cura iam olim incumbente Archipresbiteratui Ecclesiae Collegiatae S. Eustachii Urbis abdicata ab Archipresbitero, s.m. Clemens VIII, ad instantiam Odoardi Farnesii cl. me. Cardinalis Diaconi et Canonicorum eiusdem Ecclesiae, erexit in ea unam Vicariam perpetuam pro dictae curae exercitio et tria alia Beneficia servitoria, iniungendo tam Vicario pro tempore, nisi ratione exercitiorum parochialium impeditus foret, quam aliis Beneficiatis praedictis, ut horas canonicas et alia divina officia in antedicta Ecclesia una cum illius Archipresbitero et Canonicis recitare, nec non diebus Dominicis et festivis Missam conventualem per turnum cantare tenerentur. Pro congrua vero praefato Vicario Pontifex assignavit scuta 58 ultra emolumenta parochialia, ac tam eidem Vicario, quam aliis tribus Beneficiatis praedictis alia scuta 224 in usum quotidianarum distributionum convertenda, et per eosdem Vicarium et Beneficiatos divinis officiis personaliter interessentes percipienda, similiter assignavit, subdens tamen « ex quibus distributionibus Vicarius dimidiam, singuli vero Beneficiati praedicti integram partem et portionem percipiant, iuxta providam ordinationem desuper ab ipso Odoardo Cardinali in hac prima assignatione faciendam, absentiumque portio aliis praesentibus pro rata parte suae eiusque portionis accrescat, applicamus et appropriamus ». Orta nuper contentio extitit inter Aegidium Paulinum modernum Vicarium Curatum dictae Collegiatae ex una, et reliquos Beneficiatos ex altera, praetendente Vicario, ut in eius absentia tempore, quo detinetur exercitio curae, lucrari debeat nedum fructus et quotidianas distributiones, verum etiam participare de fallentiis seu distributionibus aliorum Beneficiatorum absentium, fretus potissimum consuetudine de iis semper participandi. E converso Beneficiati inficiantes allegatam consuetudinem autumant, obstare Vicario iuris dispositionem et Decreta huius Sacrae Congregationis. Hinc habito recursu ad eamdem Sacram Congregationem, requisitus fuit Emus Urbis Vicarius desuper informare, qui comprobando praemissa censuit, resistere Vicario ius commune; verum inquit, huius Causae resolutionem pendere a consuetudine, quam maxime probari tradit ex fidibus simplicibus per eum exhibitis, ac proinde coadiuvandas esse probationes, et interim manutenendum in possessione seu quasi participandi de dictis fallentiis –.

359. Proposito hinc dubio: – An Aegidius Paulinus Beneficiatus et Vicarius Curatus Ecclesiae Collegiatae S. Eustachii Urbis, cui est adnexa cura animarum, ultra propriam exemptionem a punctaturis, quando ratione administrationis Sacramentorum est legitime impeditus, participare valeat de distributionibus seu fallentiis aliorum Beneficiatorum absentium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in casu, de quo agitur – *in Romana Distributionum die 13 Iunii 1711 lib. 61 Decretorum.*

360. Amplia, Canonicus simul et Curatus Ecclesiae Cathedralis tempore, quo actu suo muneri incumbit, lucratur etiam eleemosynas, quae dantur pro Anniversariis Defunctorum *in Viterbien. die 15 Martii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 407.*

Item *in Mediolanen. die 13 Februarii 1639 lib. 16 Decretorum pag. 148; in Tortonen. die 19 Septembris 1643 lib. 17 Decretorum pag. 230.*

361. Limita, dummodo non sint assignatae pro celebratione Missarum *in Viterbien.*

die 15 Martii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 407.

Item *in Mediolanen. die 13 Februarii 1639 lib. 16 Decretorum pag. 148; in Tortonen. die 19 Septembris 1643 lib. 17 Decretorum pag. 230.*

262. Idcirco nec distributiones lucratur, dum curam animarum exercet huiusmodi Canonicus vel Vicarius Curatus, quae ex voluntate Testatorum debentur tantum actu praesentibus *in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Novembris 1830* (1).

363. Quin imo si ex lege fundationis prohibeatur, quominus distributiones lucretur, qui quavis de causa absit, nullatenus illae debentur; quandoquidem quum in Ecclesia parochiali institutum fuisset Collegium novem Beneficiatorum cum onere obeundi quotidie divina officia in choro, Fundator autem iussisset, reditus assignatos dividi inter Parochum et alios Beneficiatos, – pro rata servitiorum et non aliter, etiam ob quodcumque impedimentum –, proposito dubio: – VII. An dictus Parochus impeditus ratione curae debeat haberi pro interessente, ad effectum lucrandi distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad septimum, Negative – *in Melevitana Divinorum Officiorum die 15 et 29 Ianuarii 1718*

364. Qua de re Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Euphemiae dumtaxat interessentibus debentur portiones decimarum ac distributiones, et ad easdem percipiendas pro Canonicis, qui coadiuvare tenentur Archipresbiterum in cura animarum, requiritur residentia nedum in choro ad formam fundationis, sed et residentia in Canonica Ecclesiae contigua, pro aliis vero residentia tantum in choro, portiones autem deficientium accrescunt aliis Canonicis residentibus et interessentibus, comprehenso Archipresbitero; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An portiones decimarum Canonicis concessae cum reliquis distributionibus debeantur dumtaxat interessentibus? II. An ad participandas decimas et distributiones eiusmodi requiratur coniunctim residentia in Canonica Ecclesiae contigua et quotidiana interessentia in choro? III. An portiones seu ratae deficientium accrescant aliis Canonicis residentibus et interessentibus, seu potius debeantur Archipresbitero? IV. An Canonici teneantur coadiuvare Archipresbitero tam praesenti, quam absenti ex quacumque causa, et an per se ipsos, vel quomodo? –, Sacra Congregatio die 26 iunii 1700 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, quoad residentiam in choro ad formam fundationis, quo vero ad residentiam in Canonica, provisum, prout in quarto. Ad tertium, Affirmative comprehenso Archipresbitero. Ad quartum, Affirmative ex quacumque causa legitimi impedimenti, et pro exercitio coadiuvandi in cura animarum deputandos esse ab Ordinario duos vel plures ex Canonicis cum congruo emolumento ex primitiis Canonicorum, et deputatos teneri residere in domibus canonicalibus –. Reproposito dein dubio secundo sub formula: – An et quomodo seu in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, in decisis quoad servitium chori – *in Comen. super dubiis die 5 Martii 1701 lib. 50 et 51 Decretorum.*

365. Quin imo Prior et Curatus Ecclesiae Receptitiae punctaturis subiacere debet in casu absentiae a choro ex facultate sibi ab Ordinario concessa tempore a Concilio permisso *in Nullius Phasani Punctaturarum die 12 Decembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

366. Alias de Canonico cura animarum habente in eadem Ecclesia censet etiam Benedictus XIV Instit. eccles. 107 n. 56, tamquam in choro praesentem habendum esse, dum fidelium excipit confessiones et Sacramenta Parochianis ministrat *in Lauretana Iubilationis die 11 Iunii 1744* §. *Inquirendum.*

267. Archipresbiter vero et Canonici, qui curam animarum habitualem tantum habent, distributiones amittunt, si tempore servitii chori confessiones secularium audientes eidem non intersunt *in Dubium Servitii chori die 9 Decembris 1690 lib. 40 Decretorum.*

368. Itaque Canonicus, qui onere curae animarum gravatus a Summo Pontifice indultum obtinuit abessendi e loco residentiae, ut alibi munere confessarii Monialium fun-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonici*, §. I, n. 148, Tom. IV, ubi aliae habentur resolutiones, quae ad hanc pertinent materiam.

geretur cum facultate percipiendi sui Canonicatus fructus reditus et proventus, attentis peculiaribus rerum circumstantiis, lucrari debet etiam distributiones, exceptis tamen distributionibus inter praesentes, et compensato arbitrio Ordinarii servitio curae, quatenus per alium non inservierit *in Auximana Distributionum die 22 Decembris 1821.*

369. Siquidem in Collegiata Montis Fani animarum curae exercitium primario penes Praepositum, secundario penes ceteros Canonicos, tamquam Praepositi coadiutores, residebat. Redintegrata post suppressionem nequiter perpetratam ab Italico Gubernio praedicta Collegiata die 28 martii 1820, Canonicus Franciscus Vagnozzi, officium Confessarii octo fere ab illinc annis exercens in Monasterio S. Mariae loci Offaniae, in locum residentiae sese conferre debebat. At Moniales supplicarunt Summo Pontifici, ut dignaretur confirmare ad alios sex menses praefatum Canonicum in munere Confessarii, illumque dispensare a residentia ita tamen, ut idem Canonicus posset pro suo lubitu vel fallentias persolvere, vel tertiam partem distributionum amittere, vel per Coadiutorem aut Substitutum residentiali munere fungi, quin res in Capituli manibus poneretur. Confirmationem in officio Confessarii indulsit Pontifex: sed in reliquo voluit, ut ipsemet Canonicus Vagnozzi recurreret. Hinc ad exitum properante semestre concessae absentiae, indultum ipse postulavit et obtinuit a Secretaria Memorialium his verbis conceptum, scilicet, - ut a residentia et servitio chori abesse valeat, et nihilominus Canonicatus sui fructus reditus ac proventus percipere possit ad sex menses dumtaxat, si tamdiu -. Emus Episcopus, cui fuerat concessio pro executione commissa, in Rescripto haec addidit: - Relicto interim onere eidem Oratori Sacerdotem confessionibus audiendis approbatum et idoneum substituendi, qui in obeundis muneribus parochialibus Collegiatae sui ipsius vices gerat -. Et hoc indultum ad alios sex menses iterum a Summo Pontifice fuit prorogatum. Interea Angelus Raffalli eiusdem Collegiatae Beneficiatus a Canonico Vagnozzi rogatus eius vices gessit quoad aegrotorum assistentiam quousque audivit, se obnoxium futurum iri punctaturis, nisi a supplendis vicibus absentis Canonici abstineret tempore choralis officiaturae. Obtenta autem indulta Canonicus Vagnozzi tunc tantum Capitulo exhibuit, cum de distributionum massa dividenda aliquid consilii Canonici capere parabant. Unde Vagnozzius contendit, sibi factam a Summo Pontifice fuisse facultatem distributiones lucrandi una cum Praebendae fructibus; sed Capitulum id acriter negavit. Namque sustinuit, verba illa - et nihilominus Canonicatus sui fructus ac proventus percipere et exigere valeat - distributiones haud posse praeseferre, cum distributionibus non conveniret vocabulum fructus. Quoties itaque a S. Sede conceduntur indulta absentiae, vel causa studiorum, vel ratione munerum, quae non sunt adnexa Praebendae, semper quotidianae distributiones amittuntur ab indultariis. Idcirco Vagnozzius amittere debebat distributiones, cum Summus Pontifex expressam facultatem ei lucrandi distributiones quotidianas non indulserit. Favore autem Vagnozzi advertebatur, praeter fructus sui Canonicatus, aliquid aliud ei voluisse concedere Summum Pontificem, ne cetera Rescripti verba, scilicet - reditus et proventus - inutiliter iacerent. Et quoniam, praeter fructus et distributiones quotidianas, nil aliud percipiebant Canonici Montis Fani; hinc etiam istae aequipollenter concessae videbantur, expressi namque et aequipollentis eadem est ratio, L. *Cum quid* si cert. petat., L. *Si filius familias* ff. eodem titulo, unde aequipollentia videbantur verba - reditus et proventus -.

370. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et qui fructus reditus et proventus sui Canonicatus percipere debeat Canonicus Vagnozzi in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Attento Rescripto Sanctissimi in casu, de quo agitur, Affirmative in omnibus, exceptis tamen distributionibus inter praesentes, et compensato arbitrio Emi Episcopi servitio curae, quatenus Orator per alium non inservierit - *in Auximana Distributionum die 22 Decembris 1821.*

371. Similiter Summus Pontifex de voto Sacrae Congregationis indulsit, ut Capitularis abesse posset pro servitio Monialium, quae ob paupertatem non valebant pro Capellano stipendium persolvere *in Recanaten.*

die 20 Novembris 1600 lib. 9 Decretorum pag. 110.

372. Unde Canonicus, quum indultum absentiae primum obtinuerit cum facultate percipiendi etiam distributiones, perinde ac si choro personaliter interesset, nec non facultate celebrandi Missas in Ecclesia Monialium, ubi officium Confessarii exercebat, lucratur omnes distributiones, iis tantum exceptis, quae ex voluntate Benefactorum solis praesentibus debentur, ac dein aliud quidem simile absentiae indultum assequutus fuerit, sed addito onere amittendi distributiones, quae dicuntur fieri inter praesentes relate ad servitium chori, omnes distributiones omnino amittere debet, nec non a die secundi indulti huius summam ad taxam ab Episcopo statuendam ipse solvere tenetur Canonico, qui munus sui Canonicatus exercet pro celebratione Missae et pro servitio Altaris *in Sutrina Indulti die 24 Maii 1823.*

373. Enimvero Ambrosius Mignanti, Collegiatae Tulpharum Canonicus, vocatus ad exercendum Confessarii munus in Monasterio Montis Castrilli Tudertinae Diaecesis, supplex adiit Summum Pontificem, petens indultum abessendi ad triennium e loco residentiae, cum perceptione distributionum non aliter ac si praesens esset, nec non facultatem celebrandi in Ecclesia praefati Monasterii Missas lectas, quas in praefata Collegiata ratione Canonicatus et ad Altare S. Aegidii eiusdem Collegiatae ratione Beneficii simplicis, quo gaudebat, celebrare tenebatur, firmo tamen onere cantandi sex Missas annuales, quas per turnum pro Benefactoribus canere debebat. Summus Pontifex benigne rescripsit:– Pro gratia iuxta petita, die 1 iulii 1819 Pius PP. VII–. Quadragesimali tempore anni 1820, quando praefatae Moniales extraordinarium Confessarium habebant, verbum Domini in Hortana Cathedrali annuntiare cum deberet Canonicus Mignanti, indulti confirmationem exoravit pro exemptione a choro et punctaturis, quemadmodum continuaret in officio confessarii. Voti compos factus est, et per Secretariam Memorialium Rescriptum prodiit: – Pro gratia iuxta petita, toto quadragesimali tempore, servata in reliquis omnibus indulti 1 iulii 1819 forma, contrariis quibuscumque non obstantibus –. Denique anno 1822, praevio Apostolico Beneplacito, ad aliud triennium in Confessarii munere confirmatus idem Canonicus Summo Pontifici rursus humiliter supplicavit, pro eisdem dispensationibus durante memorato exercitio; atque ab Emo Card. supplicum libellorum a Secretis Rescriptum obtinuit: – Ex audientia Sanctissimi die 6 maii 1822. Sanctissimus benigne annuit pro petita enunciatarum prorogatione facultatum ad aliud triennium, servata in omnibus praecedentis indulti forma et dispositione, superaddito insuper onere Oratori amittendi distributiones, quae dicuntur fieri inter praesentes relate ad servitium chori, quod ipse praestare teneretur –. Indulta haec aegre ferentes Canonici Tulpharum, capitulariter congregati die 26 maii 1822 statuerunt, Canonicum Mignanti a die 27 eiusdem mensis maii cogendum esse quoad Missas cantatas et alias ex turno diebus festis ad solvendos in posterum viginti obulos praeter eleemosynam ei dandam, qui dictis Missis satisfaceret, nec non obulos decem ei, qui pro eo *si parerà* in solitis functionibus, tribuendos; et quoad solutionem punctaturarum tam pro tempore praeterito, quam futuro, eumdem etiam iudicialiter esse adigendum. Unde Canonicus Mignanti novas Summo Pontifici porrexit preces, ut, obtenta indulta plenum sortirentur effectum, et ipse ab omni fallentiarum solutione liberaretur; et die 6 iulii rogatus fuit Episcopus pro informatione et voto, audito Capitulo, ut, transmissa copia indultorum et particulis Constitutionum capitularium, referret de statu litis in Curia Episcopali tempore absentiae; an et quam mercedem recipiat Orator ob munus Confessarii, et de consuetudine quoad praeteritum –: sed antequam ipse suam Sacrae Congregationi panderet sententiam, Curia Episcopalis mandatum pro scutis 35. 21 contra Canonicum Mignanti relaxavit. Itaque alias obtulit preces Canonicus, quae Episcopo remissae sunt – pro informatione et voto audito Capitulo super novis precibus, ut referret de eleemosyna persolvi solita pro Missis cum cantu, nihil interim innovato contra Oratorem, et certioraret de resultantibus ex Rescripto Sacrae Congregationis diei 6 iulii –.

374. Episcopus retulit, Canonicum Mignanti, ut praefatis Monialibus opem ferret,

non solum Ecclesiam suam, sed et longaevam suam Genitricem deseruisse, quae filium suum urgebat apud supremum Auditoris Sanctissimi tribunal, tum pietatis officiis, tum stricto iustitiae iure, ob assumptum a filio onus Matri subveniendi, cuius doti distrahendae sub ea obligatione consensit; inopiam Ministrorum affligere Sutrinam Diaecesim, cui iustitiae titulo adstringebatur. Unde quoad praefati Canonici preces censuit: – In primo Rescripto Sanctissimi diei 1 iulii 1819 mentio quidem fit de lucrandis distributionibus; at nulla fit de immunitate a fallentiis, cumque haec odiosa sit et aliorum iurium noxia, hinc praesumenda videtur exclusa, dum non fuit expresse concessa. In altero vero diei 5 maii 1822 conceditur, prout in primo, et expresse denegatur ius percipiendi distributiones: videtur itaque pro currenti triennio denegata utraque facultas –. Canonici autem in capitulari conventu consensum pro secundo triennio praestare absolute renuit, quin Canonicus participare posset de quibuscumque emolumentis ordinariis et extraordinariis, cum praeter reditus Canonicatus et Beneficii simplicis viginti quinque scutata annua et alimenta a praefatis Monialibus perciperet. Idcirco is singula sui Canonicatus onera ferre tenebatur, nec non solvere punctaturas tam pro praeterito, quam proximo triennio; exceptis enim infirmis, ex Capituli observantia, omnes absentes oneri punctaturarum subiiciebantur. Demum Canonicorum numerus factus erat exiguus, cum unus Canonicatus vacaret, duo Canonici in minoribus essent, et alter iubilatus. Unde quum Canonici Tulpharum non solum Missas canere deberent, sed onus etiam haberent offerendi Sacrificia certis horis pro Populi commoditate, et absente Canonico Mignanti, haec omnia ab aliis Canonicis essent adimplendae, ab iis oneribus haud Oratorem exemisse indulta absentiae videbantur, adeoque ipse aliquid dare debebat Canonicis, qui eius munus exercerent et implerent. Contra autem advertebatur, novum onus amittendi distributiones inter praesentes in secundi triennii indulto superadditum fuisse; hinc censendum omnino esse, in primo indulto earum perceptionem Indultario Pontificem concessisse. Plurimi quoque facienda erat bona Oratoris fides, qui a chori servitio abfuit, sub tutela Apostolicae concessionis, quin Canonici unquam de fallentiis controversiam excitaverint; praesertim cum praesto esset exemplum Canonici Buttaoni, qui nihil distributionum amiserat, quum Vicarii Generalis Tridentini Episcopi munus exercuerit. Hinc nec memoratis oneribus subiiciendus videbatur Orator; nam si Summus Pontifex absentiae indultum concessit, et permisit etiam, ut Missae lectae in Monasterii Ecclesia celebrarentur, ipsum a praedictis oneribus tacite liberasse dicendum erat, cum expressi et aequipollentis eadem sit ratio.

375. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quas distributiones amittere debeat Canonicus Mignanti pro primo triennio in casu etc. II. An et quas distributiones amittere debeat Canonicus Mignanti pro secundo triennio in casu etc. III. An et quae summa et a quo tempore solvenda sit a Canonico Mignanti pro unaquaque vice ei, qui munus sui Canonicatus exercet, tum pro celebratione Missae statutis horis, tum pro servitio Altaris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative quoad distributiones tantum, quae ex voluntate Benefactorum solis praesentibus debentur; in reliquis, Negative. Ad secundum, Affirmative, amissis cum solitis clausulis. Ad tertium, Affirmative a die 27 maii 1822 ad taxam ab Episcopo statuendam – *in Sutrina Indulti die 24 Maii 1823.*

376. Nisi enim extet Indultum Apostolicum, distributiones lucrari nequit Canonicus, qui sit Confessarius Monialium praesertim stipendiatus; proposito quippe dubio: – IX. An Canonicus, qui vel Procurator, vel Capellanus, vel Confessarius est Monialium stipendiatus, possit esse particeps massae capitularis ac quotidianarum distributionum tempore, quo praefatis officiis vacat, ac choro aliisque functionibus ecclesiasticis non intervenit in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, Negative quoad distributiones; et amplius – *in Venusina die 30 Iulii 1763.*

377. Idcirco nec Vicarius Generalis, nec Oeconomus Mensae Archipresbiteralis, nec Promotor Fiscalis, nec Capitulares extram propriam Ecclesiam confessiones audientes gaudere valent distributionibus quotidianis illarum horarum, quibus choro non intersunt,

prout nec funerum et processionum emolumentis potiuntur, dum ad ea personaliter non accedunt *in Iuvenacen. seu Nullius Terlicii Distributionum die 13 Augusti 1707 lib. 57 Decretorum.*

378. Siquidem – prava fertur irrepsisse corruptela in Ecclesia Archipresbiterali Collegiata Oppidi Terlitii, quod nempe, contra sacrorum Canonum et sacri Concilii Tridentini praescripta, Vicarius Generalis oeconomus Mensae Procurator Fiscalis ac Confessarii extra dictam Ecclesiam confessiones audientes gaudere praetendant distributionibus quotidianis illarum horarum, quibus choro non intersunt, prout et funerum et processionum emolumentis potiri, quamvis ad ea personaliter non accedant. Hinc Canonici eiusdem Ecclesiae adierunt desuper hanc Sacram Congregationem; quamobrem requisita informatione et voto Episcopi Iuvenacensis, idem praenarratum abusum sese comperiisse confirmat in visitatione inibi ab eo peracta anno 1704, quem quidem eliminandum censet, etsi de Oeconomo illius Mensae Archipresbiteralis nonnihil dubitet, an is absens gaudeat distributionibus, prout gaudere supponit Relator Oeconomum Mensae Episcopalis. Praefixo autem termino usque a die 12 februarii prope effluxi supradictis interesse habentibus de mandato huius Sacrae Congregationis, nulloque ex illis comparentibus fuerunt subscripta haec dubia, quae pro parte Canonicorum EE. VV. decidenda proponuntur: – I. An Vicario Generali Promotori Fiscali Oeconomo Mensae Archipresbiteralis ac Capitularibus extra Collegiatam Ecclesiam confessiones audientibus debeantur distributiones illius horae, quae choro non intersunt? II. An eisdem debeantur funerum et processionum emolumenta illis non interveniendo? *Et quatenus negative.* III. An distributiones et emolumenta praedicta accrescere debeant interessentibus, seu potius applicari possint per Archipresbiterum Locis Piis aliisque usibus sibi benevisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Iuvenacen. seu Nullius Terlicii Distributionum die 13 Augusti 1707 lib. 57 Decretorum.*

379. Nam distributiones amittit, qui etiam in propria Ecclesia excipit confessiones tempore choralis officii *in Placentina Distributionum die 6 Martii 1847 §. Ex adverso.*

380. Siquidem proposito dubio: – An Canonici, quibus non incumbit uti Canonicis onus audiendi confessiones, si pro iis audiendis absint a chori servitio, lucrentur distributiones quotidianas? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Non lucrari – *in Neritonen. die 22 Iunii 1624 lib. 12 Decretorum pag. 181 a tergo.*

381. Idcirco Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae S. Viti haud lucrari valent distributiones, si tempore divinorum officiorum confessiones excipiant, vel Missam privatam celebrent; proposito enim dubio: – VIII. An Canonici praefatae Collegiatae lucrari possint distributiones, quoties tempore divinorum officiorum e choro discedunt, tam ex causa audiendi confessiones, quam ex causa celebrandi Missam privatam in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad octavum, Negative – *in Senogallien. Iurium Parochialium et praeeminentiarum die 17 Novembris 1753.*

382. Quin imo licet Canonici et Beneficiati Ecclesiae Collegiatae ac Basilicae S. Antonini Civitatis Placentiae ex capitularibus regulis Episcopi Rescripto et consuetudine abesse possent tempore divinorum officiorum cum perceptione distributionum, ut fidelium confessiones audirent, unde servitio chori detrimentum inferebatur, propositis dubiis: – I. An Canonici vel Beneficiati S. Antonini, qui ferme quotidie audiunt confessiones tempore divinorum officiorum, lucrari possint distributiones quotidianas in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An eas lucrentur, si tempore tantum divinorum officiorum excipiant confessiones, vel post confessiones supervenientes in chorum privatim recitent horas canonicas in casu? III. An et quomodo computandus sit numerus adstantium in choro ad hoc, ut, ceteris absentibus, sufficiens chorali servitio habeatur in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative in omnibus. Ad tertium, provisum in praecedentibus, et ad formam sacrorum Canonum – *in Placentina Distributionum die 27 Maii 1847.*

383. Amplia, etiamsi ageretur de consuetudine corroborata statutis in limine fundationis sancitis, nec non recentiori Episcopali Decreto; his enim in terminis proposito dubio: – I. An et quomodo Canonici Cathedralis Sancti Miniatis absentes ad audiendas confessiones in eadem Ecclesia Cathedrali, quo tempore confessiones audiunt, pro praesentibus haberi debeant, ita ut lucrari possint quotidianas distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative in omnibus, excepto Poenitentiario – *in Sancti Miniatis Visitationis Sacrorum Liminum die 8 Februarii 1817.*

384. Unde Sacra Congregatio respondit, – ex statuto Capituli non posse Canonicos, dum confessiones audiunt, distributiones quotidianas percipere; sed iniungendum Archiepiscopo, ut, loco Poenitentiarii per eum deputandi in prima vacatione Canonicatus ad illius collationem spectantis, Canonicum idoneum sibi benevisum deputet, ut interim loco dicti Poenitentiarii confessiones audiat et distributiones, prout Poenitentiarius, percipere valeat, ita tamen, ut cesset huiusmodi facultas eo ipso, quo dicta vacatio evenerit – *in Taurinen. die 4 Aprilis 1637 lib. 15 Decretorum pag. 514.*

385. Similiter Sacra Congregatio censuit,– Oratori ita in loco Poenitentiarii ad audiendas confessiones ex necessitate et legitima causa ab Episcopo deputato, dum tempore deputationis confessiones actu audit, deberi distributiones quotidianas, non secus ac si divinis in choro interesset – *in Lucana die 3 Martii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 175.*

386. Nullum enim dubium, quin Canonicus Poenitentiarius tempore, quo actu suo muneri incumbit, lucretur etiam eleemosynas, quae dantur pro Anniversariis Defunctorum, dummodo non sint assignatae pro celebratione Missarum *in Viterbien. die 15 Martii 1631 lib. 14 Decretorum pag. 407* (1).

387. Hinc Sacra Congregatio – benigne annuit, ut Orator pro tempore, quo confessiones in Ecclesia Cathedrali audit, si et quatenus consensus Capituli accedat, distributiones quotidianas percipere possit – *in Suessana die 13 Septembris 1636 lib. 15 Decretorum pag. 401.*

388. Nec aliter Summus Pontifex ex sententia Sacrae Congregationis permisit, ut lucrari possent distributiones quotidianas Canonici ab Episcopo deputati ad audiendas confessiones in casu magnae necessitatis, et ob eam causam choro non interessentes *in Cavallicen. die 22 Iunii 1619 lib. 12 Decretorum pag. 15.*

389. Idcirco Canonici et Beneficiati instituti ad instar Canonici Poenitentiarii ad confessiones audiendas singulis saltem festis de praecepto, ita ut, dum confessiones audiunt, non secus haberi debeant ac si divinis in choro celebrandis officiis praesentes adessent, cunctis distributionibus, iis tantum exceptis, quae ex voluntate Testatorum debentur tantum actu praesentibus, legitime fruuntur, quum diebus quoque non festis de praecepto confessiones excipiunt *in Romana Distributionum die 25 Septembris et die 27 Novembris 1858.*

390. Siquidem Leo XII anno 1828 universam substantiam Aedis Svevorum ad S. Birgittae perpetuum in modum donavit attribuitque Canonicis atque Beneficiatis Basilicae S. Mariae Transtiberim, nonnullis adiectis oneribus ac praesertim onere per turnum excipiendi singulis diebus festis de praecepto Christifidelium confessiones. Subinde vero Canonicis petentibus, ut uni tantum ex eorum coetu obligatio haec iniungeretur, Emus Titularis censuit, uni tantummodo ex Canonicalibus Praebendis memoratum onus perpetuo imponendum esse, – ita ut quivis eiusdem Possessor instar Canonici Poenitentiarii singulis saltem festis de praecepto una hora ante matutini initium in sacro poenitentiae tribunali omnino sedeat, ibique suum obeat munus, et dum confessiones audit, non secus haberetur ac si divinis in choro celebrandis officiis praesens adesset –. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Canonicorum Basilicae S. Mariae Transtiberim in casu? –, Sacra Congregatio die 1 februarii 1831 respondit: – Affirmative iuxta votum Emi Titularis, adaucto stipendio Canonici Confessarii ad scuta viginti quatuor –. Canonicorum exemplum paucos post annos sequuti sunt Beneficiati; et Emus Titularis non secus ac pro Canonicis censuit.

(1) Reliqua late habes in Verb. *Canonicatus*, §. VII, Tom. IV.

Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Beneficiatorum S. Mariae Transtiberim in casu? –, Sacra Congregatio die 16 maii 1837 responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Emi Titularis, adaucto stipendio Beneficiati Confessarii ad scuta decem et octo –. Hisce proinde suffulti Decretis Canonicus et Beneficiarius ad instar Poenitentiarii in praefata Basilica, quo tempore in Ecclesia excipiebant confessiones, pleno quaecumque emolumenta percipiendi iure potiri in animum suum induxerunt. At vero aliter nonnulli ex Canonicis et Beneficiariis sentire visi sunt: hinc dubitabant quoad sensum verborum – saltem diebus festis de praecepto –, num scilicet praefati Confessarii immunes a chori servitio forent tantum diebus festis de praecepto, vel aliis infra hebdomadam quibuscumque. Praeterea emolumenta vulgo manualia et reliqua inter praesentes dispertienda iisdem tribuere detrectabant. Accessit demum die 6 iunii anni 1843 Capituli deliberatio, qua decretum, nonnullas distributiones adiudicandas esse – praesentibus tantum vere et realiter, quovis praetextu etiam utilitatis Ecclesiae, et quavis gravissima causa cessantibus –, quamvis Canonicus Confessarius Capitulo declaraverit, se coram Emo Titulari protestationem emisisse, ne iura sua quoad huiusmodi emolumentorum inter praesentes praeceptionem laederentur. Capitulum et Canonicus atque Beneficiatus Confessarii plura quidem hinc inde quoad naturam distributionum et iura deduxerunt, sed propositis dubiis: – I. An Canonicus et Beneficiatus Confessarii Basilicae S. Mariae Transtiberim dum actu confessiones excipiunt diebus quoque non festis de praecepto frui debeant cunctis distributionibus, iis comprehensis, quae inter praesentes dividuntur in casu? *seu potius* II. An obstet Canonico confessario Decretum Capitulare diei 6 iunii 1843 in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et coadiuventur probationes – *in Romana Distributionum die 25 Septembris 1858.*

391. Praecipuis itaque difficultatibus ex adverso obiectis occurrentes Canonicus et Beneficiatus Confessarii, quae versabantur primo in definiendo sensu illorum verborum – ad instar –, et – saltem diebus festis de praecepto –, deinde in eo quod Vicarius Curatus eiusdem Basilicae emolumentis privaretur, quae inter praesentes dividebantur, contenderunt quoad primum, etsi verba illa – ad instar – similitudinem importarent, similitudinem potius requirendam in iis omnibus, quae in Decreto institutionis sanciebantur, quod scilicet – singulis saltem festis de praecepto, una hora ante matutini initium in sacro poenitentiae tribunali sedeat, et dum confessiones audit, non secus habeatur ac si divinis in choro celebrandis officiis praesens adesset –; quamobrem in oneribus supportandis atque in immunitate a chori servitio utrumque Confessarium Poenitentiariis assimilari consequebatur. Quoad particulam – saltem – adnotarunt, eam vim habere non arctandi, sed ampliandi, cuius rei exemplum allegarunt ex Lateranensi Concilio IV cap. *Omnis,* ubi statuit: – Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annum discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur –. Et quoad Vicarium Curatum observarunt, argumentum falso laborare supposito; iidem enim non ad instar Parochorum, sed ad instar Canonici Poenitentiarii instituti fuerunt. Ceterum et ipse Vicarius Curatus obtestabatur, hanc sibi perpetuo opinionem fuisse, scilicet nunquam privari quovis emolumento, quotiescumque Curionatus sui munere impeditus aberat a choro divinis persolvendis. Denique perpenderunt, nihil officere resolutionem Sacrae Congregationis in Causa Anagnina Servitii chori et distributionum diei 20 novembris 1819, quia in casu nec Ecclesiae consuetudo, (agebatur enim de brevi temporis lapsu, a quo Confessarii Basilicae constituti erant, et ipsa protestatio a Canonico Confessario emissa consuetudini obstabat) nec statuta aliquid contra decernebant. His igitur perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, exceptis iis distributionibus, quae ex voluntate Testatorum debentur tantum actu praesentibus. Ad secundum, provisum in primo – *in Romana Distributionum die 27 Novembris 1858.*

392. Quin imo cum in fundatione primae Capituli Dignitatis impositum ei fuerit onus audiendi sacramentales fidelium confessiones,

haud ipsa punctari debet, dum illas actu audit, etiamsi una ex parte satis Populi necessitati consultum esset, et ex altera urgens Ecclesiae et chori servitium suadere videatur, ut eadem ob exiguum Capitularium numerum sacris intersit officiis, nec non ipsa punctaturarum taxa, iuxta Sacrum Concilium Tridentinum et leges fundationis, reformanda est *in Maceraten. die 14 Februarii 1767 et die 14 Maii 1768.*

393. Enimvero Ecclesiam Parochialem S. Blasii Oppidi Montis Milonis s. m. Benedictus XIV anno 1750 in Collegiatam erexit. In ea ultra Primiceriatum octo Canonicatus ac tres Beneficiatos, instituit etiam unam Praeposituram, quae uti Dignitas principalis praeeminentiam haberet cum onere audiendi sacramentales Christifidelium confessiones. Pro reditu eiusdem Praeposituae assignavit annua scuta centum monetae Romanae quantitativae, et omnia ab omni et quocumque onere in praesens imposito libera immunia et exempta, ex dictae Parochialis Ecclesiae S. Blasii parte, de semestri in semestrem annuatim a futuris Canonicis et Capitulo persolvenda. Hanc Praeposituram contextualiter obtinuit Philippus Romagnoli iam Parochus eiusdem Ecclesiae. Is per integrum decennium absque ulla Capitularium querela eo tantum tempore abfuit a choro, quo ad sacramentales excipiendas confessiones in implementum oneris sibi dati detentus fuit. Verum anno 1761 contendit Capitulum, punctandum esse Praepositum, tametsi ea causa a choro absentem, eumque pro punctaturis elapsi decennii mulctavit in scutis 84,72,2. Praepositus vero dixit, se non placito suo et arbitrio, sed ex fundatione confessiones excipere, adeoque nulla poena e se mulctandum; animarum numerum ad 3000 circiter extolli, Confessariorum copiam deesse; se diebus festis tanta Populi frequentia circumdatum esse, ut, absolutis functionibus choralibus, dum Canonici libere vagabantur, cogeretur ipse tota mane Populo inservire; nec obesse parvum Canonicorum numerum choro interessentium; id enim notum fuisse Pontifici, qui nihilominus Praepositis onus audiendi confessiones iniunxit. Contendit etiam, nullam esse punctaturarum taxam, tamquam confectam, non servata Concilii Tridentini sess. 21 cap 3 de reformatione. E contra Capitulum asseruit, praecipuum Praepositi onus esse illud choro interessendi, non audiendi confessiones; ad illud Summum Pontificem primario respexisse, a punctaturis immunes expresse declarasse Canonicum Curatum et Beneficiatum Vice-Curatum, dum exercitio curae detinebantur; eadem immunitate non donasse Praepositum tempore chori vacantem audiendis confessionibus; idipsum suadere Ecclesiae servitium, Capitulum enim constare ex Praeposito Primicerio octo Canonicis et tribus Beneficiatis; ex iisdem octo Canonicis quatuor onus similiter audiendi confessiones ex Bulla erectionis habere; alterum cum uno ex Beneficiatis curam exercere; hinc si tum Praepositus, tum quatuor illi Canonici a choro abesse possent ad confessiones audiendas, servitium penitus destitueretur. Quoad taxam dixit, die 8 iunii 1752 duos pro illa efformanda electos fuisse a Capitulo Deputatos, hos taxam perfecisse a nemine eousque controversam, hanc semper inviolabiliter fuisse servatam; inciviliter illam de nullitate redargui, ob non servatam conciliarem formam, quia Summus Pontifex virtualiter Concilio derogavisse videbatur suis Literis mandando, ut non tertia, sed quarta pars fructuum in distributiones conferretur. Episcopus, attenta Collegiatae qualitate, censuit, non esse locum perceptioni distributionum, dum Praepositus confessiones audiebat; sed taxam esse reformandam putavit.

394. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Praepositus Ecclesiae Collegiatae S. Blasii Terrae Montis Milonis sit punctandus, dum audit confessiones in dicta Ecclesia in casu etc. II. An sit servanda taxa punctaturarum, seu potius reformanda et quomodo in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative pro tempore, quo actu audit confessiones. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et fiat taxa approbanda ab Episcopo ad formam Concilii et Bullae erectionis – *in Maceraten. die 14 Febrabrii 1767.*

395. Capitulum contra haec solicitum insurrexit: hinc advertit, Praepositum fuisse quoque in chori Praefectum deputatum, inverosimile ideo esse, quod ipsi data tacite fuerit facultas ab illo abessendi, causa exci-

piendi confessiones; et revera Summum Pontificem expresse dedisse exemptionem eis, quibus voluit, nempe Canonico et Beneficiato Curato, alios tamen quatuor Canonicos, tametsi ex erectione idem onus habentes excipiendi confessiones punctaturis, dum eas excipiebant, subesse; ipsumque Praepositum in visitatione anni 1760 libenter se promptum declarasse ad fallentias solvendas; suadere hoc defectum necessitatis, cum septem extarent Confessarii, quibus satis Populo consultum erat, nec non id suadere urgens Ecclesiae et chori servitium. Iustam rursus dixit taxàm, nec nullitatis vitio affici ob non habitam rationem emolumentorum Parochialium, cum haec inter Beneficii fructus non recenserentur, nec in taxa distributionum essent computanda; eo minus dici posse nullam ob non detracta onera cathedratici collectorum aliorumque, cum Praepositus integra scuta centum ab omni onere exempta consequi deberet; nec demum posse recte redargui ob praescriptam aequalem fallentiarum divisionem inter omnes praesentes, cum Benedictina erectio aequalem inter omnes illarum divisionem praescriberet, non pro ratione eius, quod quisque percipit ex reditibus Ecclesiae. His tamen non obstantibus, repropositis dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius - *in Maceraten. die 14 Maii 1768* (1).

396. Canonici enim, qui ex fundatione tenentur audire confessiones, lucrantur distributiones, si tempore divinorum officiorum illas audiant; proposito enim dubio: - IX. An Canonici, qui tenentur ex asserta fundatione audire confessiones, lucrari possint distributiones, si tempore divinorum officiorum illas audiant in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad nonum, Affirmative - *in Senogallien. Iurium parochialium et praeeminentiarum die 17 Novembris 1753.*

397. Unde Capitulares Ecclesiae Collegiatae S. Mariae nuncupatae *la Greca,* in Oppido Putignani erectae, pulsantes organum absque stipendio et audientes confessiones ex deputatione, haud amittunt distributiones quotidianas; proposito enim dubio: - IV. An Abbas Collegiatae S. Mariae de Graeca possit expunctare tamquam absentes Sacerdotes illos, qui tempore divinorum officiorum, vel confessionali assistunt, vel pulsant organum? - Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad quartum, pulsantes organum absque stipendio et audientes confessionem ex deputatione non amittere distributiones - *in Nullius Putignani die 6 Maii 1741.*

398. Nam etiam Canonicus, qui tempore divinorum officiorum organum pulsat absque stipendio distributiones quotidianas lucratur; quandoquidem proposito dubio: - An Canonicus sit punctandus ob eius a choro absentiam, vel potius interessentia in organis pro servitio Ecclesiae sit reputanda ad effectum percipiendi distributiones? -, Sacra Congregatio respondit: - Gaudere, si stipendio pro musica non recipiat - *in S. Severini die 15 Novembris 1659 lib. 21 Decretorum pag. 802.*

399. Idcirco proposito dubio: - IV. An Canonicus, qui solus in arte per totam Diaecesim in Cathedrali tempore solemnium officiorum organum pulsat, et aliquando etiam psalmos cantat alternatim cum aliis Canonicis existentibus in choro, punctaturis subiaceat, ac si non intersit? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad quartum, Negative, dummodo non habeat salarium - *in Adiacen. die 11 Iulii 1671 lib. 27 Decretorum pag. 144.*

400. Alias quippe distributiones quotidianas amittit Canonicus tempore divinorum Officiorum organum pulsans, vel cum Musicis psallens, si pro eiusmodi munere certum aliquod stipendium obtineat *in Ravennaten. Distributionum quotidianarum die 1 Iulii 1739* §. *Quocirca.*

Item *in Pisana Iurisdictionis et Iurium die 27 Iulii 1839* §. *Pluries; in Lucana Expensarum Fabricae et aliorum Iurium die 2 Martii 1844* §. *Nec.*

401. Hoc enim in casu assistentia in organis non aequipollet servitio Ecclesiae ad effectum lucrandi dispensationes, Clericat. decis. 37 n. 37 de sacrif. Missae tom. 1 *in Ferentina die 7 Iunii 1760* §. *Ferentina.*

402. Nec quid roboris adiicit observantia; quia, ex Canonicorum tolerantia vel ex-

(1) Reliqua habes in Verb. *Canonici*, §. VII, a n. 251 ad 268, Tom. V.

presso consensu, valida fieri non potest consuetudo percipiendi distributiones in absentia, contra expressam censuram Sacri Concilii Tridentini in sess. 24 cap. 12, ad cuius tramites haec Sacra Congregatio die 24 aprilis 1592, respondit Episcopo Rubensi: – Caveat, ut distributiones non dentur, nisi actu interessentibus, non obstante quacumque consuetudine immemorabili –, ut in lib. Litt. Episcop. Limin. visit. pag. 13 *in Ferentina die 7 iunii 1760* (1).

403. Quod procedit etiam pro discedentibus a choro tempore divinorum officiorum, causa celebrandi Missam *in Ferentina die 7 Iunii 1760* §. *Imo.*

Item *in Placentina Distributionum die 6 Martii 1847 Ultimo.*

404. Unde Canonici tempore divinorum officiorum a choro discedentes, ut Sacrum privatim absolvant, amittunt distributiones quotidianas, quin contraria consuetudo probari debeat, iuxta Passerinium in cap. *Consuetudinem* de cleric. non resid. in 6 reg. 10 n. 161, ubi ait: – Praecisa deputatione vel legitima licentia Superioris, consuetudo introduci non potest, ut Canonici, non interessentes choro causa celebrandi Missa privatas, lucrentur distributiones – *in Placentina Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Ultimo.*

405. Ast diversam ab hac doctrina circa praefatam consuetudinem tradit cum aliis Scarfantonius ad Ceccoperium lib. 3 tit. 11 n. 13 et 14, ubi inquit: – Posse ex iusta causa consuetudinem introduci, quod Canonici tempore divinorum celebrantes lucrentur distributiones, nam totum est divinus cultus –; et nonnullis interiectis prosequitur: – Dixi ex iusta causa, quam esse censeo, si, his celebrantibus, adhuc in choro remaneant tot Canonici, quot debita cum solemnitate officia persolvant, et sacrificantes sint multi, qui maxime hyemis tempore nequeunt unus post alium extra tempus divinorum Missam dicere, nisi catervatim dicantur, de quo Populus non reportaret commodum audiendi Sacrum eo divinorum intervallo – *in Placentina Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Ultimo.*

406. Itaque quum ex Synodo Scoppi sancitum fuerit, quod – duo tantum Canonici et totidem Beneficiati tempore divinorum officiorum possint abesse a choro pro celebranda Missa; qui autem supra dictum numerum celebrare praesumpserint, notentur per Punctatorem, ut absentes –, et Canonici Ecclesiae Collegiatae et Basilicae S. Antonini Civitatis Placentinae praetenderent, inter duos Canonicos, quibus permissum erat celebrare Missam tempore servitii choralis, adnumerari non posse Praepositum, eo quia cum ille tamquam principalis Dignitas et caput collegiatae frueretur privilegio Sacristiae separatae, ubi sacra assumebat paramenta, et in hoc a ceteris Canonicis distingueretur, iis aequiparari non debebat neque confundi, dum sermo haberetur de actu celebrationis, propositis dubiis: – VI. An Praepositus S. Antonini comprehendatur inter duos Canonicos, quibus permissum est celebrare tempore divinorum officiorum in casu? VII. An Canonici, praeter duos iam celebrantes, uti possint sacris vestibus Canonici Thesaurarii ad Sacrum faciendum saltem a die omnium Sanctorum usque ad diem Paschatis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad sextum, Affirmative. Ad septimum, relinquendum esse arbitrio et prudentiae Episcopi – *in Placentina Distributionum die 27 Martii 1847.*

407. Alias enim nemo lucrari potest distributiones quotidianas, dum tempore divinorum Officiorum Missam celebret, nisi de legitimi Superioris licentia abfuerit, ad eam celebrandam in Populi commoditatem, qualibet non obstante consuetudine *in Spoletana die 28 Februarii 1795* §. *Tertia.*

408. Certum hinc est, Canonicos discedentes a choro, dum alicuius horae officium peragitur, ut Sacrum privatim absolvant, distributiones quotidianas amittere, nisi illa hora ad Sacra conficienda ob Populi commoditatem compulsi fuerint ab eorum Superioribus *in Placentina Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Ultimo.*

409. Siquidem Sacra Cangregatio declaravit, distributiones amittere a choro discedentes, dum recitantur praedictae horae canonicae, pro Missa celebranda devotionis gratia, vel pro confessionibus audiendis *in Nicien. anno 1620 lib. 12 Decretorum pag. 38.*

(1) Reliqua prostant in Verb. *Canonici* §. VII, a n. 151 ad 164, Tom. V.

Item *in Dubium die 22 Iunii 1624 lib. 12 Decretorum pag. 181 et 182.*

410. Idcirco debentur quidem distributiones Canonicis Missam celebrantibus tempore, quo celebrantur horae canonicae, dummodo tamen sint ab Episcopo ad hunc effectum deputati *in Andrien. anno 1601 et die 11 Maii 1603 lib. 10 Decretorum pag. 12 et 61.*

Item *in Pennen. die 27 Iunii 1626 lib. 13 Decretorum pag. 39.*

411. Hinc celebrantes tempore divinorum officiorum in Capellis, quas habent in titulum vel ex mercede, amittunt distributiones quotidianas illarum horarum, quibus choro non intersunt, nisi celebrent in dicto tempore de mandato Superioris *in Mediolanen. lib. 1 Decretorum pag. 50 a tergo.*

Item *in Valentina anno 1609 lib. 11 Decretorum pag. 53.*

412. Idcirco deputati ab Episcopo ad celebrandam Missam privatam in Cathedrali tempore, quo mane recitantur horae Canonicae, vel celebrantes ex onere Canonicatui incumbente, pro praesentibus habendi sunt *in Andrien. anno 1601 lib. 10 Decretorum pag. 12.*

Item *in Aquileien. die 18 iulii 1602 lib. 10 Decretorum pag. 40; in Sulmonen. die 16 Martii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 305.*

413. Qua de re Constitutio Synodalis, prohibens distributiones dari Canonicis absentibus a choro Sacrum facturis, est observanda *in Lunen. Sarzanen. mense Septembris 1617 lib. 11 Decretorum pag. 200.*

414. Siquidem proposito dubio: – XII. An tempore, quo divina officia celebrantur in choro, vel Anniversarium, vel cantantur horae, si Canonici seu alii Praebendati Missam celebrent, habeantur pro praesentibus ad effectum lucrandi emolumenta et distributiones, ratione horae et Anniversarii? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad decimum secundum, Canonicos seu alios Praebendatos praedicto tempore Missas planas celebrantes non lucrari distributiones quotidianas nec emolumenta, nisi illa hora ad celebrandum Missas ab eo, ad quem pertinet, compulsi aut iussi fuerint – *in Oriolen. die 27 Martii 1632 lib. 14 Decretorum pag. 599.*

415. Poena tamen suspensionis a divinis infligi nequit contra Capitulares Missam celebrantes tempore divinorum officiorum; quum enim per Edictum valvis Sacristiae Ecclesiae Cathedralis affixum sub die 10 novembris anni 1705 Vicarius Generalis prohibuit, ne tempore divinorum officiorum aut Missae Conventualis Dignitates et Canonici a choro Missas celebraturi discedant, sub poena duplicis punctaturae et suspensionis a divinis, quatenus per mensem in contumacia persistant –, proposito dubio: – An Edictum substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, sed esse reformandum iuxta modum; videlicet quod tempore divinorum officiorum nullus discedat a choro ad Missam celebrandam, nisi vocatus fuerit a Sacrista, et licentiam obtinuerit a Praefecto chori, sub poena amissionis distributionis pro illa hora, et quatenus aliquis sit contumax, mulctetur pro prima vice poena dupli, crescente vero pertinacia, aliis poenis pecuniariis arbitrio Ordinarii, non tamen suspensionis – *in Ortonen. die 27 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum pag. 56.*

416. Proposito hinc dubio: – IX. An poena tarenorum trium adversus Dignitates et Canonicos celebrantes Missas planas tempore Missae solemnis substineatur, seu potius liceat eisdem Dignitatibus et Canonicis Missas praedictas celebrare eo tempore? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, dentur Decreta in Oriolen. et Ortonen. – *in Salernitana Edictorum. die 27 Septembris 1732* (1).

417. Amplia, distributiones nec debentur Canonicis inservientibus Episcopo Missam privatam etiam in Cathedrali celebrando *in Nullius die 1 Septembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 154.*

418. Idcirco si Canonici, tempore divinorum officiorum, assistant Episcopo Missam privatam celebranti in Ecclesia Cathedrali, punctari debent *in Arianen. Assistentiae die 17 Maii 1704 lib. 54 Decretorum* (2).

419. Ceterum cum iusta subesset causa, Summus Pontifex ex gratia indulsit duobus Canonicis inservientibus Archiepiscopo Mis-

(1) Reliqua late habes in Verb. *Canonici*, §. VII, a n. 210 ad 250, Tom. V.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in verb. *Canonici*, §. VII, n. 269 et 270, Tom. V.

sam privatam in Cathedrali celebranti, ut percipere possent distributiones quotidianas *in Ianuen. die 22 Augusti 1613 lib. 17 Decretorum pag. 218.*

420. Alias enim Canonicis Ecclesiae Cathedralis assistentibus Episcopo pontificalia exercenti vel in suo palatio, vel in aliis Ecclesiis suae Diaecesis, non modo haud debentur Anniversariorum emolumenta, quae ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solum inter praesentes, sed nec est consulendum Sanctissimo pro concessione indulti ex gratia *in Bosanen. Visitationis sacrorum Liminum die 6 Februarii 1734* (1).

421. Verum distributiones quotidianae debentur Canonicis absentibus in choro et assistentibus Episcopo pontificalia exercenti nedum in Cathedrali, sed etiam in aliis Ecclesiis Civitatis et Suburbiis *in Ianuen. mense Novembris 1616 lib. 11 Decretorum pag. 185.*

Item *in Amerina Distributionum die 3 Februarii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 26; in Verulana Punctaturarum die 10 Iulii 1694 lib. 44 Decretorum pag. 315.*

422. Nam onus assistendi Archiepiscopo in Pontificalibus cuilibet Canonicatui et praesertim Cathedralium comperitur adnexum, uti satis colligi videtur ex Rescriptis Sacrae Congregationis editis in Burgen. lib. 3 Decretorum pag. 54, et die 6 octobris 1625 lib. 12 Decretorum pag. 316, in Murana Assistentiae 28 ianuarii 1673 lib. 28 Decretorum pag. 18 *in Ravennaten. Distributionum quotidianarum die 1 Augusti 1739* §. *At.*

423. Non tamen omnes Canonici assistere debent, sed necessarii, si Pontificalia habentur extra Cathedralem *in Ianuen. mense Septembris 1617 lib. 11 Decretorum pag. 202.*

424. Itaque Sacra Congregatio declaravit, nec Canonico concionatori deberi distributiones quotidianas, dum concionem habet *in Adiacen. die 10 Septembris 1678.*

425. Siquidem ex constanti Sacrae Congregationis praxi distributiones amittunt annunciatores verbi Dei in Quadragesima et Adventu absentes a chorali servitio *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Nec.*

426. Unde Sacra Congregatio distributiones aufert Canonicis, qui verbi Dei praedicationi dant operam, quoties ex huiusmodi exercitio lucrum aliquod persentiant, et aliunde tale officium non sit adnexum Praebendae, uti eruitur ex Dubiis Indultorum 6 maii 1820 et in Romana Dubia Indultorum 25 maii 1822 *in Piscien. Indulti die 23 Martii 1839* §. *Videant.*

427. Amplia, nec interessentes concioni etiam in Cathedrali, quae habetur tempore, quo recitantur horae canonicae, lucrantur distributiones quotidianas illius horae, cui non intersunt *in Vicentina die 7 Iunii 1636 et die 7 Februarii 1643 lib. 15 Decretorum pag. 365 et lib. 17 Decretorum pag. 140.*

428. Idcirco assistentes concioni in habitu canonicali diebus, quibus habetur in cathedrali, non possunt lucrari distributiones quotidianas, quae dantur pro Matutino; neque assistentes Vesperis lucrantur assignatas pro Compeletorio, si praedictis horis pariter non intersunt, non obstante quamvis consuetudine etiam immemorabili in contrarium *in Vicentina die 7 Februarii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 140.*

429. Unde Canonicus, qui obtinuit Indultum Pontificium abessendi causa praedicationis, amissa tamen tertia redituum parte, quae praesentibus accrescere debet, integras fallentias solvere tenetur, cum haud subsistat, quod reditus non constituant summam, quam ceteri Canonici percipiunt, nec non solvere tenetur reliquas punctaturas, licet in praefato Indulto Pontificio nulla de iis fiat mentio, cum ex hoc eaedem nullatenus remissae censeantur *in Firmana Fallentiarum die 5 Iunii 1858.*

430. Siquidem Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi massam communem habebat, a qua demptis scutatis viginti quinque pro qualibet Dignitate, quindecim pro quolibet Canonico, et decem pro Beneficiatis, residua pars in quotidianas cedebat distributiones, inter eos dividendas, qui choro interessent. Anno 1773 ex mandato Emi Episcopi Parracciani Capitulum Constitutiones condidit, in quibus quotidianae distributiones in obulis quindecim pro unaquaque Dignitate, in duodecim pro

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Anniversaria*, §. II, n. 73 ad 76, Tom. II, ubi reliqua prostant, quae Anniversariorum emolumenta respiciunt.

Canonicis, et in obulis sex pro quolibet ex Beneficiatis taxatae fuere, quae loco punctaturae esse deberent, a non interessentibus solvendae. Insuper cautum, quod concederentur intra annum duo menses vacationis, et si quis praetergrederetur sexaginta dies, tunc amitteret tertiam partem dierum sexaginta, et integram cuiusque diei, post sexaginta; si Hebdomadarius relinqueret intonationem Matutini et Vesperarum, punctaretur pro ea parte, quam relinqueret, licet praesens esset integrae officiaturae, exceptis vero a vacationibus anni solemnitatibus et hebdomada maiori, quibus diebus integra pars relinqui deberet: demum quisque quinque obulos solvere teneretur, si functionibus capitularibus non interesset, et ita si quater et vicies non interesset Vesperis et Missae diebus festis de praecepto. Anno 1821 Canonicatum fundavit in eadem Ecclesia Collegiata pius institutor Sabbioni, et dotem a Canonico pro tempore administrandam in scuta bis millia septingenta septuaginta adsignavit, eo quod Missae quotidianae eius Rectori onus superimpositum voluit. Is quoque – omnia munia (sunt verba Bullae erectionis), ut alii Canonici faciunt, adimpleat, et Constitutiones observet, et fallentias solvat, itidemque tempore vacationis et vacationum erigendi Canonicatus fructus omnes eiusdem, quemadmodum et fallentiae a novo Canonico patrandae, et in eisdem pondere et mensura, ut ceteri eiusdem Collegiatae Canonici, quolibet die chori servitio addicto persolvendae, cedere debeant commodo et utilitati Sacrarii ipsius Collegiatae –. Canonicus Fedeli praedicti Canonicatus possessor praedicationis causa anno 1854 et 1855 indultum abessendi obtinuit, his verbis conceptum: – Orator tempore quadragesimae a sua residentia abesse possit, et interim omnes sui Canonicatus fructus percipere valeat: quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent, vel si reditus Praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel Praebendae et distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat –. Qua de re Canonicus Fedeli praemisso, fallentias quotidianas in obulis duodecim a se persolvendis quotidianarum distributionum locum sibi vindicare, sustinuit, fructus sui Canonicatus solis constare quotidianis distributionibus; atque idcirco in applicatione tertii casus Pontificii Rescripti non teneri, nisi ad amissionem tertiae partis quotidianarum distributionum, idest ad solutionem obulorum quatuor pro unaquaque die, nam punctaturae, sive quotidianae distributiones totius anni summam conficiebant quadraginta quinque scutorum, dum e converso reditus, quos ab omni onere immunes percipiebat, vix attingere summam scutatorum octo supra triginta ostendere conatus est. Ad reliquas vero punctaturas, eiusdem Indulti vigore, minime teneri contendit, ex quo non appareret, aliud sibi impositum esse praeter solam amissionem tertiae partis quotidianarum distributionum. Verum Canonici massae communis integras fallentias, ratione scilicet obulorum duodecim pro unaquaque die, a Canonico Fedeli solvendas esse demonstrarunt, cum reditus eiusdem Canonicatus summam ferrent scutorum septuaginta sex cum dimidio. Unde Canonicum Fedeli reliquis etiam punctaturis subesse dixerunt, quin obesset Indultum Pontificium: hoc enim nullam quidem faciebat mentionem de reliquis extraordinariis, sed nec eas expresse remittebat; dispensationes vero sunt strictae interpretationis, quod eo magis si Rescriptum laedat ius tertio quaesitum, et de eo non potuit Rescribens cogitare. Praesertim quia Canonicus Fedeli ex absentia commodum retulit, congruum recipiens praedicationis gratia emolumentum.

431. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Canonicus Fedeli tempore quadragesimae solvere teneatur pro unaquaque die absentiae punctaturam obulorum duodecim, vel potius quatuor tantum in casu? II. An Canonicus Fedeli pro eodem tempore absentiae subiiciatur ceteris punctaturis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative – *in Firmana Fallentiarum die 5 Iunii 1858.*

432. Nedum itaque ad distributiones lucrandas necessarium est, ut quivis Capitularis tempore divinorum officiorum personaliter choro intersit ac psallet; sed insuper oportet, ut fidei professionem iam emiserit:

ei tamen debentur distributiones, qui fidei professionem emisit in manibus Praefecti chori in capienda possessione sui Canonicatus, licet non in manibus Abbatis, iuxta Constitutiones Ecclesiae; tenetur vero eamdem fidei professionem in manibus Abbatis reiterare *in Nullius Provinciae Sabaudiae die 2 Maii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 235.*

433. Quin imo statuit Tridentina Synodus sess. 22 cap. 4 de reformatione, ut ii, qui Dignitates Praebendas ac quaelibet alia Beneficia in Ecclesiis Cathedralibus obtinent, quibus Ordines Praesbiteratus Diaconatus aut Subdiaconatus sunt annexi, teneantur, iusto impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos, alioquin poenas incurrant, iuxta Constitutionem Concilii Viennensis, quae incipit: *Ut ii.* Contra autem eos, qui Ordinem sacrum Praebendae annexum intra annum suscipere negligunt, has poenas statuit Concilium Viennense in Clementina *Ut ii* 2 de aetate et qualitate praeficiendorum: - Nisi, iusto impedimento cessante, ad huiusmodi Ordines se promoveri fecerint intra annum, ex tunc, donec ad eos promoti fuerit, nullo modo vocem in Capitulo habeant, ipsisque distributionum, quae dantur his, qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus vel statutis; et poenis aliis, quae contra tales promoveri ad Ordines recusantes statuuntur in iure, nihilominus in suo robore permansuris - *in Tirasonen. Ordinum die 30 Maii 1778* §. *Ex hoc.*

Item *in Firmana Fructuum et Distributionum die 24 Novembris 1827* §. *Statuit; in Firmana Canonicatus die 22 Maii 1830* §. *Qui.*

434. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, Canonicum amittere medietatem distributionum usque ad diem, quo indultum assequutus est, etiamsi Ecclesiae inserviat, quum elapso anno a die obtenti Canonicatus Ordinem sacrum non susceperit in legitima aetate iam constitutus *in Maceraten. Distributionum die 23 Ianuarii 1666 lib. 25 Decretorum pag. 18 a tergo.*

435. Unde in hanc poenam amissionis dimidiae partis quotidianarum distributionum huiusmodi Canonici ipso facto incidunt, cum poena haec non ferendae, sed latae sententiae esse videtur; nam in praefata Clementina statuitur, ut, nisi intra annum se ad Ordines sacros promoveri fecerint, - ex tunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant, ipsisque distributionum.... pars dimidia subtrahatur -, siquidem dictio illa - ex tunc - poenam latae sententiae portendit, ad tradita per Felinum in Cap. *Rodulphus* n. 24 de rescriptis, Reiffenstuel. lib. 1 Decret. de constit. n. 218 *in Firmana Fructuum et Distributionum die 24 Novembris 1827* §. *Verum.*

Item *in Firmana Canonicatus die 22 Maii 1830* §. *Qui.*

436. Qua de re Doctores agentes de poenis contra eos, qui Ordines Praebendae annexos suscipere negligunt, docent, illos post annum a Clementina indultum in poenam incidere privationis medietatis distributionum, Fagnan. in Cap. *Quaeris* de aetat. et qualit. praeficiendorum n. 33, Barbos. de Canon. cap. 16 n. 13, Scarfanton. in animadv. ad Ceccoper. lucubr. can. lib. 4 tit. 8 a n. 43, imo poenam illam sicut et privationem vocis in Capitulo esse latae sententiae, aperte tradunt Thesaur. de poen. eccles. verb. *Beneficium* cap. 6, Giraldi expos. iur. Pontif. sect. 79 ad Concil. Trid. sess. 22 cap. 4 de reformatione, inquiunt enim isti, - quatenus non praerequirit monitionem, sed solam citationem ad dicendum causam, quare non debeat affici poena Clementinae *Ut ii,* et si non probaverit, se legitime fuisse impeditum, declarabitur, esse locum poenae, et a distributore fit subtractio - *in Firmana Fructuum et Distributionum die 24 Novembris 1827* §. *Verum.*

437. Haud itaque opus est sententia condemnatoria, sed tantummodo sententia declaratoria, quae decernat, huiusmodi Canonicos ob non susceptos sacros Ordines eorum Praebendis annexos poenam contraxisse privationis mediae partis quotidianarum distributionum, statim ac dies cessit anni ad suscipiendos Ordines indulti, quoniam ea vis est ac robur sententiae declaratoriae, ut poena ipso iure imposita a die violatae legis sit luenda, Pirhing ius can. tit. de haeret. n. 60, Zallinger lib. 1 Decret. tit. 1 §. 105 *in Firmana Fructuum et Distributionum die 24 Novembris 1827* §. *Haud.*

438. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, Paulum Savini et Prosperum Alexandrini, qui Praebendas, quibus sacri Ordines adnexi erant, obtinuerant, in poenam amissionis mediae partis distributionum, ob non susceptos sacros Ordines, incidisse post expletum annum vigesimum secundum, quin consulendum esset Summo Pontifici pro condonatione, et multo minus concedendum indultum prorogationis, sed potius procedendum prout de iure, cum iusta deficeret causa, et Ordinarius eos pluries monuisset de lege, cui obnoxii erant, suscipiendi Ordines iutra annum, postquam ad canonicam aetatem erant perventi, haudquaquam obstante, quod preces Summo Pontifici porrectae fuerint pro obtinenda prorogatione, quia porrectae fuerunt, postquam in poenam inciderant, et nullo adhuc dimissae fuerunt Rescripto *in Firmana Fructuum et Distributionum die 24 Novembris 1827* (1).

439. Unde si quis ex propria culpa promoveri non potuit, licet divinis interfuerit, medietate distributionum, non vero omnibus privandus est, ceu ad rem ponderat Glossa in praefata Clementina *Ut ii, qui* verb. impedimento, et Barbosa loc. cit. n. 15 *in Tirasonen. Ordinum die 30 Maii 1778* §. *Ex hoc.*

440. Qua de re Canonicis tam integrae, quam dimidiae et quartae Praebendae, propter eorum moram in assumendis sacris Ordinibus eorum Praebendis Canonicalibus annexis, subtrahenda est medietas distributionum quotidianarum; proposito enim dubio: – IX. An propter eorum moram in assumendis praedictis Ordinibus sit eis imposterum subtrahenda sola medietas distributionum quotidianarum, vel ulterius sint privandi eorum Canonicatibus, sive declarandum, eos non esse Canonicos? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, Affirmative ad primam partem, et quoad secundam, praefigatur terminus quatuor mensium ad assumendos Ordines sacros, quo elapso, Ordinarius auctoritate etiam Sacrae Congregationis procedat ad privationem – *in Ulixbonen. Orientalis die 5 Decembris 1722.*

441. Quum autem Doctor Vincentius Calvo Regia nominatione et canonica praecedente institutione annum agens quadragesimum et ultra aetatis suae die 19 iunii 1773 Canonicatus Sacerdotalis possessionem in Cathedrali Ecclesia Tirasonensi obtinuisset, sed elapso iam anno a Tridentina Synodo pro suscipiendis Ordinibus Beneficio adnexis praefinito, quamvis divinis interesset officiis, iacturam se pati distributionum exposuerit, ex eo quod Episcopus optatae ordinationis gratiam impertiri renuebat, propositis dubiis: – II. An sit locus ordinationi in casu etc. III. An et a quo tempore restituendae sint distributiones quotidianae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Supplicet Episcopo, et ad mentem – *in Tirasonen. Ordinum die 8 Augusti 1778.*

442. Mens autem fuit, quod scriberetur Episcopo, ut Canonicum supplicem reciperet, eumque moneret, ut se contineret in officio, utque debitum Episcopo praestaret obsequium, nec non resipiscentis animi daret argumenta, et imposterum caveret ab iis, quae in eo iuste displicuerunt Episcopo, quaeque Episcopus iure reprehenderat atque damnaverat, quibus omnibus a Canonico adimpletis, Episcopus, quatenus idem Canonicus interim sacris Ordinibus non indignum se redderet, eos praeviis exercitiis spiritualibus eidem conferret *in Tirasonen. Ordinum die 16 Iunii 1781* §. *Huius.*

443. Novis exin defensionibus ab Episcopo transmissis, super eo quod evenerit post editum praefatum Rescriptum, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, arbitrio et conscientiae Episcopi. Ad tertium, dilata; et scribatur Episcopo, iuxta mentem – *in Tirasonen. Ordinum die 26 Ianuarii 1782.*

444. Quod si quis Ordinum collationem non ex propria desidia seu aliquo facinore, verum aliunde consequi non meruit, sui Canonicatus iuribus non est expoliandus, adeoque distributiones quotidianas esse restituendas eruitur ex Glossa in fin. Cap. *Ut Abbates* de aetat. et qualit. *in Tirasonen. Ordinum die 30 Maii 1778* §. *Ex hoc.*

445. Nec bona fide a Canonicis, quibus accrescunt, consumi potuisse dicendum est,

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonici* §. III, n. 238 ad 241, ubi a n. 231 aliae prostant resolutiones, Tom. IV.

cum Canonicus de iis non amittendis coram Capitulo emiserit protestationem, quo casu distributiones retentas esse obnoxias restitutioni sensit Rota in Recent. decis. 260 n. 17 part. 12 *in Tirasonen. Ordinum die 30 Maii 1778* §. *Ex hoc.*

446. Si vero Canonicus iustam dubitandi causam habuerit, quod ipse sacros Ordines suscipere non teneretur, locus est condonationi dimidiae partis quotidianarum distributionum amissae; his enim in terminis proposito dubio: « II. An et a quo tempore Canonicus Pascucci inciderit in poenam privationis dimidiae partis quotidianarum distributionum in casu etc. », Sacra Congregatio responsum tulit: « Ad secundum, supplicandum Sanctissimo pro condonatione » *in Firmana Canonicatus die 26 Iunii 1830* (1).

447. Quin imo distributiones quotidianae debentur Canonico primo anno sui Canonicatus inserviendo, etiamsi in sacris constitutus non sit, nec Ordinem suae Praebendae adnexum habeat, secus vero elapso anno, nisi legitimo impedimento detentus dictum sacrum Ordinem suscipere non potuerit, vel a Sede Apostolica prorogationem ad eum suscipiendum non obtinuerit *in Papien. die 21 Iunii 1625 lib. 12 Decretorum pag. 293.*

448. Amplia, licet ratione aetatis posset suscipere sacrum Ordinem, sed non suscepit *in Theatina mense Iunii 1634 Posit. 40 ad Cap. 4 sess. 22 de reformatione.*

Item *in Reatina die 26 Ianuarii 1656 lib. 21 pag. 161.*

449. Qua de re id habet etiam locum in Canonico Collegiatae, non obstante Statuto eiusdem Ecclesiae; nam hoc haud se debet extendere ad maiorem poenam infligendam, quam privationem vocis in Capitulo, iuxta cap. 4 sess. 22 de reformatione *in Novarien. die 27 Novembris 1600 lib. 9 Decretorum pag. 117.*

450. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, Statutum factum, ut supponitur, ad mentem Concilii non posse praescribere amissionem distributionum Canonico Collegiatae in ordine Subdiaconatus saltem non constituto; sed tantum privationem vocis in Capitulo, iuxta dictum Concilii Decretum in cap. 4 sess. 22 de reformatione, et ideo ad hanc solam poenam restringendum *in Novarien. die 27 novembris 1600 lib. 9 Decretorum pag. 117.*

451. Idcirco « adversus resolutionem captam die 18 praeteriti mensis augusti, qua dictum fuit Canonico Michelangelo quamvis sacris Ordinibus non insignito deberi distributiones quotidianas a pio Fundatore particulariter assignatas, non obstante contrario usu, etiam confirmato per Literas s. m. Urbani VIII, non admittendi scilicet ad participationem emolumentorum canonicalium, nisi Canonicos in sacris constitutos, obtinuerunt Capitulum et Canonici Collegiatae Ecclesiae Hispelli iterum audiri. Quare tam ex deductis in praeterita positione, quam ex noviter utrinque deducendis, iterum resolvendum proponitur: « An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 18 augusti 1696 in casu etc. », Sacra Congregatio responsum dedit: « In decisis, et amplius » *in Spoletana Distributionum die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum.*

452. Unde licet ex Statutis Collegiatae Ecclesiae Canonici obstringi quodammodo viderentur onera suscipiendi sacros Ordines sub poena amissionis medietatis distributionum, attentis etiam peculiaribus rerum circumstantiis ac praesertim infirmitate Canonici Oratoris, Sacra Congregatio mandavit, ut Orator non molestaretur *in Romana Distributionum die 16 Februarii 1704 lib. 54 Decretorum.*

453. Siquidem « pacifice post duodecim fere annorum curriculum Ioannes Angelus Magnonus Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Eustachii gavisus fuit omnibus emolumentis distributionibus et quibuscumque aliis obventionibus sui Canonicatus, licet in sacris non constitutus, prout pariter gavisi fuerunt duo vel tres alii Canonici antecessores, quamvis sacris Ordinibus non insigniti, nemine penitus ex Capitularibus contradicente. Novissime autem Camerarius Capituli innixus praecipue cuidam copiae Decreti editi in Visitatione peracta anno 1654 et renovato sequenti anno 1655 per cl. me. Cardinalem Ursinum, quo mandatum fuerat nonnullis Ca-

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Canonici*, §. VI, n. 135 et 186, Tom. V.

nonicis tunc temporis, ut sacros Ordines susciperent sub poena amissionis medietatis distributionum, ne Ecclesia debito servitio destitueretur, portionem fructuum et distributionum ad dictum Magnonum spectantem idem Camerarius loco depositi retinuit, monendo eumdem, ut ad sacros Ordines promoveri se faceret; proindeque habitus fuit per dictum Magnonum recursus ad hanc Sacram Congregationem supplicando declarari, ipsum non teneri ad dictorum Ordinum susceptionem, tum attento iure communi et sacro Concilio Tridentino, cuius vigore Canonici Ecclesiarum Collegiatarum non adstringuntur ad dictos Ordines suscipiendos, tum etiam attento defectu Statuti Ecclesiae seu Constitutionis id praecise mandantis, non refrangante quadam simplici adnotatione, reperta in libro memoriarum Capituli, conscripto anno 1631, in quo describuntur Praebendae Canonicales dictae Ecclesiae cum annexo onere alicuius Ordinis sacri, quia tamquam scriptura privata, non extracta ex publico Archivio, et carente lapsu centenariae, nullam fidem meretur, pariterque non obstante praefato Decreto Cardinalis Ursini, utpote lato contra peculiares Canonicos, et ex praecisa causa necessitatis Ecclesiae, de cuius executione nec etiam docetur, cum potius appareat contrarium, dum post illud sciente et patiente Capitulo fuerunt alii Canonici in sacris non constituti, et denique quatenus praedicta non sufficerent ad se eximendum ab obligatione praefata, procul dubio autumat satis esse infirmitatem seu continuam et habitualem vexationem paroximorum capitis et nervorum, a quibus a pluribus annis usque ad praesens affligitur, ab ipsismet Canonicis capitulariter approbatam usque ab anno 1697, et iuxta attestationes Phisicorum, aliaque documenta exhibita, qua stante, ait teneri in foro conscientiae se abstinere a susceptione sacrorum Ordinum, ut ex voto sex Theologorum Collegii Casanatensis Urbis. Exquisita igitur desuper relatione Emi Vicarii, iste audito Capitulo, supradicta omnia enuncians, votum suum aperiendo, licet censeat, Canonicos Ecclesiae S. Eustachii teneri sacros Ordines suscipere, saltem quando necessitas impelleret, non quidem de iure, sed in vim supradictae notulae Statuti Ecclesiae descriptae in libro memoriarum anni 1631, quae, cum sit inter scripturas antiquas fidem mereri existimat addendo, quando necessitas urgeret, quia, ut E. S. observat, Cardinales visitatores praecipue moti fuerunt ad compellendos Canonicos ad Sacrorum Ordinum susceptionem, ne Ecclesia servitio penitus destituta remaneret, et putet, Canonicos in sacris non constitutos privandos esse propriis ac meris quotidianis distributionibus, et non ultra, nihilominus quoad Canonicum Magnonum in servitio S. Sedis optime meritum concludit, omnino dispensandum fore ab obligatione praedicta, attento iusto impedimento, cum non ex culpa sua, sed causa infirmitatum distulerit ad sacros Ordines ascendere, prout alias testatum fuit idem Capitulum, propter quas dispensationem quoque a recitatione divini officii a Sacra Poenitentiaria reportavit, vel in omnem casum agendum cum Sanctissimo pro indulto, tum ex causis superius expressis, tum etiam quia per duodecim annos, quibus dictus Magnonus bona fide Canonicatum obtinet, non fuit vexatus, ac pacifice omnia emolumenta percepit, et maxime dum in praesenti nulla existit atque urget Ecclesiae necessitas –.

454. Quibus itaque omnibus perpensis, et Capitulo non comparente nec cotradicente, propositis dubiis: – I. An teneatur sacros Ordines suscipere? *Et quatenus affirmative.* II. An saltem ex causis expressis sit ei indulgendum, ut a dicta susceptione sacrorum Ordinum licite valeat se abstinere cum perceptione omnium fructuum et distributiouum sui Canonicatus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Orator non molestetur – *in Romana Distributionum die 16 Februarii 1704 lib. 54 Decretorum.*

455. Idcirco nec Episcopus potest decernere, ne huiusmodi Capitulares lucrentur distributiones inserviendo *in Patavina die 23 Augusti 1630 ad cap. 4 sess. 22 de reformatione Posit. 40 pag. 22.*

456. Si vero agatur de consuetudine, qua non habentes Ordinem sacrum Praebendae annexum privantur dimidia parte distributionum, ea servanda est, quandoquidem quum in Capitulo Collegiatae Ecclesiae divi Petri Civitatis Spoletae adesset consuetudo, qua non habentes Ordinem sacrum Praebendae anne-

xum atque chori Ecclesiaeque servitio interessentes carebant dimidia parte distributionum quotidianarum, frustra integras distributiones quotidianas petiit Ioseph Brianzius, qui annum aetatis agens decimum septimum ob Iosephi Franchii resignationem obtinuerat a Summo Pontifice in praefata Ecclesia Canonicatum Ordinis Sacerdotalis, licet praetenderet, distributiones quotidianas esse stipendium laboris et praesentiae, ac Summum Pontificem, dum eidem dictum Canonicatum contulit, etiam aetatis defectui tacite dispensasse censendum esse; his enim in terminis proposito dubio: - An Canonico Iosepho Brianzio aeque ac aliis Canonicis Collegiatae S. Petri debeantur distributiones quotidianae in casu etc. -, Sacra Congregatio die 8 maii 1745 respondit: - Dilata; et quadiuventur probationes super asserta consuetudine, etiam cum extractione formiter facienda partitarum ex libris Capitularibus -. His itaque adamussim impletis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: - Negative, attenta consuetudine - *in Spoletana Distributionum quotidianarum die 26 Martii 1746.*

457. Id eo vel magis locum habet in Ecclesia Cathedrali, in qua ex consuetudine legitime praescripta Ordo Sacerdotalis actu requiritur in Canonicis, ad effectum lucrandi distributiones *in Eugubina die 20 Iunii 1609, ad Cap. 4 sess. 22 de reformatione Posit. 89 pag. 110.*

458. Nullum vero dubium, quin distributiones debeantur Canonico dispensato super aetatis defectu a Sede Apostolica quousque ad aetatem pervenit, ut Ordinem suae Praebendae annexum suscipere valeat *in Montis Politiani die 13 Ianuarii 1629 ad cap. 4 sess. 22 de reformatione Posit. 40 pag. 44.*

Item *in Reatina die 9 Februarii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 283.*

459. Nec aliter responsum, si ad legitimam aetatem suscipiendi Ordinem sacrum perventus a Sede Apostolica indultum prorogationis obtinuerit *in Mediolanen. Distributionum die 13 Iulii 1669 lib. 26 Decretorum pag. 255.*

460. Idcirco quum Sperandeus Cavaroleus Beneficium Ecclesiae Cathedralis assequutus esset, aetatem agens annorum viginti tres, Capitulum per illud tempus, quo ob defectum aetatis presbiterali ordine initiari ille non potuerat, condendebat, medietatem dumtaxat distributionum ei deberi ad normam Bullae Pii II Pontificis Maximi, Sacra Congregatio vero respondit, integras deberi distributiones *in Reatina die 26 Ianuarii 1658.*

461. Hinc tam Archidiaconus super defectu aetatis dispensatus et Canonici, qui in Sacerdotali Ordine constituti nondum in eorum turno solemniter Missam celebrarunt, quam alii, qui Sacerdotio non sunt initiati, quatenus intersint divinis officiis, admitti debent ad participationem distributionum, quin ullatenus obstet asserta antiqua consuetudo, qua iidem ab huiusmodi participatione reiici videntur *in Amerina Distributionum die 13 Ianuarii 1714 lib. 64 Decretorum* (1).

462. Denegatur vero retentio distributionum quotidianarum Canonico, qui dispensatus fuit super defectu aetatis ea adiecta in Literis Apostolicis conditione, ut susciperet sacros Ordines, statim ac ad legitimam aetatem perveniret, sed iam completo anno vigesimo primo sacrum Subdiaconatus haud is suscipere curavit, quin ullatenus obstet asserta bona fides et servitium Ecclesiae praestitum *in Florentina Distributionum die 12 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

463. Enimvero - Bernardus Guadagnus in minori aetate existens obtinuit Canonicatum in Ecclesia Metropolitana, praevia Sanctissimi dispensatione super defectu aetatis a Sacro Concilio praescriptae, cum obligatione tamen in Literis Apostolicis iniuncta, quod cum primum ad aetatem legitimam perveniret, proximis inde quatuor temporibus Ordinem ipsum, quem aetas postulaverit, videlicet Subdiaconatus Diaconatus et Presbiteratus suscipere teneretur. Verum quia die 14 septembris 1695 aetatem annorum viginti unius complevit, nec Subdiaconatus ordinem tunc assumpsit sub credulitate, quod ad id non teneretur, nisi completo anno vigesimo secundo, ex quo verba Sacri Concilii Cap. 12 sess. 23 de reformatione praescribentia aetatem viginti-duorum ad Subdiaconatus ordinem intelligenda essent, non de incepto, sed de anno

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Archidiaconus*, §. II, n. 62 ad 66, Tom. II.

completo iuxta Textum in Can. 1 dist. 78, quem late exornat Fagnanus in Cap. *A qua* de consecratione Ecclesiae vel Altaris n. 16. Hinc post obtentam die 16 praeteriti mensis iulii annalem dilationem ab hac Sacra Congregatione ad Sacros Ordines suscipiendum, supplicavit etiam pro facultate sibi retinendi distributiones medio tempore exactas, attento servitio Ecclesiae per id tempus continuo ac bona fide praestito. Cum autem audito desuper Archiepiscopo et per Archiepiscopum Capitulo, alleget iste utrumque obstaculum, tenoris nempe Apostolicae dispensationis ac Constitutionum Ecclesiae nec non exemplo alterius Canonici, qui in eisdem facti circumstantiis exactas distributiones Capitulo restituit; hinc citato et contradicente Capitulo, superest decernendum: - An petitae retentioni distributionum sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Negative - *in Florentina Distributionum die 12 Ianuarii 1697 lib. 47 Decretorum.*

464. Quod si Canonicus omnibus quidem pollent requisitis, ut choro legitime intersit ad effectum percipiendi distributiones quotidianas; sed a Capitulo iniuste impeditur, quominus ad illum accedat, haudquaquam hanc ob causam distributiones amittere debet: nam ecclesiastici iuris disciplina postulat, ut Canonicus a Capitulo, vel ab alio iniuste impeditus, ne cum aliis choro intersit, suoque muneri satisfaciat, quotidianas distributiones, quas alias praesentia sua percepisset, lucretur, uti advertunt Schmalzgrueber in ius can. lib. 3 tit. 4 n. 90 §. 4 vers, qui impeditus fuit, Leurenius quaest. 412 n. 3 et 4, Zoes de cleric. non resid. n. 13 *in Imolen. Distributionum die 28 Ianuarii 1736* §. *Praecipuum.*

Item *in Iuvenacen. Admissionis ad consortium die 17 Augusti 1737* §. *Praeterea; in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *E contra.*

465. Siquidem proposito dubio: - An Canonicus, qui post possessionem Canonicatus capitulariter captam non fuit admissus de facto Capituli ad residentiam, quam propterea non fecit, percipere debeat fructus dicti Canonicatus una cum distributionibus quotidianis per Canonicos residere non impeditos et actu residentes? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Secundum ea, quae proponuntur, Canonicum Oratorem percipere debere fructus nec non distributiones quotidianas - *in Nullius die 27 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 318.*

466. Unde Canonicus, qui a Sede Apostolica provisus ob Capituli excessus nequeat choro interesse, nedum fructus, sed etiam distributiones lucratur a die possessionis *in Nullius Tudelae die 22 Novembris 1727 die 13 Martii 1728 et die 23 Iulii 1729* (1).

467. Idcirco si Capitulum iniuste privaverit Canonicum voce activa et passiva, praeter portionem capitularem, quae interea vacavit, quaeque iure optionis debetur, sunt ipsi etiam distributiones ac cetera emolumenta restituenda *in Iuvenacen. die 23 Augusti 1738* (2).

468. Hinc etiam Canonicus, qui fuit nulliter ab Episcopo excommunicatus, lucrari debet distributiones toto tempore, quo hanc ob causam divinis officiis interesse non potuit *in Lasvianen. die 13 Iunii 1626 ad cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 74 pag. 11.*

469. Quum itaque haud sustineatur privatio Canonicatus per Episcopum facta, Martinus de Marco Canonicus Cathedralis Ecclesiae Iserniensis nedum reintegrandus est ad illum etiam quoad omnes fructus praeteritos, sed et quoad distributiones a die motae litis *in Isernien. Canonicatus die 22 Februarii 1710 lib. 60 Decretorum* (3).

470. Quin imo indebite ad Curiam vocatus ac detentus, lucrari debet distributiones quotidianas pro toto tempore, quo hac de causa impeditus; Canonicus inservire haud valuit *in Sutrina anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 28.*

471. Distinguendum enim est, iuste ne, an inique aliquis in carceres coniectus fuerit Principis iussu; nam si inique, legitime impeditus dicitur facto Principis, ut, cum nulla sua culpa a residentia abfuerit, distributionibus carere non debeat: cum vero iure in carce-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonici*, §. III, n. 102 ad 105, Tom. IV.
(2) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonici*, §. X, n. 3 ad 7, Tom. V.
(3) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonici* §. V, n. 182 ad 185, Tom. IV.

res coniectus est, proprio facto praepeditus fuit statis horis interesse, ut ad lucrifaciendas quotidianas distributiones satis ei non sit color quaesitus ex facto Principis, cui proprio crimine propriaque culpa causam ipse dedit, ita distinguentibus Antonell. de reg. Eccles. lib. 3 cap. 16 n. 16, Card. De Luca in adnot. ad Concil. Trid. disc. 15 n. 18, Nicol. in Flosc. verb. Distributiones n. 12, et Panimolla dec. 20 part. 1 adnot. 3 n. 64 *in Anagnina Distributionum quotidianarum die 29 Februarii 1744* §. *Frustra.*

472. Idcirco distributiones eorum, qui in carceribus detinentur, debent per alios Canonicos conservari, donec liqueat, utrum iuste, an iniuste in illis detineantur *in Valentina anno 1613 lib. 11 Decretorum pag. 133.*

473. Unde qui in carcerem coniectus est, ut iustam ac rationabilem nanciscatur causam distributionum lucrifaciendarum, debet tamquam iniustam atque iniquam suam demonstrare inclusionem, iuxta doctrinam Ferraris in Bibliotheca can. verb. Distributiones quotidianae art. 1 n. 26, Fagnan. in Cap. *Licet* de Praebendis n. 130 et 153, Barbos. in Apost. decis. collect. 258 n. 9 *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Hisce.*

474. Ceterum iniustitia detentionis non ab absente probanda esse, quia culpa non praesumitur, sed eius iustitiae probatio neganti distributiones incumbere videtur, et quidem per Iudicis sententiam conficienda, iuxta doctrinam Pitonii in discept. eccles. 34 n. 13 tom. 1, quia Actore non probante, Reus absolvitur, etiam nihil probando, ceu fert iuris axioma *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *E contra.*

475. Quamobrem Capitulum contendens privare distributionibus quotidianis Canonicum absentem ob inimicitias, tenetur concludenter probare, easdem inimicitias ex culpa Canonici insurrexisse iuxta ea, quae tradit Ciarlin. contr. foren. tom. 3 cap. 227 n. 15 et 16. – Non obstat, quod haec procedant, modo talis Canonicus non fuerit in culpa, immiscendo se rixis et inimicitiis, si enim culposus est, non lucratur distributiones; nam respondetur, non constare de aliqua culpa vel crimine dicti Canonici, et in dubio culpa non praesumitur, sed est probanda ab allegante, et oportet, ut culpa sit praeordinata ad causam, alioquin non nocet *in Fundana Distributionum et Fructuum die 3 Iunii 1734* §. *At.*

476. Idcirco probant Ioann. Andr. Anchoran. Felin. et Calderin. citati a Fagnan. in Cap. *Licet* n. 151 de Praebendis, et Monet. de distrib. quotidian. part. 2 quaest. 5 n. 68, iustam esse causam absentiae pro percipiendis etiam quotidianis distributionibus, si quis fuerit iniuste expulsus a Civitate, ad quam idcirco redire sine periculo non possit, vel si quis absque sua culpa adversarium habeat gravem et infensum Principem, vel alium potentem Virum in eodem loco *in Caputaquen. die 18 Augusti 1731* §. *Quod.*

Item *in Maioricen. Distributionum die 4 Aprilis 1736* §. *Conatus; in Urbanien. Iubilationis die 25 Iunii 1836* §. *Verumtamen.*

477. Hinc distributiones pro tempore praeterito Praesbitero Ecclesiae receptitiae adscripto et absenti a sua residentia ob indignationem Baronis loci deberi respondit Sacra Congregatio in Caputaquen. die 18 Augusti 1731, ita tamen, ut Orator curaret removere impedimenta, quae sibi praestabantur, ne ad residentiam suae Ecclesiae reverteretur *in Fundana Distributionum et Fructuum die 3 Iulii 1734* §. *Huic.*

Item *in Tyburtina Indulti die 7 Septembris 1737* §. *Imo.*

478. Certum enim in iure canonico est, quotidianas distributiones lucrari absentes Canonicos ob capitales inimicitias, potentiam Tyranni, metum mortis, et iniustam detrusionem in carceres, ceu tenent Fagnan. in Cap. *Licet* de Praebendis n. 150, Io. Andr. in verb. corporalis necessitas, Pirringh. in lib. 3 Decret. tit. 4, aliique passim *in S. Severinae Privationis Canonicatus die 22 Ianuarii 1820* §. *Certum.*

479. Siquidem Fagnanus in lib. 3 Decret. Cap. *Licet* de Praebendis n. 131 censet, – Canonicum expulsum a Civitate propter seditiones absque sua culpa integre percipere debere quotidianas distributiones –; et huic sententiae adhaeret Ioannes Andreas in Cap. *Ad audientiam* de Cleric. non resid. n. 2, Calderin. cons. 17 in tit. de Praebendis, Covarr. in cap. *Cum pridem* 13 de renunciat. n. 10 *in Ferentina Fructuum et Distributionum die 9 Septembris 1815* §. *Sancta.*

480. Qua de re etiam Canonicus a residentia suae Ecclesiae, quam adire timeat ob inimicitias, in eum exortas, lucratur omnes fructus et quaevis emolumenta, quae Canonicis chori et Ecclesiae servitio incumbentibus praestantur *in Fundana Distributionum et Fructuum die 3 Iulii 1734* §. *Postmodum.*

Item *in Novarien. Iubilationis die 13 Iulii 1782* §. *Ad.*

481. Unde qui fugam arripuerit, ne preces ab usurpativa dominatione praescriptas recitaret, nedum fructus, sed etiam distributiones percipere debet *in Reatina Fructuum et Distributionum die 19 Augusti 1815 et die 18 Martii 1816* (1).

482. Idcirco etiam eius heredibus, si Canonicus obierit, restituendae sunt distributiones, cum ipse ex Capituli consensu ob pietatis rationem discedens ad residentiam redire non potuerit, ne illegitimae dominationi iuramento praestaret et huiusmodi preces recitaret vel poenam deportationis subiret *in Ferentina Fructuum et Distributionum die 2 Decembris 1815.*

483. Siquidem ut trium Sororum Sanctimonialium vi perditorum hominum e claustris expulsarum incolumitati consuleret, Sacerdos Leopoldus Tosi Senogalliensis et Cathedralis Ferentinae Canonicus veniam abessendi die 2 ianuarii 1810 annuente Capitulo collegialiter collecto obtinuit, cum iis miserrimis temporibus ad Summum Pontificem porrigendi preces omnis fidelibus praecluderetur via. Prodiit interim iniqua lex, e finibus Romani Status omnes exteros Sacerdotes expellens, et altera iniquissima deportationis poenae subiiciens illos, qui illegitimae dominationi praestare vetitum iusiurandum et notissimas preces pro Principis invasoris prosperitate recitare recusassent. Quare ne seipsum exponeret Sacerdos Tosi periculo vel se coinquinandi, vel tolerandi exilium, studiose reditum distulit ad suam residentiam. Canonici per integrum biennium suae immediatae absentiae omnes Canonicatus fructus, demptis tamen quotidianis distributionibus, et quidquid pro oneribus Canonicatui infixis satisfaciendis necessarium erat, persolverunt. Pro reliquo vero tempore suae absentiae usque ad illius obitum, qui in diem incidit decimam sextam ianuarii 1814, neque a Canonico Tosi, si adhuc egisset in humanis, nec ab eius heredibus Beneficii fructus repeti posse contenderunt Canonici, quia ad suam residentiam ab Episcopo decessore vocatus remeare detrectavit; ac idcirco eodem Episcopo decernente Sacrarii beneficio assignati, ac exinde Canonicorum suffragio Capellanis quibusdam, qui choro in Canonicorum deficientia interveniebant, distributi fuere. Heredes vero defuncti Canonici Tosi Summum Pontificem exorarunt pro restitutione fructuum et distributionum pro toto tempore ipsius absentiae, quia affirmabant, eorum Auctorem abfuisse a sua residentia, ne animam suam iniquo foedaret iuramento, ac preces vetitas recitare cogeretur. Episcopus heredibus favit, et Canonicorum rationem refellens conclusit: – Ego sentirem, ut heredibus Canonici Tosi fructus omnes illius Beneficii per Capitulum reddendi sint, qui ad obitum usque eorum Auctoris decursi sunt, comprehensis distributionibus quotidianis, perinde ac si nunquam a choro abfuisset –.

484. His igitur perpensis, proposito dubio: – An Canonicus Tosi Ecclesiae Cathedralis Ferentini lucrari debeat fructus et distributiones sui Beneficii pro toto tempore absentiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, demptis Missis privatis, si quae sunt Praebendae infixae – *in Ferentina Fructuum et Distributionum die 2 Decembris 1815.*

485. Idcirco Canonicus, qui ob inimicitias a chori servitio abesse coactus fuit, frui debet distributionibus quotidianis, si Capitulum non probaverit, quod is causam dedisset praedictis inimicitiis *in Fundana Distributionum el fructuum die 3 Iulii 1734.*

486. Iamvero Sacerdos Franciscus Mastromanni Canonicus Collegiatae Ecclesiae Terrae Lenulae die 3 martii 1733 ex occulto sclopi ictu adeo lethaliter sauciatus est, ut omnibus extremis Sacramentis munitus fuerit. Post aliquod temporis intervallum adhuc infirmus, ut facilius ex aeris salubritate convalesceret ex inflicto vulnere, curavit nocturno tempore

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonici* §. III, n. 94 ad 97. Tom. IV.

se transferre ad Oppidum Sperlungae Caietanae Diaecesis, ubi postquam commoratus fuit per duos menses Romam petiit, et coram Sacra Congregatione instetit, ut fructus et distributiones quotidianas Capitulum solveret. Capitulum enim haud probabat, quod ipse exortis inimicitiis causam praebuisset; et a veritate alienum erat, quod omnes fructus et emolumenta provenirent ex Anniversariis et ex celebratione plurium Missarum, quae perciperentur dumtaxat a Canonicis, qui eorum earumque celebrationi interessebant, cum ex nonnullorum testimonio probaret, quod alii Canonici legitima causa absentes consueverint lucrari controversas distributiones et emolumenta. Proposito hinc dubio: – I. An debeantur distributiones quotidianae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative usque ad praesens; quo vero ad futurum, per duos menses tantum – *in Fundana Distributionum et fructuum die 3 Iulii 1734.*

487. Verum Canonicus, qui culpabilem inimicitiis praebuit causam, redditur indignus percipiendi distributiones pro tempore, quo ea de causa a residentia abeat, Ioan. Andr. Franch. et Archaran. in Cap. Unic. de Cleric. non resid. in 6 *in Fundana Distributionum et fructuum die 3 Iulii 1734* §. *Capitulum.*

488. Certum enim est, Canonicos iure in carcerem inclusos, tamquam irrationabiliter absentes quotidianis distributionibus privandos esse *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Hisce* (1).

489. Hinc licet sententia damnati non sint, cum tamen quaestio non sit de privatione Canonicatus, sed de distributionibus amittendis, nihil opus est probatione delicti, sed satis est probare, eos iuste in carceres detrusos fuisse *in Anagnina Distributionum quotidianarum die 29 Februarii 1744* §. *Distinguendum.*

Item *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Hisce.*

490. Nec profecto iuris civilis sanctiones aliter se habent, quo restitutio in integrum iis denegatur, qui iuste in vinculis detenti fuerint, utpote qui ex propria culpa causam absentiae dederint, Odd. de restit. in integr. part. 1 quaest. 7 art. 3 n. 28 *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Nec profecto.*

491. Idcirco si fortasse Canonicus aliquis sit in carcere Principis iussu detrusus, et consecutive a servitio suae Ecclesiae praestando praepeditur, quotidianis omnino carere debet distributionibus, dum proprio crimine, propriave culpa causam ipse dederit, Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3 Cap. 16, Card. De Luc. in adnot. ad Concil. Trid. disc. 15 n. 18, Nicol. in Flosc. verb. Distributiones n. 12, et Panimoll. dec. 20 part. 1 adnot. 3 n. 64 *in Anagnina Distributionum quotidianarum die 29 Februarii 1744* §. *Frustra quoque.*

492. Nam qui fuit iuste in carceres coniectus, lucrari nequit distributiones quotidianas *in Valentina anno 1613 lib. 11 Decretorum pag. 133.*

493. Itaque Canonico bis inquisito ac semel carcerato, propter assertam inhonestam consuetudinem cum Muliere uxorata, debentur distributiones quotidianae usque ad diem sententiae absolutoriae, non vero pro tempore carcerationis, cum non constaret, quod etiam a secunda inquisitione et carceratione absolutoriam sententiam obtinuisset *in Theatina Distributionum die 18 Iulii 1711 lib. 61 Decretorum.*

494. Siquidem Lauretus de Grandis Canonicus decanus Ecclesiae Cathedralis Theatinae inquisitus et processatus in ea Curia Archiepiscopali super praetensa inhonesta consuetudine cum Muliere uxorata, et contraventione praecepti de non conversando cum dicta Muliere sub poena carceris, nec non super verbis irreverenter effusis coram Archiepiscopo, eaque de re detentus per biduum in carceribus, exinde elapsus, Urbem petiit, ac constitutus coram Tribunali A. C. in criminalibus, auditusque in suis defensionibus, citato Promotore Fiscali Curiae Archiepiscopalis Theatinae, fuit tandem per sententiam definitivam latam de anno 1715 in Summario dandam a praedictis inquisitionibus absolutus, processus abolitus, Fiscoque et Adhaerentibus perpetuum silentium impositum. Reversus ad patriam Canonicus praedictus, aliquot post mensibus, ut ipse asseruit, eadem

(1) Garz. de Benef. part. 3, cap. 2, n. 365.

praetensa causa inhonesti commercii cum Muliere praedicta in carcerem per tres menses inclusus indeque dilapsus, iterum Urbem adiit ac Sanctissimo domino nostro humiliter recurrit, precibus ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium remissis, a qua pauco post tempore liber dimissus fuit, de quibus adhuc documenta desiderantur. Sed petens a Capitulo distributiones decursas pro utroque supradicto tempore absentiae, iisque denegatis, recurrit ipse Canonicus ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, illas sibi deberi, et citato Procuratore eiusdem Capituli in Curia, concordatum fuit infrascriptum dubium, quod hodie, Partibus monitis, proponitur EE. VV., ut ex deducendis resolvant: – An Canonico Ioanni Laureto de Grandis debeantur distributiones quotidianae decursae tam tempore eius carcerationis, quam tempore absentiae pro sustentatione litis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative usque ad diem sententiae absolutorie A. C.; in reliquis, Negative – *in Theatina Distributionum die 18 Iulii 1711 lib. 61 Decretorum.*

495. Unde nec debentur distributiones Canonico Coadiuto tempore, quo carceratus ob impictum crimen ab eo absolutus fuit ex capite innocentiae, Coadiutore absente causa studii *in Brixien. Fructuum et Distributionum mense Iunii 1696 lib. 46 Decretorum.*

496. Vice-Curato vero et Canonico Coadiuto debentur distributiones quotidianae, non vero Coadiutori, cum satis constet ex Literis Apostolicis, illi, non huic eas fuisse reservatas, etiamsi res non sit de mero Coadiutore, sed de homine, qui alterius omnino inhabilis, vi rei iudicatae declarati ex suo crimine, veluti persona assumpsit, ita ut ipse potius personam et praesentiam Coadiuto, quam ipsi Coadiutus praestitisse videatur *in Firmana Distributionum die 2 Decembris 1843.*

497. Iamvero supremae Inquisitionis Decreto perpetuo inhabilis renunciatus fuerat vice-Parochi et Canonici muneri adhuc sustinendo, quod iamdiu exercuerat in Collegiata Ecclesia S. Bartholomaei in Oppido Murrovallium, Sacerdos Guidi Caietanus. Placuit at vero Summo Pontifici Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem illi adsignare Apostolicis Literis diei 3 septembris 1838 datis favore Ioannis Baptistae Riccitelli, atque huic omnino concredidit Canonicatus et Paraeciae – administrationem et iura, quae ratione officii – competere valerent sequentibus legibus: – singula bona res et proprietates ad Canonicatum et Praebendam praedictos quomodolibet spectant et pertinent, administrare; omnesque fructus reditus et proventus ac etiam distributiones quotidianas et quaecumque alia emolumenta tam certa, quam incerta, ac etiam extraordinaria eidem Canonicatui et Praebendae quovis modo obvenientia (praeter infrascripta tibi, ut infra cedenda) pro dicto Caietano lucrari possis et valeas, ac etiam debeas et tenearis –. De portione autem, quam ex reditibus Canonicatus et Paraeciae retinere sibi posset Coadiutor, ita in postrema Literarum cera disposuit: – Volumus autem, quod ratione Coadiutoris officii huiusmodi, atque ut tu curam animarum praedictam utilius exercere valeas, medietate omnium singulorum fructuum redituum et proventuum memoratis Canonicatui et Praebendae quomodolibet provenientium, ut praefertur, dicto Caietano reservata, reliqua illorum pars, ad tui favorem titulo congruae seu salarii, officio Coadiutoris huiusmodi tantum durante, et non alias annuatim cedat et assignata remaneat –. Controversia hinc orta est inter Riccitellium Coadiutorem et Coadiutum Guidi super distributionibus Canonicatus, quae ex illius Capituli more in frumento aliisque rusticis proventibus, ex peculiaribus fundis derivantibus, consistebant. Etenim illas sibi ex integro adiudicavit Riccitellius, dum contra sibi omnino debitas vi Apostolici diplomatis Guidius autumavit. Archiepiscopus opinioni suffragatus est Riccitelli: nedum enim de iure distributiones debentur iis, qui choro intersunt, sed etiam ex dispositione Summi Pontificis, cum in themate res non esset de mero Coadiutore, quandoquidem de homine agebatur, qui alterius omnino inhabilis, vi rei iudicatae declarati, personam assumpsit; fuitque tantum ex Pontificis clementia, ut ille ex suo crimine ad Beneficia ineptus, Canonicatus fructuum portionem pro sua alimonia consequeretur. Idcirco dum Pontifex ex una parte facultatem concessit Riccitellio percipiendi omnes – fructus reditus

et proventus ac etiam distributiones quotidianas et quaecumque alia emolumenta –, ex altera favore Coadiuti reservari medietatem – omnium singulorum fructuum redituum et proventuum memoratis Canonicatui et Praebendae quomodolibet obvenientium –, nulla prorsus distributionum facta mentione. Addidit Riccitellius, si fructuum Praebendae tantum medietas sibi adiudicaretur, congruam parochialem sibi defuturam, cum fructus annui praefatae Praebendae ab omni onere puros vix summam attingeret scutorum 135, 56. Contra Guidius sustinuit, quidquid esset de iure communi, Summum Pontificem praecepisse, ut Riccitellius lucrari posset ac deberet – omnes fructus reditus et proventus ac etiam distributiones quotidianas et quaecumque emolumenta (praeter infrascripta sibi, ut infra cedenda) pro dicto Coadiuto –. Inde per modum exceptionis assignari mandavit Riccitellio loco salarii fructus reditus et proventus, nulla omnino de distributionibus facta mentione. Nam et de iure communi distributiones Coadiuto reservantur, quin quaeri posset de congrua parochiali, cum summa scutatorum circiter septuaginta ex medietate fructuum Riccitellio obveniret. Unde Guidius contendit, locum esse restitutioni distributionum, cum Riccitellius in mala versaretur fide; ex eo quod dispositio Summi Pontificis manifesta perhiberetur: sed Riccitellius sustinuit, ad lucrandos fructus decursos ante litem contestatam non requiri bonam fidem positivam, sed sufficere malam abesse fidem, et titulum putativum vel etiam coloratum adesse.

498. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An cui et in qua summa debeantur distributiones in casu etc. *Et quatenus affirmative favore Caietani Guidi.* II. An et quomodo sit locus restitutioni distributionum hactenus perceptarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus favore Caietani Guidi. Ad secundum, Affirmative a die motae litis – *in Firmana Distributionum die 2 Decembris 1843.*

499. Alias nec fructus nec distributiones debentur Canonico, qui, ob falsificationem Literarum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, fuit in contumacia damnatus ad triremes per decennium, licet tandem gratiam obtinuerit *in Ferentina Distributionum die 19 Novembris 1718* (1).

500. Quin imo distributiones haud debentur inquisito et contumaci, dum Causa per Gubernatorem cognoscitur *in Marsorum anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 84.*

Item *in Iuvenacen. anno 1600 lib. 9 Decretorum pag. 105; in Valven. anno 1609 lib. 9 Decretorum pag. 60.*

501. Idcirco inquisitus eo tempore, quo ab A. C. vocatus, non paruit, et in contumacia permansit, distributiones lucrari nequit *in Marsorum anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 84.*

502. Qua de re Pompeius Mignuccius Canonicus Collegiatae Ecclesiae Terrae Ophydae ad triremes perpetuas et confiscationem omnium bonorum contumaciter damnatus, ob homicidium patratum in loco sacro in Sacerdotem Iosephum Guillelmium, interim lucratur quidem fructus Canonicalis Praebendae, cum Episcopus procedere teneatur prout de iure contra non residentes, sed haud valet per alios Canonicos adimplere onera Missarum aliorumque functionum canonicalium ad effectum percipiendi distributiones quotidianas, et pro dictis Missis atque oneribus incumbentibus Praebendae tenetur ex fructibus eiusdem, non vero ex distributionibus, propositis enim dubiis: – I. An Canonicus Mignuccius Ecclesiae Collegiatae Terrae Ophydae ad triremes perpetuas condemnatus lucretur fructus Praebendae canonicalis? *Et quatenus affirmative.* II. An valeat per alios Canonicos adimplere onera Missarum et Officiaturarum ac aliarum functionum Canonicalium sibi incumbentium, et sic participare etiam de omnibus distributionibus et emolumentis eleemosynis aliisque debitis Canonicis actu inservientibus, dum alias non impeditus erat solitus intervenire? *Et quatenus negative.* III. An idem Canonicus pro dictis Missis et functionibus hebdomadalibus debeat amittere ratam fructuum suae Praebendae Canonicalis, vel tantum ratam sibi competentem ex distributionibus? –, Sacra Congrega-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Canonici*, §. III. n. 87 et 88, Tom. IV.

tio die 13 augusti 1707 respondit: – Ad primum, Affirmative; et Episcopus procedat ob non residentiam, prout de iure. Ad secundum, Negative. Ad tertium, pro Missis et oneribus incumbentibus Praebendae, teneri ex fructibus eiusdem –. Cum autem in executione praefati Rescripti suborta fuerit difficultas, an Missae et Paraturae, incumbentes cuilibet ex Canonicis in propria hebdomada, essent annexae Praebendae, vel potius distributionibus quotidianis, proposito dubio: – An Missae et Paraturae sint onera annexa Praebendae Canonicali, seu potius distributionibus quotidianis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam in casu, de quo agitur – *in Asculana Distributionum die 31 Martii 1708 lib. 57 et 58 Decretorum.*

503. Unde Canonico carcerato ob delictum et relaxato cum clausula « ex gratia ex quo satis, et viatica cedant loco poenae », nec non damnatus ad emendationem damni illati et impensarum, haud debentur distributiones quotidianae, quibus constant omnes reditus Canonicatus *in Anagnina Distributionum quotidianarum die 29 Februarii et die 28 Martii 1744.*

504. Siquidem in carceres coniectus uti falsus conficti criminis delator Ioseph Antonius Colettus Canonicus Cathedralis Anagninae, et post quinquennium, re diligenter perspecta, absoluti fuerunt ob eorum innocentiam rei delati, et damnatus fuit Colettus ad redintegrationem impensarum damnorumque iisdem reis obventorum e falsa accusatione, praeceptumque etiam, ut post hanc redintegrationem atque emendationem damnorum et impensarum dimitteretur Colettus – ex gratia ex quo satis, et viatica cederent loco poenae –. Capitulum Cathedralis Ecclesiae, dum Colettus in carceribus esset, reditus Canonicatus illius, qui, ut alii omnes eiusdem Ecclesiae, solas distributiones quotidianas habebat, inter eos, qui statis horis interfuerint, iuxta Tridentinum et illius Ecclesiae Constitutiones, non distribuit, sed deposuit, atque ob id post latam dictam sententiam Colettus epistolam dedit ad Capitulum, qua postulabat, ut reditus sui Canonicatus, qui depositi erant, pietatis gratia ei donaret. Renuit Capitulum: nam reditus omnes, sive in pecunia sive in speciebus, licet in unum acervum redigerentur, inter Canonicos dividebantur non ratione numeri, sed servitii Ecclesiae praestiti, adeoque propriam naturam distributionum quotidianarum non amittebant, Rot. coram Seraphino decis. 1140 n. 2, et in Recent. decis. 135 n. 7 part. 10. Constabat praeterea, Colettum iustissime in carcerem coniectum fuisse, qui calumniam innocentibus impegerat, quique damnatus fuit ad emendationem impensarum et damni illati; adeoque sua culpa absens distributiones quotidianas lucrari non poterat. Nullam demum sustinuit habendam esse rationem iudicii Episcopi, qui censuit, portionem aliquam depositorum redituum titulo pietatis tribui posse Coletto, cum a Sacra Congregatione de iure responsum dare deberet, nec ius laedi posset pietatis et misericordiae gratia, nec laedenda Rescripta Pontificum Tridentini Decreta et Ecclesiae Constitutiones, quibus omnibus cautum est, ut ii tantum, qui statis horis interfuerint, quotidianas distributiones capere possint.

505. His itaque perpensis, proposito dubio: – An Canonico Coletti ob delictum carcerato et relaxato cum clausula « ex gratia ex quo satis, et viatica cedant loco poenae » debeantur distributiones quotidianae sui Canonicatus decursae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Anagnina Distributionum quotidianarum die 29 Februarii 1744.*

506. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis – *in Anagnina Distributionum die 28 Martii 1744.*

507. Qua de re nec distribututiones, nec fallentiae debentur Canonico, qui, inquisitus de mandato dato ad aliquem offendendum et verberandum, fuit quidem ab A. C. quoad causam mandati absolutus, sed iustis aliisque de causis ab Episcopo ita damnatus, ut ad chorum accedere non potuerit *in Lauretana Distributionum die 17 Septembris 1722.*

508. Siquidem Petrus Solarius Canonicus Cathedralis Ecclesiae Lauretanae, inquisitus de mandato dato cum exbursatione pecuniae Octavio Farciono tunc temporis Curiae lai-

calis Laureti Baroncello ad offendendum et verberandum Lucam Marsilium, fuit in sententia A. C. absolutus tamquam non repertus culpabilis, petiitque distributiones quotidianas decursas a die 19 augusti 1720 usque ad totum mensem ianuarii 1722, non obstante, quod ex causa dictae inquisitionis abfuerit a choro, nec non fallentias sive punctaturas aliorum Canonicorum a choro absentium, quae interessentibus accrescunt. Sed Capitulum et Canonici praedictae Ecclesiae exceperunt, nec eidem esse debitas distributiones quotidianas, nec fallentias seu punctaturas. Nam ad stributiones quod attinebat dixerunt, occasione accusationis adversus eum factae a Luca Marsilii de relato mandato, Episcopum secretam sumpsisse informationem super subsistentia narratorum, et ex notitiis habitis edoctum fuisse de antecedenti familiaritate inter dictum Solarium et Uxorem querelantis, ita ut sub poena suspensionis a divinis ac scutorum 500 iustis de causis et ex informata conscientia iusserit, eum domi permanere, et deinde libertatem indulserit, interdicto tamen accessu ad chorum, additaque insinuatione, quod se conferret ad Patres Missionarios Civitatis Maceratae ad effectum operam dandi exercitiis spiritualibus spatio quadraginta quinque dierum, hinc inferendo, eum non abfuisse legitima ex causa a choro, nec ei prodesse sententiam A. C., utpote restrictam ad causam mandati, uti habebatur ex relatione Episcopi. In eo autem, quod spectabat ad fallentias contenderunt, eas non deberi, licet etiam essent debitae distributiones, iuxta plene firmata per Rotam in decis. 102 a n. 13 coram Bichio; et multo magis cum fallentiae secundum consuetudinem Ecclesiae Lauretanae deberentur tantum vere praesentibus, non vero ficte, sic nec Iubilatis, nec corporali aegritudine laborantibus.

509. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et a quo tempore et ad quod tempus debeantur Canonico Petro Solari distributiones quotidianae? II. An eidem Canonico debeantur fallentiae sive punctaturae aliorum Canonicorum, ut supra, in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative; et amplius – *in Lauretana Distributionum die 17 Septembris 1722.*

510. Idcirco quum omnes fructus Canonicatus consisterent in distributionibus, Sacra Congregatio declaravit, deberi Canonico distributiones dumtaxat pro tempore carcerationis, quin praetendere posset duas tertias partes tam pro tempore absentiae, quam carcerationis, amissa tantum tertia *in Nolana Distributionum die 6 Februarii 1700 et die 19 Augusti 1702 lib. 50 et 52 Decretorum.*

511. Iamvero – praetendente Alexandro Sanges Canonico Cathedralis Ecclesiae Civitatis Nolanae lucrari omnes distributiones quotidianas, ter in anno distribui solitas Capitulo interessentibus, non obstante eius absentia a loco residentiae, tam pro tempore indulti ab hac Sacra Congregatione obtenti, uti servitio proprii Episcopi addicto in Urbe, quam pro alio tempore, ut ait, iniustae carcerationis suspensionis a divinis et exilii passi a toto Regno Neapolis, vigore resolutionis Congregationis a Sanctissimo domino nostro specialiter deputatae, die 28 novembris anni praeteriti proposita Causa, Capitulo tantum informante, rescriptum fuit ab EE. VV. « deberi fructus, non distributiones ». Verum quia modo dictus Alexander praetendit, omnes fructus Canonicatus consistere in distributionibus, prout requisitus ab hac Sacra Congregatione testatur modernus Episcopus, dictasque distributiones cedere debere loco fructuum Praebendae, iterum ab EE. VV. responsum exquiritur: – An distributiones debeantur et pro qua summa in casu etc.–, Sacra Congregatio die 6 februarii 1700 respondit: – Deberi distributiones dumtaxat pro tempore indulti, dempta tantum rata pro tempore carcerationis –. Exorta autem subinde nova difficultate super quantitate dictarum distributionum debitarum, idem Canonicus supplicat ab EE. VV. declarari, sibi deberi distributiones quoad duas tertias partes tam pro tempore absentiae, quam carcerationis, amissa tantum tertia. Unde Parte utraque monita et informante, EE. VV. erit decernere: – An debeantur dictae distributiones quoad duas tertias partes tam pro tempore absentiae, quam carcerationis, amissa tantum tertia in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et servetur Decretum diei 6 februarii 1700 – *in Nolana*

Distributionum die 19 Augusti 1702 lib. 50 et 52 Decretorum.

512. Quin imo S. Congregatio declaravit, haud deberi distributiones quotidianas Canonico, qui ob causam civilem fuerit in carcerem coniectus *in Ripana die 13 Aprilis 1652 lib. 19 Decretorum pag. 183.*

513. Unde nec carceratus ob debitum civile lucrari potest distributiones quotidianas *in Romana Distributionum die 15 Decembris 1657 lib. 21 Decretorum pag. 150.*

514. Servitium tamen praestitum a Canonico detento in carceribus pro debito civili mediante substituto pariter Canonico, tempore quo is choro non tenebatur interesse, sufficit ad lucrandas distributiones quotidianas *in Namurcen. die 16 Martii 1652 lib. 19 Decretorum pag. 179.*

515. Hinc etiam iuste in carceribus detentus percipere debet distributiones, quas ante carcerationem lucratus est *in Valentina anno 1613 lib. 11 Decretorum pag. 133.*

516. Indubium autem est, quod iniuste carcerati omnes distributione et emolumenta percipere debent: nam sacri Canones iniuste carceratis non modo fructus Praebendae, sed quotidianas etiam distributiones et aliorum fallentias deberi praecipiunt, S. Congregatio in Viterbien. 26 augusti 1628; imo et emolumenta Anniversariorum, nisi expressa obstet Testatorum voluntas, S. Congregatio in Colonien. distributionum 9 maii 1671, Card. Petra in comment. ad Constit. 12 Innocent. III sect. 2 n. 77 tom. 2, quamvis huiusmodi distributiones atque emolumenta iam fuerint inter Capitulares divisa, Sacra Congregatio in Alexandrina 29 septembris 1657 lib. 21 decretorum pag. 9, quod etiam obtinet, etiamsi Canonicus iuste quidem, scilicet ex sufficientibus indicis vinculis fuisset adiectus, sed postea per absolutoriam sententiam dimissus, ceu tradunt Navarr. cons. 10 de cleric. non residen., Cons. 11 n. 3, Monet. de distrib. quot. part. 1 quaest. 4 n. 81 *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Post haec.*

517. Quamobrem integrae distributiones una cum incertis emolumentis eisdem persolvendae a die capturae seu carcerationis usque ad diem eorum reditus ad propriam Ecclesiam, ceu pro distributionibus definivit Rota in Augustana Canonicatus 7 februarii 1601 coram Coccino, citata per Gratianum in discept. foren. tom. 3 Cap. 591, et pro incertis emolumentis resolvit S. Congregatio in Lucana 23 iulii 1718 inter summaria praecum lib. 68 Decretorum pag. 397 *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853* §. *Postremo.*

518. Siquidem Sacra Congregatio saepe saepius declaravit, non solum distributiones quotidianas, sed et fructus massae grossae deberi iniuste coniecto in carcerem toto tempore, quo ob eam causam choro interesse non potuit *in Marsicen. mense Iulii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 165.*

Item *in Spoletana mense Augusti 1586 lib. 4 Decretorum pag. 174; in Melphien. mense Novembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 67; in Placentina mense Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 54.*

519. Unde Sacra Congregatio, instante quodam Canonico Carpensi, qui ob metum Principis temporalis residere non poterat in Ecclesia, cui erat adscriptus, die 17 septembris 1616 respondit, his verbis: – Censuit, dandas esse ad Ordinarium Literas, ut Capitulum cogeret ad integras distributiones ei assignandas usque ad mensem aprilis futuri. Ceterum ipsi Ioanni Blasio significari voluit, ut interim curet Canonicatum resignare, vel permutare, aut rationem aliquam iniri, qua et sibi et Ecclesiae indemnitati consultum sit –, ut refert Barbosa de iur. eccles. eccles. lib. 3 cap. 18 n. 65 *in Caputaquen. die 18 Augusti 1731* §. *Quod.*

520. Idcirco distributiones debentur etiam Canonico expulso a sua residentia a Principe seculari ob motivum politicum, durante huiusmodi impedimento *in Barchinonen. die 4 Februarii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 432.*

521. Amplia, distributiones debentur etiam Priori una cum omnibus fructibus Prioratus toto tempore, quo fuit detentus in Cancellaria Regia, eo quod caeremonias a Sacra Congregatione improbatas adhibere recusavit erga Marchionem Oppidi, in quo erat Ecclesia Prioratus *in Seguntina anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 98.*

522. Idcirco Beneficiatus, qui ob laicorum Ministrorum vexationem coactus fuit abscedere a sua Ecclesia, lucrari debet distribu-

tiones a die discessus *in Maioricen. Distributionum die 14 Aprilis 1736.*

523. Siquidem Christophorus Ferrer Beneficiatus Ecclesiae in Portu nuncupato *di Maone* a laicis Ministris exilio proscriptus, eo quia detrectaverat rationem coram ipsis reddere de quibusdam ecclesiasticis reditibus, nocturno tempore ad Vicarium Generalem confugit, indeque Romam se transferens, exhibitis commendatitiis Literis praefati Vicarii Generalis, qui de illius vexatione fidem faciebat, postulavit omnes fructus sui Beneficii una cum distributionibus quotidianis, unde Sacra Congregatio die 28 augusti 1728 rescripsit Vicario Generali, – ut, veris existentibus expositis, durante impedimento, Oratori solvi mandaret omnes fructus et quotidianas distributiones, perinde ac si esset praesens et Ecclesiae inserviret –. Huic Rescripto vero contradictores sese praebuerunt ceteri Beneficiati contendentes, eum non ex laicorum Ministrorum persecutione, sed culpa sua abesse; ideoque neque fructus, neque distributiones quotidianas lucrari. Contra Christophorus pluribus documentis ostendit, se ab Ecclesia sua coactum fuisse abscedere, ob iniustam dictorum Ministrorum vexationem; et alioquin, donec sibi licitum fuit apud eam residere, diligens eidem servitium praestitisse. Proposito hinc dubio: – An et a quo tempore debeantur distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Deberi a tempore discessus, ob illatum impedimentum – *in Maioricen. Distributionum die 14 Aprilis 1736.*

524. Hinc distributiones deberi etiam Canonico absenti, ut iniustam Iudicis vexationem redimeret, fuisse a Sacra Congregatione declaratum, testatur Fagnanus in Cap. *Licet* de Praebendis n. 154, et responsum fuit in Anagnina 22 augusti 1681 *in Caputaquen. die 18 Augusti 1731* §. *Quod.*

Item *in Fundana Distributionum et Fructuum die 3 Iulii 1734* §. *Huic.*

525. Qua de re Canonici absentes ex causa iniustae deportationis non modo lucrantur distributiones quotidianas, sed etiam emolumenta ex legatis et funeribus provenientia, licet ex observantia inducta haec ne quidem ab Infirmis exigantur, certum tamen est, quod ab Archipresbitero et Canonico Poenitentiario, dum respectivis officiis actu incumbunt, percipiantur *in Nullius Sublacen. Distributionum die 14 Iunii 1817.*

526. Enimvero postulantibus Canonicis Collegiatae Ecclesiae Trebarum, ut eis restituerentur distributiones, quas percipere potuissent, nisi exules ac deportati fuissent, ob recusatum iuramentum fidelitatis, per Rescriptum diei 5 februarii 1817 delegatae fuere eorum preces Emo Abbati, ut cogeret eos Canonicos, qui praesentes remanserunt, ut has distributiones absentibus causa deportationis restituerent. Reclamarunt vero Archipresbiter et ii, qui praesentes choro fuere: nam contenderunt, nihil aliud constituisse Summum Pontificem neque Sacram Congregationem definivisse in Reatina Fructuum et Distributionum 18 martii et 19 augusti, et in Ferentina Fructuum et Distributionum 9 septembris 1815, nisi ut absens ex causa deportationis pro praesentibus haberi debere, ad effectum lucrandi fructus et distributiones. At hoc intelligi debere sustinuerunt de distributionibus quotidianis, non de distributionibus incertis, quae ex celebratione Missarum et Anniversariorum, quae solis vere praesentibus debentur, adeo ut nec eas lucrari possint ii Canonici, qui Pontificali Episcopi assistunt, ut statuit Sacra Congregatio in Bosanen. 6 februarii 1734. In Capitulo autem Trebarum observantia inductum erat, ut haec incerta emolumenta ne quidem ab Infirmis exigerentur, propterea quod vera praesentia necessaria censebatur. E contra Canonici absentes responderunt, quod quaedam incerta, quae ex legatis proveniebant, certa et intra annum lucrabantur: haec consequuti fuissent, nisi vi expulsi a patria abfuissent, et saepe alias ab Sacra Congregatione definitum reperiri, Canonicos ob iniustam carcerationem lucrari omnes distributiones. Incerta vero manualia, quae ex eventualibus funeribus proveniebant, lucrari posse dixerunt ex praesumpta Benefactorum voluntate, cum una esset Populi mens, quae maxime adhaerebat iis Ecclesiasticis, qui religionis et fidelitatis causa tot tantisque malis oppetebantur. Quidquid vero esset de Infirmis, certum erat, in Capitulo Trebano Archipresbiterum et Canonicum Poenitentiarium, quo tempore ille muneribus parochialibus, hic confessionibus excipiendis detineretur,

haec emolumenta lucrari, idcirco quia pro legitime impeditis habebantur. Quae sane ratio in ipsis concurrebat, cum vi detenti fuerint, quominus choro inservirent.

527. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An Canonici absentes ex causa deportationis lucrari possint pro tempore absentiae emolumenta ex legatis et ex funeribus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative in omnibus – *in Nullius Sublacen. Distributionum die 14 Iunii 1817.*

528. Unde Canonicos deportatos ob non praestitum vetitum iuramentum frui omnibus privilegiis et reditibus, ac iis reddi fructus Praebendarum a reliquis Canonicis, qui eos inter se partiti fuerant, mandavit Summus Pontifex *in Civitatis Castellanae Iubilationis die 15 Iulii 1820* §. *Tandem.*

529. Quin imo non solum deportati, verum etiam sponte profugi, ut sese a persecutione subtraherent, in choro pro praesentibus habentur, distributionesque lucrantur *in Urbanien. Iubilationis die 25 Iunii 1836* §. *Verumtamen.*

530. Quod si Canonicus fugam haud arripuerit, ne illicitum iuramentum praestaret, neve deportationem aut carceres subiret, non modo percipere nequit distributiones, sed in eum adhuc contumacem procedi debet, prout de iure *in Nullius Farfen. Fructuum et Distributionum die 18 Martii 1815* (1).

531. Alias Canonici, in carcerem coniecti ob asserta crimina laesae maiestatis, ac alter eorum ob acatholicam propositionem contra Sacramentum poenitentiae evulgatam, privari nequeunt tempore absentiae distributionibus quotidianis, ex eo quod Iudex mandavit conservationem actorum in Archivio simulque eorum excarcerationem, ac inde ob Principis gratiam abolitionem actionis poenalis, cum praesertim iidem amplissimi sint viri ac omni vacui culpa censeantur *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853.*

532. Iamvero tranquillitatis Regni utriusque Siciliae rebus, sub die 27 iunii 1850 supremae auctoritatis iussu in publica vincula coniecti fuere quinque Cathedralis Ecclesiae Valvensis Canonici, nempe Ioannes Baptista Gentile, Bernardinus De Silvestro, Franciscus Collella, Ioseph De Silvestro, ac Paschalis De Blasiis, opera praesertim Notarii cuiusdam Dominici Giovannucci, ob impicta laesae maiestatis crimina, et quoad Canonicum Gentile, ob acatholicam propositionem contra Sacramentum poenitentiae evulgatam. Hinc anno circiter a captura elapso, die scilicet 23 maii 1851, criminale Tribunale alterius Aprutii ulterioris per sententiam mandavit conservationem actorum in archivio simulque illorum excarcerationem provisoriam, ac inde attenta Regis venia declaravit, non esse amplius locum ad ulteriora procedere. Quum ad propriam residentiam praefati Canonici redierint, frustra petierunt distributiones tempore absentiae decursas. Nam Collegae eas denegarunt, quia dixerunt, non omnino sceleris puros illos declaratos fuisse ad hoc, ut scilicet actorum deletio ac perpetua libertas ipsorum favore decerni potuisset, iuxta praescriptum Codicis Neapolitani; idque multo magis patebat ex alio Decreto 21 iunii 1851, quo Regiae indulgentiae beneficio actorum repositio iussa fuit, quod ultro accepto habentes inquisiti, propriam reitatem fateri visi fuerint. Hisce in facto positis, certum in iure esse sustinuerunt, Canonicos iuste in carcerem inclusos, tamquam irrationabiliter absentes, quotidianis distributionibus privandos esse. E contra qui inquisitorum defensam agebat, multas facti animadversiones cumulavit, ut suorum Clientum innocentiam protueretur. Inquirens enim in causam capturae proximam, quae in eo fuit, quod ipsi solemni gratiarum actioni in festo S. Ferdinandi die 30 maii interesse noluerint, notorie falsam eam ex plurium testimonio atque indubiis documentis deprehendit. Exinde causam remotam ad examen revocans, obiecta lesae maiestatis crimina diluere satagit, tum ex persona delatoris Dominici Giovannucci, qui ob falsitatis crimen subsequenti anno 1851 in carceres detrusus est, ubi diem obivit supremum, tum maxime ex qualitate inquisitorum eorumque praerogativis honestate zelo ac doctrina, qua gravissimis muneribus in Ecclesiae bonum summa cum laude functi sunt, de quibus fidem facie-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonici*, n. 99 et 100, Tom. IV.

bant amplissimae commendatitiae literae Curiae Episcopalis, ac testimonium reddebat illius Ecclesiae Decanus. Cum igitur haud deceret afflictis afflictionem addi, profecto quos iniusta vexatio carceris squaloris tamdiu damnavit, eos nova poena, ex privatione distributionum, afficiendos non esse conclusit. Huc re adducta, omni ope nisus est Defensor, ut contrarias eliminaret deductiones; ac primo falso ex adverso contendi, dixit, distributiones ei tantum deberi, qui positis probationibus suam innocentiam demonstraverit, vel per definitivam sententiam fuerit absolutus, cum id devium esset a sanioribus iuris principiis, quae statuunt, culpam non praesumi, reumque, actore non probante, absolvi debere. Nec melius ex tenore secundae sententiae, qua Regia indulgentia donati fuere inquisiti Canonici reitatem arguere Contradictores; nam praeterquamquod huiusmodi sententiae, ipsis inauditis ac nulla defensione praemissa, latae fuerunt, illud accedebat, Principis beneficium in themate non poenae iam decretae condemnationem, sed abolitionem poenalis actionis praeseferre, ex qua nulla admissi reatus probatio educi poterat, utpote quae iudicio adhuc pendente minimeque absoluto locum habuit.

533. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quamdiu privandi sint distributionibus quotidianis Canonici absentes in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative in omnibus – *in Valven. Distributionum die 23 Aprilis 1853.*

534. Unde Canonicus per mandatum Curiae Episcopalis carceratus, sed inde a Iudice appellationis absolutus, frui debet distributionibus quotidianis et emolumentis Anniversariorum, exceptis tamen Anniversariis aliisque obventionibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a Testatoribus dispositum, nec non eleemosyna Missae manualis *in Comen. Distributionum die 18 Aprilis 1711 lib. 61 Decretorum.*

535. Siquidem Episcopus Comensis occasione Visitationis peractae in Ecclesia Collegiata S. Victoris Oppidi Balernae inter alia Decreta anno 1703 sancivit, ut Canonicus hebdomadarius assistentiam praeberet Archipresbitero impertienti benedictionem cum Venerabili: hinc videns subinde Episcopus successor dicti Decreti observantiam negligi a Canonico Carolo Antonio Buxia, instantibus Archipresbitero et Canonicis, die 18 februarii 1707 praeceptum tulit adversus praefatum Canonicum, sub poena 300 aureorum, et in iuris subsidium excommunicationis, quoties dictam assistentiam non praestaret. Appellavit sub die 23 eiusdem mensis et anni Canonicus Buxia; qua tamen appellatione non obstante, Episcopus mandavit, procedi ad ulteriora. Exorta interim contentione inter praefatum Canonicum et Archipresbiterum praedictae Collegiatae, ad huius instantiam inquisitus et processatus fuit in ea Curia Episcopali idem Canonicus Buxia super iniuriosis verbis ab eo effusis contra dictum Archipresbiterum, qua occasione constructus fuit processus super aliis etiam praetensis excessibus ab eo admissis, quapropter Canonicus Buxia captus et paucis diebus in carceribus detentus indeque dimissus fuit, utpote e loco immuni extractus, ac postea in contumacia damnatus extitit ad poenam scutorum sexaginta imperialium, suspensus a divinis et successive tribus post mensibus absolutus, demum passus fuit sequestrum super fructibus canonicalibus. Ab omnibus his actis gravatus Canonicus provocavit ad Sedem Apostolicam, et introducta Causa coram A. C. in criminalibus, ex eo prodiit definitiva sententia declarans, bene pro parte Canonici reclamatum maleque et indebite ad praedicta per Episcopalem Curiam Comensem deventum, unde omnia et singula praemissa revocavit et circumscripsit: absolvit dictum Canonicum Buxia quoad iniurias in personam dicti Archipresbiteri illatas cum clausula – ex quo satis etc. et petita venia –, declarans quod in actis satis constare de veniae petitae adimplemento; quo vero ad omnia et singula alia contra ipsum per Fiscum et Adhaerentem impicta itidem illum absolvit et liberavit mandavitque, per Promotorem Fiscalem seu alios eidem Canonico restituendum fore frumentum et vinum cassando et abolendo processum et omnia acta desuper constructa. Post haec omnia ita sequuta, recursum habuit ad Sacram Congregationem, praevia remissione Causae R. P. Auditoris Sanctissimi; et praetendens, se non teneri ad praestandum assistentiam praefato Archipresbitero, petiit de-

clarari, memoratum praeceptum ab Episcopo iniunctum una cum poena in eo apposita insubsistens esse, pariterque institit decerni, sibi deberi quotidianas distributiones per Canonicos dictae Collegiatae pro eo tempore, quo sibi opus fuit abesse et vacare a servitio suae Ecclesiae, ad effectum reportandi dictam sententiam absolutoriam.

536. His mature perpensis, propositis dubiis: – III. An dicto Canonico Buxiae pro tempore eius absentiae debeantur distributiones quotidianae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* IV. A quo tempore et usque ad quod tempus? V. An debeantur emolumenta interessentium Anniversariis et funeralibus? VI. An et quomodo debeantur emolumenta Missarum in casu etc.–, Sacra Congregatio, postquam declaravit, sustineri praeceptum Episcopi factum Canonico Buxiae de praestando assistentiam Archipresbitero in expositione Venerabilis in sua hebdomada, poenam tamen in casu inobedientiae moderandam ad punctaturam unius diei, respondit: – Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, a die carcerationis usque per totum tempus indultorum obtentorum a Sacra Congregatione. Ad quintum, dentur Decreta. Ad sextum, Negative quoad eleemosynam Missae manualis; et amplius – *in Comen. Distributionum die 18 Aprilis 1711 lib. 61 Decretorum.*

537. Hinc et Canonico, qui in carceres detrusus exinde evasit ac Romam petens sententiam absolutoriam obtinuit, distributiones quotidianae debentur *in Mediolanen. Distributionum die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

538. Iamvero – a praecepto poenali per Vicarium criminalem Archiepiscopalis Curiae ad instantiam Comitum de Bonesana instigatorum sibi transmisso ob demandatam, ut asseritur, incisionem cuiusdam nemoris ad eosdem Comites de Bonesana spectantis, Ioseph de Comite Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii ad A. C. in criminalibus appellavit, et postquam carceres, in quos interim detrusus fuerat, evasit, petita Urbe in carceribus Capitolii se sponte constituit, et inde praestita fideiussione de se repraesentando et de habendo Urbem pro carcere sub poena scutorum centum a Locumtenente criminali eiusdem A. C. habilitari obtinuit. Ne autem propter absentiam suam distributiones quotidianas amitteret, usque sub die 19 aprilis 1704 pro consueto indulto instetit apud hanc Sacram Congregationem, quae Causae exitum expectandum esse respondit. Cumque idem Canonicus sub die 9 maii praeteriti sententiam ab omni praetensa criminalitate absolutoriam, servatis successive solitis quatuor terminis in iudicatum transactam, reportaverit, exhibitis modo nonnullorum Testium fidibus, quibus ipsum residere, et dum Mediolani morabatur, choro semper interesse consuevisse ostenditur, monito atque informante Defensore Capituli, ab EE. VV. definiri postulat: – An distributiones quotidianae debeantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Mediolanen Distributionum die 6 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

539. Siquidem Sacra Congratio pluries declaravit, Canonicum inquisitum, deinde per sententiam, quae in rem iudicatam transiit absolutum, debere lucrari distributiones quotidianas toto tempore, quo ob hanc causam divinis officiis interesse non potuit *in Marsorum anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 84.*

Item *in Iuvenacen. anno 1600 lib. 9 Decretorum pag. 105; in Valven. anno 1609 lib. 11 Decretorum pag. 60; in Mediolanen. die 10 Martii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 41; in Arianen. die 28 Aprilis 1635 lib. 15 Decretorum pag. 191.*

540. Amplia, id locum habet, etiamsi absolutus fuerit uti non culpabilis et cum clausula – ex hactenus deductis – *in Aversana die 19 Martii 1644 lib. 17 Decretorum pag. 247.*

541. Nec aliter statuit Sacra Congregagatio, quum non de Canonico, sed de Beneficiato, ageretur *in Dubium die 14 Decembris 1624 lib. 12 Decretorum pag. 135.*

Item *in Mediolanen. die 10 Martii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 41; in Romana Distributionum die 19 Augusti 1684 lib. 34 Decretorum pag. 252 a tergo.*

542. Non tamen ei debentur emolumenta obvenientia ex associatione cadaverum, exequiis, et Missis, licet absoluto ex capite innocentiae *in Satrianen. et Campanien. Emolumentorum die 17 Iunii 1690 lib. 40 Decretorum.*

543. Alias Sacra Congregatio saepe declaravit, Canonicum absolutum cum clausa – ex hactenus deductis – lucrari debere distributiones tempore, quo abfuit a choro ex causa inquisitionis *in Ferentina die 2 Augusti 1721 lib. 71 Decretorum pag. 314.*

544. Similiter Sacra Congregatio declaravit, – Canonicos primo inquisitos, ac deinde absolutos uti non culpabiles per sententiam, licet cum clausula « ex hactenus deductis », debere utique percipere distributiones quotidianas totius temporis, quo talem ob causam divinis interesse non potuerunt – *in Arianen. die 28 Aprilis 1635 lib. 15 Decretorum pag. 191.*

545. Unde in simili casu subinde mandavit, dandam esse declarationem alias factam in Arianen. 28 aprilis 1635 *in Anagnina die 23 Aprilis 1681 lib. 31 Decretorum pag. 454.*

546. Qua de re Sacra Congregatio respondit, Praepositum non teneri, nisi ad punctaturas unius mensis, ex eo quod e loco residentiae discesserit, ne ob assertum crimen simoniae in vincula coniiceretur, ac mox indulta legitime abessendi a Sacra Congregatione reportaverit, atque demum sententiam absolutoriam cum clausula – ex hactenus deductis – obtinuerit *in Ripana Punctaturarum die 17 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

547. Siquidem Ioannes Chrysostomus Uliassi Praepositus Collegiatae Ecclesiae in Terra Cryptarum ad mare die 20 iunii 1711 tamquam simoniacae pravitatis reus inquisitus in Curia Episcopali Ripana timens, quin carceribus, ut ipse aiebat, manciparetur, deputato Sacerdote, qui eius onera adimpleret, statim Romam confugit, ac in carceribus constitutus inhibitionem ab R. P. Generali Auditore Confidentiarum reportavit, alteramque pariter inhibitionem expediri curavit coram A.C. in criminalibus, quibus deinde mense aprilis 1712 e medio sublatis, remissa fuit Causae expeditio coram Ordinario cum clausula, quod audiretur per Procuratorem. Interim vero idem ipse Praepositus Uliassi die 6 augusti anni 1711 benignitatem EE. PP. imploravit pro opportuna abessendi licentia, controversiam ac inhibitiones desuper expeditas exponens, ex quo primum die 6 augusti 1711 facultatem reportavit, – ut a residentia per mensem proximum tantum pro arbitrio et conscientia Ordinarii abesse possit etc., exhibito indulto in Cancellaria Emi Vicarii Urbis –, iuxta stylum in novissimo tunc edicto praescriptum, ut palam Emo Vicario fierent Sacerdotes residentiae onere obnoxii, quod sane indultum prorogatum decies extitit per totum mensem novembris 1712, nonnullis tantum, inter plerasque prorogationes, absque licentia elapsis diebus, ac tandem mox dicto tempore sententiam absolutoriam reportavit cum clausula – ex hactenus deductis –. Desinente itaque eodem mense novembris, statim ac idem ipse Ioannes patriam versus iter reipsa suscepit, furtum parvae supellectilis cum non modica pecuniarum summa passus fuit, quo iterum Romae sistitit, expositaque infortunii causa, bina alia indulta ab Sacra Congregatione obtinuit, unum scilicet per totum mensem decembris 1712, alterumque per totum mensem februarii 1713, quo Praeposituralem Praebendam in manibus Summi Pontificis renunciavit. Qua de re Nicolaus Seneca et Ambrosius Polidori duo ex quatuor Capellanis sive Canonicis praefatae Collegiatae Ecclesiae contenderunt, dictum Ioannem Chrysostomum punctaturis iuxta legem fundationis obnoxium fuisse pro integro absentiae tempore, praesertim quia nullam abessendi legitimam causam praetexere ipse poterat, et quia indulta impetrata nequaquam tempore opportuno coram Ordinario exhibuit, cum eorum decem post instructam litem praesentaverit de mense septembris 1712. At dictus Uliassi respondit, indulta praesentasse in Cancellaria Emi Vicarii, ac legitimam habuisse causam abessendi, ne scilicet vinculis ob assertum delictum cohiberetur, ac ulterius quia Romae Capituli negotia gessit, tamquam eius Procurator.

548. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et ad quas punctaturas teneatur Ioannes Chrysostomus Uliassi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, nisi ad punctaturas unius mensis – *in Ripana Punctaturarum die 17 Martii 1714 lib. 64 Decretorum.*

549. Quin imo licet Canonicus a praecepto seu mandato Ordinarii appellans non fuerit absolutus ex capite innocentiae, sed ex Decreto, – non molestetur –, nec non per Procura-

torem Causam agere potuisset, ius tamen habet percipiendi distributiones quotidianas decursas pro tempore eius absentiae *in Theatina Distributionum die 19 Novembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

550. Enimvero – interposita appellatione ad tribunal A. C. per Philippum Durinum Canonicum huius Cathedralis a praecepto seu mandato sibi iniuncto de ordine illius Archiepiscopi de habendo domum pro carcere, ex eo quod idem Canonicus non intervenisset in Ecclesiam, quo tempore iusta persolvebantur cl. me. Cardinalis Radolovichi eiusdem Cathedralis olim Archiepiscopi, ac vigore Literarum compulsorialium transmissis actis, consistentibus in processiculo duorum tantummodo foliorum, ipsoque Canonico sponte constituto in carceribus Curiae Capitolinae, fuit tandem sub die 19 ianuarii 1705 per idem Tribunal diffinitive pronunciatum: « Canonicum Philippum Durinum fore et esse dimittendum, et non esse super praemissis molestandum, prout eumdem dimitti et non molestari mandamus, processumque seu acta desuper facta, ac fideiussionem per eumdem hic in Urbe praestitam de habendo domum pro carcere cassantes et abolentes, Fiscoque ac praedicto R. P. Promotori Fiscali Curiae Archiepiscopalis Theatis illi adhaerenti perpetuo silentium imponentes etc. », ut ex attestatione authentica in Summario danda. Ubi autem Canonicus praedictus patrios repetiit lares, renuerunt ceteri Canonici eidem contribuere quotidianas distributiones decursas pro tempore eius absentiae, sub duplici motivo; primo, quod absolutio non fuerit exequuta ex capite innocentiae; secundo, quod Causam agere potuisset per Procuratorem: hinc habito recursu ad hanc Sacram Congregationem, Archiepiscopus informare iussus praenarratorum veritatem confirmans inquit, quod non ex defectu delicti, vel processus, sed ex quo agebatur de crimine levi, latum fuit ab A. C. consuetum Decretum: « Non molestetur »; propterea que censet, merito praememorato Canonico denegari distributiones, quas tantum deberi contendit absoluto ex capite innocentiae, uti pluries resolvisse, ait, hanc Sacram Congregationem. Hinc praedictus Orator supplex instat declarari: - An distributiones quotidianae debeantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Theatina Distributionum die 19 Novembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

551. Unde Canonicus, inquisitus de praetenso homicidio, et dimissus cum Decreto – non molestetur –, iure gaudet percipiendi distributiones quotidianas usque ad diem praedicti Rescripti, licet omnes Canonicatus fructus consistant in distributionibus quotidianis *in Reatina Distributionum die 5 Maii 1708 lib. 58 Decretorum.*

552. Siquidem – inquisitus de praetenso homicidio una cum aliis complicibus Ioannes Petrozzius Canonicus huius Cathedralis, etiam cum transmissione Commissarii de mandato Tribunalis S. Consultae, coactus fuit a sua residentia et a servitio chori abesse, exindeque ubi alii Correi, vel sententiam condemnatoriam, vel processum uberiorem fuerunt passi, ipse solus Canonicus ex eodem Tribunali evasit cum Decreto: « Non molestetur ». Recursum hinc habuit Orator ad Sacram Congregationem pro assequendis fructibus sui Canonicatus, decursis tempore dictae absentiae, qui omnes consistunt in quotidianis distributionibus. Episcopus informare iussus, comprobans praemissa, retulit, se praefixisse octo dierum terminum Canonicis eiusdem Ecclesiae ad deducendum sua iura in Sacra Congregatione, quodque Capitulum nullam in iudicio partem facere intendat, etsi nonnullis Canonicis Rescriptum S. Consultae non videatur suffragari Oratori, cum non sit absolutorium ex capite innocentiae. Relata Causa per Summarium die 3 martii proxime praeteriti, Rescriptum extitit: « Lectum ». Modo Orator ipse, obtenta nova audientia, ex novis iuribus circumferendis humillime proponit EE. VV. consuetum dubium: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 3 martii proxime praeteriti in casu etc. –, cui Sacra Congregatio responsum dedit: – Praevio recessu a decisis, distributiones deberi usque ad diem obtenti Decreti « Non molestetur » – *in Reatina Distributionum die 5 Maii 1708 lib. 58 Decretorum.*

553. Hinc etiam in terminis Canonici dimissi a S. Officio cum clausula, – firmo remanente processu –, qua attenta iterum de haeresi inquiri non potest, nisi nova superveniunt indicia, iuxta late tradita per Card.

Albitium de inconstantia in fide cap. 25 n. 111 et 112, quod eidem debeantur distributiones pro tempore, quo in carceribus permansit, fuit solemniter et re discussa resolutum in Tribunali supremae et universalis Inquisitionis Romanae *in Lauretana Distributionum die 17 Septembris 1722* §. *Super.*

554. Cum autem Canonicus de concubinatu inquisitus et per sententiam absolutus, adiecta tamen clausula de non conversando in posterum cum asserta Concubina, distributiones quotidianas auctas etiam ab aliorum fallentiis pro toto tempore absentiae, quo in Urbe causa litis permansit, a Capitulo postulaverit atque Capitulum renuerit, Sacra Congregatio mandavit, ut fieret concordia arbitrio Emi Tanarae *in Verulana Distributionum die 16 Ianuarii 1700 lib. 50 Decretorum.*

555. Iamvero – inquisitus de asserto concubinatu in Curia Episcopali Alexander Frezza Canonicus Ecclesiae Cathedralis, sponte se constituit in carcere A. C., compilatoque processu, decreta postmodum fuit illius excarceratio cum clausula « ex quo satis, et iniuncto praecepto de non conversando etc. », reservata facultate procedendi etiam per inquisitionem. Appellavit Frezza a sententia in sequelam huiusmodi Decreti emanata, Causaque commissa in tribunali Gubernatoris, prodiit sententia absolutoria ad eius favorem, tamquam non reperti culpabilis, nec de iure punibilis, cum condemnatione Fisci in expensis: superaddita tamen in fine sententiae clausula « cum praecepto eidem Canonico de non conservando in posterum sub quovis praetextu cum dicta Palma sub poenis arbitrio etc. », adversus quam sententiam reperitur commissa appellatio Emo Urbis Vicario. Post haec renuentibus Canonicis tradere eidem distributiones quotidianas pro toto tempore eius absentiae, recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, deberi sibi distributiones auctas etiam ab aliorum fallentiis ab anno 1694, quo incepit processus usque ad mensem decembris praeteriti, quo in Urbe permansit, pro obtinenda revocatione primae sententiae. Auditus desuper Episcopus refert varias lites et vexationes in variis Urbis tribunalibus contra ipsum ab Oratore promotas cum eius succumbentia, et circa litem criminalem super concubinatu confirmat exposita, cum hac tamen discrepantia, quod Orator interpositam appellationem a sententia A. C. loco illam prosequendi a mense maii 1695 usque ad mensem martii praeteriti totus incubuit prosecutioni aliarum Causarum contra ipsum Episcopum, deducens ulterius plures rationes favore Capituli quoad praetensionem distributionum, ut in relatione per manus distribuenda –.

556. His mature perpensis, proposito dubio: – An Canonico Frezza debeantur distributiones a die inchoati processus usque ad sententiam absolutoriam, vel pro quo tempore in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Fiat concordia arbitrio Emi Tanarae, et Patronus Causae amplius non scribat in Sacra Congregatione – *in Verulana Distributionum die 16 Ianuarii 1700 lib. 50 Decretorum.*

557. Quod si de concubinatu constiterit, poena Canonici concubinarii non transit ultra illius personam, ita ut tertia pars fructuum Canonicatus, qua fuit privatus, debet esse de fructibus pertinentibus ad ipsum Concubinarium, non vero ad Successorem in Canonicatu *in Lovanien. lib. 2 Decretorum pag. 98.*

558. Iusta autem censetur etiam causa percipiendi distributiones, si cessatum fuerit a divinis: nam Sacra Congregatio declaravit, distributiones deberi Canonico absenti pro toto tempore, quo cessatum est a divinis, cum is ante cessationem interesse consueverit, amissis tantum illis eorum dierum, quibus, ipso absente, divina officia legitime celebrata fuerunt *in Aquilana anno 1625 lib. 12 Decretorum pag. 302.*

559. Quum itaque ex causa terraemotus Capitulum obtinuisset facultatem persolvere divina officia in tentorio, sed minor Capituli pars renuerit, adeoque in Ecclesia ea persolvere continuaverit, sed tandem metu poenarum comminatarum paruerit, Sacra Congregatio declaravit, omnes esse admittendos ad distributiones quotidianas usque ad diem completi tentorii, quin proinde illae adaugerentur aliis, qui in Ecclesia divina officia persolverunt, post completum autem tentorium, eos, qui in Ecclesia divina officia continuarunt, ex gratia esse admittendos ad praefa-

tas distributiones quotidianas *in Reatina Distributionum die 19 Aprilis 1704 lib. 54 Decretorum.*

560. Enimvero – reportata ab hac Sacra Congregatione facultate per Capitulum et Canonicos Cathedralis Reatis celebrandi divina officia sub tentorio tempore, quo notissimae terrae concussiones etiam in dicta Civitate saeviebant, attenta ruina, quam Ecclesia Cathedralis minabatur, nonnulli ex ipsis Canonicis, minorem tamen Capituli partem constituentes, renuerunt in dicto tentorio assistentiam divinis officiis praestare, unde ad instantiam ceterorum Canonicorum ibidem interessentium in vim supradictae facultatis huius Sacrae Congregationis, EE. PP. per plura ac reiterata Decreta, Sanctissimo etiam postremo loco approbante, demandarunt Vicario Apostolico, ut praefatos Canonicos reluctantes omnino cogeret ad interveniendum una cum aliis in dicto tentorio, sub poenis amissionis distributionum aliisque a Sacro Concilio Tridentino et Constitutionibus capitularibus contra non interessentes praescriptis, prout tandem, post demandatam quoque exequutionem dictorum Decretorum a R. P. Auditore Sanctissimi, obtemperarunt. Cessato autem exinde timore praefatarum concussionum, factoque regressu per Canonicos ad officiandum in Ecclesia Cathedrali, exorta fuit controversia super participatione distributionum inter Canonicos, qui in tentorio divina officia ab initio persolverunt, et alios qui ibidem persolvere recusarunt, eiusdemque decisione ad hanc Sacram Congregationem remissa per eumdem R. P. Sanctissimi Auditorem, duo infrascripta dubia EE. EV. proponuntur resolvenda, videlicet: – I. An Canonici Beneficiati et Clerici Cathedralis a die intermissi servitii in Ecclesia causa terraemotus sint admittendi ad distributiones quotidianas anniversaria et nocturna usque ad dies completi tentorii, seu potius illae adauctae censeantur aliis, qui in Ecclesia divina officia persolverunt in casu etc. II. An Canonici Beneficiati et Clerici eiusdem Cathedralis, qui completo tentorio sub eadem Ecclesia divina officia continuarunt, sint admittendi ad distributiones quotidianas nocturna et anniversaria, seu potius ista adaugenda sint aliis, qui sub tentorio divina officia persolverunt in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative ex gratia – *in Reatina Distributionum die 19 Aprilis 1704 lib. 54 Decretorum.*

561. Hinc Sacra Congregatio declaravit, deberi distributiones quotidianas etiam Canonicis absentibus ex causa pestis grassantis, si alias fuerint soliti inservire, ac extet consuetudo legitime praescripta, quod dentur absentibus ex iusta causa *in Mediolanen. die 9 Novembris 1630 lib. 14 Decretorum pag. 337.*

562. Qua de re distributiones quotidianae debentur etiam provisis in Curia et addictis S. R. E. Cardinalibus, capta legitime per Procuratorem Canonicatus possessione, quin interim ad residentiam se conferre valeant, ob pestem in Urbe grassantem, donec huiusmodi impedimentum perduret *in Lucana Distributionum die 28 Iulii 1657 lib. 21 Decretorum pag. 31.*

563. Quin imo concessae fuerunt distributiones quotidianae etiam Canonico absenti causa servandi interdictum, dummodo adhuc extant et inter inservientes non fuerint iam divisae *in Parmen. die 14 Ianuarii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 418.*

564. Idcirco si iustum paratur impedimentum, quominus Canonicus vel quivis alius Capitularis ad chorum accedat ac divinis officiis intersit, distributiones haudquaquam amittit: compertum enim est, Summum Pontificem Honorium III in cap. *Ad audientiam* de cleric. non resid. et Bonifacium VIII in cap. unic. eod. tit. in 6, post constitutam regulam, quae a fructibus et distributionibus quotidianis percipiendis arcet eos, qui non residunt ac divinis non intersunt officiis, improbata quacumque consuetudine vel statuto, quo absentes lucrabantur distributiones quotidianas, excepisse Canonicos aut Beneficiatos illos, – quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret – *in Leodien. seu Colonien. Fructuum die 1 Septembris 1736* §. *Assertam.*

Item *in Acernen. Distributionum quotidianarum et Iubilationis die 18 Maii 1738* §. *Animadvertens; in Segobricen. Indulti*

die 19 Ianuarii 1765 §. *Bonifacius; in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792* §. *Facultatem; in Anagnina Servitii chori et Distributionum die 20 Novembris 1819* §. *Antequam; in Derthonen. Visitationis sacrorum Liminum die 22 Iunii 1844* §. *Scilicet.*

565. Unde ex quibus verbis inferunt Doctores, omnia Infirmos emolumenta distributionesque lucrari, ac si praesentes essent, atque prae ceteris Moneta de distrib. part. 2 quaest. 9 per totum, Ursaya discept. eccles. 16 n. 16 part. 2 tom. 1 *in Leodien. seu Colonien. Fructuum die 1 Septembris 1736* §. *Assertam.*

Item *in Avenionen. Servitii chori die 16 Decembris 1786* §. *Ad primum; in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792* §. *Facultatem.*

566. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, distributiones quotidianas deberi Canonico reapse absenti valetudinis gratia *in Panormitana die 10 Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 73.*

567. Hinc distributiones quotidianae debentur integre Infirmo toto tempore infirmitatis, quo non potuit choro interesse *in Tranen. anno 1600 lib. 9 Decretorum pag. 110.*

568. Amplia, etiamsi infirmitas provenerit ex propria culpa *in Caesaraugustana ad cap. 12 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

569. Quin imo distributiones quotidianae Infirmo debentur una cum mortuariis et anniversariis, licet infirmitas non sit gravis *in Dubium anno 1624 lib. 12 Decretorum pag. 159.*

570. Unde controverti in iure non potest, absentibus ex causa infirmitatis distributiones quotidianas et fructus Praebendarum deberi, perinde ac si choro et divinis interessent officiis, ex cap. *Percussio* de cleric. aegrot., et cap. unic. de cleric. non resid. in 6 *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Ex.*

571. Animadvertendum tamen est, Canonicos ex causa infirmitatis; vel ex alia legitima causa absentes, lucrari quidem distributiones quotidianas tam ordinarias, quam extraordinarias, et alia quaecumque emolumenta ex Anniversariorum celebratione provenientia, dummodo tamen aliter dispositum non fuerit a Testatoribus, uti tradunt Glos. in cap. unico de clericis non residentibus in 6, ibidem Passerin. n. 132, Lara de anniv. lib. 1 cap. 17 a n. 1, Azor instit. moral. tom. 2 lib. 7 cap. 7 quaest. 4 *in Fundana Distributionum et fructuum die 3 Iunii 1734* §. *Alteram.*

Item *in Segobricen. Indulti die 19 Ianuarii 1765* §. *Sacra; in Piscien. Indulti die 23 Martii 1839* §. *Ceterum.*

572. Idcirco distributiones extraordinariae, quae ex voluntate Testatorum et Benefactorum actualem Canonicorum praesentiam omnino requirunt, Infirmis non debentur, Piton. discept. eccles. 1 n. 35 *in Aquilana Indulti die 13 Februarii 1745* §. *Ex iis.*

Item *in Ferrarien. seu Privernen. Emolumentorum die 23 Decembris 1826* §. *Dein; in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831* §. *Quod; in Pisana Indulti die 3 Iunii 1843* §. *Pariter.*

573. Nam huiusmodi distributiones fictam interessentiam omnino excludunt, non obstante etiam privilegio Apostolico, nisi earum literalem mentionem praeseferat; quaeque immo improprie tantum inter distributiones recensentur iuxta ea, quae docent Scarfantonius in animadvers. ad Ceccoperium tom. 3 n. 72, Pignatellius tom. 3 consult. 19 n. 5, Rota in Recent. decis. 59 n. 6 part. 7, et de Sacrae Congregationis disciplina testatur Card. Petra in comment. ad Constit. Apost. tom. 3 Constit. Bonifacii VIII n. 19 *in Mileten. Emolumentorum die 28 Augusti 1858* §. *Ad.*

574. Quapropter nec absentes, Apostolico indulto donati cum facultate percipiendi quascumque distributiones, emolumenta percipiunt, quae ex voluntate Benefactorum dividuntur inter praesentes *in Bosanen. Visitationis sacrorum Liminum die 6 Februarii 1734* §. *In.*

Item *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Quin imo; in Signina Indulti die 22 Iunii 1826* §. *Nulla.*

575. Nam quando Testatores bona reliquerint Capitulo, ut eorum fructus distribuerentur inter eos, qui designatis officiis seu functionibus actu interessent, neque ex gratia indulgetur, ut aliter redituum partitio atque applicatio fiat, etiamsi necessitas atque utilitas concurrere nec non in magnum

divini cultus incrementum et in maiorem Ecclesiae decorem redire videatur *in Leodien. die 26 Martii 1768 et die 21 Novembris 1772.*

576. Enimvero Carolus et Franciscus fratres de Liboys, ambo Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Petri Civitatis Leodii, cupientes fundationem aliquam in eadem Ecclesia peragere, Capituli consilium circa eam quaesiverunt. Duobus proinde ex gremio deputatis folium tradiderunt iidem Fratres die carens et subscriptione, quo animum pandiderunt fundandi duas quotidianas Missas lectas in certis Altaribus horisque certis celebrandas, et fundandi insuper distributiones incerta quantitate pendendas Canonicis, qui interessent aliquibus designatis officiis seu functionibus. Post obitum Caroli alterius ex dictis fratribus, delata hereditate ad Franciscum fratrem superstitem, is anno 1737 Capitulo tradidit florenos 37 millia monetae, reservato sibi, quoad viveret, illorum reditu; et anno 1737 heredem instituit Decanum Capituli ipsius Ecclesiae suum consanguineum, ut fructibus simul cum Canonicis frueretur, eosque administraret ad effectum augendi quamlibet praedictae fundationis partem, adiecta tamen obligatione adimplendi onera dictae fundationis. Nulla alia de fundatione explicata voluntate decessit Franciscus. Quare Capitulum inhaerens illi in memorato folio explicatae, iusta proportione, hereditatis reditus dispertivit in singula pietatis opera in eodem folio designata: unde factum est, ut pinguiora evaserint indictarum praesentiarum emolumenta, quam essent reditus ipsi Praebendarum Canonicalium. At quum illud mali progressu temporis invectum etiam fuerit, quod ob id Capitularium plerique seduli quidem interessent Officiis praedictis, sed interesse negligerent aliis Conventualibus et praecipuis Ecclesiae Officiis, flocci facientes iacturam tenuis compendii, quod percipiebatur ex Praebendis Canonicalibus, immo nec deessent, qui morbos configebant, ut etiam absentes lucrarentur emolumenta praesentibus dumtaxat addicta; hinc Capitulum hisce malis remedium allaturum et simul prae oculis habens, durissimam esse impositam conditionem quotidianae interessentiae praedictis officiis absque ulla quiete consuetarum trimestrium vacationum, unanimi Canonicorum voto, deliberavit Summo Pontifici supplicare, ut facultatem imperiretur extrahendi ex massa hereditaria pii Fundatoris quartam partem correspondentem tribus anni mensibus, eamque applicandi Officiis a Testatore non designatis, distributionibus videlicet lucrifaciendis a Canonicis praesentibus Ecclesiae servitio tunc neglecto in festis principalioribus totius anni; ac praeterea statuendi, quod nemo ob quamcumque causam etiam Infirmitatis, nisi in lecto decumberet, vel talis esset morbus, quo egressum impediret, absens ab Officiis a Testatore designatis ultra tres anni menses posset censeri praesens, et stipendia illis adnexa percipere. Canonici itaque in id valde insudarunt, ut demonstrarent, petitionem hanc et niti summae aequitati et redire in maghum divini cultus incrementum et in maiorem Ecclesiae decorem, ex eo etiam quod res non erat de commutanda defunctorum voluntate determinata et constanti, cum ageretur tantum de significatione animi incerta et dubia circa ipsam substantiam fundationis. Vicarius Generalis Leodiensis vera affirmans et comprobans, quae Capitulum exposuit, eiusdem precibus absque ulla haesitatione putavit annuendum.

577. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo votum Vicarii Generalis Leodiensis super distributione reddituum hereditariorum de Liboys sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Leodien. die 26 Martii 1768.*

578. Institit autem Capitulum, ut Causa denuo proponeretur, ut saltem ex gratia, quod postulavit, assequeretur. Dixerunt enim, preces eo unice esse directas, ut eliminarentur abusus, unde commutationem necessariam esse atque utilem; necessariam quidem, quia fundationes adimpleri non poterant, ne trium mensium vacatione Canonici privarentur; utilem vero, quia distributio quartae partis reddituum in alias infra annum ecclesiasticas functiones, sicuti alliciebat omnes ad interessendum, ita decorem Ecclesiae et Populi augebat devotionem. Addidit, propositam reddituum partitionem consonam etiam esse voluntati Fundatorum, qui interessentiam sacris functionibus divinisque officiis adeo exoptarunt, ut, omni secluso privilegio, eos tantum distri-

butionum participes fieri voluerint, qui designatis ab ipsis Officiis interfuissent. Hanc autem interessentiam perquam facile habendam fore, si per novem menses huiusmodi Officia ita dispertita peragerentur, ut aliorum trium mensium vacatione non privarentur Canonici, quibus intolerabile esset quotidiano servitio absque ulla quiete teneri, quin obiici posset, praescriptum in fundatione fuisse modum, quo ea adimpleri deberet. Respondit enim, nullam adiectam reperiri clausulam irritantem in casu, quo aliter exequeretur, proindeque modum in illa expressum minime pro forma inductum censeri: sed imo causam finalem dispositionis servari, scilicet affectionem Fundatorum erga Ecclesiam et Capitulum, nec non divini cultus augmentum, quorum utrumque proposita redituum partitione atque applicatione adimplebatur. Nam Capitulares maioribus officiis interessentes fundationum emolumenta percipiebant, et maiori inservientium frequentia Ecclesiae decus augebatur. Idcirco quatenus etiam optata redituum partitio atque applicatio veram commutationem importaret, sustinuit nihilominus, eam fore omnino permittendam, cum impossibilis dignosceretur exequutio fundationis, iuxta formam in ea praefinitam, nec ad commutationem requiri impossibilitatem physicam, sed sufficere etiam moralem, quae imaginem difficultatis praeseferat. Optata autem redituum partitio atque applicatio, a septennio circiter exequutioni mandata, maximum iam commodum atque utilitatem afferebat.

579. His tamen non obstantibus, propositis dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. *Et quatenus in decisis.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro exequutione resolutionis Capitularis diei 13 Aprilis 1765 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, Negative – *in Leodien. die 21 Novembris 1772.*

580. Hinc antequam resolveret, num Canonicis infirmis Cathedralis Ecclesiae Asculanae deberentur distributiones relictae a Card. Bernerio, Sacra Congregatio mandavit, ut exhiberetur instrumentum fundationis; proposito enim dubio: – IX. An distributiones relictae a Cardinali Bernerio de suo, et dandae solis interessentibus Matutino, debeantur Infirmis? –, die 22 maii 1706 responsum tulit: – Ad nonum, exhibeatur instrumentum fundationis –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Asculana die 15 Ianuarii 1707 lib. 56 et 57 Decretorum.*

581. Nam Sacra Congregatio declaravit, distributiones legatas pro his, qui formaliter et actualiter interessent choro, non deberi Infirmis, nec etiam actualiter detentis in servitio Cathedralis *in Mantuana Distributionum die 31 Iulii 1694 lib. 44 Decretorum.*

582. Neque debentur Canonicis habentibus Breve Apostolicum, quo eis etiam absentibus conceduntur *in Patavina die 6 Maii 1636 tib. 19 Decretorum pag. 582.*

583. Proposito hinc dubio: – I. An Canonico Philippo Ragone, attenta eius infirmitate, debeantur distributiones quotidianae et emolumenta, de quibus agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative exceptis distributionibus et emolumentis, quae iuxta Testatorum voluntatem debentur tantum actu interessentibus – *in Acernen. Distributionum quotidianarum et Iubilationis die 14 Martii 1739.*

584. Unde qui ex causa infirmitatis obtinuit indultum vacandi a choro aliisque officiis divinis, frui etiam debet laudemiis quindenniis capitulis aliisque capitularibus anniversariis festivitatibus processionibus et quibuslibet functionibus in Ecclesia peragendis, exceptis tamen anniversariis aliisque obventionibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a Testatoribus dispositum *in Segobricen. Indulti die 17 Ianuarii 1765* §. *Sacra.*

Item *in Camerinen. die 21 Iulii 1766* §. *Ait.*

585. Qua de re Canonicus infirmus lucratur quidem eleemosynas ex Anniversariis provenientibus, non vero assignatas pro celebratione Missarum *in Gravinen. die 17 Iulii 1649 lib. 18 Decretorum pag. 654.*

586. Idcirco quum Sacra Congregatio declaraverit, concedendum esse indultum, durantibus infirmitatibus, vacandi a choro Innocentio Bonamici Canonico theologo Ecclesiae Pratensis, onerata eiusdem conscientia,

proposito dubio: – II. An et de quibus emolumentis participare debeat in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, deberi omnia emolumenta, exceptis iis, quae sive ex dispositione Testatorum, sive statuto et consuetudine Ecclesiae; debentur tantum actu inservientibus – *in Praten. Indulti vacandi a choro die 23 Iunii 1764* (1).

587. Canonicus itaque pedibus impeditus percipit quidem distributiones in processionibus, non vero emolumenta quoad associationem cadaverum *in Terracinen. Distributionum die 30 Iunii et die 28 Iulii 1804.*

588. Iamvero Presbiter Angelus Maceroni quum pedibus impeditus esset, non poterat incedere in processionibus et associatione cadaverum: nihilominus tamquam impeditus per iuratam Medici depositionem sibi debita esse contendit emolumenta, quae in processionibus et in ducendis funeribus percipiebantur; sed repugnante Capitulo reclamavit ad Sacram Congregationem, ut emolumenta huiusmodi percipere posset. Episcopus retulit, quod in praesens Capitulum, habitis comitiis, plenis suffragiis instantiam Oratoris probavit, proindeque etiam Episcopus censuit, – Oratorem dignum esse, ut exaudiatur iuxta preces –. Proposito hinc dubio: – An Canonico Maceroni, attenta eius infirmitate, debeantur distributiones in processionibus et emolumenta associationis cadaverum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Quoad distributiones in processionibus, Affirmative, dummodo non obstet voluntas Testatorum expressa vel praesumpta; quo vero ad emolumenta associationum cadaverum, Negative – *in Terracinen. Distributionum die 30 Iunii 1804.*

589. Novas subinde preces exhibuit Canonicus Maceroni exponens, quod ex Constitutionibus Capituli, si heredes defuncti idem accersiri vellent in funeribus, pulsari iubebant aes campanum et solvebant certam taxam, quae eadem semper erat, sive omnes de Capitulo intervenirent, sive secus. Quamquam vero haec distribueretur inter praesentes, attamen Capitulum etiam Infirmos in hac distributione pro praesentibus habere solebat. Reproposito vero dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad emolumenta associationis cadaverum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Terracinen. Distributionum die 28 Iulii 1804.*

590. Qua de re Canonico podagrae morbo detento debentur omnes distributiones tam ordinariae, quam extraordinariae, omniaque emolumenta et obventiones, exceptis, quae ex voluntate Testatoris statuto et consuetudine Ecclesiae debentur tantum actu interessentibus *in Savonen. Distributionum die 18 Decembris 1745.*

591. Siquidem podagrae morbo detentus Franciscus Xaverius Picconius Savonensis Ecclesiae Canonicus, licet octo ab illinc annis choro interesse statis horis non potuisset, quotidianas tamen distributiones perpetuo accepit ac si veram praestitisset praesentiam, idque permissu universi Canonicorum Collegii. At inde visum est Canonicis quibusdam, indulgentiam hanc divino cultui et functionibus ecclesiasticis detrimenti nimium inferre, et ideo distributionum extraordinariarum, ut vocabant, fallentiarum compendium, quo dumtaxat, qui interessebant, fruebantur, Picconio negarunt. Picconius vero in medium protulit iuris regulam, quae vult, eumdem esse effectum fictionis in casu ficto, qui est veritatis in casu vero, et absentis portionem non personae, quae praesens est, sed portioni accedere, quae fuit Fagnani iurisprudentia in Cap. *Cum percussio* n. 29 de cleric. aegrot. Addidit, longo in ea Cathedrali Ecclesia usu comprobatam esse consuetudinem, ut Canonici vitio morbove praepediti participes essent omnium distributionum atque obventionum, uti illas percipiebant vere praesentes; ideoque, cum ipse morbo premeretur, distributionibus extraordinariis aliisque obventionibus privari non deberet. Contra sex Canonici, ceteri namque Picconio favebant, contenderunt, consuetudinem illam, quae si adesset, a iure improbaretur, ut disserit Scarfantonius ad Ceccoperium lucubrat. canon. lib. 2 tit. 10 a n. 5, non probari a Picconio, imo duobus exemplis exceptis e libris annalium computationum monstrari: frustra eum praetendere, debitas sibi distributiones omnes

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Dispensatio*, §. II, n. 12, Tom. VII.

rationibus et argumentis, quae iuris dispositioni et ipsi aequitati adversabantur, et rectissime fuisse definitum a S. Rotae Auditorio in Recent. decis. 117 a n. 13 part. 9 tom. 1.

592. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Canonicus Picconi tempore infirmitatis participare valeat de omnibus distributionibus tam ordinariis, quam extraordinariis, ac quibuscumque aliis emolumentis et obventionibus, prout participant ceteri Canonici interessentes in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, exceptis iis, quae sive ex voluntate Testatoris, sive ex statuto et consuetudine Ecclesiae, debentur tantum actu interessentibus – *in Savonen. Distributionum die 18 Decembris 1745.*

593. Nam Sacra Congregatio declaravit, deberi distributiones Canonico podagra laboranti pro tempore, quo ratione huiusmodi infirmitatis choro interesse nequit *in Papien. anno 1595 lib. 8 Decretorum. pag. 127.*

Item *in Mediolanen. anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 38.*

594. Hinc etiam Canonicus, qui, vitio laborans caecitatis, obtinuit indultum lucrandi distributiones, etiam fallentias aliorum Canonicorum absque legitima causa a choro absentium lucratur; his enim in terminis proposito dubio: – II. An, durante indulto, lucretur idem Canonicus fallentias aliorum Canonicorum absque legitima causa absentium a choro in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Spoletana Executionis Rescripti et participationis fallentiarum die 25 Ianuarii 1851* (1).

595. Idcirco Ioanni Iosepho Caresti Canonico Ecclesiae Cathedralis Therami, cum incidisset ex acri stillantium oculorum fluxu in glaucoma, a quo misere caecus omnino factus fuit, debentur distributiones quotidianae etiam provenientes ex Canonicorum fallentiis, etiamsi bene valeat atque in alias Ecclesias et quo ipse velit se conferat; his enim in terminis proposito dubio: – An Canonico Iosepho Caresti praetenso caeco debeantur distributiones quotidianae etiam provenientes ex Canonicorum fallentiis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative; et amplius – *in Aprutina Distributionum die 7 Iunii 1755.*

596. Nam Canonicus caecus factus, qui uti infirmus habetur, distributiones quotidianas, aliorumque fallentias acquirit *in Spoletana Exequutionis Rescripti et participationis fallentiarum die 25 Ianuarii 1851 §. Quod.*

497. Hinc distributiones absque chorali interessentia debentur totaliter caeco, utpote omnino ad chori servitium inhabili, ceu tradunt Barbos. de Canon. Cap. 24 n. 90, Pignatell. Consult. 115 n. 60 tom. 9, Fagnan. in Cap. *Cum percussio* a n. 12 de cler. aegrot., Ferrar. Bibioth. can. verb. *Distributiones* art. 1 n. 15 *in Spoletana Exemptionis a choro et Distributionum die 5 Decembris 1846 §. Et primum.*

Item *in Centumcellarum Exemptionis a choro et Restitutionis Fructuum die 10 Iunii 1848 §. Sed haec.*

598. Non idem tamen dicendum videtur, de caecutiente, de eo scilicet, qui omnino caecus non sit; nam Scarfantonius in lucubrat. can. lib. 2 tit. 9 n. 25 haec tradit: – Si vero non sit omnino orbus, sed tantum ob visus debilitatem non valeat legere in libro, et soleat per vias ambulare, tenebitur adire chorum et ibi recitare, quae scit, memoriter –, cui consonant Azor lib. 3 cap. 11 quaest. 12 tom. 2, Garz. de Benef. in addit. ad 3 part. cap. 2 n. 515, Trullen. in decis. cap. 7 decis. 28 n. 8, Sanchez consil. lib. 2 cap. 2 dub. 90 *in Spoletana Exemptionis a choro et Distributionum die 5 Decembris 1846 §. Et primum.*

Item *in Centumcellarum Exemptionis a choro et Restitutionis Fructuum die 10 Iunii 1848 §. Porro* (2).

599. Alias nec dubitandum videtur, vel ab ipso infirmitatis exordio hoc beneficio Caecum frui debere post doctrinam Benedicti XIV Instit. eccles. 107 n. 48: – In controversiam venit, utrum Caeco distributiones ab eo die concedi deberent, quo lumen oculorum amisit, an vero a die, quo, se tamquam praesentem existimari velle, declaravit, tribuendas Cae-

(1) Speciem Causae huius habes in verb. *Canonici* §. III, n. 13 et 14, Tom. IV.

(2) Reliqua prostant in verb. *Caecus*, Tom. IV; et in Verb. *Canonici*, §. VII, Tom. V.

co distributiones a die, quo lumine caruit - *in Centumcellarum Exemptionis a choro et Restitutionis fructuum die 10 Iunii 1848* §. *Nec dubitandum.*

600. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, distributiones deberi Canonico caeco a die orbitatis, quin obstet, quod eo tacente inter alios Canonicos fuerint divisae, non vero a die tantum obtentae declarationis a Sacra Congregatione *in Aquilana Distributionum die 1 Aprilis 1662 lib. 23 Decretorum pag. 110 a tergo.*

601. Quin imo distributiones debentur una cum ceteris emolumentis interessentibus dari solitis Canonico caeco, etiamsi Missam celebrare et divino officio recitare non possit *in Brictinorien. anno 1619 lib. 12 Decretorum pag. 16.*

602. Amplia, etiamsi amissio visus ei evenerit antequam ad participationem distributionum fuisset admissus, non obstante dispositione Concilii Provincialis habiti a S. Carolo, scilicet non deberi distributiones quotidianas quibuscumque infirmitate necessitate aut manifesta Ecclesiae utilitate occupatis non inservientibus, illaequae debentur tam pro praeterito, quam pro futuro durante tali impedimento *in Mediolanen. Distributionum die 18 Aprilis 1670 lib. 27 Decretorum pag. 72.*

603. Nam Canonicus caecus non tenetur ad onera suo Canonicatui annexa, neque choro interesse, neque eam officii partem, quam memoriter scit recitare, et nihilominus distributiones quotidianas ac si personaliter choro interesset, percipere debet *in S. Agathae Gothorum die 18 Septembris 1655 lib. 19 Decretorum pag. 522.*

Item *in Aquilana Distributionum die 29 Ianuarii 1661 lib. 22 Decretorum pag. 416.*

604. Nec imo tenetur Missas lectas ex institutione seu legato ad ipsum Capitulum spectantes et inter Canonicos divisas per alium celebrare *in Praenestina Distributionum die 1 Aprilis 1662 lib. 23 Decretorum pag. 210 a tergo.*

605. Hinc etiam intuitu senectutis concessi fuerunt Canonico bene de Ecclesia merito nedum fructus sui Canonicatus, sed et distributiones quotidianae, etiamsi choro non interesset *in Narnien. die 29 Novembris 1631 lib. 14 Decretorum pag. 531.*

606. Id pariter Sacra Congregatio concessit solius senectutis intuitu Beneficiato, dummodo festis principalioribus interesset *in Romana die 12 Augusti 1645 lib. 17 Decretorum pag. 449.*

Item *die 16 Novembris 1652 lib. 19 Decretorum pag. 210.*

607. Idcirco ex gratia concessum fuit Canonico nonagenario, ut etiam choro non inserviendo distributiones quotidianas percipere posset *in S. Agathae Gothorum die 18 Martii 1628 lib. 13 Decretorum pag. 421.*

608. Imo concessae fuerunt distributiones quotidianae etiam Canonico in aetate septuaginta et octo annorum constituto et triginta servitii praestiti, etiamsi diebus ferialibus non interesset nec choro inserviret *in Romana die 15 Novembris 1653 lib. 19 Decretorum pag 282.*

609. Nec aliter concessum fuit alteri aetatis septuaginta septem annorum et infirmitatibus gravato *in Nucerina die 15 Novembris 1653 lib. 19 Decretorum pag. 283.*

610. Nec itaque Canonicus infirmus vel senio confectus tenetur sibi Coadiutorem adiungere, aut inservire per Substitutum, ceu millies resolutum fuit, ad tradita per Fagnanum in Cap. *Nulla* de concess. Praebendae n. 72 et 73, et in Cap. *Licet* de Praebendis n. 136 *in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831* §. *Re quidem vera.*

611. Hinc Sacra Congregatio declaravit, deberi distributiones quotidianas etiam Canonicis senio confectis, qui sola senectute detenti matutinis horis choro interesse non possut, dummodo alias fuerint soliti inservire *in Ravennaten. lib. 2 Decretorum pag. 220 a tergo.*

612. Nam non potest Canonicus infirmus compelli ad inserviendum per Substitutum, quo tempore propter infirmitatem non potest pe seipsum *in Cathacen. anno 1621 lib. 12 Decretorum pag. 80.*

613. Quin imo Canonico absenti propter morbum et cum indulto, quod omnes fructus et distributiones sui Canonicatus perciperet, non secus ac si choro et divinis officii personaliter interesset, debentur etiam aliorum fallentiae *in Lauretana Distributionum die 17 Septembris 1722* §. *Transeundo.*

Item *in Osnabrugen. Distributionum die*

3 Martii 1736 §. Immo; in Calaritana Onerum die 17 Septembris 1831 §. Requidem vera; in Spoletana Exequutionis Rescripti et participationis Fallentiarnm die 25 Ianuarii 1851.

614. Nam ipsi a die praesentationis Indulti competit pro sua parte etiam ius accrescendi earum distributionum, quae ob absentiam vel vacationem aliorum Canonicorum interessentibus accrescunt *in Segobricen. Indulti die 19 Ianuarii 1765 §. Sacra.*

Item *in Nucerina Servitii chori et distributionum die 17 Februarii 1838 §. Hinc.*

615. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, infirmitate laborantem lucrari debere etiam portionem accrescentem ex aliorum absentia *in Sorana die 14 Martii 1604 lib. 10 Decretorum pag. 81.*

Item *in alia Sorana die 9 Decembris 1651 lib. 19 Decretorum pag. 161.*

616. Idcirco infirmitate laborans percipere etiam debet portionem accrescentem ratione Canonici defuncti tempore suae absentiae causa infirmitatis non solum, sed etiam ob malam valetudinem de consilio Medicorum *in Dubium Iuris accrescendi die 23 Augusti 1681 lib. 31 Decretorum pag. 464.*

617. Unde Canonico propter infirmitates et alias causas sacrae Congregationi expressas concessum fuit, ut quolibet anno a principio novembris usque ad totum mensem aprilis abesse posset a servitio sui Canonicatus et interim una cum fructibus distributiones quotidianas percipere *in Forolivien. die 7 Februarii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 308.*

618. Qua de re Canonicus, qui causa infirmitatis obtinuit indultum vacandi a servitio chori, cum facultate interim percipiendi omnes fructus et distributiones non secus, ac si choro et divinis officiis personaliter interesset, iure pollet fruendi nedum distributionibus, quae simpliciter quotidianae appellantur, nec non laudemiis, exceptis anniversariis aliisque obventionibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a Testatoribus dispositum, sed et eidem competit pro sua rata parte ius accrescendi earum distributionum et communium, quae ob absentiam vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt a die praesentatione indulti *in Romana Iurium canonicalium die 5 Maii 1703 die 27 Iunii 1705 et die 17 Martii 1708 lib. 53 55 et 58 Decretorum.*

619. Siquidem – obtinuit die 30 septembris anni praeteriti Ioannes Petrus Strada Canonicus Collegiatae Ecclesiae SS. Celsi et Iuliani ab hac Sacra Congregatione indultum vacandi a servitio chori ad biennium, attento quodam incurabili morbo, quod patitur, nec non doloribus et assiduis incommodis ab eodem provenientibus, cum solitis clausulis, quod scilicet « interim omnes fructus et distributiones quotidianas sui Canonicatus perciperet, non secus ac si choro et divinis officiis personaliter interesset ». Renuit autem Capitulum et Canonici eiusdem Ecclesiae nonnulla emolumenta praefato Canonico persolvere, eo sub fundamento, quod in dicto indulto non sint comprehensa, et signanter illa, ex actibus capitularibus provenientia, ac portionem communium laudemii et similium, demandatoque interim per Auditorem Emi Urbis Vicarii deposito eorumdem emolumentorum in manibus Canonici Camerarii, duo infrascripta dubia ad instantiam supradicti Canonici Oratoris EE. VV. proponuntur resolvenda: – I. An Canonico Stradae, cui ex causa infirmitatis fuit concessum indultum vacandi a choro aliisque officiis divinis, illud etiam suffragari valeat pro laudemiis quindenniis capitulis actibusque capitularibus ac pro quibusvis functionibus in Ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta cuiusvis generis et speciei, communia nuncupata, ac etiam victualia et candelas? *Et quatenus affirmative.* II. An eidem Canonico competat pro sua rata parte etiam ius accrescendi earum distributionum et communium, quae ob absentiam vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt, et a qua die supradicta omnia debeantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative etiam quoad laudemia, exceptis Anniversariis aliisque obventionibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a Testatoribus dispositum. Ad secundum, Affirmative a die praesentationis indulti – *in Romana Iurium Canonicalium die 5 Maii 1703 lib. 53 Decretorum.*

620. Impetrata vero – per Capitulum adversus utramque resolutionem nova audientia, nedum iam decisa ad examen revocantur,

sed ipsum quoque indultum in ea parte, in qua Canonicum praefatum distributiones quotidianas lucrari posse permittit, sub primo ex infrascriptis dubiis ab EE. VV. declarari petitur: – I. An Canonicus Strada lucrari valeat omnes distributiones, quae simpliciter appellantur quotidianae? II. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 5 maii 1703? –, Sacra Congregatio respondit. – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, in decisis; et amplius, – *in Romana Iurium Canonicalium die 27 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum.*

621. Idcirco Capitulum subinde contendit, non deberi praedicto Canonico ratam partem quorumdam Anniversariorum, cum ex Testatorum praescripto excluderentur etiam infirmi absentes. Proposito hinc dubio: – An debeantur Anniversaria Honuphrii Pontani Antonii Landi et Vincentii Langerii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Romana Iurium canonicalium die 17 Martii 1708 lib. 58 Decretorum.*

622. Hinc Beneficiatus, qui postquam obtinuerit plura indulta et prorogationes, cum integra participatione distributionum quotidianarum, ad effectum abessendi e loco residentiae ob nonnullas habituales indispositiones, alia dein assequutus est, clausula adiecta, absque spe ulterioris prorogationis, pro praeterito tempore interim decursu distributiones habere non potuit a Sacra Congregatione, sed probata mox perduratione praedictarum indispositionum, nedum dictas praeteritas distributiones, sed et indultum abessendi ad biennium ab eadem consequutus est *in Romana Distributionum die 14 Novembris 1699 lib. 49 Decretorum.*

623. Enimvero – Abbas Georgeus Anetra Vaticanae Basilicae Beneficiatus, post obtenta ab hac Sacra Congregatione sub motivo nonnullarum habitualium indispositionum, ab anno 1693 usque ad annum 1696 plura indulta et prorogationes, ad effectum permanendi extra residentiam fruendique beneficio aeris nativi, cum integra participatione distributionum quotidianarum, sub diebus tandem 2 iunii 1696 et 7 decembris 1697 alias prorogationes obtinuit, adiecta tamen clausula in utroque Decreto « absque spe ulterioris prorogationis». Sed cum, ob suppositam dubrationem earumdem causarum instetisset pro concessione novae prorogationis, Sacra Congregatio post auditum Emum Archipresbiterum die 19 iulii 1698 contradicentibus Beneficiatis rescripsit: « Quoad indultum praeterito tempore, nihil; quo vero ad futurum, concedatur per totum mensem novembris cum clausula resolutiva, quatenus intra dictum tempus non redierit ad residentiam ». Post elapsum praefixum tempus, Abbas excitavit praetensionem consequendi omnes distributiones tam praeteritas, quam futuras, absque alia concessione indulti eo sub fundamento, quod attenta continuatione suarum indispositionum distributiones sibi debeantur integre de iure communi absque alio indulto Sacrae Congregationis, in vim Textus in Cap. unico de clericis non residentibus in 6. Datisque articulis ad probandum allegatum impedimentum, examinati fuerunt cum interrogatoriis Partis plures Testes, delatoque ad Urbem processu, placuit EE. VV. in postrema Congregatione habita die 2 praeteriti mensis septembris demandare, « ut, subministratis eidem scutis quinquaginta in causam declarandam, proponeretur Causa super meritis in prima post aquas ». Quare cum post impletum, ut par est, Decretum EE. VV. Causa proponatur, Beneficiatis licet monitis non informantibus, superest modo, ut ab EE. VV. definitive resolvatur: – An et a quo tempore in praeteritum et pro quo tempore in futurum praefato Abbati Anetrae licet absenti debeantur distributiones quotidianae sui Beneficii in casu etc. –, responsum hinc prodit: – Praevio recessu a decisis, deberi distributiones in praeteritum, et in futurum concedendum esse indultum ad biennium, si tamdiu, et ad mentem – *in Romana Distributionum die 14 Novembris 1699 lib. 49 Decretorum.*

624. Quinimo Fagnanus in Cap. *Licet* de Praeb. et Dignit. n. 136 ad 138 haec habet: – Primus igitur casus exceptus, in quo de iure quotidianae distributiones debentur absentibus, est infirmitas etc., extenditur secundo, ut habeat locum, non obstante Statuto Capituli, ut aegrotis, vel ex quavis causa absentibus, non dentur distributiones; huiusmodi enim Statutum Sacra Congregatio censuit non esse confirmandum, cum sit irrationabile, et con-

tra bonum Ecclesiae, qui si alii eius essent exemplo deterriti forte non posset, qui militaret Ecclesiae, inveniri – *in Segobricen. Indulti die 19 Ianuarii 1765* §. *Praeterea.*

625. Siquidem Sacra Congregatio iussit, Statutum, quo infirmi distributionibus privabantur, reformari ad formam Canonum, ita ut integre perciperent distributiones, qui ex iuris fictione habentur uti praesentes, ad lucrandas etiam distributiones quotidianas *in Asculana et Ceriniolen. Distributionum die 6 Martii 1847* §. *Quamquam.*

626. Quapropter quum ex vigentis Constitutionis Ecclesiae Cathedralis Valvensis regula omnis mensae capitularis substantia distributionibus quotidianis contineretur, et omnes, nemine uno excepto, quotidie per annum choralis obeundi muneris obligatione manciparetur, ita ut etiam Infirmis, qui aegrotabant in Oppidis extra Pentimam, negarentur distributiones quotidianae, unde postulaverint, ut eis peculiaris quibusque Praebenda super capitulares reditus adsignaretur, proposito dubio: – I. An et quomodo annuendum sit precibus Canonicorum quoad Praebendae constitutionem in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative; et Episcopus curet reformari Statutum iuxta sacros Canones, ita ut duas ex tribus partibus distributionum lucrentur, iuxta iuris dispositionem, ii, qui fructus Praebendae faciunt suos, integre vero percipiant ii, qui ex iuris fictione habentur uti praesentes, ad lucrandas etiam quotidianas distributiones *in Valven. Servitii chori die 24 Novembris 1838.*

627. Amplia, Canonici et Beneficiati mala valetudine laborantes distributiones lucrantur, etiamsi infirmitatis tempore absint e loco residentiae; nam aeque impediti sunt ad interessendum choro, si adessent, Pignatell. consult. 115 n. 67 tom. 9, Ursaya discept. 16 tom. 1 part. 2 n. 23, Monet. de distrib. part. 2 quaest. 6 n. 10 *in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792* §. *Facultatem.*

628. Hinc Sacra Congregatio facultatem indulsit Canonicis Capellanis Portionariis et Beneficiatis Ecclesiae Cathedralis Illerdensis percipiendi distributiones etiam extra locum residentiae tempore infirmitatis et valetudinis tuendae causa, etiamsi a sexcentis fere annis ob capitularem Constitutionem et observantiam iugiter invectam eas non perciperent, dum extra Civitatem aegrotaverint *in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792.*

629. Siquidem ex antiquissimo Illerdensis Cathedralis Statuto anni 1237, usu etiam recepto, omnibus absentes Canonici Capellani Portionarii et Beneficiati privabantur distributionibus, in quibus potissimum, exceptis Canonicis, eorum reditus consistebant; infirmi etiam, dummodo non essent in Civitate, et quotidie choro interesse non consueverint, prinsquam aegrotarent. Post sexcentenariam fere observantiam Sacrae Congregationi supplicarunt Capellani Portionarii et Beneficiati pro indulto absentiae recreationis causa per duos menses a choro et Civitate, ac tempore etiam infirmitatis, vel confirmandae valetudinis causa, cum perceptione distributionum. Episcopus censuit: – Non erit abs re indulgere distributiones quotidianas omnibus Infirmis, et omnibus, qui abfuerint valetudinis tuendae causa, modo infirmitas vera sit et realis, et dum sani soliti sint residere, hac praecisa lege adiecta, ut coram Ordinario comprobent salutis languorem, praevio iudicio Medicorum eorum iuramento firmato, et obtineat licentiam in scriptis, ut discedant e Civitate. Ita fit obviam fraudibus, et auxilium reportat imbecillitas, supplentibus distributionibus tenuitatem redituum Beneficiorum et Capellaniarum, qui vix exaequant sustentationem, maxime quando ob infirmitatem Sacrificium celebrare non valent –. Alias enim – timendum est, ne nimis sit rigor, deterreatque in futurum venturos a militia et servitio Ecclesiae; et afflictionem addere afflicto quis non videt, longe abesse a visceribus ac pietate Ecclesiae? –. Advertebatur autem, a sexcentis fere annis neminem eousque ob rigidam praefati statuti et consuetudinis invectae dispositionem a servitio deterritum fuisse Ecclesiae. His mature perpensis, proposito dubio: – II. An et quomodo absentes etiam a residentia causa infirmitatis percipere valeant distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi, comprehen-

sis Canonicis – *in Illerden. Absentiae et Distributionum die 3 Martii 1792.*

630. Idcirco Canonicus et Beneficiatus aegrotantes extra Civitatem frui debent distributionibus quotidianis, licet e domo exierint ad Missam celebrandam, cum iuratum testimonium Medicorum ad formam Constitutionum Synodalium exhibeant, quin obstet, quod praefatae Constitutiones Synodales contrarium statuant quoad aegrotantes in Civitate *in Lauretana Distributionum die 2 Maii 1716 lib. 66 Decretorum.*

631. Iamvero – Constitutiones Synodales Cathedralis Ecclesiae Lauretanae quoad aegrotantes in eadem Civitate ita decernunt: « Non punctantur, dummodo eadem die domo non exeant ». Quoad vero aegrotantes extra Civitatem in alio diverso capite disponunt: « Non punctantur, sed testimonium authenticum proferre debebunt, in quo Medicus cum iuramento affirmet, illum a tali die usque ad talem diem infirmitate fuisse detentum, ita ut choro interesse non potuerit ». Quare Canonicus Gregorettus et Beneficiatus Montanus, qui Maceratam et Sarnanum eorum respective patrias sese transtulerunt ratione malae valetudinis, cum exhibeant iuratum testimonium Medicorum ad formam dictarum Constitutionum, instant pro distributionibus et revocatione Decreti Episcopi mandantis, illos punctari pro diebus, quibus Missas celebrarunt, et consequenter e domo exierunt, ex, ut inquiunt, ratione, quia pro aegrotis solum in Civitate Lauretana apposita legatur conditio illa » dummodo non exeant ». Praeterea occasione huius controversiae decrevit Episcopus, nullum esse excusandum ab amissione distributionum, nisi antequam exeat e domo, si Laureti moretur, vel discedat e Civitate causa valetudinis, certioret ipsum Episcopum, et si morbo corripiatur extra Civitatem tempore vacationum, eumdem monere debeat de morbo, et Medici consilium seu testimonium transmittere. Huius Decreti validitas impugnatur, cum respiciat Constitutiones Synodales, neque sit roboratum consilio Capituli. Hinc EE. VV. proponuntur infrascripta dubia: – I. An debeantur distributiones quotidianae Canonico Gregoretti et Ioanni Baptistae de Montanis Beneficiato absentibus a choro in casu etc. II. An Decretum super punctaturis factum per reverendissimum Episcopum Lauretanum sub die 30 aprilis 1715 substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, dilata; et audiatur Episcopus – *in Lauretana Distributionum die 2 Maii 1716 lib. 66 Decretorum.*

632. Quin imo Canonicus, qui ex causa infirmitatis obtinuit indultum abessendi a choro et residentiae ad triennium, quin ullam canonicalium obventionum iacturam perferre deberet, ius habet percipiendi distributionem manualem, quae datur iis, qui intersunt choro et divinis officiis pro qualibet hora, etiamsi antiqua in Ecclesia adesse videatur consuetudo, qua huiusmodi distributio denegatur Infirmis extra Civitatem commorantibus *in Segobricen. Indulti die 9 Februarii 1765.*

633. Siquidem Ecclesia Segobricensis duas habebat pro suis Canonicis distributiones, unam, quae medietatem fructuum comprehendebat, cui acquirendae satis erat, ut Canonicus novem mensium spatio interesset. Eam canonicalem et vulgo grossam dicebant, ac pro rata bis in anno distribuebatur. Alteram manualem seu minutam, quae dabatur iis, qui interessebant choro et divinis officiis pro qualibet hora canonica Missa Anniversario processione renovatione Sacramenti in qualibet feria quinta et similibus. Eam non in diem, sed distribuebatur singulo quadrimestri. Veteri Ecclesiae usu factum erat, ut Infirmi, extra Civitatem degentes, nihil de quacumque distributione perciperent, omnia, cum in Civitate essent, haberent. Clemens VIII anno 1601 suis literis statuit, tam – eos Canonicos praesentes in loco quamvis infirmos ac alios, qui de Medicorum consilio extra Civitatem alio ob aeris temperiem ad recuperandam valetudinem se conferre voluerint etc., ad grossam et canonicales percipiendas pro praesentibus habeantur, prout alii aegroti in Civitate degentes habentur –. Nihil vero loquutus est de manuali seu minuta, quae pristinum suum usum retinuit semper. Honuphrius Oller, iam a quadragesimo quinto anno, Canonicus, supplicavit, – ut attento meritorum suorum cumulo erga dictam Ecclesiam, et attento etiam quod iam per sexen-

nium ratione suarum infirmitatum, quamvis non residens in choro et Ecclesia, inter praesentes nihilominus habeatur, ipsum a locali quoque residentia dispensare benigne dignetur, ut unico quod remanet suis malis remedio, secedendi scilicet in Civitatem Valentinam ibique permanendi absque ulla canonicalium obventionum iactura, frui possit et valeat -. Sacra Congregatio die 24 iulii 1762 ad triennium petitis annuit. Sed cum manualis distributio post quadrimestre Canonico denegaretur a Capitulo, quod prius consenserat, atque a Vicario Generali Canonico ipsoque Episcopo, qui Sacrae Congregationis literas acceperat antea, ac executioni mandaverat; ideo Oller adire coactus est Sacram Congregationem, quae die 4 maii 1763 mandavit Episcopo, – ut praefigeret Capitulo terminum ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione, non retardata interim executione indulti, et ad eumdem effectum curaret iuris remediis Capitulum omnino praestare Oratori fructus et distributiones ad formam eiusdem indulti –. Inquirendum hinc erat, an de subreptione aliqua vitium esset, quia de consuetudine Ecclesiae Segobricensis, quae distributionem manualem Infirmis extra Civitatem degentibus negabat, nihil dixerunt preces; sed considerandum, an expressa illa consuetudo retardavisset privilegium, quod non minus ex consueta Apostolica indulgentia, quam de iure vere aegrotis Canonicis et mitiori caelo extra Civitatem ad necessario tutandam vitam, et arcendam mortem, indigentibus datur. Praeterea ponderandum, an hae consuetudines sive usus servari atque approbari mererentur.

634. His mature perpensis, proposito dubio: – An indultum abessendi a residentia, a Canonico Honuphrio Oller obtentum, ei suffragetur ad effectum percipiendi a die illius exequutionis omnes distributiones tam canonicales, quam manuales et minutas interessentibus choro et divinis officiis praestari solitas? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative in omnibus exceptis distributionibus, de quibus expresse a Testatoribus aliter dispositum - *in Segobricen. Indulti die 9 Februarii 1765.*

635. Hinc Beneficiatus, qui solitus ceteroquin inservire, a Civitate legitimae vacationis tempore discedens, in vicinum Oppidum se contulit, unde tamen in dictae vacationis fine potest opportune reverti ad inserviendum Ecclesiae ibique superveniente infirmitatis impedimento, ita detinetur, ut ad Civitatem redire et choro interesse non valeat, distributiones quotidianas lucratur *in Nullius Distributionum die 18 Decembris 1666 pag. 290.*

636. Idipsum vero locum non habet, si indultum abessendi non obtinuerit, ac adsit contraria consuetudo, quae sit legitime praescripta *in Nullius Distributionum die 18 Decembris 1666 pag. 290.*

637. Qua de re ut quilibet sive Beneficiarius sive Canonicus infirmus hoc speciali munere perfruatur, duo praerequiruntur, ut primo de eius aegritudine deque impedimento ex eadem dimanante legitime constet; secundo, ut pateat, diligentem eumdem, cum sanus esset, choro se praestitisse, non enim omnis aegritudo excusat, nec omnis semper, nam si quis cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc etsi gravetur aegritudine, distributiones non obtinet *in Nucerina Servitii chori et Distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Verum.*

638. Ubi autem infirmitas sit notoria, nullam aliam requiri probationem monet Ceccoperius in elucubr. can. lib. 2 tit. 9 n. 14 *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Ex.*

639. Notorietate autem deficiente patet, de Infirmi iudicium a solis Medicis esse ferendum, veluti pluribus allegatis docent Pellizzar. tom. 1 tract. 5 cap. 8 n. 115, Bonacina de hor. disp. 1 quaest. 6 punct. 1 a n. 5, La Croix lib. 3 part. 1 n. 1225, Zacchias quaest. medic. legal. lib. 2 tit. 2 quaest. 5 n. 3, Stryk iur. dissert. vol. 5 disp. 3 cap. 3 n. 54 *in Avenionen. Servitii chori die 16 Decembris 1786* §. *Ad primum.*

Item *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Ex.*

640. Norunt enim omnes, controversias hasce Medicorum potius, quam Iurisperitorum iudicio definiendas esse, ut dudum rectissime monuerunt Fagnanus in Cap. *Licet* de Praebendis n. 141, Passerinus in cap. unic. de cleric. non resid. reg. 5 n. 91, prae ceteris vero doctissime Vanespen. iur. eccles. univ. tit. 4 de instit. et offic. Can. part. 3

cap. 5 vers. quae vero *in Aquilana Indulti die 13 Februarii 1745* §. *Ex.*

Item *in Anagnina Distributionum die 28 Februarii 1795* §. *Nedum.*

641. Quin imo Bonacina loco citato addit, quod si Medicus dubitat de morbi gravitate, et an horarum recitatio vel accessus ad chorum nocere Infirmo possit, huius favore dubium esset resolvendum *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Ex altera.*

642. Quod si res sit de morbo occulto et interno, qualis est nervinus et vertiginosus, ipsius Infirmi declarationi, Medicorum subnixae iudicio, deferendum est; tunc enim Infirmi conscientia onerari solet *in Nucerina Servitii chori et Distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Primum.*

Item *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Ex.*

643. Idcirco cum res sit de vitio morbove interno, qui sensibus aliorum non subest, quique incrementum accipere potest ex chori frequentia, ex cantu, ex hominum strepitu, et aeris calore, ex frigore hyemis, ut recte expendit Zacch. quaest. med. leg. lib. 7 tit. 2 de divin. offic. quaest. 2 n. 3 et quaest. 3 n. 4, sequendum est Medicorum iudicium, et debet aeger absens distributiones consequi, si praesertim extet consuetudo Capituli, quod in morbis internis sequitur fidem Capitularis aegroti, et sinit, ut distributionibus quotidianis fruatur licet a choro absit *in Tranen. Distributionum die 12 Septembris 1750* §. *Praesertim.*

644. Attestationes Medicorum vero iuratae esse debent *in Anagnina Distributionum die 28 Februarii 1795* §. *Inter.*

Item *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Collegii.*

645. Unde Peritorum iudicium non semper et quandocumque excipi debet, adeo ut integrum non sit Iudici illud aliquando posthabere, iuxta doctrinam S. Rotae in decis 183 n. 4 coram Riminaldo, et ad rem in decis. 338 Recent. n. 8 part. 6, cuius imo prudenti arbitrio res remittitur, ceu docet Moneta de distrib. part. 2 §. 6 n. 21, et Menoch. de arbitr. iud. lib. 2 cent. 1 cas. 60 n. 7 *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Collegii.*

646. Quum itaque Sacra Congregatio pluries Canonico infirmo indultum abessendi a chori servitio concessisset ac postremo ad triennium prorogaverit cum perceptione fructuum et distributionum, sed Ordinarius illud ad annum dumtaxat exequutus fuerit, ex eo quod Canonici acriter contradicerent praetendentes, Oratoris infirmitates non esse continuas et graves, dum civilem amicorum consuetudinem habebat et auram captare poterat in quodam ipsius viridario, Sacra Congregatio, attentis iteratis Physicorum attestationibus super male affecta praefati Canonici valetudine, declaravit, eidem deberi distributiones quotidianas cum aliorum fallentiis per totum residuum triennii *in Mediolanen. Distributionum die 4 Februarii 1713 et die 7 Decembris 1715 lib. 63 et 65 Decretorum.*

647. Enimvero - quampluribus pressus infirmitatibus Ioseph Sirtorus Canonicus S. Mariae Scalensis sexagenario maior iam sub die 15 ianuarii 1707 ex benignitate Sacrae Congregationis annuale indultum vacandi a servitio chori reportavit cum solitis clausulis, quod interim fructibus et distributionibus frui possit, perinde ac si divinis personaliter interesset. Huiusce sane indulti prorogationem multoties idem Canonicus obtinuit, atque postremo sub die 10 decembris 1719 sub his verbis: « Sacra Congregatio etc. petitam prorogationem ad triennium ab ultima die praecedentis indulti computandum pro arbitrio et prudentia Emi Archiepiscopi ex causa praemissa benigne Oratori impertita est ». Verum mox laudatus Praesul sub die 3 martii subsequentis annalem tantum prorogationem iam dicto Oratori impertitus fuit, sibi reservato iure huiusmodi indultum protrahendi ad tempus in eo praestitutum, si tamdiu infirmitates invaluissent. Cum itaque eodem anno effluxo Capitulum autumet, eumdem Oratorem divinis non interessentem nullis subinde frui distributionibus, idem adhuc suis habitualibus languoribus affectus benignitatem EE. PP. nunc implorat, quatenus tam pro praeterito indulti obtenti effectu non frustretur, quam imposterum eadem perseverante causa, novam prorogationem ipsi indulgeant. Requisitus itaque desuper informare Vicarius Capitularis suprascriptorum veritatem

enunciat, atque indagasse subdit, quod praelaudatus Card. Archiepiscopus ideo postremam prorogationem pro unius anni curriculo dumtaxat executus fuit, ut obsequeretur enixis contradictionibus Capituli, quod adhuc etiam perseverat, exaggerando Oratoris infirmitates non adeo continuas et graves esse, ut eum praepediant a civili amicorum consuetudine, et quin auram captare possit in quodam ipsius viridario, proindeque nec idoneam excusationem a chori servitio praebere, eo certius cum ex Statuti dispositione nemo ex Canonicis admitti debeat ad participationem distributionum, nisi in canonica pro maiori anni parte residentiam fecerit. Ceterum idem ipse Relator subdit, eiusmodi Statutum exolevisse. Perspectis itaque praeceteris iteratis Physicorum attestationibus super male affecta Oratoris valetudine in Summario exhibendis, humiliter idem expetit resolutionem infrascripti dubii: – An et a qua die debeantur distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative a die 22 februarii 1711 per totum residuum triennii, et amplius – *in Mediolanen. Distributionum die 4 Februarii 1713 lib. 63 Decretorum.*

648. Hinc – huic resolutioni Partes acquieverunt: at in eius executione nova excitata fuit controversia, cum Capitulares contendant, Canonicum indultarium infirmitatis tempore lucrari non posse distributiones, quae interessentibus accrescunt ex portionibus Canonicatuum vacantium, neque etiam ipsi deberi amissiones, sive, ut aiunt, fallentias Canonicorum illegitime a choro absentium, praesertim si adversa valetudo sit continua et habitualis, iuxta assertum capitulare Decretum, sive consuetudinem. Impraesentiarum igitur Canonicus Sirtorus ab eiusmodi Canonicorum praetensione reclamat coram EE. PP supponens, quod memoratae fallentiae et portiones eadem prorsus regula metiri debeant, ac quotidianae distributiones. Perspectis itaque iuribus, quae latius utrinque adducuntur, EE. VV. erit sapienter decernere dubium: – An debeantur fallentiae, de quibus agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et amplius – *in Mediolanen. Distributionum die 7 Decembris 1715 lib. 16 Decretorum.*

649. Haud vero debentur distributiones quotidianae, demptis duobus mensibus vacationum, Canonico, qui causa infirmitatis e loco residentiae abfuit, dum infirmitatem probare conatus est ex attestationibus in arte Peritorum, quae iuramento carebant, Capitulum vero alios produxit Testes, qui infirmitatem excludebant, nec non Episcopus eumdem molestissimum ac bene valentem edixit *in Anagnina Distributionum die 14 Martii 1795.*

650. Siquidem Paulus Leggi mense septembris 1792 petiit facultatem manendi infirmitatis causa in Urbe, et Sacra Congregatio rescripsit: – Pro facultate arbitrio et conscientiae Episcopi ad totum mensem decembris 1792 tantum –. At Episcopus illud exequi renuit, cum sciret falsa fuisse narrata. Hinc denuo Romam ille venit, ut conquireret Testes passae in ea infirmitatis a die 8 septembris 1792, quo primum ab Anagnia discessit, ad diem 3 iunii 1793, quo se ad residentiam restituit: ac duplici munitus attestatione, chirurgi scilicet Fortunati Vespasiani de ipsius cubatione in lecto a die 21 novembris praedicti anni 1792 ad diem 17 martii sequentis anni ob contusum pedem, et Medici Aloisii Iacobelli de gravi passa pituita a die 14 eiusdem mensis martii ad finem maii, consequi tentavit pro tempore talis absentiae quotidianas distributiones. Petitionem vero reiecit Capitulum, et praefatis Chirurgo et Medico opposuit Testes, qui toto assertarum infirmitatum tempore Leggium viderant bona per Urbem valetudine deambulantem. Neque, admissis etiam attestationibus Vespasiani et Iacobelli, competere arbitrabatur Leggio canonicales fructus absentiae tempore, neque scilicet in bimestri vacatione, quam Anagninae Ecclesiae Constitutiones intra annum concedebant capitularem, qui incipiebat die 1 iunii, neque in reliquis mensibus absentiae. Quoad bimestre vacationum notabat, iis tantum illud concedi, qui diligenter toto anno Ecclesiae servierunt; Leggium vero ab Anagnia discessisse die 8 septembris 1792, ac nedum post absolutum die 8 subsequentis novembris bimestre Anagniam non rediisse, licet nondum evenisset contusio pedis, iuxta chirurgum Vespasiani, sed ab illa etiam abfuisse per alios menses septem, ad finem nempe capitularis

anni 1792. Rogavit etiam Capitulum EE. PP., ut in re definienda consulerent etiam futuro ad alias vitandas lites, – cum homine molestissimo. Novo hoc anno capitulari ipse ab eius initio, hoc est die 1 iulii 1793 Romam venit, ubi semper ad diem 28 februarii 1894 commoratus est –. Dum autem mense augusto 1794 morabatur iterum Leggius in Urbe, petiit licentiam continuandi in ea moram, alteramque allegavit oculorum infirmitatem, nova in id producta attestatione medicorum Evaristi et Michaelis Albites. Verum Episcopus Leggium atris pinxit coloribus, falsam dixit ipsius aegritudinem, dempta oculorum lippitudine, qua ab ineunte aetate laborare cepit, quin adversum esset caelum Anagninum. Advertebatur insuper, quod attestationes in arte Peritorum iuramento carerent.

651. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An debeantur distributiones quotidianae de tempore non praestiti servitii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative, demptis duobus mensibus vacationum – *in Anagnina Distributionum die 14 Martii 1795.*

652. Unde qui abfuit a servitio chori ex causa infirmitatis nedum fructibus, sed et distributionibus quotidianis atque Anniversariis et memoriis Defuntorum de iure quidem gaudet ac fruitur, attenta tamen Capituli reclamatione, qua praetenditur, haud subsistere in facto infirmitatem, Sacra Congregatio, concessa ad annum prorogatione abessendi, mandavit interim confectionem processus super qualitate infirmitatis, cui ad eam subinde est transmittendus *in Osnabrugen. die 20 Septembris 1727.*

653. Enimvero Ioannes Balduinus Chorus exposuit, quod a viginti circiter annis provisus fuit de Vicaria Beneficio simplici residentiali Ecclesiae Cathedralis Osnabrugensis, ad cuius titulum Ordines recepit, et cuius oneribus quousque potuit, chorum diligentissime frequentando, satisfacere non praetermisit. Exposuit quoque, quod infirmitate correptus, cum consilio Medicorum et praevia licentia Capituli et Decani Cathedralis Ecclesiae, se contulit ad patriam, ut frueretur aere nativo et usu etiam aquarum mineralium, et quod licet aliqualiter recreatus redierit ad suam residentiam Osnabrugensem, ob huius nihilominus aeris inclementiam, in morbum et quidem gravem relapsus recedere coactus fuerit, habita semper Superiorum licentia, et semper relicto altero ex Vicariis Ecclesiae, qui vices suas, conventa mercede, sustineret. Exposuit denique, ceteros Cathedralis Vicarios praetensionem excitasse de eo non admittendo ad fructus et ad distributiones; conclusitque exorando, ut praedictis Vicariis demandaretur, quod sibi libere consignarent tam praedictos fructus, quam distributiones. Nuntius Coloniensis retulit; primo Oratorem, dum erat incolumis, chorum laudabiliter frequentasse; secundo tempore absentiae muneribus suae Vicariae per alium satisfecisse; tertio necessitatem medelae per accessum ad patriam et aquarum mineralium usum pluribus Medicorum testimoniis comprobasse; quarto nullam esse posse difficultatem in ordine ad fructus, quos vocant massae grossae, sed totam difficultatem reduci posse ad Anniversaria et memorias Defunctorum, quae calculabantur in annuis scutis quadraginta, et alias distributiones quotidianas ascendentes ad summam viginti scutorum.

654. Habita hac Nuntii informatione, Sacra Congregatio die 25 Septembris 1725 respondit, praedictum Oratorem fructus et distributiones percipere potuisse ex causa infirmitatis, et etiam bene posse in eadem perceptione continuare, sed ad annum, et si tamdiu infirmitas durasset, ita tamen, ut per alium Vicarium Cathedralis oneribus sibi incumbentibus satisfaceret. Capitulum et Vicarii praefatae Ecclesiae adversus hoc Rescriptum reclamarunt sub obtentu, quod exposita in supplici libello non subsisterent in facto. Propositis tamen dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. II. An et quomodo sit providendum in futurum? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis. Ad secundum, pro prorogatione ad annum; et conficiatur interim processus super qualitate infirmitatis, qui cum transmittat cum suo voto – *in Osnabrugen. die 20 Septembris 1727.*

655. Qua de re valida quidem est resolutio capitularis, in qua iubetur, ne imposterum attestationes recipiantur ad excusandos eos ab horis matutinis, qui soliti non sunt

iisdem interesse, sed quoad alios recipiendae sunt attestationes a Medicis cum iuramento subscriptae, quin infirmitas talis esse debeat, quae a Missae celebratione detineat, in potestate tamen est Capituli per aliquem Canonicum infirmum visitare, et quatenus dubium extiterit, Ordinarius uti debet iure suo *in Avenionen. Servitii chori die 20 Ianuarii 1787.*

656. Siquidem censuit Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Agricolae Avenionis, abusus nonnullos in choralis servitii imminutione irrepsisse a blandientium Medicorum attestationibus iudiciisque profectos, quibus perfacile a choro excusari unus et alter consueverit. Quasdam idcirco sanctiones Capitulum de more coactum edidit, cum suffragiorum pluralitate: sed Beneficiati in eas insurrexerunt, cum ipsos potissimum percuterent. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo sustineatur resolutio capitularis ab Archiepiscopo confirmata, in qua iubetur, ne imposterum attestationes recipiantur ad eos excusandos ab horis matutinis, qui soliti non sunt iisdem interesse? II. An et quomodo sustineatur eadem resolutio pariter confirmata, in qua cautum est, nec binae attestationes consecutivae favore unius eiusdemque personae recipiantur, nisi infirmitas talis sit, quae a Missae celebratione detineat? III. An et quomodo sustineatur eadem resolutio pari modo confirmata, in qua cautum est, ne attestationes recipiantur, quae habitualiter ac periodice exhibentur, nisi infirmitas sit probe cognita et declarata? IV. An et quomodo sustineatur eadem resolutio ut supra confirmata, in qua cautum est, ne attestationes recipiantur pro exemptione ab omnibus officiis, nisi infirmitas talis sit, quae a Missae celebratione detineat in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus. Ad secundum tertium et quartum, Negative; et amplius, et ad mentem, et mens est, attestationes a Medicis esse cum iuramento subscribendas et recipiendas a Capitulo, etiamsi periodice et habitualiter exhibeantur, in potestate tamen esse eiusdem Capituli per aliquem Canonicum infirmum visitare, et quatenus dubium extiterit, Archiepiscopus utatur iure suo – *in Avenionen. Servitii chori die 20 Ianuarii 1787.*

657. Hinc ad effectum abessendi ac lucrandi distributiones in absentia, haud illud exigitur infirmitatis genus, quod Aegrotum lecto aut domi necessario detineat, sed satis est, quod ex chorali servitio morbi etiam levis incrementum timeatur, Reiffenst. lib. 3 Decret. de cleric. non resid. §. 7. n. 193, Schmalzgrueber tom. 1 tit. 4 §. 7 n. 86, Pignatell. consult. 115 n. 57 tom. 9 *in Nucerina Servitii chori et Distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Demum.*

Item *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Nullius.*

658. Nam dari potest casus, quod infirmitas sinat Canonicos aliquantisper domo causa sanitatis exire, et non faciat onus choro se praesentes exhibendi *in Nucerina Servitii chori et Distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Demum.*

659. Etenim Sacri Canones nequaquam exigunt gravem infirmitatem, ut quis abesse rite possit a chori servitio cum distributionum quotidianarum perceptione, sed admittunt sufficere levem etiam morbum, cuius augmentum timeri posset, ex firmatis per Fagnanum in Cap. *Licet* de Praebendis n. 14, Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat. can. lib. 2 tit. 9 n. 5, et Gratian. discept. foren. cap. 591 n. 44 *in Tranen. Distributionum die 12 Septembris 1750* §. *Praesertim.*

Item *in Novarien. Indulti die 23 Novembris 1776* §. *Et.*

660. Hinc si sanitatis causa ad balnea, vel alium locum se transferat aegrotus Canonicus, aut quilibet Clericus chorali onere mancipatus, erit haud secus excusandus *in Nucerina Servitii et Distributionum die 17 Februari 1838* §. *Demum.*

661. Unde cum satis constaret, quod aer loci infestus esset Canonico infirmo, Sacra Congregatio nedum concessit indultum abessendi a choro et residentia, sed etiam sanationem quoad praeteritum ad effectum percipiendi distributiones, cum abfuisset absque licentia, non vero eas eidem esse tribuendas mandavit pro tempore, quo posthac infirmitas evanuerat *in Eugubina Indulti die 13 Ianuarii et die 24 Augusti 1816* (1).

662. Qua de re Canonicus reapse infirmus etiam absens gaudet quotidianis distributio-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Dispensatio*, §. II, n. 46 ad 50, Tom. VII.

nibus decimis laudemiis aliisque huiusmodi iuxta veterem consuetudinem suae Ecclesiae, etiamsi reliqui Canonici contendant, eum bona uti valetudine, in publicum prodire, ac fabulari per horas cum pluribus *in Troiana Distributionum die 15 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

663. Enimvero – in visitatione, quam de anno prope defluxo 1709 peregit Episcopus Troianus in Ecclesia Collegiata Foggiae, illud inter alia protulit Decretum: « Canonici aegrotantibus etiam absentibus quotidianae distributiones decimarum divisio laudemia aliaque praebeantur omni cum integritate, iuxta veterem huius Ecclesiae morem, et praecipue omnia praefata in praesentiarum et deinceps erogentur Canonico De Angelis infirmo, toto infirmitatis tempore ». Ab hoc Decreto in ea parte, qua iubentur attribui distributiones aliaque emolumenta Canonico De Angelis, reclamarunt reliqui Canonici penes hanc Sacram Congregationem, ex eo quod dictus Canonicus bona utatur valetudine, quotidie in publicum prodeat, fabuleturque per horas cum pluribus, adeo ut nullo sanitatis incommodo prohibeatur, quominus Ecclesiam adire pensumque officii divini persolvere queat. Requisitus desuper Episcopus praedictus informare retulit, iamdiu praefatum Canonicum Neapoli degentem in Congregatione Oratorii gravi morbo correptum, nervis laesum in patriam sese recepisse, in eaque uti Canonicum, creberrima frequentia maximoque zelo Ecclesiae inserviisse, subindeque cum annis gliscente aegritudine nedum publice in Ecclesia, verum etiam privatim ad horarias preces fundendas, quin et ad Sacrum peragendum impotentem evasisse, vetita eidem a Physicis quacumque mentis applicatione, prout tum ex eorum Physicorum attestationibus, tum experimento haec sibi liquere fatetur informans ipse, uti fusius in eius relatione danda in Summario. Concordato itaque inter Partes infrascripto dubio, illud hodie, ipsis monitis, proponitur EE. VV., ut ex deducendis hinc inde decidatur: – An distributiones quotidianae aliaque emolumenta debeantur Canonico Nicolao De Angelis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus – *in Troiana Distributionum die 15 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

664. Hinc licet Canonicus infirmitate laborans quandoque e domo exeat et praesidio baculi ad Ecclesiam accedat, atque interdum extra moenia Civitatis ad auram capiendam Medicorum consilio exire soleat, nihilominus non obstante etiam Constitutione Synodali distributiones quotidianas percipere debet *in Lauretana Distributionum die 8 Augusti 1711 lib. 61 Decretorum.*

665. Siquidem – condoluit apud hanc Sacram Congregationem Antonius de Clementibus Canonicus Ecclesiae Cathedralis Lauretanae, aetate septuagenarius ac benemeritus de assiduo servitio illius Ecclesiae per cursum annorum triginta trium, abhinc tamen uno anno manuum ac pedum doloribus affectus aliisque fluxionibus impetitus, impotens choro interesse, adeo tamen, ut frequens domi se continere cogatur, et vix aliquamdiu in diebus solemnioribus baculi praesidio Ecclesiam adire valeat, vel auditurus Sacrum, vel peracturus, atque interdum extra moenia Civitatis ad auram capiendam Medicorum consilio exire consuevit. Nihilominus Canonici eiusdem Cathedralis, licet in primo semestri dicti anni distributiones pro tempore dictae absentiae Oratori tradiderint, in altero vero semestri eas denegarunt, quapropter Orator recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione, quod dictae distributiones sibi debeantur tam tempore praeterito, quam in futurum ex causa praedictarum infirmitatum. Episcopus informare requisitus antiquae et observatae Constitutionis Synodalis exemplar transmisit huius tenoris: « Existentes in Civitate, si tali morbo detineantur, ut ad chorum ire non possint, non punctentur, dummodo eadem die domo non exeant. Utrum autem morbus, sit talis, ordinarie ipsorum conscientiae standum est; aliquando tamen, si de aliquo rationabilis suspicio esset, quod morbo simulasset, huic iuramentum dari poterit a Vicario Generali ad instantiam Praefecti chori »; subiungens, dictam Constitutionem obstare Oratori, qui dum ad Ecclesiam ad Sacrum peragendum accessit, a choro tamen abfuit, quique saepe extra moenia Civitatis recreandi causa animum perrexit, nec non vacationes per Synodum concessas cum aliis permutavit, ac si sanus esset; hinc inquit, inhabilitatem Oratori non

suffragari saltem pro tempore, quo ad Ecclesiam accedit, vel extra domum vagatur. Transmisit insuper Relator in quodam folio dando in Summario iura Capituli pluries moniti ad ea deducenda in Sacra Congregatione. Qua de re ex his et aliis deducendis quaeritur hodie ab EE. VV. resolutio dubii: – An debeantur distributiones quotidianae Canonico Philippo Antonio de Clementibus ex causa infirmitatis absenti a choro in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Lauretana Distributionum die 8 Augusti 1711 lib. 61 Decretorum.*

666. Idcirco sunt restituendae distributiones, iuxta votum Episcopi, quibus Canonicus a Capitulo fuerat privatus, si satis constet de ipsius infirmitate, quin obstet, quod etiam itinera extra Diaecesim susceperit; Episcopus enim censuit, annuendum eius precibus, dummodo distributiones ex lege Fundatoris non essent reservatae personaliter tantum interessentibus, – eiusque conscientiae remittendum, choro identidem interesse iis diebus, et quoties sine gravi incommodo et periculo id se noverit praestare posse, nec non iis defectibus adhuc perdurantibus, ne tam diuturno tempore Ecclesia debitis careat obsequiis, satagere, ut sibi Coadiutorem irrevocabilem cum futura successione in Canonicatu et Praebenda eligendum inveniat – *in Cremonen. Indulti die 2 Augusti 1760* (1).

667. Unde quum Capellanus choralis Cathedralis Ecclesiae Novariensis Franciscus Frasconi ob adversam valetudinem indultum abessendi obtinuerit cum facultate, ut – interim fructus omnes et distributiones quotidianas sui Beneficii percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset –, propositis dubiis: – IV. An Capellanus Franciscus Frasconi praeditus indulto abessendi a choro ob adversam valetunem gaudeat distributionibus extraordinariis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* V. An Capellanis iubilatis et Caeremoniario Frasconi sint restituendae distributiones extraordinariae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Affirmative, exceptis iis, de quibus aliter cautum fuerit in fundatione – *in Novarien. Capellaniarum et Distributionum die 16 Augusti 1828.*

668. Alias Sacra Congregatio declaravit, neque distributiones quotidianas neque fructus massae grossae deberi Canonico diu absenti ex praetensa causa infirmitatis et ut salubriori aere frueretur, non tamen esse restituendos fructus Canonicatus perceptos ab ipso in dicta absentia, non obstante allegatis per Capitulum, scilicet causam absentiae non fuisse legitimam *in Asten. Fructuum et Distributionum die 2 Augusti 1687 lib. 37 Decretorum pag. 456.*

669. Quum autem Curia Episcopalis decreverit, deberi Mansionario distributiones quotidianas propter ipsius infirmitatem; sed a Collegio Mansionariorum interposita appellatione ac mature hinc inde expensis rationibus de morbi existentia et gravitate, Sacra Congregatio differens interim resolutionem mandavit, ut Episcopus curaret rem componi de bono et aequo *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856.*

670. Enimvero Sacerdos Laurentius Pettini Mansionarius in Cathedrali Foroliviensi Ecclesia post miserandam postremi temporis calamitatem in tam gravem nervorum morbum incidit, causa praesertim truculentissimae illatae ipso spectante propeque adstante necis Archidiacono Cathedralis Ecclesiae, ut necesse ei, ceu asserebatur, omnino fuerit a chori servitio abstinere, quod absque praesentissimo valetudinis discrimine subire nequiret, et a quo reapse, Medicorum consilio usus, Mansionariis et Capitularibus non contradicentibus, plus minusve ab anno 1849 usque ad annum 1851 abstinuit, ac nihilominus quotidianas distributiones percepit. At vero volvente anno 1852 cum absentiam ipse adhuc produceret, Mansionariorum Collegium existimans, vel non veram, vel non adeo gravem esse Pettini infirmitatem, ut chori servitium impediret, posthabitis Medicorum ad id adhibitis attestationibus, quotidianas ei distributiones denegavit. In iudicium itaque penes Episcopalem Curiam mense iulio 1853 rapuit Pettinius Capituli Camerarium, ut ad denegatam solutionem cogeretur; ac propitiam sententiam tulit, qua decrevit, ut Camerarius Capituli tradere deberet Laurentio Pettini quotam distributionum quotidianarum ad ipsum spectantium pro anno 1852 et semestre 1853 in summa scutorum 129 38, quae

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Dispensatio*, §. II, n. 37 ad 39, Tom. VII.

idem Camerarius loco depositi retinebat. Ab hac sententia appellationem ad Sacram Congregationem interposuit Mansionariorum Collegium: namque contendit, attestationes Medicorum posthabendas esse, quod iuratae non essent, quin prodesset, quod informe suum testimonium in iudiciali examine alter ex Peritis Paulus Nanni iuramento confirmaverit, cum ipsa iurata iudicialis depositio antea redditum testimonium magis extenuaret. Eoque minus attendi posse addidit Farrioni et Bufalini testimonia, quorum utrique Pettinius ignoratus erat; primus enim Ferrariae degebat, alter semel eum invisit, ceu ex eius attestatione eruebatur. Constabat praeterea, toto quadragesimae anni 1852 tempore eumdem nedum chori servitio, sed et magistri caeremoniarum munere diligenter perfunctum fuisse, iis officiaturis interfuisse, in quibus distributiones inter praesentes tantum dividebantur; eodemque tempore munere explevisse *di Capellano delle carceri*, confessiones in Paraecia excepisse, aliasque sacras functiones peregisse. Idcirco gravis haud censeri poterat morbus ad effectum lucrandi distributiones quotidianas, cum praesertim, dum incolumis erat, solitus non erat interesse divinis officiis. Contra Defensor Pettini sustinuit, ipsius Infirmi declarationi, Medicorum subnixae iudicio, deferendum esse, cum res esset de morbo occulto et interno, qualis erat nervinus et vertiginosus; tunc enim Infirmi conscientia onerari solet. Idcirco legitime impediebatur Pettinius, ne choro interesset, ob etiam morbi notorietatem, ex notoria et lamentabili causa contracti, nec non Medicorum iudicium et attestationes, qui chori frequentiam eidem perniciosam iudicarunt, ac demum ipsius Pettini, viri religione ac pietate spectatissimi, declarationem. Unde si eodem temporis intervallo alia sacerdotalia munera exercuerit, ea non ex lucri cupidine, sed religionis ac pietatis causa obivit, ceu Testes comprobabant. Nec ad effectum percipiendi distributiones illud exigitur infirmitatis genus, quod aegrotum lecto aut domi necessario detineatur, sed satis est, quod ex chorali servitio morbi etiam levis incrementum timeatur. Advertit inde, ex illius Ecclesiae Statuto tertiam tantum partem distributionum, quibus constabant omnes proventus, loco Praebendae succedere absenti cuilibet attributam.

671. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit confirmanda, vel infirmanda sententia Curiae Episcopalis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et Episcopus curet rem componi de bono et aequo – *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856.*

672. Hinc animadvertit in Instit. eccles. §. 8 n. 47 Benedictus XIV, ex Sacrae Congregationis Decretis, quotidianas distributiones ita demum Canonico aegroto deberi, si alias Ecclesiae solitus erat inservire, cuius iustificatio remittitur conscientiae Episcopi *in Parmen. Beneficiorum die 24 Novembris 1832* §. *Disputatur.*

Item *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Postremo* (1).

673. Ad huiusmodi autem negligentiae notam incurrendam satis est, ut infirmus, dum incolumis erat, raro ad chorum accederet, ita ut, ob absentiam ultra tres menses lapsu duorum vel trium annorum, qui infirmitatem praecedunt, censeatur quis solitus non interesse divinis ad effectum amittendi distributiones, ceu monet Antonellius de loc. leg. lib. 1 quaest. 4 n. 26 *in Forolivien. Distributionum die 2 Augusti 1856* §. *Postremo.*

674. Nec ita frequenter existimari oportet, tamquam – in choro praesentem, qui se aegrotum fatetur, sed Urbem circumire potest, neque veluti praesens haberi debet, qui morbi specie domum suam diurna luce non deserit, nocturno vero tempore frequentes coetus adire non metuit –, uti observat Benedictus XIV Instit. eccles. 107 §. 7 n. 47 *in Nucerina Servitii chori et Distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Verum.*

675. Itaque docuit Moneta de distrib. quotid. part. 2 quaest. 6 n. 21, eum, qui abesse sueverit etiam cum bona valetudine uteretur, durante aegritudine, distributiones quotidianas nequaquam percipere; – quia tunc infirmitas non est causa absentiae, seu impedimentum praesentiae –, et consonat Fagnanus

(1) Schmalzgrueber ius eccles. tom. 3 part. 1, tit. 1 de cleric. non resid. n. 87; Sabell. in Summa verb. *Infirmitas*, n. 9; Ceccoper lucubrat. can. tom. 1, lib. 9, n. 7.

in Cap. *Licet* de Praebendis n. 148 eadem innixus ratione, scilicet - quia morbus non est causa non residendi in eo, quia etiam sanus non resedisset –, et quia – tunc absentia, ut observat Benedictus XIV Instit. eccles. 107 §. 8 n. 47, non morbo tribuitur, sed voluntati, quae putatur inhaerere eidem proposito Ecclesiae minime inserviendi –, nec non Thesaurus de poenis part. 2 cap. 2 et cap. 3 n. 5 not. 4 *in Colonien. Indulti die 22 Maii 1734* §. *Ait.*

Item *in Leodien. seu Colonien. Fructuum die 1 Septembris 1736* §. *Assertam; in Praten. Indulti vacandi a choro die 23 Iunii 1764* §. *Quaesivit; in Pisana Indulti die 3 Iunii 1843* §. *Quaestio; in Spoletana Exemptionis a choro et Distributionum die 5 Decembris 1846* §. *Alterum.*

676. Unde multo magis, ut Canonicus infirmus lucretur fallentias aliorum Canonicorum, necesse est, ut ipse solitus fuerit residere, Benedict. XIV Instit. 107 a §. 45, Ceccoper. animadvers. ad tit. 6 et 8 *in Ripana Iubilationis die 8 Februarii 1783* §. *Verum.*

Item *in Spoletana Executionis Rescripti et participationis Fallentiarum die 25 Ianuarii 1851* §. *Hic.*

677. Ratio enim huiusmodi Indultorum in eo tota est, ut Infirmus fictione iuris censeatur praesens in choro, satisque Ecclesiae inservire aestimetur per bonam voluntatem eo tempore, quo propter adversam valetudinem ei servire exterius impeditur, Lotter. de re Benef. lib. 3 quaest. 27 n. 13, Panimoll. dec. 20 adnot. 3 a n. 57, Antonell. de iur. et oner. cleric. lib. 2 part. 3 cap. ult. n. 123 *in Spoletana Exemptionis a choro et Distributionum die 5 Decembris 1846* §. *Alterum.*

678. Enimvero – Sacra Congregatio censuit, Oratori dandam esse resolutionem alias editam sequentis tenoris: Congregatio Concilii censuit, Canonico infirmo, durante eius infirmitate, quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui Canonicatus nec non distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire; ceterum infirmitatem ipsam coram Iudice probandam – *in Mantuana die 6 Februarii 1627 lib. 13 Decretorum pag. 197.*

Item *in Ferrarien. die 12 Septembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 522; in Reatina die 5 Martii 1667 lib. 25 Decretorum pag. 345.*

679. Idcirco Infirmus tunc distributiones lucratur, cum alias fuerit solitus inservire sanus *in Firmana die 10 Iulii 1653 lib. 19 Decretorum pag. 259.*

Item *in Caesenaten. die 16 Maii 1654 lib. 19 Decretorum pag. 345.*

680. Unde cum adsit consuetudo, qua absens ob infirmitatem lucrari non possit, nisi quod lucrari solebat, quando choro intererat, qui sedulus haud fuit in explendo chori servitio, dum sana valetudine uteretur, postea in malam incidens valetudinem, lucrari non potest omnes distributiones quotidianas, sed ad formam consuetudinis dumtaxat eas percipere debet, qui vero seduli fuerunt in explendo chori servitio, cum sani essent, absentes ob legitimam causam etiam distributiones extraordinarias, quae non proficiscuntur a voluntate Testatorum percipiunt *in Pisana Distributionum die 8 Iulii 1843 et die 2 Maii 1846.*

681. Siquidem quum Ioseph Morosius, alter ex Universitate Capellanorum Cathedralis Pisanae indultum abessendi a choro ad biennium cum perceptione fructuum et distributionum obtinuerit, si tamdiu infirmitas perduraret, ac inde expirato biennio prorogationem abessendi etiam a residentia postulaverit, sed contradictores habuerit ceteros Capellanos, ex eo quod ipse, dum sanus extitit, haud sedulus fuerat in explendo chori servitio, et ex consuetudine id tantum dari solebat, quantum Infirmus lucrabatur, cum choro intervenisset, ac multo minus is percipere poterat distributiones, quae inter praesentes dumtaxat dividebantur sub nomine *sedute o mancie,* ideo enim fuerunt statutae, ut certis quibusdam anni diebus nocte Nativitatis Domini Vesperis Quadragesimae et Corporis Christi maior numerus Beneficiatorum haberetur, Sacra Congregatio concessit quidem prorogationem ad triennium, sed insimul mandavit, ut distributiones concederentur ad formam consuetudinis, quin ullatenus ei darentur distributiones, quae *sedute o mancie* appellabantur *in Pisana Indulti die 8 Iulii 1843* (1).

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in verb. *Capellanus choralis,* n. 142 ad 144, Tom. VI.

682. At nonnullis ex Universitate Capellanorum praedictae Ecclesiae haud arrisit Rescriptum quoad praefatas distributiones, quae dicebantur *sedute o mancie;* quia quamvis tunc respiceret tantummodo Oratorem Morosium, pro posterioribus tamen temporibus generalem firmaret regulam eorumdem iuribus vulnus infligentem. Proclamarunt enim, distributiones, de quibus quaestio, concedendas esse etiam Capellanis aegrotantibus et Iubilatis, dummodo diligenter antea chorali servitio satisfecerint. Siquidem Pisanus Iurisconsultus ostendit, huiusmodi distributiones non provenire ex Testatorum aut Benefactorum pia elargitione, sed ex censu quodam scutatorum millium, quorum vis collecta fuerat ex residuis praeteritarum administrationum; huius autem census fructus annuales adsignati fuerunt pro distributionibus faciendis favore illorum Capellanorum, qui ad chorum intervenirent quibusdam praecipuis anni solemnitatibus ex capitulari Constitutione die 26 aprilis 1834 ab Archiepiscopo Ranieri approbata. Postquam earum originem demonstravit, sustinuit, eas recensendas esse inter extraordinarias distributiones, quae debent concedi non tantum illis, qui praefinitis diebus choro intersunt, verum etiam iis, qui ob legitimam causam absunt. Hoc ostendere sategit ex praedicta Archiepiscopi approbatione, ubi cum Antistes loqueretur de elargiendis distributionibus *sedute o mancie* dictis, haec habuit: – Non esclusi quei signori Cappellani, che saranno occupati nella Cappella musicale –; nec non ex constanti observantia, qua factum est, ut ab anno 1834 usque ad annum 1843 praenominatae elargitiones tribuerentur quoque legitime absentibus. Qua de re cum praedictae distributiones extraordinariae non a piis legatis originem ducerent, sed a Capitularibus residuis, eas eodem privilegio gaudere ac iure uti arguit, quo utuntur distributiones quotidianae, teste Moneta de distrib. quotid. part. 1 quaest. 3 n. 10 et 12. Distributiones autem quotidianas percipi posse etiam a non intervenientibus ob infirmitatem et iubilationem notum in iure esse dixit. Idcirco Sacra Congregatio negativum responsum dedit anno 1843, eo quia facti errori innixa putabat, emolumentis, quae sub nomine – di mancie o sedute – Capellanis praefatae Ecclesiae obveniebant, originem dedisse bona relicta a Testatoribus aut Benefactoribus, qui eos obligare voluerint verae chorali interessentiae ad eadem lucranda. Advertebatur tamen, in Constitutione Capituli, qua introductae fuerunt dictae distributiones, minime fieri mentionem, ut hae cederent etiam in favorem illorum, qui legitime a choro abessent; quin imo illius verba potius contrarium sensum inferre videbantur. Quum enim in ea haberetur, hasce novas distributiones concedendas essè Capellanis ratione – del miglior servizio del coro e più decoroso in certi giorni ed a certe funzioni –, tacite statui videbatur, ab illarum perceptione excludendos fuisse Capellanos, qui reapse praefinitis diebus ad magis decorum servitium praestandum non concurrebant.

683. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An distributiones dictae *sedute o mancie* debeantur etiam Capellanis ob legitimam causam a choro absentibus in casu? –, Sacra Congregatio tulit: – Affirmative – *in Pisana Distributionum die 2 Maii 1846.*

684. Qua de re distributiones quotidianae haud debentur Canonico infirmo, si alias sanus solitus non erat residere; proposito enim dubio: – VIII. An distributiones quotidianae debeantur Canonico infirmo, si alias sanus non esset solitus residere? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Asculana die 22 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

685. Nec igitur distributiones quotidianae debentur Canonicis Coadiutis infirmis, si Coadiutores sani non interveniunt; proposito enim dubio: – VIII. An distributiones quotidianae debeantur Canonicis Coadiutis infirmis, si Coadiutores sani non interveniunt? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad octavum, Negative; et amplius - *in Asculana die 22 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

686. Hinc et Sacra Rituum Congregatio in Patavina rescripsit: – Distributiones quotidianae non debentur Canonico infirmo, vel alias legitime impedito, quando habet Coadiutorem; sed si Coadiutor non resideat, punctatur tamen in ipsius Coadiutoris damno –, uti testatur Barbosa de Can. et Dignit. Cap.

29 n. 45 *in Oveten. Coadiutoriae et Distributionum die 16 Maii 1739* §. *Haec* (1).

687. Ceterum clarius rem Sacra Congregatio declaravit, edicens, distributiones deberi Coadiuto infirmo quamdiu aegrotaverit, ut choro interesse non possit, etiam absente Coadiutore, ac si Coadiutoriam non haberet *in Avenionen. mense Iulii 1617 lib. 11 Decretorum pag. 199.*

688. Infirmus vero, qui alias inservire consuevit, percipere debet non solum distributiones quotidianas, sed etiam portionem accrescentem ex punctaturis non inservientium *in Viterbien. die 26 Augusti 1628 lib. 13 Decretorum pag. 518.*

689. Quapropter absentes causa infirmitatis vel aliis expressis in Cap. *Consuetudo* de clericis non residentibus, qui alias inservire consueverunt, percipere debent non solum distributiones quotidianas, sed etiam portionem accrescentem ex punctaturis non inservientium, ac si personaliter interessent *in Rossanen. die 31 Ianuarii 1617 lib. 11 Decretorum pag. 163.*

Item *in Nullius die 10 Martii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 44.*

690. Si tamen durante infirmitate, et convalescentia ex consuetudine percipiunt tantum fructus Praebendae, non vero distributiones quotidianas, non possunt illas percipere, etiamsi adsit Constitutio, quae illas concedat, cum consuetudo tollat Constitutionem *in Tudertina lib. 3 Decretorum pag. 86 a tergo.*

691. Idcirco Canonicus infirmus, durante infirmitate, lucratur distributiones quotidianas, etiamsi capta possessione Canonicatus non inservierit *in Sarsinaten. die 23 Iulii 1650 lib. 19 Decretorum pag. 69.*

692. Hinc distributiones quotidianae debentur integre Canonico, qui dum hebdomadas probatorias faciebat morbo correptus eas perficere non potuit, non obstante consuetudine immemorabili a Capitulo allegata, qua Canonici non possint distributiones lucrari, nisi prius dictas probatorias hebdomadas perficiant *in Asten. Distributionum die 28 Novembris 1693 et die 31 Iulii 1694 lib. 43 et 44 Decretorum.*

693. Dantur autem alii casus, qui ad tres illos principales reducuntur, quos passim enumerant iuris canonici Doctores in commentariis ad lib. 3 tit. 4 de clericis non residentibus: inter quos et illud recensetur, si Canonici ob aliquem casum particularem absint, et nihilominus de quotidianis distributionibus participent ex Indulto Apostolico, vel ex Statuto Ecclesiae per Sedem Apostolicam confirmato, ut docent Reiffenst. in ius can. lib. 3 tit. 4 §. 7 n. 214, Fagnan. in Cap. *Licet* n. 132 de Praebendis *in Anagnina Servitii chori et Distributionum die 20 Novembris 1819* §. *Antequam.*

694. Unde Canonicus, pro Ecclesiae utilitate absens ex indulto a Summo Pontifice concesso, cum facultate percipiendi omnes fructus reditus proventus iura obventiones et emolumenta quaecumque, exceptis distributionibus quotidianis, non secus ac si choro et divinis officiis interesset, lucrari debet iuxta solitum portionem emolumentorum provenientium ex Anniversariis tam fixis, quam incertis et extraordinariis *in Leodien. Indulti die 28 Augusti 1751 et die 15 Aprilis 1752* (2).

695. Indultarii autem non excluduntur a participatione distributionum per Bullam ordinantem, distributiones tantum dividendas inter actu choro interessentes, dubio formiter per duas vices discusso, obsistente Capitulo *in Lauretana die 24 Aprilis 1665.*

696. Quin imo Canonici, qui legitime impediti fuerunt et choro interesse non poterunt, praeter distributiones fruuntur etam fallentiis aliorum sine legitima causá absentium; proposito enim dubio: - An quando Canonici legitimis ex causis absentes non amittunt proprias distributiones quotidianas, debeant etiam lucrari et participare pro rata de distributionibus aliorum Canonicorum absentium absque legitima cuusa? –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Deberi etiam punctaturas absentium – *in Alexandrina die 29 Septembris 1657 lib. 21 Decretorum pag. 90.*

697. Unde qui obtinuit indultum abessendi a servitio chori, dimissa tertia parte seu distributionibus quotidianis, si per aliquot dies choro interest, distributiones quotidianas iis diebus respondentes percipere de-

(1) Reliqua habes in Verb. *Canonicus*, §. I, Tom. V.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Anniversarium*, §. II, n. 16 ad 22, Tom. II.

bet, ac distributiones ab eodem Indultario dimittendae, dum abest a servitio chori et a residentia, computandae sunt super fructibus totius anni, non vero super fructibus decurrentibus in hebdomada servitii tantum, cum in Ecclesia servitium chorale sit alternativum per hebdomadam *in Firmana Distributionum die 3 Iunii 1843.*

698. Siquidem iam a die 21 iunii anni 1841 indultum absentiae a choro retulerat a Sacra Congregatione Faustinus Fausti in insigni Collegiata S. Victoriae Canonicus, attento scilicet Oeconomi administratoris officio, quo in Archidiaecesano Seminario fungebatur. Huiusmodi Rescripto Sacra Congregatio indulsit, - ut a sua residentia per triennium proximum tantum incipiens a die discessus abesse possit, et interim fructus omnes sui Canonicatus percipere valeat, amissis distributionibus quotidianis; quod si fructus omnes ipsis distributionibus constet, vel si reditus Praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel Praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat –. Quaestio hinc orta est inter Indultarium et Capitulum quoad distributiones quotidianas, an eas Canonicus Fausti percipere valeret pro eo tempore, quo patriam redux chorum frequentabat; ac praeterea, an tertia pars illa, quam vi indulti dimittere oportebat, computari deberet super universis fructibus Canonicatus de integro anno, seu potius (cum alternativo chori servitio Capitulum frueretur) super fructibus decurrentibus tantum in hebdomadis servitii, idest super universorum Canonicatus fructuum medietate. Patebat, fructus canonicales in praedicta Collegiata constare universos distributionibus quotidianis, ita ut cuilibet diei totius anni sua responderet distributionum quota; atque inde negligens toto anno chori servitium in sua hebdomada, dimidium universorum fructuum amitteret, quod praesentibus accrescebat; praeterea eum vigere in eodem Capitulo pervetustum morem, quod, qui iusta de causa indultum a chori servitio, relicta tertia parte, obtinuerit, integram semper tertiam partem totius reditus canonicalis distributionum dimitteret, quin ullus haberetur respectus nec ad interessentiam alicuius diei, quo chorum pro ipsius commoditate adierit, nec ad alternativam, nec ad quodvis aliud eorum privilegium, qui residebant. At de iure satis manifestum videbatur, Indultarium, qui aliquando chorum petiit, pro iis diebus distributionibus lucrari, iuxta interessentiam; proindeque eam quotam huic respondentem a tertia parte, vi indulti dimittenda, decrescere. Nam ei, qui gratia interrupte, nec integre utitur, nequit in praeiudicium verti diligentia et officium. Nec obesse poterat, quod Capitulum opponebat, scilicet vix accepto habuisse absentiae Rescriptum, Indultarium iuri suo renunciasse percipiendi distributiones, nec congruum esse, ut ille pro sua commoditate et arbitrio abesse a choro valeret, vel adesse; nam Rescriptum de absentia non equidem adstringebat indultarium, ut abesset; sed facultatem illi dumtaxat impertiebatur abessendi, absque conscientiae iactura. Multo minus obstare videbatur consuetudo in Capitulo invecta, cum adversaretur Concilio Tridentino. Ea enim fuit ratio Tridentini in distributionum quotidianarum institutione, ut Canonicos ad excubias Domini redderet alacriores, sed ubi Indultarius, etsi praesens, amitteret distributiones, profecto ad chorale servitium potius quam allici, arceri ab eodem videretur. Ad alterum autem dubium quod spectabat, advertebatur, praxim Sacrae Congregationis eam esse, ut in huiusmodi indultis tertiam partem fructuum seu eam, quae loco stat distributionum quotidianarum, dimitti mandet, nulla habita ratione servitii choralis longioris vel brevioris, quia scilicet tertia illa pars, ex mente Tridentini, nonnisi praesentibus quandocumque debetur, ut ita excitentur ad diligentius servitium. Porro ubi in themate tertia haec ex diebus servitii computaretur, non tertia habebatur ex universis Canonicatus fructibus, uti par erat ad sensum Tridentini, sed tertia ex dimidio, id est sexta ex fructibus universis. Praeterea ubi alternativum viget chori servitium, hebdomadam illam, qua quis choro abest, stare loco vacationum per Concilium permissarum non ambigitur; atqui Sacra Congregatio pluries resolvit, neque pervetusta consuetudine induci posse, ut tempore vacationum quotidianas lucretur distritiones.

699. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An Canonicus Fausti indultarius choro praesens per aliquot dies distributiones quotidianas percipere valeat iis diebus respondentes in casu? II. An distributiones, quae dimitti debent ab eodem Indultario, computandae sint super fructibus totius anni, seu potius super fructibus decurrentibus in hebdomada servitii tantum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Firmana Distributionum die 3 Iunii 1843.*

700. Nec dubium, quin Canonicus absens cum legitima licentia distributiones lucrari debeat a die datae licentiae, non vero a die praesentationis eiusdem *in Mediolanen. Distributionum die 27 Augusti 1672 lib. 27 Decretorum pag. 418.*

701. Qua de re distributiones debentur Canonico absenti cum indulto Apostolico percipiendi distributiones quotidianas in absentia, etiamsi Canonici non habuerint notitiam talis indulti, dummodo tamen praedictae distributiones extent et iam non fuerint inter Canonicos divisae, vel ante divisionem habuerint Canonici indulti notitiam *in Civitatis Castelli die 4 Februarii 1645 lib. 17 Decretorum pag. 431.*

702. Unde quum Franciscus Garzillo Canonicus Collegiatae Ecclesiae Civitatis Foggiae Romam petierit ad litem agendam, quae adeo in Ecclesiae utilitatem et commune totius Capituli commodum cedebat, ut sex etiam Canonici mandatum procurae exaraverint, proposito dubio: – III. An et a quo tempore debeantur distributiones quotidianae Canonico Garzillo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, deberi a die discessus – *in Troiana Praebendarum die 6 Decembris 1738.*

703. Idcirco quum a Capitulo Ecclesiae Cathedralis Troianae transmissi fuerint duo Canonici ad Urbem ad prosperos curandos successus Causae, quam agebat contra simplices Sacerdotes Civitatis, qui se ab eiusdem Cathedralis servitio, iuxta antiquas ac recentiores leges Synodales nec non resolutionem Sacrae Congregationis, subducere conabantur, proposito dubio: – IV. An duobus Canonicis ad Urbem transmissis ad effectum assistendi huic liti debeatur indultum absentiae et lucrandi distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative pro tempore a die discessus ad hodiernam et ad alios quindecim tantum post praesentem resolutionem pro reditu – *in Troiana Servitii die 23 Iulii 1742.*

704. Quin imo distributiones quotidianae debentur Canonico absenti toto tempore, quo in Curia degit pro obtinenda exequutione indulti a Sacra Congregatione obtenti et a Capitulo impugnati, usque ad diem obtentae resolutionis pro exequutione *in Lauretana Distributionum die 16 Iulii 1695 lib. 45 Decretorum pag. 397.*

705. Siquidem quum Canonicus Marius Orpitellus die 28 maii 1695 obtinuisset Rescriptum pro executione indulti, quod pro absentia antea impetraverat et a Capitulo fuerat impugnatum, ac deinde sustineret, sibi competere distributiones etiam per aliud tempus, quo in Urbe subsederat,ut executionem praecedentis indulti urgeret, Sacra Congregatio die 11 itidemque die 25 iunii 1695 petitionem reiecit, dein vero ita rescripsit:–Praevio recessu a decisis, deberi Oratori quotidianas distributiones a die 11 decembris 1694, in qua Rescriptum fuit Episcopo pro informatione usque ad diem vigesimam octavam proxime praeteriti maii, in qua capta fuit resolutio pro executione indulti – *in Lauretana Distributionum die 16 Iulii 1695 lib. 45 Decretorum pag. 397.*

706. Beneficiatus vero, qui Romam petiit ad agendam Causam Beneficiatorum, omnes quidem fructus et distributiones etiam extraordinarias, nisi obstet voluntas Fundatorum, percipit pro toto tempore consumpto in eius itinere usque ad diem accessus ad Urbem et concessionis primi indulti, sed distributiones lucrari nequit pro alio tempore, quo absque legitima causa in eadem Urbe permansit, nec pro iis diebus, qui intercesserunt inter unam et alteram prorogationem indultorum, quae subinde obtinuit *in Conchen. Fructuum et Distributionum die 6 Februarii 1734.*

707. Enimvero Georgius Valero Beneficium, quod vocabant mediam portionem, olim possidens in Ecclesia Cathedrali, Romam petiit circa initium anni 1726, ut nomine Col-

legii Portionariorum, a quo procurationis mandatum acceperat, operam navaret suam Causae, quae coram Sacra Congregatione agebatur de augmento distributionum. Preces deinde obtulit eidem Sacrae Congregationi, ut absentiae tempore non solum fructus sui Beneficii, sed etiam quotidianas distributiones consequi posset, et die 30 martii 1726 indultum obtinuit ad tres menses. Prorogationem eiusdem indulti postulante Georgio et contradicente Capitulo, die 28 septembris eiusdem anni Sacra Congregatio indultum confirmavit ad alios tres menses tantum. His transactis, novam postulavit prorogationem ad alios tres menses numerandos ab ultima die praecedentis indulti, et die 11 ianuarii 1727 petitam obtinuit prorogationem. Simile itidem indultum impertita eidem Georgio fuit Sacra Congregatio die 29 martii 1727, pluries subinde facta prorogatione usque in mensem martium anni 1730. Cum vero memoratus Georgius exposuisset, repugnare Capitulum executioni huiusmodi indulti, die 30 septembris 1730 rescriptum fuit: – Orator instet coram Ordinario, qui deveniat ad omnimodam executionem indultorum Sacrae Congregationis, et idem Orator redeat ad residentiam –. Sub finem anni 1731 exposuit Georgius, indulta, quae prius obtinuerat, Capitulum exequi renuisse, seque idcirco destitutum esse pecunia ad iter arripiendum necessaria, praetereaque aegra uti valetudine, nec longae viae incommoda substinere posse. Itaque die 1 decembris 1731 facultatem iterum fuit assecutus, ut per alios quinque menses moram in Urbe facere posset, percipiendo fructus et distributiones, absque tamen spe ulterioris prorogationis. Episcopus die 23 februarii eiusdem anni 1731 decrevit, executioni mandanda esse omnia praemissa indulta in gratiam Georgii, ceteras vero controversias ad Sacram Congregationem esse deferendas. Contendit itaque Georgius, sibi deberi fructus et distributiones etiam per illud tempus, quod ab Hispania ad Urbem veniens in itinere consumpsit, antequam primum indultum obtineret. Dixit enim, quod quemadmodum Sacra Congregatio legitimam declaravit fuisse causam absentiae ad distributinnes percipiendas tempore suae commorationis in Urbe, sic quoque eadem causa suffragari illi deberet ad assequendas distributiones tempore praedicti itineris. Per eos itidem menses, qui inter diem, quo Romam appulit Georgius, et primi indulti impetrationem effluxere, quotidianas distributiones sibi deberi existimavit, propterea quod operam dederit negotio Ecclesiae, cuius causa Romam petierat. Sed cum ultimum indultum, quod ex causa litis Georgius impetraverat die 24 septembris 1729 ad sex menses duraturum, expiraverit die 24 martii 1730, nihilominus idem Georgius contendit, ab hac die usque ad diem 30 septembris eiusdem anni 1730, quo prodiit Decretum supra relatum, distributiones quotidianas sibi deberi, quia necesse ei fuerat moram facere in Urbe ad obtinendam praecedentium indultorum executionem, cui obluctabatur Capitulum. Addidit praeterea Georgius, imputandum sibi non posse, quod neglexerit citius impetrare Rescriptum pro executione indultorum praecedentium, quia cum in annum 1730 inciderit vacatio Sedis Apostolicae, intermissa fuit Congregatio usque ad diem 28 iulii. Denique a die 30 septembris 1730 usque ad diem 1 decembris 1731 contendit Georgius distributiones ideo sibi deberi, tum quia interea fuerat incertus de indultorum executione, tum quia et senio et morbo impediebatur, ne iter in Hispaniam aggrederetur. Octavum quippe supra sexagesimum tunc agebat aetatis annum, et de incommoda valetudine testimonium dixere Medicus et Chirurgus.

708. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Sacerdoti Georgio Valero debeantur fructus et distributiones quotidianae pro tempore consumpto in eius itinere usque ad diem accessus ad Urbem et concessionis primi indulti? II. An eidem debeantur fructus et distributiones a die 24 septembris usque ad diem resolutionis editae pro omnimoda executione indultorum Georgio concessorum? III. An itidem debeantur a die 30 septembris 1730 usque ad diem primam decembris 1731? IV. An sub indultis abessendi et lucrandi fructus et distributiones comprehendantur dies intercedentes inter unum et alterum ex indultis praefatis? V. An sub eisdem indultis pro toto tempore absentiae, de quo supra, comprehendantur distributiones extraordinariae, quae repartiri solent ex massa communi in certis solemnio-

ribus festis anni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative quoad distributiones post terminum indulti. Ad tertium et quartum, Negative quoad distributiones. Ad quintum, Affirmative, nisi obstet mens Fundatorum – *in Conchen. Fructuum et Distributionum die 6 Februarii 1734.*

709. Quum itaque Capitulum Cathedralis Ecclesiae Varmiensis ob nonnullas quaestiones, quas cum Episcopo agebat, Procuratorem constituisset Canonicum Bassanum, qui indultum absentiae obtinuit, et eo tempore, quo dubia controversiarum proponi debebant, exoravit, ut per modum provisionis sibi aliquid de fructibus decerneretur, proposito dubio: – IX. An et in qua summa sit exaudiendus? –, Sacra Congregatio die 4 septembris 1700 respondit: – Renovetur indultum per annum, et interim in causam declarandam dentur scuta duo millia monetae Romanae ex fructibus et distributionibus decursis –. Soluta per Capitulum dicta summa, nox contendit, huiusmodi summam cedere debere in fructus Canonicatus in futurum decurrendos, quia Canonicus Bassanus subreptitium reportaverat dictum indultum. Propositis itaque dubiis: – I. An et in quam causam cedere debeant dicta scuta bis mille Canonico soluta vigore Decreti provisionalis Sacrae Congregationis? II. An sit concedenda renovatio indulti in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 februarii 1702 respondit: – Ad primum, expectetur exitus litis. Ad secundum, prorogetur indultum ad sex menses –. Non acquievit Capitulum resolutioni primi dubii; sed eidem reproposito sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis in omnibus absque spe ulterioris prorogationis indulti – *in Varmien. die 1 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum.*

710. Hinc Capitulum cogendum est ad restituendas distributiones quotidianas favore Canonici, qui mandatum procurae ab eodem habuit, ut Romae ad agendam Causam nomine ipsius commoraretur, ob idque indulta a Sacra Congregatione obtinuit abessendi e loco residentiae absque clausula amissionis distributionum *in Adiacen. Distributionum die 21 Augusti 1762.*

711. Enimvero ex quatuordecim Canonicis Ecclesiae Cathedralis Adiacensis novem erant liberae collationis, quibus commendata erat cura et administratio duorum Canonicatuum iurispatronatus quondam Petri Bastelicae de Mauriano. Cum autem a quadam Episcopi Adiacensis sententia respiciente dictos Canonicatus fundationis Bastelicae succumbentes appellassent ad A. C., iidem Canonici liberae collationis in causa victores die 30 octobris 1758 capitulariter congregati mandatum ad lites dederunt Sacerdoti Ignatio Antonio Cervotti Romae commoranti, cum facultate substituendi Procuratorem pro Causa dictae appellationis prosequenda; quem tamen actum expleverunt, ut legebatur in instrumento procurae, – uti fideicommissarii seu administratores Canonicatuum de iurepatronatus institutorum et erectorum in hac Ecclesia Cathedrali per dictum dominum Capitaneum Petrum Bastelicam –. Alterum ex dictis Canonicatibus liberae collationis postmodum assequutus est idem Ignatius Antonius Cervotti, qui, ne cogeretur ad residentiam accedere, supplex adivit Sacram Congregationem, et, narrata necessitate manendi in Urbe pro sollicitanda lite capitulari, iuxta Curialis attestationem, quam exhibuit cum mandato procurae, postulavit indultum abessendi a choro, cum exemptione a fallentiis et cum participatione distributionum; atque die 10 februarii 1759 Sacra Congregatio, – attentis mandato procurae Capituli et attestatione Procuratoris Curialis super pendentia litis, benigne indulsit Oratori, ut a residentia sui Canonicatus per tres menses tantum, si tamdiu exposita causa litis perduraverit, iuxta petita, abesse possit –, aliasque deinceps obtinuit prorogationes ad formam praecedentis indulti. Verum mense septembris 1759, quo facienda erat distributionum repartitio, renuit Capitulum portionem Canonici Cervotti illius Agenti tradere, immo ab eo petiit fallentias ratione absentiae incursas, quas ille die 28 dicti mensis septembris deposuit penes Cancellarium Curiae Episcopalis in quantitate librarum 162; et acta deinde Causa coram Episcopo, is die prima octobris in contradictorio Partium decrevit favore Capituli consignationem depositi. Provocavit Canonicus Cervotti, appellatione in actis Curiae Episcopalis interposita die 4 decembris, quam tamen uti se-

rotinam Episcopus reiecit. Atque interea Romae permanens, die 12 ianuarii 1760 novam obtinuit prorogationem indulti abessendi, reticita tamen lite super distributionibus pendente; pluriesque deinde obtulit preces, ut Romae commorari posset pro agenda dicta lite distributionum, et novis demum allegatis causis, die 7 iunii eiusdem anni impetravit aliud indultum abessendi ad quatuor menses tantum. Canonicus itaque contendit, sibi dandas esse distributiones, quia abfuit pro tuenda lite Capituli, et quia speciale indultum abessendi absque clausula amissionis distributionum impetravit, quin obstaret, quod a Canonicis liberae collationis, non a toto Capitulo constitutus fuerit Procurator pro lite minime respiciente interesse Capituli, quod in precibus pro indulto porrectis reticuerit mandatum procurae sibi datum ante assequutionem Canonicatus. Nam mandatum procurae datum fuerat capitulariter a maiori parte Canonicorum pro lite agenda nomine Capituli, et cum illud non fuisset revocatum post assecutionem Canonicatus, haud tenebatur circumstantiam illius posterioris assequutionis exprimere in precibus pro indulto porrectis. Capitulum autem contendit, iuste ademptas fuisse distributiones, quia revera Procurator Capituli non erat, neque agebatur de lite Capitulum respiciente, cum deputatus fuisset a Canonicis liberae collationis pro particulari negocio ipsorum curae commisso, et quia mandatum habuerat ante assequutionem Canonicatus, non ut litem tueretur, sed ut Procuratorem idoneum eligeret occasione suae permanentiae in Urbe, ac demum quia indulta Sacrae Congregationis censeri debebant subreptitia, ob reticitam circumstantiam posterioris assequutionis Canonicatus.

712. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An cogendum sit Capitulum ad restituendas favore Canonici Ignatii Antonii Cervotti distributiones quotidianas depositas simulque reficiendas expensas praesentis litis iudiciales et extraiudiciales in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, quoad distributiones quotidianas tantum, usque ad initium litis super eisdem distributionibus – *in Adiacen. Distributionum die 21 Augusti 1762.*

713. Nam distributiones quotidianae debentur etiam Canonico absenti pro lite Capituli, Fagnan. in Cap. *Licet* n. 167 de Praebendis, Barbos. de Canon. Cap. 24 n. 20 *in Adiacen. Distributionum die 24 Iulii 1762* §. *Supervenit.*

714. Imo Sacra Congregatio respondit, deberi Decano distributiones quotidianas una cum fructibus sui Decanatus, etiamsi lis esset cum ipso Capitulo *in Lucana Distributionum die 11 Decembris 1666 lib. 25 Decretorum pag. 225.*

715. Limita, nisi contraria extet consuetudo *in Collen. Distributionum die 28 Februarii 1665 lib. 24 Decretorum pag. 420.*

716. Canonici enim deputati ad tuenda iura sui Capituli distributiones quotidianas lucrari quidem debent in absentia, nisi tamen sit eis certum constitutum salarium, et nisi extet consuetudo, ut etiam absentibus pro utilitate Ecclesiae distributiones minime debeantur *in Collen. Distributionum die 28 Februarii 1665 lib. 24 Decretorum pag. 420.*

717. Quin immo aliquando fuit facta distinctio inter negocium, quod commode per Procuratorem tractari potest, et negocium quod personalem requirit assistentiam Canonici, ita ut in secundo casu debeantur distributiones, non in primo, Passerin. in cap. unic. n. 110 de clericis non residentibus in 6, Rota coram Seraphino decis. 1131 n. 4, relicta Ordinario facultate iudicandi, an lis requirat, vel non requirat personalem assistentiam, iuxta resolutionem Sacrae Congregationis, quae ita se habet: – Petente Curato, ut sibi concederetur licentia assistendi liti super iuribus Ecclesiae in Urbe, Congregatio censuit ad sex menses, dummodo tamen lis vere sit pro Ecclesia, et Ordinario videatur Oratori necessarium esse, ut per se ipsum liti assistat –. Aliquando denique habita fuit distinctio inter litem super titulo Beneficii, et litem super praeteritis distributionibus, denegando in hoc secundo casu admissionem ad distributiones pro tempore absentiae, iuxta resolutionem Sacrae Congregationis in Aquilana 23 maii 1626 lib. 13 Decretorum pag. 5: – Sacra Congregatio censuit, distributiones pro tempore, quo prosequitur litem in Curia pro consecutione aliarum distributionum ei debitarum, non deberi – *in Monasterien. die 15 Maii 1723* §. *Quoad.*

718. Ne dubium autem, quod Canonicus seu Beneficiatus a residentia absens, ut liti sibi motae invigilet, licentiam ab Episcopo referre oportet, ad effectum percipiendi distributiones quotidianas; proposito enim dubio: – An Praeposito seu Canonicis absentibus causa litium concernentium interesse suarum Praebendarum debeantur distributiones quotidianae? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, dummodo accesserit licentia Episcopi – *in Cavallicen. Distributionum die 3 Iulii 1677 lib. 29 Decretorum pag. 506.*

719. Nam lucrari non possunt distributiones quotidianas absentes ex quacumque legitima causa et iusta, nisi copulative obtinuerint expressam licentiam Episcopi Diaecesani, etiamsi Capitulum ad eas percipiendas Canonicum absentem vellet admittere *in Ripana Distributionum die 24 Martii 1657 lib. 20 Decretorum pag. 211.*

720. Idcirco haud lucratur distributiones quotidianas Canonicus, qui e loco residentiae absens fuerit, ut Romae invigilaret liti, quae in Ecclesiae utilitatem non cedebat, nec Episcopi licentiam prius obtinuerit *in Imolen. Distributionum die 3 Martii 1736.*

721. Iamvero Faustus Stagni, Canonicatum in Cathedrali Ecclesia Imolensi ab Emo Episcopo assecutus ac in illius possessionem rite ac pacifice inductus, post septem menses novam provisionem in Dataria obtinuit, quae nullam ac irritam declaravit priorem provisionem. Hinc Faustus a Cancellario Episcopalis Curiae in novum Canonicatus possessionem fuit immissus; deinde agnoscens, possessionem hanc minus tutam et legitimam esse, instetit coram Capitulo, ut alteram et validiorem sibi traderet. At quia Capitulum statim illius precibus non annuens, dilata petitae possessionis traditione, voluit super hac re suffragium Emi Episcopi exquirere, Faustus Romam se contulit, ubi, post excitatas plures controversias in diversis Tribunalibus, tandem adiit Sacram Congregationem exponens, quotidianas distributiones sibi debitas inter alios Canonicos fuisse divisas, idcirco earum reintegrationem postulavit non solum a die captae possessionis vigore prioris provisionis ab Ordinario habitae, quo nimirum tempore choro et Ecclesiae inservivit, verum etiam illo, quo abfuit post expeditas Literas Apostolicas. Nam Capitulum, denegando novae provisionis traditionem, in causa fuerat, quominus choro interesset; adeoque ab eo iniuste impeditus, ne cum aliis choro interesset, quotidianas distributiones, quas alias praesentia sua percepisset, lucrari debebat. E contra Capitulum advertit, se haud absolute Fausto possessionem denegasse, sed declarasse, se velle prius hac super re suffragium Emi Episcopi audire, ac illo vel eius Vicario assentiente, statim petitam possessionem ei traditurum promisisse; adeoque praefatum Canonicum haud impeditum fuisse, quominus suae Ecclesiae inserviret, sed absque legitima causa a residentia suae Ecclesiae abfuisse. Nam ut Canonicus, a residentia absens ad effectum liti sibi motae invigilandi, percipere valeat distributiones quotidianas, necessarium est, quod lis mota fuerit super iuribus Canonicatus, illiusque defensio in utilitatem Ecclesiae cessura esset, nec non Canonicus licentiam ab Episcopo obtinuerit. Faustus vero abfuerat absque licentia Episcopi ac ob litem, cuius defensio haud cedebat in Ecclesiae utilitatem, cum eadem in eo versaretur, ut ab onere pensionum, quibus Canonicatus gravabatur, se eximeret. Quin imo Capitulum contendit, iuxta Constitutiones capitulares Canonico nec deberi distributiones quotidianas pro tempore, quo chori servitio incubuerat. Episcopus tamen censuit, haud obstare dictas Constitutiones capitulares, adeoque eidem deberi distributiones a die, qua canonice ingressus praesens choro inservierat usque ad diem absentiae; sed simul advertit, Ecclesiam debito decentique servitio destitutam reperiri, nihilominus Faustum sub multiplici praetextu differre novam Canonicatus possessionem, hinc eum esse cogendum ab Sacra Congregatione ad eam sub brevi termino ineundam.

722. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et a quo tempore debeantur distributiones quotidianae Canonico Fausto Stagni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Deberi a die captae possessionis pro tempore tantum, quo inservit; et amplius – *in Imolen. Distributionum die 3 Martii 1736.*

723. Unde Canonicus seu Beneficiatus a residentia absens, ut liti sibi motae invigi-

let, adipiscitur quidem distributiones quotidianas, sed oportet, quod lis mota fuerit super iuribus Canonicatus seu Beneficii, ita ut illius defensio in utilitatem Ecclesiae, vel Beneficii, de cuius agitur residentia, vel ex natura rei, vel ex persona propria Beneficiati cessura sit, iuxta Textum in Cap. *Ex parte* cap. 2 de clericis non residentibus *in Monasterien. die 15 Maii 1723* §. *Nec.*

Item *in Imolen. Distributionum die 28 Ianuarii 1736* §. *Nec.*

724. Idcirco Canonicus absens et in Urbe degens, ut ageret proprio nomine absque Capituli mandato contra alium Canonicum pro solutione punctaturarum, tenetur solvere punctaturas, quae stant loco distributionum, ex fructibus suae Praebendae toto tempore absentiae *in Pientina Punctaturarum die 15 Maii 1717 lib. 67 Decretorum.*

725. Hinc distributiones pariter amittit, fructus sui Canonicatus tantum lucrando, Canonicus absens ad effectum incumbendi revocationi sequestri iniuste appositi *in Placentina mense Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 4.*

726. Quum itaque Canonicus postulasset distributiones quotidianas, ex eo quod praetenderet, se non teneri ad expensas quarumdam litium, nec Canonicum eas lucrari, dum absens fuerit, ut dictis litibus assisteret, Sacra Congregatio mandavit, ut Ordinarius procederet, prout de iure *in Comen. die 30 Septembris 1724.*

727. Enimvero Ioannes Antonius Trincanus Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Euphemiae Insulae contendit, se non teneri ad contribuendum pro expensis a Capitulo factis in quibusdam litibus, sibique idcirco consignandas distributiones, quas interessendo divinis officiis acquisivit ab anno 1712 per totum annum 1717, et Canonicum Ioannem Baptistam Mossium non potuisse lucrari distributiones ab anno 1712 per totum annum 1720, non obstante quod in Urbe permanserit cum mandato Capituli, ut praedictis litibus assisteret. Propositis tamen dubiis: – III. An teneantur Capitulum et Canonici praedicti sub poenis mandati exequutivi aliisque etc. consignare eidem Canonico Trincano eius distributiones quotidianas ab eo acquisitas cum interessentia annorum 1712 1713 1715 1716 et 1717? IV. An et quas distributiones quotidianas amiserit R. Canonicus Ioannes Baptista Mossius ob eius absentiam a residentia chori ab anno 1712 inclusive usque ad annum 1720 pariter inclusive, ita ut accrescere debeant interessentibus? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad Ordinarium, qui procedat in omnibus, prout de iure – *in Comen. die 30 Septembris 1724.*

728. Praeterea Sacra Congregatio pluries declaravit, non licere uti distributionibus quotidianis ad litium impensas, ceu etiam videre est apud Nicolium in flosc. verb. distributio n. 8 *in Iuvenacen. Distributionum quotidianarum die 16 Ianuarii 1745* §. *Paucis.*

729. Siquidem proposito dubio: – III. An sumptus litium, quae praevia conclusione capitulari introducuntur, detrahi possint ex massa communi ante illius divisionem inter Capitulares? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Negative quoad massam communem destinatam pro distributionibus – *in Alexanen. die 1 Septembris 1742.*

730. Similiter proposito dubio: – II. An expensae futurarum litium detrahi possint ex distributionibus quotidianis, seu quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 aprilis 1745 respondit: – Ad secundum, Negative ad primam partem; quo vero ad secundam, recurrant in casibus particularibus –; et reproposito mox dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Iuvenacen. Distributionum quotidianarum die 29 Maii 1745.*

731. Animadvertendum insuper est, Canonicum absentem ex causa utilitatis Religionis et Ecclesiae etiam universalis, non autem propriae Ecclesiae commodum respiciente, distributiones de iure non lucrari, Cap. *Cum dilectus,* Cap. *De cetero,* Cap. *Ad audientiam* de clericis non residentibus, et communiter docent Canonistae, inter quos Fagnan. in Cap. *Licet* n. 160 de Praebendis, et Reiffenst. in Ius Canon. lib. 3 tit. 4 §. 7 a n. 199 *in Colonien. Indulti die 1 Augusti 1739* §. *Momentum.*

732. Quandoque tamen Sacra Congregatio concessit indultum quotidianas distributiones lucrandi Canonico absenti ex causa Religionis, sive universalis Ecclesiae, ceu videre est

in Toletana 4 iunii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 110, in Recineten. 27 novembris 1600 lib. 9 Decretorum pag. 110, in Anconitana 2 Augusti 1670 lib. 26 Decretorum pag. 236, in Romana 28 iulii 1730 lib. 80 Decretorum pag. 14, et in alia Romana 28 aprilis 1736 lib. 86 Decretorum pag. 175 *in Colonien. Indulti die 1 Augusti 1739* §. *Momentum.*

733. Unde licet Beneficiarius non absit ob directam utilitatem Ecclesiae, in qua Praebendam possidet, aliquando tamen distributiones lucratur, idcirco qui a choro abest tamquam familiaris Papae distributiones lucratur *in Callien. et Pergulana die 20 Decembris 1834* §. *Praestat.*

734. Hinc et distributiones lucratur, qui Pontificiae Capellae inservit *in Callien. et Pergulana die 20 Decembris 1834* §. *Praestat.*

735. Imo Praesules Romanae Curiae, qui S. Sedis servitio, sive in temporali, sive in Ecclesiastico munere addicti, distributiones lucrantur *in Callien. et Pergulana die 20 Decembris 1834* §. *Praestat.*

736. Similiter Consultores sacrarum Congregationum, qui absque ulla mercede, ac lucro operam suam navant, distributiones lucrantur *in Callien. et Pergulana die 20 Decembris 1834* §. *Praestat.*

737. Itaque disceptatum saepius est, an Canonici choro non interessentes, ut aliqua munera, vel ecclesiastica officia exerceant, distributiones lucrentur. Communiter autem recepta est distinctio haec; aut eadem munera mere gratuita sint et immediate respiciunt utilitatem et decus Ecclesiae, cui inserviunt, et tunc ex hac causa absentes lucrantur distributiones *in Maceraten. die 23 Aprilis 1768* §. *Disceptatum.*

738. Aut munera vel officia non respiciunt immediate Ecclesiae servitium; et tunc, si ea onera voluntaria sunt, nullae distributiones debentur *in Maceraten. die 23 Aprilis 1768* §. *Vel.*

739. Nunquam vero absentes pro fungendis officiis laicalibus reputari debent pro absentibus ex legitima et iusta causa; adeoque distributiones quotidianas amittunt, et acceptas restituere tenentur *in Conchen. die 24 Aprilis 1655 lib. 19 Decretorum pag. 451.*

740. Assumpti tamen ab Episcopo et Principe Leodiensi pro servitio Diaecesis et Principatus, gaudent distributionibus anniversariis omnibusque emolumentis, quae debentur ratione personalis residentiae, vigore indulti Apostolici eidem Episcopo concessi, dummodo aliter non sit dispositum a Testatoribus *in Leodien. Indulti die 10 Iulii 1717 lib. 67 Decretorum.*

741. Hoc autem intelligendum, si dicti Canonici expleverunt iam annalem et strictam residentiam ad formam Statutorum dictae Ecclesiae, secus vero non expleta annali residentia *in Leodien. Indulti die 10 Iulii 1717 lib. 67 Decretorum* (1).

742. Hinc Sacra Congregatio concessit indultum percipiendi distributiones etiam Canonico tempore, quo Secretariae Status Summi Pontificis inserviret *in Anconitana die 2 Augusti 1670 lib. 26 Decretorum pag. 396.*

743. Si vero munera vel ecclesiastica officia necessaria sunt ex lege fundationis, aut ex mandato Episcopi; et tunc distributiones debentur *in Maceraten. die 23 Aprilis 1768* §. *Si vero.*

744. Ceterum iuxta Canonici iuris sanctionem ac laudabilis Sacrae Congregationis stylum, nullus Canonicus seu Beneficiatus a choro absens ratione muneris sibi commissi quotidianas distributiones lucratur, ubi pro dicto munere aliquod percipiat stipendium *in Ravennaten. Distributionum quotidianarum die 1 Augusti 1739* §. *Quocirca.*

745. Illi enim ipsi, qui propter evidentem Ecclesiae utilitatem absentes distributionibus donantur, iis tamen privantur, dum congruum ab ipsa Ecclesia ad id habeant salarium, Graf. decis. aur. part. 2 lib. 2 cap. 15 n. 11: ratio autem in eo est, quia tunc officium non est amplius illis damnosum; et sic, cessante praecipua ratione distributiones percipiendi, cessare debet etiam dispositio, Cap. *Cum cessante* de appellat. cum suis concord. Monet. de distribut. quotid. part. 2 quaest. 11 n. 35 *in Augustana Distributionum die 14 Decembris 1844* §. *Minus.*

746. Hinc neque exercentes munus Subcollectorum spoliorum distributiones quoti-

(1) Resolutiones Causae huius prostant in Verb. *Canonici*, §. III, n. 42 ad 44, Tom. IV.

dianas lucrari possunt, si propter huiusmodi munus a servitio chori absit *in Tridentina die 28 Aprilis 1671 lib. 28 Decretorum pag. 285 a tergo.*

747. Idcirco Canonico, qui Subcollectoris munere fungitur, nec distributiones quotidianae debentur, nec facultas conceditur inserviendi choro per Substitutum eo tempore, quo illud exercet, etiamsi privilegium s.m. Xisti V in medium proferat *in Senogallien. Distributionum die 2 Iunii 1703 lib. 53 Decretorum.*

748. Iamvero – ad preces Laurentii Ciani Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Corinalti a Sanctissimo remissas, petentis distributiones quotidianas, etiamsi choro non intersit pro tempore, quo Subcollectoris munere fungitur, iuxta privilegium s. m. Xisti V, vel facultatem inserviendi per Substitutum, exquisita relatione Ordinarii, hic audito capitulo refert, istud distributiones controvertere Canonico praedicto in vim Decreti huius Sacrae Congregationis in una Romana seu Mediolanen. Subcollectorum 26 augusti 1662 lib. 23 Decretorum pag. 271, censetque, posse eidem Canonico concedi petitam facultatem non obstante, quod punctaturae, quae a non interessentibus amittuntur, applicentur favore Sacristiae illius Ecclesiae, dum huiusmodi praeiudicium sibi non videtur esse magni momenti; Capitulum autem eodem tempore alium supplicem porrexit libellum EE. VV. pro denegatione dictarum distributionum, super quo idem Ordinarius informans ait, in dicta Ecclesia Collegiata nullas adesse distributiones quotidianas, sed earum loco solvi punctaturas, quae vigore Bullae erectionis eiusdem Sacristiae applicantur; subditque, Subcollectores stipendia recipere eo tempore, quo R. Camerae inserviunt, vel ab eadem, vel a praetensis Reis. Quibus attentis, ab EE. VV. exquiritur: – I. An dicto Subcollectori debeantur distributiones quotidianae? II. An eidem sit admittendus Substitutus in actu, quo exercet munus Subcollectoris in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque – *in Senogallien. Distributionum die 2 Iunii 1703 lib. 53 Decretorum.*

749. Unde nec Canonicus Inquisitor haereticae pravitatis excusatur ab assistentia in choro ad effectum lucrandi distributiones quotidianas, easque amittit absens ratione officii *in Calaritana mense Martii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 5.*

Item *in Civitaten. die 21 Aprilis 1591 lib. 7 Decretorum pag. 39.*

750. Enimvero Ministri sanctissimae Inquisitionis ratione Beneficiorum vel Canonicatuum residentiae adstricti ac ratione officii choro interesse non valentes, non lucrantur distributiones quotidianas, nisi ex speciali indulto Sedis Apostolicae, pro quo obtinendo adire debent Congregationem Sanctissimae Inquisitionis *in Mediolanen. die 3 Februarii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 156.*

751. Nam ex gratia speciali Sedis Apostolicae huiusmodi Inquisitor lucratur distributiones quotidianas in Hispania, sed cum indulto ad tempus *in Toletana die 29 Maii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 40.*

752. Hinc declaratio Cardinalis Archiepiscopi Toletani, qua edicitur, Inquisitoribus haereticae pravitatis simul et Canonicis minime competere facultatem percipiendi distributiones quotidianas, quoties ratione officii interesse non possunt servitio chori, intelligenda est iuxta iuris dispositionem, non autem ubi specialibus privilegiis a Sede Apostolica illis indultum fuit, ut ex praedicta causa absentes distributiones quotidianas lucrentur *in Toletana die 29 Maii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 40.*

753. Siquidem cum adsint huiusmodi privilegia Apostolica, quibus Inquisitores et alii S. Officii Ministri percipere valeant distributiones, quamvis divinis functionibus non intersint, servanda sunt; tunc enim privilegia haec quoad tempus, pro quo fuerunt concessa, eo firmius sunt custodienda, quo praestantius et utilius est christianae Reipublicae Inquisitorum officium ad conservationem ac purgationem orthodoxae fidei constitutum *in Toletana die 4 iunii 1594 lib 8 Decretorum.*

754. Alias nec Canonicus examinator synodalis munus suum exercens, dum divina in choro celebrantur officia, quotidianas distributiones lucratur *in Callien. et Pergulana die 20 Decembris 1834* §. *Nec vero.*

755. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Canonicos examinatores synodales absentes, ut assistant examini vel pro Parochialibus vacantibus, vel pro collatione Ordinum,

haud lucrari distributiones quotidianas *in Brixien. die 19 Iunii 1638 lib. 16 Decretorum pag. 38.*

Item *in Nullius seu Cremonen. die 20 Septembris 1642 lib. 17 Decretorum pag. 95 a tergo.*

756. Idcirco Canonici absentes a choro, ut Episcopi servitio vacent, admittuntur quidem ad participationem fructuum, sed non ad participationem distributionum, uti late ostendit Barbosa de Canon. cap. 25 a n. 5 *in Monasterien. die 15 Maii 1723* §. *Quoad.*

757. Enimvero Sacra Congregatio pluries declaravit, Canonicis sive Cathedralis sive Collegiatae Ecclesiae Episcopo inservientibus deberi quidem fructus, non vero distributiones quotidianas, et si omnes fructus consistant in distributionibus, tunc percipere eos debere duas tertias illorum partes, amissa tertia, quae inservientibus accrescat *in Avenionen. die 13 Ianuarii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 151 a tergo.*

Item *in Dubium Participationis die 23 Aprilis 1669 lib. 26 Decretorum pag. 180.*

758. Quapropter cum Capitulum Ecclesiae Cathedralis Sypontinae praetenderet fructus Archipresbiteratus consistere in solis distributionibus quotidianis, et propterea denegare Ianuario Paschali Archipresbitero eiusdem Ecclesiae fructus sibi debitos ab anno 1694 ad annum 1702, eo quia addictus fuerat servitio Archiepiscopi Sypontini, cui actu actualiter inserviebat, proposito dubio: – An et quae distributiones quotidianae, sive fructus debeantur Oratori in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dentur Decreta – *in Sypontina Distributionum die 29 Aprilis 1702 lib. 52 Decretorum.*

759. Hinc et Dominico Anastasio Canonico Ecclesiae Cathedralis Anagninae tamquam familiari et secretario Episcopi debentur duae tantum distributionum partes, amissa tertia pro tempore, quo a choro abfuit et Episcopo inserviit extra Civitatem, cum in praefata Ecclesia distributiones quotidianae non adesse intelligantur, nisi qui statis horis divinis officiis interfuerint; his enim in terminis proposito dubio: – I. An Canonico Anastasio tamquam Episcopo a secretis inservienti distributiones quotidianae debeantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative amissa tertia – *in Anagnina die 17 Aprilis 1706 lib. 56 Decretorum.*

760. Amplia, neque Canonici neque Mansionarii Episcopo inservientes lucrari valent distributiones, licet adsit consuetudo, quam Testes ab ipso Episcopo inducti immemorabilem appellant; his enim in terminis propositis dubiis: – I. An duo Canonici, qui Episcopo inserviunt, quique choro non intervèniunt, neque aliis functionibus ecclesiasticis assistunt, possint ac debeant non solum participare de Praebendis, verum etiam de quotidianis distributionibus eo modo, quo participant alii Canonici praesentes et inservientes? II. An si in Ecclesia Cathedrali non adsint Praebendae, sed tota massa capitularis consistat in distributionibus quotidianis, quarum tertia pars stat loco Praebendae et datur Canonicis praesentibus ultra alias duas partes, quas habent cum Mansionariis communes, liceat in hoc casu duobus Canonicis servitio Episcopi addictis participare de alia portione consistente in distributionibus quotidianis non obstante, quod choro aliisque functionibus non intersint? IV. An isti Presbiteri Mansionarii Episcopo servientes participare possint de massa deque quotidianis distributionibus, etiamsi choro non interveniant, uti participant praesentes et interessentes? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative quoad distributiones quotidianas; Ad secundum, Negative quoad tertiam partem, quae stare debet loco distributionum. Ad quartum, provisum in primo et secundo – *in Venusina die 30 Iulii 1763.*

761. Idcirco haud debentur distributiones Canonicis assistentibus Episcopo in visitatione Cathedralis vel Diaecesis, si propter hanc causam choro non intersint, non obstante Statuto Ecclesiae, quod absentes in servitio Episcopi eas lucrentur *in Lauden. Servitii Episcopi die 15 Aprilis 1684 lib. 34 Decretorum pag. 100.*

762. Distributiones tamen debentur Canonicis una cum fructibus suorum Canonicatuum comitantibus Episcopum Romam ad visitationem sacrorum Liminum obeundam *in Faventina mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 83.*

Item *die 11 Martii 1591 lib. 7 De-*

cretorum pag. 3; in Sulmonen. die 5 Decembris 1626 lib. 13 Decretorum pag. 159.

763. Quin imo – Sacra Congregatio alias censuit, Canonico a suo Episcopo ad visitanda Beatorum Apostolorum limina misso, pro toto tempore, quo ob dictam causam abfuit, distributiones quotidianas deberi – *in Segobien. mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 37.*

Item *in Faventina mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 83; in Messanen. die 28 Aprilis 1593 lib. 7 Decretorum pag. 41; in Regien. die 18 Decembris 1627 lib. 13 Decretorum pag. 362 a tergo.*

764. Amplia, distributiones debentur etiam Canonico ab Episcopo deputato ad eumdem effectum, etiamsi aeque principaliter negotiorum suorum agendorum causa ad Urbem Canonicus se contulisset *in Borgonen. anno 1620 lib. 12 Decretorum pag. 32.*

765. Unde Canonici absentes et missi ab Episcopo suo nomine Romam ad visitanda Limina Apostolorum admittuntur ad participationem tam fructuum, quam distributionum; quandoquidem – Sacra Congregatio censuit, deberi distributiones quotidianas Oratori quoad tempus visitationis Liminum – *in Culmen. die 13 Ianuarii 1627 lib. 13 Decretorum pag. 188.*

766. Alias quippe nec Canonicus, etiamsi munere fugatur Vicarii Episcopi, lucrari potest distributiones quotidianas, iuxta responsum Sacrae Congregationis relatum a Garz. part. 3 cap. 2 n. 348, et Barbosa de Canon. cap. 24 n. 6, Monet de distrib. part. 2 quaest. 11 a n. 83, Pignatell. Consult. 115 n. 29 *in Maceraten. die 24 Ianuarii 1718* §. *Quo posito.*

Item *in Ravennaten. Distributionum quotidianarum die 1 Augusti 1739* §. *Quocirca; in Venusina die 25 Iulii 1763* §. *Unum.*

767. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, distributiones haud deberi inservientibus Episcopi in munere Vicarii Generalis pro illis horis, quibus ratione dicti officii non intersunt *in Bitecten. die 18 Decembris 1627 lib. 13 Decretorum pag. 367.*

Item *in Dubia Residentiae die 13 Ianuarii 1683 lib. 35 Decretorum pag. 5 a tergo.*

768. Quapropter Canonicus, qui a Sacra Congregatione impetravit indultum abessendi e loco residentiae ad exercendum alibi munus Vicarii Generalis cum consueta clausula, – amissis distributionibus quotidianis –, lucrari nequit olei portionem ex massa distributionum quotidianarum provenientem, quae accrescit aliis Canonicis inservientibus, non autem eius pretium est erogandum in beneficium Ecclesiae *in Alexanen. Distributionum die 30 Iulii 1735.*

769. Enimvero Orontio Lilla Cathedralis Ecclesiae Canonico, qui Vicarii Generalis munus in Cosentina Diaecesi exercens, impetrato ab Sacra Congregatione indulto sub consueta clausula, – amissis distributionibus quotidianis –, per annos 1726 et 1727 abfuit a residentia, contendenti, praeter alios fructus sui Canonicatus, tradendam sibi esse quamdam olei portionem ex massa distributionum quotidianarum provenientem, se primum opposuit Promotor Fiscalis sub obtentu, quod dicti olei pretium in beneficium Ecclesiae erogari deberet, iuxta sanctionem Tridentinae Synodi cap. 3 sess. 22 de reformatione, obtinuitque idem oleum sequestro mancipari, deinde vero contradictores se praebuerunt ceteri Canonici, qui autumantes, controversam olei portionem ab Orontio amissam inservientibus accrevisse, secundum alteram legem eiusdem Concilii cap. 3 sess. 21 de reformatione, eam sibi adiudicare postularunt. At Orontius recursum habuit ad Sacram Congregationem, ut sequestrum ad instantiam Promotoris Fiscalis impositum removeretur. Episcopus retulit, distributiones quotidianas ob Canonicalium Praebendarum tenuitatem ab Episcopo Venusino in visitatorem Apostolicum Diaecesis Alexanensis deputato constitutas fuisse ex massa communi in quibusdam olivarum canonum nec non censuum reditibus consistente, singulos Canonicos suam distinctam Praebendam obtinere, ceteris vero pinguiorem a praedicto Orontio possidere; quibus praehabitis declaravit, se in eam propendere sententiam, quod asserta olei portio ceteraeque distributiones quotidianae a Canonicis absentibus amissae deservientibus minime accrescant, sed fabricae Ecclesiae deberent applicari.

770. His vero perpensis, proposito dubio: – An portio olei, de qua agitur, accreverit Canonicis inservientibus, vel potius

eius pretium sit erogandum in beneficium Ecclesiae arbitrio Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Alexanen. Distributionum die 30 Iulii 1735.*

771. Canonicus autem, qui ad exercendum munus Vicarii Generalis obtinuit indultum abessendi a chori servitio et a residentia, cum facultate percipiendi omnes et singulos sui Canonicatus fructus reditus et proventus, exceptis tamen distributionibus, quae fieri dicuntur inter praesentes, perinde ac si choro personaliter interesset, lucrari debet etiam distributiones pecuniarias, licet de huiusmodi distributionibus nullam fecerit mentionem in primo supplici libello, ac dein prorogationes obtinuerit ad formam in omnibus primi indulti, adeoque eas Canonici restituere tenentur a die petitionis, quin obstet, quod plures ex eisdem diem obierint supremum *in Anagnina Distributionum die 22 Augusti 1840.*

772. Siquidem adscitus ad Vicarii Generalis munus in Albanensi Diaecesi obeundum a Card. Galeffi Ioseph M. Constantini Tufi maioris Anagninae Ecclesiae Canonicus Leoni XII exposuit, se dictum Vicarii Generalis munus suscipere non posse, cum obstringeretur residere penes Ecclesiam Cathedralem Anagninam, ubi possidebat Canonicatum, qui reddebat quotannis triginta circiter rubra rerum venalium, quae ratione servitii distribuebantur, ac distributiones constituebant quotidianas, in quibus totus Canonicatus, pensione viginti quinque scutorum gravati, reditus consistebat; hinc indultum abessendi a choro et residentia ad praefatum munus suscipiendum efflagitavit. Itaque die 11 septembris 1826 prodiit Rescriptum: « Sanctissimus, attentis expositis, benigne annuit pro gratia, ut Orator a residentia et servitio chori valeat abesse ad annum, et nihilominus omnes et singulos sui Canonicatus fructus reditus et proventus, exceptis tamen distributionibus, quae fieri dicuntur inter praesentes, percipere possit, perinde ac si choro personaliter interesset ». Elapso indulti tempore, novas dedit preces, ut indultum prorogaretur ad biennium cum facultate percipiendi reditus, qui, in rebus venalibus pro maiori et in pecunia pro minima parte, distributiones quotidianas constituebant. Summus Pontifex vero die 24 septembris 1827, attentis expositis, enunciatum indultum in omnibus ad formam praecedentis concessionis ad alium annum tantum prorogavit. Plures subinde retulit prorogationes idem Constantinius etiam a s. m. Pii VIII et a Pontifice Gregorio XVI, quae usque ad diem decimam tertiam martii anni 1835 protrahebantur; singulaque, quibus continebantur, Rescripta ad praecedentium concessionum formam sese referebant undequaque. Dum autem munus Vicarii Generalis explevit constantinius, Canonicatus sui fructus ita percepit, ut, praeter distributiones inter praesentes, aliis etiam pecuniariis, quibus fruebatur Capitulum illud, fuerit privatus; nec alios, quam frumentarios reditus quolibet anno obtinuerit, dum pecuniam de more sese inter diviserunt singuli Capitulares, usque ad annum 1829, quo enim anno Constantinius primum contendit, sibi deberi universos Canonicatus sui proventus, solis demptis distributionibus inter praesentes: at incassum; etiam pecuniariam distributionem Capitulares denegarunt, ac de more inter singulos distribuerunt. Ipsi enim dixerunt, omnes reditus et pecunias, quae ab locationibus livellis censibus ac similibus retrahebantur, quaeque ad summam quadraginta scutorum ascendebant, ex rigida Capituli observantia ratione servitii ita semper distributas fuit, ut nihil perciperet, qui per integrum annum a chori servitio defecisset. Idcirco absentes ex privilegio tertiam redituum et pecuniarum partem amiserunt. Episcopus administrator Capitulo favit aiens, « non solum nihil Oratori deberi, sed teneri insuper ad restitutionem frumenti retractis temporibus percepti. Sed quoniam ex Apostolico Rescripto evidenter eruitur Sanctissimi voluntas relaxandi fructus cum aliqua perceptione, non aliter dicendum est, id voluisse, quam iuxta morem et spiritum respectivae Constitutionis. Qui quidem mos atque spiritus cum ignorari ab Oratore non posset, ex reticentia distributionis pecuniariae in prima petitione bona fide operata argumentari licet de istius voluntate relaxandi in favorem Capituli in ratione tertiae ratam pecuniae non expressam. Accedit, quod istantia non statim, sed post novem fere

annos fuerit producta, et post mortem plurium de eodem Capitulo, a quo distributio inter praesentes fieri solet per singulos annos –. Idcirco impossibile etiam esse videbatur ab heredibus demortuorum plurium Canonicorum repetere, quod eorumdem Auctorum bona fide perceperant et consumpserant.

773. Contra haec ius suum ex Pontificis Leonis aliorumque Successorum Rescriptis in tuto positum esse inclamavit Canonicus Constantini; ac distributiones pecuniarias sibi deberi, tum ex Rescripti verbis, tum ex mente concedentis. Pontifices enim praeter fructus, qui starent loco Praebendae, aliquid aliud ei voluisse concedere constabat, ne cetera Rescripti verba – reditus et proventus –, inutiliter iacerent: atqui praeter fructus loco Praebendae nihil habebat aliud Anagninum Capitulum, quam distributiones quotidianas; ex eo etiam quod verba – omnes et singulos – adhibuerint, quae sane nullam exceptionem admittebant. Idipsum sibi velle etiam institit vel aliam phrasim – perinde ac si Orator ipse choro et divinis officiis personaliter interesset –: nam quemadmodum qui choro personaliter adest, omnes et singulos sui Canonicatus fructus ac proventus absumit, ita et qui, licet absens, pro praesenti habetur, omnes et singulos, adeoque et pecuniarios percipere reditus posse ac debere sustinuit. Ad mentem vero Pontificis concedentis quod attinebat, eum excludere voluisse tantummodo dixit distributiones, – quae fieri dicuntur inter praesentes –. Ast non ita sane pecuniariae Anagninae Capituli distributiones sese habere compertum erat; ergo eas haud excipere voluisse Pontificem arguit, quippe si quod voluit Pontifex expressit, quod non expressit voluisse minime praesumendum erat; et exceptio praeterea firmat regulam in contrarium, scilicet in casibus non exceptis. Quod si a generalibus illis verbis – fructus reditus et proventus omnes – pecuniariae exciperentur distributiones, nulla ratio erat, cur et aliae in frumento positae excipi non dicerentur; atque sic Summum Pontificem incassum Rescriptum gratiae concessisse dicendum fuisset, et animo indulgendi nihil indulsisse, quod sane erat absurdissimum. Hinc nec contraria asserta consuetudo attendi poterat, cum ex illis verbis, – contrariis quibuscumque non obstantibus –, cuicumque alterius iuri Summus Pontifex derogavit. Neque maioris momenti faciendum erat Constantini silentium circa pecuniarias has distributiones in priori supplici libello: primo enim satis id significasse dixit Orator, quum Canonicatus suus redderet rubra circiter triginta frumenti, quippe quem possidebat Canonicatum ceteris omnibus tenuiorem nunquam tantam frumenti copiam reddidisse et reddere valere, sed pecuniariis etiam comprehensis distributionibus tantummodo id asseri potuisse contendit. Deinde non quod Orator expressit attendendum esse advertit, sed quod Pontifex concessit: hinc mirum insuper non esse dixit, si in posterioribus libellis mentionem expressam ipse fecit distributionis etiam pecuniariae, quam ceteroquin opportunam censuisse fassus est, ut controversias et quamlibet ambigendi ansam praecideret. Denique ad illud, quod ubi favorabilis Oratori cederet Sacrae Congregationis resolutio, inconveniens verebantur Canonici, respondit, quod non Canonicorum incommodum pensandum erat, sed iustitia tantum attendenda, maxime quia ex ipsis Capitularibus non pauci Oratoris ius praesentientes perceptas pecuniae summas integras, et a proprio peculio seiunctam adamussim servaverint, ut ei, iure suo vindicata, restituerent. Distributiones vero deberi, licet diu exactae non fuerint, immo et post annos triginta adhuc exigi posse demonstrat Moneta de distrib. quotid. part. 3 quaest. 3 n. 16 et 17.

774. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An quomodo et a quo tempore sint restituendae Canonico Constantini Tufi pecuniarias distributiones in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus ab anno 1829 ad formam indultorum – *in Anagnina Distributionum die 22 Augusti 1840.*

775. Quin imo quum Franciscus Angelucci Canonicus Theologus Cathedralis Maceratensis Officium Vicarii Generalis penes Antistitem Aesinum exercens die 12 iulii 1766 delegatus fuerit in Iudicem Apostolici processus super virtutibus et miraculis in specie Venerabilis Servi Dei Fratris Angeli Antonii Sandreani Minoris Conventualis, ne perirent probationes, ob idque petierit ac die 10 se-

ptembris 1768 obtinuerit indultum vacandi a residentia cum facultate percipiendi fructus sui Canonicatus nec non distributiones quotidianas, perinde ac si praesens esset horis canonicis, Sacra Congregatio, postquam declaravit, praefatum indultum sustinendum atque exequendum esse, proposito dubio: – IV. An participare debeat de distributionibus quotidianis aliisque fallentiis seu punctaturis aliorum Canonicorum et a quo tempore, ita ut sint eidem consignandae distributiones hucusque retentae, seu potius per ipsum restituendae iam perceptae in casu etc. –, responsum tulit: – Ad quartum, deberi a die 12 iulii 1766 usque ad diem 12 iulii 1770 – *in Maceraten. die 14 Martii 1778* (1).

776. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – in decisis; et amplius – *in Maceraten. die 18 Iulii 1778.*

777. Insuper Sacra Congregatio indulsit Canonico absenti diebus propositionis in Signatura iustitiae et assistentia in Signatura gratiae una cum fructibus sui Canonicatus etiam distributiones quotidianas *in Romana die 6 Iulii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 346.*

778. Alias enim nec Iudex ad universitatem Causarum appellationum in Regno Sardinia a Summo Pontifice deputatus distributiones lucrari potest, quoties ratione officii choro interesse non valeat *in Turritana die 12 Martii et die 2 Aprilis 1672 lib. 27 Decretorum pag. 350.*

779. Quin imo concessae etiam fuerunt Canonico absenti in servitio D. Cardinalis distributiones quotidianae una cum fructibus sui Canonicatus, durante praedicto servitio *in Comen. die 17 Iulii 1649 lib. 18 Decretorum.*

780. Qua de re Sacra Congregatio declaravit, deberi distributiones quotidianas Canonico Emi Cardinalis Bichii Caudatario, cum ab Sacra Congregatione consuetum obtinuerat indultum percipiendi omnes fructus et distributiones sui Canonicatus non secus ac si choro personaliter interesset pro diebus et horis, quibus in functionibus Cardinalitiis munus Caudatarii exerceret *in Romana Distributionum die 23 Iunii 1708 lib. 58 Decretorum.*

781. Enimvero – Durantes de Durantibus Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Mariae in Cosmedin Caudatarius Emi Bichii sub die 23 aprilis anni 1701 obtinuit ab hac Sacra Congregatione consuetum indultum sub hac forma conceptum: « Ut pro illis dumtaxat diebus et horis, quibus in functionibus Cardinalitiis, quae tamen a Cursoribus in habitu et forma Cursorum intimantur in Urbe, Orator ipse inserviet Emo Card. D. Carolo Bichio in munere Caudatarii, omnes fructus et distributiones sui Canonicatus percipere valeat, non secus ac si choro et officiis divinis tunc temporis personaliter interesset ». Cum autem a Canonicis dictae Collegiatae denegatae fuerint Oratori distributiones, quae dari solent intervenientibus in Capitulis faciendis post absoluta divina in diebus Dominicis Quadragesimae et Adventus ac aliis Festivitatibus, in quibus Orator dicto servitio addictus, interesse non valet, recurrit ad eamdem Sacram Congregationem pro declaratione favorabili, unde sub die 26 martii proxime praeteriti rescriptum fuit: « Audiatur Capitulum ». Proposita itaque Oratoris instantia in Capitulo coadunato sub die 3 aprilis eiusdem resolutum fuit, opponendum non esse, sed expectandam et exequendam mentem Sacrae Congregationis, prout ex actu Capitulari, qui exhibetur. Quibus attentis, humillime rogat Orator ipse EE. VV. pro resolutione dubii: – An distributiones debeantur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Romana Distributionum die 23 Iunii 1708 lib. 58 Decretorum.*

782. Imo distributiones quotidianae concessae etiam fuerunt ad annum Canonico absenti in servitio Oratoris Caesarei *in Mediolanen. die 13 Novembris 1638 lib. 16 Decretorum pa. 95.*

783. Hinc et absens de mandato Summi Pontificis pro servitio Camerae Apostolicae, lucratur nedum fructus sui Canonicatus, sed etiam distributiones quotidianas *in Ianuen. die 2 Septembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 404.*

784. Idcirco multo magis qui, iuxta Constitutionem Alexandri VII, vacare debent per decem dies exercitationibus spiritualibus Do-

(1) Speciem Causae huius habes in verb. *Dispensatio*, §. III, n. 28, Tom. VII.

mi Congregationis Missionis, antequam sacris Ordinibus initientur, citra ullam controversiam distributionibus quotidianis potiri solent, non secus ac si Ecclesiae inservirent *in Setina Distributionum die 1 Decembris 1731* §. *Confirmat.*

785. Qua de re s. m. Clemens XI anno 1710 sapientissime statuit, ut quicumque sive Canonici sive Beneficiati sive alii ad residentiam obligati, huiusmodi spiritualia exercitia singulis annis peragant ad pie excolendum animum, lucrantur quascumque distributiones quotidianas, perinde ac si reipsa intersint choro divinisque officiis, ut videre est in Clementino Bullario pag. 547 *in Setina Distributionum die 1 Decembris 1731* §. *Confirmat.*

786. Constat etiam ex speciali Rescripto s. m. Clementis XIII die 18 februarii 1767, exemptos fuisse a punctaturis Canonicos et Beneficiatos, qui tempore quadragesimae decendium in chatecheseos explicatione operam navant *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Postea.*

787. Hinc lucratur etiam distributiones, qui abest ex causa convictus per sex menses in Seminario ad tramites Concilii Romani *in Setina Distributionum die 1 Decembris 1731* §. *Quantum.*

788. Siquidem quum Episcopus Ignatio Villalobos Canonico Ecclesiae Cathedralis Setinae mandaverit, ut, antequam ad sacrum Presbiteratus ordinem initiaretur, per sex menses in Collegio Privernensi Patrum doctrinae christianae ac deinde in Seminario Signino commoraretur, ad effectum dumtaxat satisfaciendi praescripto Concilii Romani, nulla habita ratione maioris vel minoris idoneitatis dicti Canonici, propositis dubiis: – I. An Canonico Villalobos per sex mense quibus iussu Episcopi et ad praescriptum Concilii Romani permansit in Collegio Patrum doctrinae christianae et in Seminario Signino debeantur distributiones quotidianae? II. An competat etiam participatio punctaturarum, quae sunt in Massa communi? –, Sacra Congregatio respondit: – Distributiones quotidianas deberi – *in Setina Distributionum die 1 Decembris 1731.*

789. Id tamen locum non habet, si secluso Concilio Romano Beneficiatus indigeat permanentia in Seminario vel ex causa alicuius culpae, vel ad se magis instruendum et edocendum *in Setina Distributionum die 1 Decembris 1731* §. *Denique.*

790. Siquidem Ioseph Turchi Subdiaconus et Beneficiatus Ecclesiae Collegiatae S. Urbani in Oppido Apiri petiit indultum, ut quotidianas distributiones percipere posset, quum per sex menses mansurus esset in Seminario Episcopali ad formam Concilii Romani, ut deinde ad reliquos sacros Ordines promoveretur. Die 18 maii rescriptum fuit: – Ad mentem –, quae hunc in modum explicata fuit: – Episcopus curet, an secluso Concilio Romano, ipse putet, Oratorem indigere permanentia in Seminario per sex menses ex causa ignorantiae, vel ex aliqua culpa commissa, et in casu indigentiae novi studii posset ei vacare extra Seminarium et in Terra Apiri –. Respondit Episcopus his verbis: – Puto, Oratorem indigere aliqua permanentia in Seminario huius Civitatis non ex causa ignorantiae, vel alicuius culpae, sed ad se magis instruendum et edocendum tam circa sacros ritus, quam materias morales –. Die autem 6 iulii eiusdem anni 1726 relatis per Summarium precibus, prodiit hoc Decretum: – Oratorem pro tempore sex mensium, quibus praemissa de causa permanserit in Seminario, frui debere omnibus fructibus sui Beneficii, amissis tamen distributionibus quotidianis – *in Setina Distributionum die 1 Decembris 1731* §. *Denique.*

791. Nam distributiones amittunt absentes causa studii *in Arianen. Distributionum die 18 Augusti 1731* §. *Capitulum.*

Item *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834* §. *Explorati; in Cornetana Distributionum die 6 Februarii 1847* §. *Quaestio.*

792. Quod si reditus Ecclesiarum consisterent in solis distributionibus, vel in iis una cum aliquibus fructibus tenuis Praebendae, tunc eas amittunt dumtaxat in tertia parte, quae inservientibus accrescit, Fagnan. in Cap. *Licet* n. 127 de Praebendis, Card. Petra ad Constit. 9 Bonifacii VII n. 20 et seqq. tom. 3 *in Arianen. Distributionum die 18 Augusti 1731* §. *Capitulum.*

793. Siquidem iis, qui studiis operam navant, hoc privilegium a iure datum est a Pontifice Honorio III in Cap. *Super specula*

de magistris, ut per annos quinque si studuerint pro praesentibus in loco Beneficii habeantur et de licentia Sedis Apostolicae proventus sui Beneficii percipiant: sed in altero Cap. *Licet* de Praebendis negat studentibus perceptionem distributionum quotidianarum, quae dantur iis, qui horis canonicis intersunt *in Senen. Indulti die 3 Augusti 1816* §. *Ex Decreto.*

Item *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834* §. *Explorati; in Cornetana Distributionum die 6 Februarii 1847* §. *Quaestio.*

794. Qua de re ex hac iuris dispositione solemne est, ut absentes studiorum causa eos fructus lucrentur, quos perciperent, licet singulis horis canonicis non interessent; eam vero fructuum partem amittant, quam non perciperent, nisi choralem frequentiam praestiterint, ut docuit Sacra Congregatio in Maceraten. 10 decembris 1616 *in Senen. Indulti die 3 Augusti 1816* §. *Ex hac.*

795. Hinc inolevit mos, ut Sacra Congregatio indulta huiusmodi concederet cum clausula, – amissis quotidianis distributionibus –, quas interessentes consequuntur, quia ex iure indulta huiusmodi supplent residentiam, non praesentiam in choro, quae ad percipiendas distributiones quotidianas necessaria est. Quod si Praebenda tenuis ita sit, ut non attingat tertiam quotidianarum distributionum partem, aut fructus Beneficii omnes ex distributionibus quotidianis constent, tum in indulto praescribitur, ut Indultarius amittat vel tertiam partem summae, quae ex fructibus Praebendae una cum distributionibus quotidianis cumulatis conficitur, vel tertiam partem distributionum, cum ex Tridentini Decreto sess. 21 cap. 3 massa distributionum ex tertia parte fructuum Praebendae coalescere debeat *in Senen. Indulti die 3 Augusti 1816* §. *Ex hac.*

796. Quapropter Canonicus Theodorus Grech absens causa studiorum ex indulto a Summo Pontifice concesso cum facultate percipiendi fructus Canonicatus, amissa tertia parte, quae pro distributionibus quotidianis de iure assignatur, solvere tantum viginti scuta praetendebat, dum fructus Canonicatus reddebant scuta 325; sed contra obiiciebatur, quod attenta praefata summa scutorum 325 haud minor sexaginta scutis quantitas decerni soleret, vix quidem tertiae eorumdem fructuum parti respondens. Proposito hinc dubio: – II. An obligatus fuerit ac teneatur pro distributionibus quotidianis exolvere consuetam taxam scutorum sexaginta, vel potius dumtaxat scuta viginti in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Melevitana Indulti die 27 Iunii 1744.*

797. Unde Canonicus, a residentia et chori servitio causa studiorum absens, amittit quidem distributiones quotidianas ad formam indulti a Sacra Congregatione concessi, sed haud solvere tenetur punctaturas *in Nullius Farfen. Punctaturarum die 5 Augusti 1780.*

798. Iamvero Clericus Calixtus Ranfi Canonicus in Collegiata Ecclesiae Terrae Tophiae Nullius Farfensis indultum abessendi causa studiorum obtinuit, amissis tamen distributionibus quotidianis. Canonici punctatores inter alias numerarunt etiam absentias praefati Canonici Ranfi ascendentes ad scuta 31, pro quorum solutione eumdem in ius vocarunt coram Abbatiali Curia Farfensi, et contra ipsum mandatum executivum retulerunt. Quapropter idem Canonicus recursum habuit ad Sacram Congregationem postulans, ut a punctaturis absolveretur. Nam ipse Episcopus testabatur, - neminem unquam, qui studiorum causa non interfuit choro, persolvisse, nec tertiam partem dimisisse fructatus, unde aequum arbitror, ne Canonicum quidem Ranfi persolvere debere vel tertiam dimittere partem, dummodo pondera per alium satisfiant –. His igitur perpensis, proposito dubio: – I. An debeantur punctaturae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Ad primum, Negative; amissis tamen distributionibus quotidianis ad formam indulti – *in Nullius Farfen. Punctaturarum die 5 Augusti 1780.*

799. Quum itaque Iulius Manfredi Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Antonini Terrae Pharae licentiam commorandi studiorum causa extra residentiam a Sacra Congregatione obtinuerit cum facultate percipiendi omnes fructus, amissis distributionibus quotidianis, et si fructus omnes ipsis distributionibus constarent, vel si reditus Praebendae tertiam partem distributionum non at-

tingerent, duas ex tribus distributionum vel Praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective percipere deberet, amissa tertia, quae inservientibus accresceret, cumque ex Constitutionibus Capitularibus poena solvenda esset pro quolibet puncto, quae loco distributionum quotidianarum succedebat, ac ea propter constituta inde fuit in medietate unius iulii Romani, propositis dubiis: – I. An Canonicus absens ex causa studiorum teneatur ad poenam punctaturarum indictam in Statuto Ecclesiae contra non interessentes divinis officiis? *Et quatenus affirmative.* II. An eadem poena sit solvenda ex tertia parte fructuum ex indulto relinquenda et partienda interessentibus? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative – *in Nullius Farfen. Distributionum quotidianarum die 20 Decembris 1738.*

800. Idcirco quum in Ecclesia statuta adhuc non extet detractio punctaturarum ad formam Concilii Tridentini, atque adsint quaedam legata pia, quae distribuuntur inter Canonicos pro rata Missas celebrantes, retenta tamen ex iisdem emolumentis piorum legatorum, favore interessentium, ea quantitate punctaturarum, quas Canonici absentes a servitio Ecclesiae amittere solent, Canonici absentes causa studii cum indulto, quin in eo mentio fiat perceptionis fructuum vel distributionum, tenentur solvere punctaturas, quae pro praeterito pro faciliori exactione detrahi possunt ex fructibus dictorum legatorum, et in futurum Episcopus providere debet quoad detractionem punctaturarum ad formam Concilii Tridentini *in Nepesina Punctaturarum die 8 Augusti 1711 lib. 61 Decretorum.*

801. Siquidem – Canonici Cathedralis Ecclesiae Nepesinae ultra Praebendas fixas, quas eorum quilibet obtinet, habent pariter quaedam legata pia cum oneribus Missarum ex diversis Testatorum relictis, quaeque distribuuntur inter eosdem Canonicos pro rata, quorum emolumenta exiguntur per Camerarium Capituli, et in fine anni erogantur etiam pro rata iisdem Canonicis Missas celebrantibus, retenta tamen ex iisdem emolumentis piorum legatorum, favore interessentium, ea quantitate punctaturarum, quas Canonici absentes a servitio dictae Ecclesiae amittere solent; eo quod supponatur, in eadem Ecclesia non fuisse adhuc separatam, iuxta sacrum Concilium Tridentinum cap. 3 sess. 21, tertiam partem fructuum Praebendarum, convertendam in distributiones quotidianas. Porro Bonaventura Pisanus et Theodosius Ciaglia Canonici eiusdem Cathedralis obtinuerunt iam ab hac Sacra Congregatione indulta respective abessendi a propria residentia, causa studii, nulla tamen in eisdem indultis facta mentione perceptionis fructuum sive distributionum; nihilominus praetensionem excitarunt, eo uti privilegiatos non esse subiectos memoratis punctaturis, quibus subiici solent reliqui Canonici absentes, neque praedictas punctaturas detrahi posse ex fructibus dictorum legatorum piorum, vel Praebendarum; hinc recurrerunt ad hanc Sacram Congregationem pro declaratione. Requisitus de more Episcopus Nepesinus informare, pluribus praemissa comprobavit, et adversus Canonicos Oratores votum suum promere videtur, uti latius ex relatione danda in Summario. Concordatis itaque infrascriptis dubiis cum Procuratore Capituli in Curia, exorantur hodie EE. VV. ex hinc inde deducendis decidere: – I. An dicti Canonici Ecclesiae Cathedralis absentes causa studii teneantur solvere punctaturas? *Et quatenus affirmative.* II. An dictae punctaturae detrahi possint ex fructibus legatorum piorum pro faciliori exactione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum pro praeterito, Affirmative; et in futurum Episcopus provideat quoad detractionem punctaturarum ad formam Concilii – *in Nepesina Punctaturarum die 8 Augusti 1711 lib. 61 Decretorum.*

802. Hinc Clericus, qui aetate minor nominatus ad Canonicatum a Summo Pontifice obtinuit suspensionem collationis ad sexennium, cum facultate percipiendi eiusdem fructus reditus distributiones et quaevis alia emolumenta, participare nequit de fallentiis aliorum et percipere emolumenta incerta et distributiones, quae ex voluntate Testatorum vel ex consuetudine Ecclesiae debentur actu praesentibus, attentis tamen peculiaribus circumstantiis, locus est exemptioni solvendi punctaturas, cum ad praescriptum Pontificis in Seminarium adhuc ingressus non fuerit *in*

Praenestina Fallentiarum die 16 Septembris 1837.

803. Iamvero Presbiter Ignatius Veccia Canonicus Cathedralis Ecclesiae Praenestinae anno 1835 Canonicatum resignavit, et Patroni ad illum nominarunt Herculem Veccia in nono tantum suae aetatis anno constitutum: unde Summum Pontificem rogavit, quatenus praesentationem de se factam Apostolico robore confirmare et ius percipiendi praebendales proventus ipsi concedere dignaretur. Pontifex die 23 septembris 1835 indulsit, – ut, firma remanente praesentatione ad dictos Canonicatum et Praebendam...., illorum collatio provisio et quaevis alia de illis dispositio ad sexennium ex nunc proximum tantum... suspensae remaneant, ac interim, satisfactis per personam ecclesiasticam idoneam Missarum eidem Canonicatui et Praebendae inhaerentibus, residuales illorum fructus reditus distributiones et quaevis alia emolumenta ad Canonicatum et Praebendam quomodolibet spectantes in tui subventionem et subsidium cedere valeant... Volumus autem, quod tu Seminarium ingredi, ibique per sexennium manere, ut ex dictorum Canonicatus et Praebendae fructibus ali debeas –. Haud illico tamen Seminarium ingressus est adolescens clericus Veccia; hinc duobus a die indulti mensibus pene elapsis, Canonici eum ad solutionem punctaturarum adegerunt, nec non eumdem a distributionibus praesertim eventualibus inter praesentes excluserunt. Nam Summus Pontifex omnes praebendales proventus et fructus Herculi tribuendos rescripsit sub expressa conditione, ut Seminarium ingrederetur. Episcopus vero retulit, in Cathedrali Praenestina haud vigere distributiones quodianas, seu fallentias stare in loco distributionum: Clericum Veccia, solutis expensis ad impetrandum Breve ac detractis Missarum oneribus, atque solutis punctaturis, ut volebant Canonici, in scutis 25, in Seminarium ingredi non potuisse, ex eo etiam quod eius Pater prae nimia, in qua versabatur, paupertate modum non habebat vestiendi filium. Idcirco censuit, – quod spiritus Brevis.... vertit ad possibilitatem gratiam recipientis, quatenus is in tempore et non illico sese in Seminarium recipere valeat; ast non potuit hoc anno –. Censuit vero, Clericum percipere non posse distributiones inter praesentes.

804. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An teneatur adolescens Veccia solvere fallentias pro tempore, quo Seminarium non est ingressus in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit ei concedenda absolutio a praeteritis fallentiis in casu etc. III. An possit participare de fallentiis aliorum et percipere emolumenta incerta et distributiones, quae voluntate Testatorum vel ex consuetudine Ecclesiae debentur actu solum praesentibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum Sanctissimo pro exemptione iuxta votum Emi Episcopi. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, Negative – *in Praenestina Fallentiarum die 16 Septembris 1837.*

805. Quapropter qui indultum abessendi a chori servitio causa studiorum cum clausula, amissis distributionibus quotidianis, obtinuerit ac in loco Beneficii resideat, distributiones quotidianas amittit, si servitium non praestet ad formam resolutionis capitularis, cum ex Constitutionibus Ecclesiae distributiones percipiant, qui servitium mille horarum praestiterunt *in Senen. Indulti die 24 Augusti 1816.*

806. Siquidem Primicerius Capituli Metropolitani Senensis Iacobus Piccolomini ex Rescripto Sacrae Congregationis diei 18 februarii 1815 exoravit indultum vacandi ad quadriennium causa studiorum a chori servitio, cum clausula – amissis distributionibus quotidianis –, atque hac adiecta solita conditione, – quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent, vel si reditus Praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum, vel Praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat –. Subinde ipse Primicerius, ut ea conditio amissionis distributionum ab indulto deleretur, ex eo postulavit, quod fructus suae Dignitatis omnes (ut is aiebat, sed non subsistebat) in distributionibus consisterent, quas ex Constitutionibus Capituli Beneficiatus lucrabatur, quatenus decurrente anno per mille horas servitium ita

rigorose praestiterit, ut, una hora deficiente, distributiones omnes amitteret. Quare si integras distributiones ex ea clausula percipere non potuisset ob non absolutum mille horarum servitium, Praebenda privabatur; propterea ursit, ut, deleta illa clausula – amissis –, tantum privaretur illis extraordinariis distributionibus, quae ad manus ideirco appellabantur, quia solis vere praesentibus tribuebantur. Capitulum vero advertit, quod alii in Capitulo habebant distinctam a massa Praebendam, quam per se administrabant, ac praeter fructus Praebendae, nonnulli omnes percipiebant distributiones, si per mille horas intra annum servitium praestabant, alii partem tantum. Inter praedictos recensebatur Primicerius Piccolomini, qui propriam atque pinguem Praebendam obtinebat: et quatuordecim erant Canonici, qui nulla gaudebant Praebenda, et propterea vocabantur de cumulo, quia distributiones, in quibus consistebant dumtaxat fructus Beneficii, percipiebant, si intra anni spatium mille horarum servitium adamussim compleverint. Quare Capitulum deliberans circa primas preces plenis suffragiis resolvit, – accordarsi al detto Signor Primicerio la grazia di segnarglisi le ore corali, tuttochè non si trovi presente ad esse, per essere impedito dalle lezioni dell' università etc. nei soli giorni di scuola, non però in quelli, che sono privi di lezione –. Unde Capitulum plura exhibuit exempla, quibus patebat, Sacram Congregationem Canonicis indulsisse facultatem, ut abesse possent causa studiorum, et dies, quibus ex hac causa choro non interessent, computandos esse in servitio mille horarum, et percipere possent fructus Praebendae, excepta tamen tertia parte ex quotidianis distributionibus. Emus Archiepiscopus vero instantiae Oratoris favit. Quaestio itaque in eo consistere videbatur, an Primicerius Piccolomini, dum indulto vacandi a choro causa studiorum gaudebat, distributiones quotidianas lucrari posset, si resideret et praestaret inter annum servitium mille horarum, vel potius ei obstarent exempla a Capitulo adducta, ex quibus constabat, eos, qui in Capitulo Senensi indultis huiusmodi gavisi fuerunt, semper distributiones quotidianas amisisse. Quae tamen exempla ad rem esse negavit Primicerius, quia Indultarii a Civitate plerumque abfuerunt, et tamquam non residentes distributiones quotidianas consequi non poterant.

807. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus amissioni distributionum pro tempore, quo Primicerius Piccolomini ex indulto a choro abest causa studiorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, quatenus Orator non praestet servitium mille horarum, ad formam resolutionis Capitularis – *in Senen. Indulti die 24 Augusti 1816.*

808. Verum quum Clericus Archidiaconus nullo obreptionis vel subreptionis vitio infectum obtinuerit indultum absentiae a choro ex causa studiorum, cum facultate percipiendi etiam distributiones eo modo, quo praesens esset ac sacris Ordinibus praeditus, eaedem omnino ei debentur, licet Constitutiones capitulares praescribant, quod in minoribus constituti nihil ex distributionibus quotidianis percipere valeant *in Faventina Distributionum die 13 Iulii 1776.*

809. Iamvero anno 1773 Clericus Antonius de Severolis adolescens annorum septemdecim aetatis ope dispensationis obtinuit Archidiaconatum secundam dignitatem de iurepatronatus eiusdem familiae in Ecclesia Cathedrali Faventina. Is itaque priusquam Archidiaconatus possessionem nancisceretur, Constitutiones capitulares iuxta morem Canonicorum iureiurando servare promisit, quibus cavebatur, quod nemo admitti posset ad integram fructuum et distributionum quotidianarum perceptionem, donec fuerit in Presbiterum ordinatus: hinc in minoribus constituti, quamquam de iure eligi et confirmari possent, nihil tamen percipere deberent ex dictis distributionibus. Auctores autem Archidiaconatus anno 1518, facta obligatione tot bonorum stabilium favore mensae communis, insteterant penes Capitulum, ut Archidiaconus ad participationem distributionum quotidianarum admitteretur. Huic petitioni annuit Capitulum anno 1526, dummodo Archidiaconus ut alii Canonici, in Ecclesia inserviret. Rebus sic stantibus, praefatus Antonius postulavit obtinuitque studiorum causa indultum absentiae a choro et divinis officiis, cum facultate percipiendi quotidianas distributiones eodem modo, quo eas perciperet, si esset

praesens et in sacris Ordinibus constitutus, non obstante quovis statuto seu Capitulari dispositione in contrarium. Capitulum contra huiusmodi Rescriptum veluti vitio obreptionis et subreptionis infectum insurgere censuit: sed Archidiaconus petiit, ne indultum ab eo obtentum iudiciali subiiceretur examini; hinc prodiit Rescriptum: – Sanctissimus dominus noster, reiecta oppositione Capituli, mandavit servari Decretum Sanctitatis Suae favore Oratoris, quibuscumque contrariis non obstantibus –. Iteravit subinde preces Capitulum; et, Causae cognitione Sacrae Congregationi commissa, contendit, indultum praedictum obreptitium et subreptitium esse, ex eo quod Archidiaconus reticuisset tum Constitutiones Capitulares, tum iuramentum a se praestitum, tum conventiones et pacta, quorum vigore fuerat iure ad participationem admissus. Hinc ad participationem earum dumtaxat distributionum admitti poterat, quae ex summa scutorum octuaginta duorum, detrahenda ex bonis ab Auctoribus Archidiaconi in causam distributionum assignatis, proveniebant, non vero particeps esse debebat eorum redituum, qui ex Capituli massa derivabant, vel ab emolumentis Anniversariorum, quae ex voluntate Testatorum iis tantummodo debebantur, qui illis interessebant. His Archidiaconus respondit, necessariam esse aperitionem oris adversus praefatum Rescriptum; sustinuitque, nullum obreptionis vel subreptionis vitium contraxisse, cum Constitutio capitularis veluti in parte consona iuris communis dispositioni nulla indigeret mentione, quatenus vero in aliqua parte iuris dispositioni adversaretur, eo casu probandum esse per Capitulum, quod praedictae Constitutioni specialis et individua superaccesserit Pontificis confirmatio: sustinuit etiam, se non peccasse reticendo iuramentum, quippe quia praefatum iuramentum tamquam accessorium Capitularibus dispositionibus haberi debebat. Advertebatur vero, quod praedictae capitulares Constitutiones in duabus precedentibus collationibus Archidiaconatus favore Clericorum de familia Severoli aetate minorum fuerant observatae.

810. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur indultum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quae distributiones debeantur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit. – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, deberi omnes distributiones ad formam indulti – *in Faventina Distributionum die 13 Iulii 1776.*

811. Idcirco Canonicus, qui ex lege fundationis tempore absentiae a choro causa studiorum punctari ac mulctari nequit, haudquaquam fallentias solvere tenetur, etiamsi Capitulum praetendat, quod in actu acceptationis Canonicatus conditio fuerit imposita solvendi punctaturas, ac ideo observantia eas solvendi accesserit *in Cornetana Distributionum die 6 Martii 1847.*

812. Siquidem in Ecclesia Cathedrali Civitatis Cornetanae extabat Canonicatus Milani dictus, cuius fructus annui, demptis oneribus, sexaginta prope scutata exaequabant. Pius illius fundator Ioannes Milani, cum illum supremo suae voluntatis elogio die 14 iunii 1704 erigeret, adiecit praeter ceteras conditionem, quod eligendus Canonicus haberet aetatem annorum viginti unius et ita idoneus esset, ut intra spatium quatuor annorum a die praesentationis adscendere posset ad Sacerdotium, et casu, quo praesentatus studiorum causa in Seminario vel alibi commorari vellet, posset absque licentia Superiorum, sed cum licentia Archidiaconi, cui ius nominandi ad dictum Canonicatum detulit, abesse a chori servitio, quin eo tempore punctari ac mulctari valeret, cum ab omnibus oneribus, excepta recitatione divini officii, exemptus esse deberet. Inferius vero, dum onera adimplenda statuerat, illud in capite, uti par erat, recensuit, scilicet inserviendi choro ac divinis officiis, sub sueta punctaturarum poena casu deficientiae, nec non respectiva fallentiarum participatione. Quum itaque Clericus Nicolaus Albanesi, in Seminario Diaecesano studiorum causa degens, huiusmodi Canonicatum legitime esset assequutus, statim contendere cepit, se vigore testamentariae dispositionis a fallentiis solvendis omnino immunem esse; qua in re contrarium sibi expertus est Capitulum, in cuius vota etiam concessit Archidiaconus, quippe qui praetensionem illam utpote sacrorum Canonum sanctionibus minime consentaneam repellere non dubitavit. Emus Episcopus, cum actus erectionis non inveniretur, transmisit actum acceptationis

Canonicatus Milani per Capitulum factae, cuius conditiones ibidem relatas ab Episcopali auctoritate confirmandas esse Canonici illius temporis statuerant. Ibidem de conditione lucrandi distributiones in absentia causa studiorum nullum excidebat verbum, sed solummodo in articulo secundo haec habebantur: - Quod Canonici providendi teneantur ad interessendum in choro recitationi horarum canonicarum et aliis functionibus ecclesiasticis eodem modo et forma, qua intersunt omnes Canonici nostrae Ecclesiae Cathedralis; et in absentia punctari debeant, uti punctantur Canonici, et punctaturas solvere –. Ad consuetudinem quod attinebat, nihil certum et exploratum habebat, hoc unum commemorans, defunctum Presbiterum Iulium Celli nonnullis ab illinc annis Canonicatus eiusdem possessorem, quo tempore in diaecesano Seminario studiorum causa est commoratus, puncta solvisse. His Canonici monumentis adnixi contenderunt, Canonicum Albanesi solvere debere punctaturas, cum in actu acceptationis, dum regula de punctaturis solvendis statuebatur, adiecta fuerit clausula, – dummodo absentia Canonici Milani non fuerit causa studiorum –. Contra tamen advertebatur, neque Episcopum, neque Capitulum, licet eius consensus requireretur, apertam fundationis legem variare potuisse. Idcirco clausula illa ad summum accipienda erat veluti iuris commemorativa, quae ad alios absentiae casus, a Fundatore ipso in testamento praevisos, minime autem ad poenam solvendam ab exemptis studiorum causa, sese referebatur, cui etiam Decretum Episcopale, quod desiderabatur, sese conformasse tenendum erat. Quin imo huiusmodi conditio, uti iniusta et irrationabilis, sperni omnino debebat. Idcirco multo minus asserta observantia obstabat, cum aperta esset fundationis lex, quae nullatenus destrui poterat.

813. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Canonicus Albanesi tempore absentiae a choro causa studiorum amittere debeat distributiones in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative – *in Cornetana Distributionum die 6 Martii 1847*.

814. Unde quum satis constet, quod Fundator iussisset, etiam Canonicos aetate minores causa studiorum absentes a choro et residentia distributiones et alia emolumenta lucrari debere, frustra Capitulum impedimentum parat, ne iidem haec percipere valeant *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834*.

815. Enimvero binas canonicales Praebendas in Metropolitana Ecclesia Arborensi anno 1774 constituit Marchio Damianus Nurra Arcaisius, censuque pro distributionibus instruxit. Patronatum sibi primo reservatum adtribuit, deinceps ei, qui Marchio de Arcais foret, tam ex linea masculina, quam feminina; horumque descendentes in aetate etiam quatuordecim annorum cum perceptione distributionum et quorumcumque emolumentorum nominari posse mandavit. Cumque quotidianum Sacrum praescripserit Fundator, addidit, tempus prospiciens, quo minor aliquis Canonicatu frueretur, Missas quotidie applicandas esse a Canonicis punctatoribus etiam tempore, quo quaevis Praebenda vacaret; eosdemque descendentes ad Canonicatus nominatos ac institutos quacumque praeditos aetate extra Sardiniam causa studiorum commorantes integre lucrari posse distributiones Missas et quaevis alia emolumenta, si essent Sacerdotes. Id praeterea praecepit Fundator, ut utriusque Praebendae census a ceterorum patrimonio seiunctus esset, integre a Canonicis primaevae institutionis procuraretur, ita tamen, ut deficientiae distributionum et quorumcumque emolumentorum in Canonicatuum utilitatem et augmentum applicarentur. Huiusmodi Praebendas duo Fratres Flores ab Arcais ex Auctoris descendentibus assequuti sunt, Raymundus nimirum, qui in Nazareno Collegio primum annis tribus, ac deinceps annis quatuor, Viris lectissimis traditus fuit, et Iosephus, qui in Calaritana Academia laureae honorem indeptus, Romam ex Antistitis Arborensis permissu se contulit, ubi in graviores Theologiae et iuris disciplinas incumbebat. At Canonici acriter contenderunt, distributiones absentibus quoque diribendas tunc solum esse, si essent Sacerdotes, prout ipsa fundationis verba sonare videbantur. Archiepiscopus contra censuit, Oratores ex fundationis tabulis distributionibus gaudere, etiamsi extra Sardiniam studiorum causa abessent. Patebat enim, discrimen a Fundatore designatum

fuisse pro Sacrorum celebratione inter Canonicos Sacerdotio iam insignitos, et inter eos, qui nondum sint assequuti: commemoravit quippe Missas inter ea, quae absentibus praestanda iussit, si essent Sacerdotes; de iis vero siluit, quando de minoribus in Canonicos cooptandis verba fecit, celebrationem tunc imponens Canonicis punctatoribus.

816. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Canonici fratres Flores de Arcais tempore absentiae a choro studiorum causa gaudere debeant quotidianis distributionibus aliisque emolumentis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus, exceptis eleemosynis Missarum per Canonicos punctatores celebrandarum ad formam fundationis – *in Arboren. Distributionum die 19 Aprilis 1834.*

817. Quum autem in explenda unione duarum Collegiatarum S. Donati et SS. Petri et Pauli Summus Pontifex decreverit, – quod distributiones quotidianae pro Capitularibus Ecclesiae S. Donati sint omnino aequales et correspondentes distributionibus quotidianis, quae a Capitulo Collegiatae SS. Petri et Pauli de praesenti percipiuntur –; ac inde duo huiusce Collegiatae Praebendati Nicolaus Cepollari et Nicolaus Vico assuetum studiorum a Sacra Congregatione obtinuerint absentiae indultum, addita de more clausula,-amissis distributionibus quotidianis, quod si omnes fructus ipsis distributionibus constet, vel si reditus Praebendae tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat –, quumque Praebendati essent Ecclesiae S. Donati indultarii ac secundum minorem eius taxam primum distributionum partem dimiserint, sed inde Capitulum contendere ceperit, dimetiendas esse illorum distributiones, iuxta maiorem alteram Ecclesiae SS. Petri et Pauli taxam, ad formam Bullae unionis, propoposito interim dubio: – An et quomodo sint amittendae distributiones in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem – *in Firmana die 19 Maii 1787.*

818. Itaque vigebat in Cameranensi Ecclesia legitima consuetudo, ut Canonici Sacerdotali Ordine non insigniti tertiam dumtaxat distributionum partem consequerentur, licet adeo tenues essent Praebendae, ut quartam distributionum partem non attingerent. Quaesitum fuit, quid dari oporteret Indultario studiorum causa Sacerdotali Ordine non insignito. Fieri debuisset distributionum et Praebendae cumulus ac tertia pars dimitti. Ne plus vero daretur fictioni, quam veritati, – Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum commisit Episcopo, ut si quidem compereret ex consuetudine legitime praescripta, Canonicos in Presbiteratus Ordine non constitutos cum actu inserviunt non lucrari, nisi tertiam distributionum partem, assignari procuret Canonico Oratori studiorum causa absenti duas tertias partes praedictae tertiae una cum fructibus Praebendae, quae adeo sunt tenues, ut quartam distributionum partem non excedant – *in Camerinen. die 14 Februarii 1625 lib. 12 Decretorum pag. 260* (1).

819. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, nec publicos Theologiae Lectores et Iuris canonici in Universitate distributiones quotidianas lucrari *in Segnien. die 28 Aprilis 1592 lib. 7 Decretorum pag. 41.*

Item *in Bononien. anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 50.*

820. Hinc nec Lectores docentes in publicis Universitatibus S. Theologiam distributiones lucrantur, quae inservientibus accrescunt *in Dubia Indultorum die 6 Maii 1820* §. *Lectoribus.*

Item *in Piscien. Indulti die 23 Martii 1839* §. *Videant.*

821. Casum itaque considerans super Theologo in scholis docente, eum a distributionum perceptione repellendum esse tradit aperte Moneta de distrib. quotid. quaest 11 a n. 72, quia in sess. 5 cap. 1 Tridentini et Cap. fin. de magistris – aequiparantur quoad fructuum et proventuum Beneficiorum perceptionem docentes ac studentes in sacra pagina –: atqui certum est, studentes quotidianas amittere distributiones. Contra vero aequitas clamat, durum esse, ut dum maius sibi assumit in-

(1) Reliqua habes in Verb. *Absentia causa studii* per totum, ac praesertim a n. 18 usque ad 69. Tom. I.

commodum nullo uberiori recepto emolumento Theologus, lectiones videlicet theologicas quotidie tradendi, minus reportet lucrum minoraque privilegia. Et sane illud etiam in concessione huiusmodi indultorum attendendum esse, an quis ex munere, quo fungitur, lucrum assequatur, vel non, satis ostendit Sacra Congregregatio, quum Canonicis, qui verbi Dei praedicatione dant operam, distributiones auferat, quoties ex eiusmodi exercitio lucrum aliquod persentiat, et aliunde tale officium non sit adnexum Praebendae, uti eruitur ex Dubiis indultorum 6 maii 1820 et in Romana Dubia Indultorum die 25 maii 1822 *in Piscien. Indulti die 23 Martii 1839* §. *Videant.*

822. Idcirco quum Episcopus Pisciensis decrevisset, ut Vincentius Anzilotti Canonicus Theologus Ecclesiae Cathedralis loco lectionum S. Scripturae Theologiae dogmaticae seu scholasticae disciplinam traderet in Seminario cum facultate percipiendi distributiones quotidianas ac alia huiusmodi emolumenta, atque exinde eo defuncto, Vicarius Capitularis testaretur, quod praefatus Anzilotti eam absque ullo stipendio tradebat, quia Seminarium, prae nimia, in qua versabatur paupertate, nil ei persolvere poterat, Sacra Congregatio declaravit, huiusmodi in casu dictum Canonicum Theologum, diebus, quibus docebat S. Theologiam, gaudere exemptione a choro et lucrari distributiones quotidianas, exceptis illis tantum inter praesentes dividendis, usque ad electionem novi Episcopi, nec non consulendum esse Sanctissimo pro condonatione quoad eas eousque perceptas *in Piscien. Indulti die 23 Martii 1839* (1).

823. Ne dubium vero, quin distributiones quotidianae debeantur Canonico theologo integre pro toto die, quo legit *in Reatina mense Augusti 1589 lib. 6 Decretorum pag. 33.*

Item *in Mediolanen. mense Decembris 1589 lib. 6 Decretorum pag. 71; anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 106*; *et anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 2.*

824. Non tamen debentur obtinenti cathedram Theologiae in publica Universitate, quoties ratione lectionis choro non interest, immo eas amittit, cum privilegium percipiendi distributiones quotidianas sit solius obtinentis Theologalem in Cathedrali *in Bononien. anno 1592 lib. 7 Decretorum pag. 35* (2).

825. Quod si Canonici iniuste aliquem Capitularem distributionibus privaverit, ad restitutionum tenentur: tritum enim in utroque iure, fructus iniuste perceptos debere restitui, et beneficium restitutionis ei, qui laesionem est passus, esse concedendum; quod quidem Sacra Congregatio tum alias, tum praecipue in Cremon. Indulti 2 augusti 1760 egit, ubi Ioanni Cadonici eius Cathedralis Canonico, qui licet pedum dolore cruriumque contractione vexatus choro abfuerit per aliquod tempus, ab aliis Canonicis fuerat distributionibus privatus, mandavit, ut ab iis, qui eas perceperunt, earum restitutio integra conferretur *in Nucerina Servitii chori et Distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Alterum.*

826. Animadvertendum hinc est, quod privatio distributionum ex causa absentiae, non latae, sed ferendae est sententiae, ideoque infligi non debet ei, qui nunquam constitutus fuit per interpellationem in mora, ut ex dispositione Concilii Tridentini sess. 24 Cap. 12 de reformatione probant Reiffenst. ius canon. lib. 3 tit. 4 §. 4 n. 125, Leo in Thesaur. for. eccles. Cap. 3 n. 152, Pignatell. consult. 5 n. 1 tom. 1, Garz. de Benef. part. 3 Cap. 2 n. 15 *in Romana Distributionum die 12 Iulii 1788* §. *Tuschio.*

827. Idcirco distributiones, quas lucratus est Canonicus, et Capitulum retinuit pro reintegratione fundi assignati a Testatore ad effectum percipiendi ipsas distributiones, sunt restituendae praedicto Canonico ab eodem Capitulo *in Alexandrina Distributionum die 25 Novembris 1694 lib. 44 Decretorum.*

828. Hinc distributiones, quas Canonicus defunctus lucratus est, ratione praestiti servitii ante illius mortem, debentur illius heredibus; reliquae, quas lucraretur inserviendo, si viveret, interessentibus choro accrescunt *in Caietana Distributionum die 1 Octobris 1672 lib. 27 Decretorum pag. 509.*

829. Ceterum sunt quidem solvendae pun-

(1) Resolutionem Causae huius habes in Verb. *Canonicatus* §. VIII, n. 472, ubi reliqua late prostant, Tom. IV.

(2) Reliqua habes in Verb. *Canonicatus*, §. VIII, Tom. IV.

ctaturae Canonici defuncti; sed non deducendae a Massa proximae recollectionis fructuum *in Verulana Punctaturarum die 10 Iulii 1694 lib. 44 Decretorum.*

830. Quin imo distributiones debentur, licet diu exactae non fuerint, etiam post lapsum triginta annorum, Monet. de distribut. quotidian. part. 3 q. 3 n. 16 et 17 *in Anagnina Distributionum die 22 Augusti 1840* §. *Denique.*

831. Idcirco Canonici tenentur restituere distributiones quotidianas, si eas perceperunt pro tempore, quo servitium Ecclesiae non praestiterunt; proposito enim dubio: – X. An Canonici, qui perceperunt distributiones pro tempore, quo servitium Ecclesiae non praestiterunt, ad illarum restitutionem teneantur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad decimum, Affirmative – *in Asculana die 22 Maii 1706 lib. 56 Decretorum.*

832. Hinc si Capitulares divinis officiis non interessentes aliquid ex distributionibus quotidianis sumpserunt, teneri eas conferre in Ecclesiae bonum atque utilitatem debito cultu iniuste defraudatae, tradunt Antonell. de iur. et oner. Cleric. cap. ult. art. 11 de publ. divin. off. rec., Covarr. lib. 3 cap. 13 n. 7, Macigni de Canon. Cap. 11 n. 107 *in Hydruntina Servitii chori die 16 Septembris 1837* §. *Iamvero.*

833. Nec bona fides suffragatur ad effectum lucrandi in absentia distributiones non perceptas *in Barchinonen. Iubilationis die 18 Februarii 1761* §. *Capitulum.*

834. Alias bonam fidem indulgentiae ac condonationi quoad praeteritas distributiones illegitime perceptas aditum reserare planum est *in Signina Distributionum die 29 Iulii 1854* §. *Videndum.*

835. Hinc bona fides atque impotentia iustissimae semper et absolutionis et condonationis causae aestimatae sunt *in Hydruntina Servitii chori die 16 Septembris 1837* §. *Iamvero.*

Item *in Nucerina Servitii chori et Distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Alterum.*

836. Imo si Canonici bona fide distributiones perceperint et consumpserint, non videntur ad restitutionem teneri, ad tradita per Felinum in Cap. *Apostolicae* 12 de excepti., Guttierrez quaest. can. lib. 1 cap. 1 n. 136, Alter. de censur. lib. 1 disp. 6 cap. 9, Garz. de Benef. par. 7 cap. 13 n. 12 *in Nucerina Servitii chori et Distributionum die 17 Februarii 1838* §. *Alterum.*

837. Qua de re quum Sacra Congregatio occasione Visitationis sacrorum Liminum rescripsisset anno 1633 ad Caesium Episcopum Ariminensis Diaecesis, superextantes mensae capitularis Cathedralis reditus erogandos esse – in necessitates Ecclesiae et Ecclesiarum eidem adnexarum earumque fabricae, nec non in manutentionem praediorum etc. –, quos tamen Canonici inter se dividere consueverint, sed anno 1785 rursus interdicta fuerit huiusmodi praetensa partitio, propositis dubiis: – II. An et quos reditus mensae capitularis prohibeantur Canonici sibi applicare et dividere in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An constet de applicatione et divisione dictorum redituum, ita ut sit locus restitutioni, et a quo tempore in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaravit, reparationem Ecclesiae Cathedralis faciendam esse ex reditibus mensae capitularis, respondit: – Ad secundum, Negative ad formam Decreti Sacrae Congregationis diei 29 ianuarii 1633. Ad tertium, teneri ab anno 1786 exclusive; et quoad praeteritum ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione – *in Anagnina Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 19 Septembris 1789* (1).

(1) Reliqua prostant in verb. *Canonici*, §. III, Tom. IV; et in Verb. *Canonici*, §. VII, Tom. V.

1. Summus Pontifex Paulus V ex sententia Sacrae Congregationis concessit Archiepiscopis Indiarum Occidentalium, et Sedibus illorum vacantibus Capitulis Cathedralium indultum ad decennium doctorandi studentes per quinquennium in Collegiis formatis Societatis Iesu, distantibus saltem 200 milliaribus ab Universitatibus publicis *in Indiarum anno 1620 lib. 12 Decretorum pag. 49.*

2. Quin imo Sacra Congregatio indultum supradictum absque ulla temporis praefixione concessit Rectoribus Collegiorum Studiorum Societatis Iesu in Civitatibus S. Fidei et Quintensi in Indiis existentium *in S. Fidei die 2 Martii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 239.*

3. Hinc Sacra Congregatio censuit, praestandum esse Summo Pontifici consilium pro erectione Collegii in Universitatem in partibus Americae et facultate conferendi gradus Doctorales ad instar Universitatis S. Dominici Insulae Ispanae nec non pro gratia, ut Praelati et Cathedralis Canonici et Rector et Magistri actu docentes in Collegio aggregari possent ad novam Universitatem una cum gradibus, quos in aliis Universitatibus receperant *in Americana die 23 Maii 1722.*

4. Siquidem Charcae Populi erant Americae Meridionalis in parte Australi Regni Peruviae versus mare Pacificum, et Regnum Ciles intra montes, et suberant dominio catholici Regis Hispaniarum. In ea regione Civitas reperiebatur S. Iacobi de Leon de Charakas, et in ea magnificum Collegium extructum inveniebatur, nec deerat ampla bibliotheca, quodque notabilius erat, novem Cathedrae cum sua competenti dote in eo, cura potissimum et expensis Episcopi, erectae erant, et signanter philosophiae, theologiae tam scholasticae, quam moralis, iuris canonici et civilis, ultra cathedram latinitatis et rethoricae, et alias pro recto studiorum instituto necessarias. Magnus praeterea aderat Studentium concursus, ita ut sexaginta sex fuerint annis praeteritis in matricula descripti, ut a schola rethorica ad illam philosophiae transirent, et, secuta vacatione cathedrae latinitatis et rethoricae, undecim comparuerint Oppositores pro eadem obtinenda. Cum autem, completo studiorum curriculo, vel non possent illi, qui studuerunt, Lauream Doctoratus recipere, vel pro eadem recipienda tenerentur cum evidenti vitae discrimine et cum magna impensa accedere ad eam recipiendam, vel in Universitate S. Dominici, vel S. Fidei; hinc factum est, quod ab Episcopo et Gubernatore supra memoratae Civitatis supplicatio exhibita fuit catholico Regi Hispaniarum Philippo quinto pro impetranda a Summo Pontifice facultate erectionis Collegii in Universitatem, nec non pro facultate Lauream doctoralem concedendi ad instar Universitatis S. Dominici Insulae Hispanae. Cumque, datis a Rege Literis ad Emum Cardinalem de Aquaviva, fuerint ab Eminentia Sua Summo Pontifici preces exhibitae, tum pro erectione Collegii in Universitatem, tum pro facultate conferendi gradus Doctorales iuxta ea, quae in superioribus dicta sunt, et etiam ut erigendae Universitati aggregari valerent Praelati, Canonici Cathedralis, Rector Collegii, et scientiarum in eo Professores cum retentione graduum, quos ipsi in aliis Universitatibus iam receperant, fuerunt a Summo Pontifice preces pro voto remissae ad Sacram Congregationem.

5. His itaque stantibus, proposito dubio: – An sit consilium Sanctissimo domino nostro praestandum pro erectione Collegii in Universitatem, et facultate conferendi gradus Doctorales ad instar Universitatis S. Dominici Insulae Hispanae, nec non pro gratia, ut Praelati et Cathedralis Canonici et Magistri actu docentes in Collegio aggregari possint ad novam Universitatem una cum gradibus, quos in aliis Universitatibus receperunt in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Americana die 23 Maii 1722.*

6. Similiter petiit Portugalliae Rex a s. m. Clementis XI, ut Dignitates Canonici et Beneficiati novae Metropolitanae Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis, tam praesentes, quam futuri, qui Lauream Doctoralem recipere vellent, vel in sacra Theologia, vel in Iure canonico, non tenerentur adire Civitatem Con-

imbricensem, in qua existebat Universitas, sed gradum Baccalaureatus et Doctoratus, tam in sacra Theologia, quam in Iure canonico recipere possent a Patriarcha in Civitate Ulixbonensi Occidentali, et quod sic creati Baccalaurei et Doctores perinde haberentur, ac si Baccalaureatum et Doctoratum recipissent in ipsa Universitate Conimbricensi. Petitionis examen fuit ad Sacram Congregationem remissum, quae censuit, annuendum esse petitis, ita tamen, ut gradus Baccalaureatus et Doctoratus conferretur ab ipso Patriarcha pro tempore, seu ab alio in Dignitate ecclesiastica constituto, et ab eodem subdelegando, et quod gradus praedicti nullatenus conferrentur, nisi Baccalaureandi et Doctorandi tanto tempore studuissent, quantum esset necessarium, ut Baccalaureatum et Doctoratum obtinere possent in Universitate Conimbricensi, et quod examen eodem modo fieret et cum eodem rigore, quo fiebat in dicta Universitate, uti colligitur ex Decreto edito die 8 iulii 1719 lib. 69 Decretorum pag. 350, quod fuit a Sanctitate Sua confirmatum per Literas Apostolicas in forma Brevis *in Americana die 2 Maii 1722* §. *Petiit* §. *Petitionis*.

7. Hinc Doctores in iure canonico vel civili vel theologiae Universitatis Avenionensis subduntur Episcopo tamquam Sedis Apostolicae delegato in causis correctionis morum, contraventionis ecclesiasticarum Constitutionum et causis Beneficialibus *in Avenionen. mense Martii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 128.*

8. Ceterum qui sunt Doctores Universitatis et exercent munus Universitatis gaudent privilegiis Conservatoriae, non autem ii, qui non exercent dicta munera Universitatis, sed deserviunt suis Beneficiis, vel sunt extra Civitatem *in Oscen. mense Novembris 1585 lib. 4 Decretorum pag. 86.*

9. At Doctor Collegii universitatis publicae non potest gaudere privilegiis ad effectum consequendi Dignitates, requirentes gradum Doctoratus *in Papien. die 23 Iulii 1652 libg. 19 Decretorum pag. 199.*

Item *in Mediolanen. die 12 Decembris 1654 lib. 19 Decretorum pag. 438.*

10. Certum enim est, Doctoratum non receptum in publica Universitate quoad Beneficia et Dignitates ecclesiasticas non suffragari, iuxta Constitutionem 60 S. Pii V Bullar. tom. 2, et resolutionem Sacrae Congregationis confirmatam a Clemente X, et relatam per extensum apud de Zaulis ad Statutum Faventinum lib. 1 rub. 20 n. 10 *in Fanen. die 2 Iunii 1723* §. *Quoad.*

11. Siquidem Sacra Congregatio inhaerens menti Tridentinorum Patrum sess. 23 cap. 18 et sess. 24 cap. 8 16 et 18 Constitutioni 60 S. Pii V Bullar. tom. 2 pro assequendis muneribus ecclesiasticis ac Beneficiis, quibus adnexus sit onus assumendi Doctoratum seu Licentiaturam, eos tantum ex hisce gradibus declaravit esse attendendos, qui fuerint a publica Universitate collati, ut luculenter expositum fuit in Encyclicis Literis ab eadem Sacra Congregatione sub die 28 septembris 1726 Ordinariis datis *in Brundusina Participationis die 18 Novembris 1741* §. *Binae.*

12. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, non suffragari gradum Magisterii obtentum a Collegio Doctorum Mediolani ad effectum obtinendi Dignitatem habentem annexum onus assumendi Lauream doctoralem in Universitate sive Studio generali *in Comen. die 15 Septembris 1674.*

13. Amplia, etiamsi Collegium praedictum Doctorum habeat privilegium, quod ab ipso laureati gaudeant eisdem praerogativis, quibus fruerentur ac si gradum consequuti fuissent in publica Universitate *in Novarien. Doctoratus die 8 Augusti 1716 lib. 66 Decretorum.*

14. Nam Pius IV concessit quidem privilegium Collegio Doctorum Mediolani, ut per ipsum laureati gaudeant omnibus privilegiis gratiis et indultis, – quibus in Universitatibus studiorum generalium promoti de iure vel consuetudine etiam potiuntur –; verum urget in contrarium S. Pii V Constitutio incipiens *Quamvis a S. Sede* 60 Bullar. nov. tom. 2 *in Novarien. Doctoratus die 4 Iulii 1716 lib. 66 Decretorum* §. *Ioannes.*

15. Urget etiam in contrarium Decretum Sacrae Congregationis editum instante Universitate Studii Ticinensis die 22 iulii 1673 a Summo Pontifice approbatum, in quo ultra exequutionem dictae Bullae S. Pii V habetur, quod gradus Doctoratus – debeant recipi in publica et approbata Universitate, alias Dignitates vel Beneficia aliter collata vacent

eo ipso, ac proinde taliter provisi non faciant fructus suos, eaque ex hoc capite impetrari possint –; et tam praecedenter ad dictum Decretum in Mediolanen. instante Collegio Doctorum die 12 decembris 1654, quam ex post in Comen. die 15 septembris 1674 Sacra Congregatio, – visis privilegiis et aliis iuribus exhibitis, post maturam discussionem, censuit, promotos in dicto Collegio non gaudere qualitatibus et privilegiis, quibus gaudent probati in publica Universitate, de quibus loquitur Sacrum Concilium ad praescriptum resolutionis Sacrae Congregationis – *in Novarien. Doctoratus die 4 Iulii 1716 lib. 66 Decretorum* §. *Ioannes.*

16. Idcirco quum Ioannes Antonius Pastorius anno 1710 provisus fuerit a S. Sede de Canonicatu cum Praebenda Theologali in Collegiata S. Iuliani Oppidi Gaudiani, hac solemni in Literis Apostolicis praescripta lege, – ut infra annum proximum gradum magisterii in Theologia in aliqua approbata Universitate studii generalis suscipere tenearis –, haud ei suffragatus est gradus magisterii, quem obtinuit a Collegio Doctorum Mediolani; his enim in terminis proposito dubio: – An gradus magisterii obtentus a Collegio Mediolani suffragetur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Novarien. Doctoratus die 8 Augusti 1716 lib. 66 Decretorum.*

17. Quum vero ex lege fundationis superioritas Collegii deferenda esset antiquiori Doctori inter Consiliarios, primum Sacra Congregatio declaravit, eam deberi Doctori publicae Universitatis, non vero antiquiori inter Consiliarios, sed Doctori ex privilegio dumtaxat, inde tamen recessit a decisis *in Fanen. die 26 Iunii 1723.*

18. Iamvero extabat in Civitate Fanensi quoddam Collegium fundatum a Vincentio de Nolphis et in eo Collegio alebantur duodecim nobiles Adolescentes, quorum octo studiis iuris canonici et civilis, et alii quatuor medicinae incumbere debebant. Inter praefati Collegii Constitutiones una reperiebatur, in qua sancitum erat, ut Superiores esse semper deberent Episcopus Fanensis, Rector Congregationis S. Petri, et antiquior Doctor inter Consiliarios. Controversia hinc orta est, cui ex Iosepho de Dionysiis et Pompeio Zagarello superioritas Collegii Nolphi esset deferenda. Episcopus favit Zagarello, et Sacra Congregatio die 19 septembris 1722, proposita Causa inter Summaria precum, censuit, praelationem deberi Pompeio Zagarello. Impetrata a Dionysio nova audientia, contendit, se habere omnia requisita pro obtinenda superioritate, cum esset antiquior doctor inter Consiliarios, licet doctoratus gradum in publica Universitate non recepisset; nam et immediatus Praedecessor fuerat doctor ex privilegio dumtaxat, nec Fundator requisiverat doctoratum Universitatis. Contra Zagarellus sustinuit, non posse Dionysio suffragari doctoratum non receptum in publica Universitate, tum quia consimilia doctoratus privilegia, utpote sine examine concessa, non attenduntur iuxta decisionem 846 n. 3 coram Emerix iuniore, tum quia maximopere conveniebat, ut Collegii superioritas deferretur Doctori publicae Universitatis, cum Collegium esset institutum ad erudiendos Iuvenes pro consequenda Laurea doctorali, et tandem quia a principio usque in praesens Collegii superioritas semper fuerat delata Doctori publicae Universitatis, excepto ultimo casu, qui nec fuit pacificus, cum motae fuerint controversiae contra Doctorem ex privilegio, et ignoraretur, qua de causa suam prosecutionem non habuerint.

19. His utrinque perpensis, proposito dubio: An sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Praevio recessu a decisis, superioritatem deberi Dionysio – *in Fanen. die 26 Iunii 1723.*

20. Verum gradum Doctoratus publicae Universitatis tenentur habere, qui velint impetrare Dignitates et Beneficia talem gradum requirentia: ita Summus Pontifex ex sententia Sacrae Congregationis respondit *in Papien. Doctoratus die 22 Iulii 1673 lib. 28 Decretorum pag. 135.*

21. Qua de re requiritur gradus Doctoratus publicae Universitatis ad obtinendam Scholasteriae Dignitatem in Cathedrali *in Elven. die 17 Ianuarii 1643 lib. 17 Decretorum pag. 138.*

22. Sufficit tamen, quod sit de quacumque publica Universitate approbata, etiamsi non sit in illa Civitate vel Provincia, in qua est Scholasteria *in Dubium ad cap. 18 sess. 23 de reformatione Posit. 54.*

23. Imo Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum nihil disposuisse circa Doctoratum habendum ab obtinentibus Praeposituras in Collegiatis non insignibus: in insignibus vero hortari tantum ad eum obtinendum *in Taurinen. mense Novembris 1602 lib. 10 Decretorum pag. 49.*

24. Alias enim nec privilegium Doctoratus, a Comite Palatino assecutum, suffragatur eodem modo ac illud obtentum a Collegio Doctorum almae Urbis vel a publica Universitate, ita ut Canonicus habens tale privilegium non possit in Vicarium Generalem deputari, nec aliis praerogativis frui, sicut ceteri Doctores praedicti Collegii Almae Urbis vel publicae Universitatis *in Gravinen. Visitationis sacrorum Liminum die 24 Aprilis 1665 lib. 24 Decretorum pag. 481.*

25. Quin imo Sacra Congregatio respondit, nedum habentem Doctoratus gradum a Comite Palatino, sed etiam eum, qui illum obtinuit ab ipso Imperatore, aut ab alio habente privilegium doctorandi a Sede Apostolica, non posse valide elegi in Vicarium Capitularem, cum necessarium sit, ut praefatum gradum assequatur a publica Universitate ad validitatem electionis *in Montis Regalis die 19 Ianuarii 1664 lib. 24 Decretorum pag. 18 a tergo.*

26. Nam Sacra Congregatio declaravit, caput 16 sess. 24 de reformatione, loquens de Doctoribus et Licentiatis, intelligi de Doctoribus et Licentiatis in publica Universitate *in Cotronen. die 9 Maii 1637.*

27. Nec aliter edixit Sacra Congregatio quoad eum, qui Doctoratus gradum obtinuerat a Duce Sfortia; ac proinde electionem factam in personam huiusmodi Doctoris nullam et irritam esse censuit *in Clusina die 21 Februarii 1682 lib. 32 Decretorum pag. 142.*

28. Gradus vero a Collegio Protonotariorum Apostolicorum suffragari videtur ad obtinendam Dignitatem ecclesiasticam, cui adnexa sit cura animarum *in Aquinaten. die 14 Novembris 1746.*

29. Siquidem Archipresbiteratum, cui adnexa erat cura animarum in Ecclesia Cathedrali Aquinatensi, obtinuit a S. Sede anno 1740 Alexander Capozzella et possessionem nactus fuit. Ut autem Decreto pareret, quod in Literis Apostolicis adiici solet, – quod infra annum proximum gradum Magisterii in Theologia, vel Doctoratus aut Licentiaturae in Decretis in aliqua approbata Universitate studii generalis etc. suscipere tenearis –, obtinuit a Collegio Protonotariorum Apostolicorum, cui a Xisto V cognitissima Constitutione 12 vol. 2 Bullar. in declarat. privileg. §. 3 facultas data fuit doctorandi, ita ut gradus hic haberi deberet, ac si collatus susceptusque fuisset - in aliqua famosa Universitate –, obtinuit, inquam, commissionem, quam post longas moras exequi tantum potuit Episcopus Alatrinus, a quo Archipresbiter probatus fuit, atque inde die 8 februarii anni 1743 Literas idem Collegium dedit Archipresbitero, quibus Doctor in utroque Iure renunciatus fuit. Episcopus Aquinatensis in personali visitatione, hac re comperta, dubitavit, an satis esset ad Dignitatem retinendam Doctoratus a Collegio Protonotariorum collatus, iussitque Archipresbitero, ut vel in publica Academia gradum susciperet, vel preces Summo Pontifici offerret, quibus impetraret, ut privilegium a Collegio Protonotariorum indultum admitteretur. Comparuit interim Sacerdos Franciscus Protus, qui, proposita ratione, quod Alexander Capozzella Literis Apostolicis non paruisset, quibus decretum fuerat, – quod Doctoratum in aliqua approbata Universitate studii generalis suscipere teneretur –, Archipresbiteratum in Dataria Apostolica impetrare tentavit; sed res dilata fuit ad exitum Causae in Sacra Congregatione. Episcopus Aquinatensis secundum Archipresbiterum respondit. Rem quidem conficere videbatur Constitutio Summi Pontificis, cuius initium *Inter conspicuos Ordines* edita anno 1744, qua veterem inter duo Collegia Protonotariorum Apostolicorum et Advocatorum Consistorialium controversiam de hoc iure doctorandi definivit.

30. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An gradus Doctoratus obtentus a ven. Collegio Protonotariorum Apostolicorum suffragetur in casu? *Et quatenus Negative.* II. An sit consulendum Sanctissimo pro gratia, vel saltem habilitandus sit Orator ad novum Doctoratum obtinendum in publica Universitate in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative facto

verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, provisum in primo - *in Aquinaten. die 14 Novembris 1746.*

31. Alias nec privilegium Baccalaureatus obtentum in Collegio Patrum Ordinis Praedicatorum satis est pro obtinenda praelatione in assecutione Portionis seu Beneficii in Ecclesia, cuius Statuta praescribunt quidem, ut graduatus in Theologia iure canonico vel morali praeferatur, sed Summus Pontifex in eorum confirmatione mandavit, ut inter alios praeferri deberent Doctores vel Theologi *in Brundusina Participationis die 2 Decembris 1741.*

32. Enimvero in Statutis Collegiatae Ecclesiae in Terra Messapiae longe pridem erectae sancitum erat, quod, - postquam redactae fuerint Portiones ad numerum praefixum quadraginta, unusquisque intrare debet secundum antianitatem, idest ille, qui prius servitium Ecclesiae perfecerit, et sic Diaconus antiquior intrabit in portionem vacantem, locum Diaconi obtinebit Subdiaconus antiquior, locum Subdiaconi antiquior Clericus, qui servitium praefixum perfecerit: verum concurrens aliquis graduatus in Theologia Iure canonico vel morali, peracto servitio, praeferatur alio antiano, qui tamen perfecerit servitium –. In Apostolico autem Brevi s. m. Clementis X, quo eadem Statuta fuerunt confirmata, ita cavebatur: – Et postquam redactae fuerint dictae Portiones ad dictum numerum, illi, qui initiati forent sacris Ordinibus, expectarent locum, dum vacavisset portio per mortem alicuius participantis, habita tamen ratione, quod si inter dictos initiatos essent Doctores, vel Theologi, illi deberent praeferri aliis, licet essent primi, et deberent conficere servitium annorum sex –. Huic innixus sanctioni Presbiter Antonius Randini veluti privilegio Baccalaureatus a Fratribus Ordinis Praedicatorum Civitatis Lyciensis decoratus contendit, se ceteris Presbiteris supranumerariis memoratae Collegiatae, tametsi diuturnius servitium isti praestiterint, essentque alioquin magis emeriti, praeferendum fore in assecutione portionis, quae sub mensem septembris anni 1740 vacaverat. Inspiciendum hinc erat; primo, num privilegium Baccalaureatus a Collegio dictorum Fratrum Ordinis Praedicatorum ex vi duarum Constitutionum, quibus s. m. Benedictus XIII potestatem fecit Fratribus dicti Ordinis conferendi non solum Religiosis, sed etiam Studentibus secularibus Lauream doctoralem seu magistralem Praesentaturam Licentiam et Baccalaureatum, Sacerdoti Randini tributum, satis ei in finem propositum suffragaretur; secundo, num ad obtinendam controversam praelationem gradus Baccalaureatus sufficeret, sive potius requireretur Laurea doctoralis, quia licet in enunciato praefatae Ecclesiae Statuto cautum esset, quod – concurrens aliquis Graduatus in Theologia Iure canonico vel morali, peracto servitio, praeferatur alio antiano, qui perfecerit servitium –, adeo ut appellatione Graduati includi posse videretur etiam ille, qui gradu Baccalaureatus donatus erat, ex traditis per Reiffenstuel in ius can. lib. 5 tit. de magistr. n. 4 et 5, et Mandos. ad Reg. 10 Cancell. n. 5, attamen cum in Apostolico Brevi s. m. Clementis X praefati Statuti confirmatorio expressum fuerat, quod – si inter initiatos essent Doctores vel Theologi, illi deberent praeferri aliis, licet essent primi –, poterat utique in quaestionem venire, num nomine Doctoris seu Theologi comprehenderetur is, qui inferiori Baccalaureatus dumtaxat gradu esset insignitus.

33. His itaque perpensis, proposito dubio: - An privilegium Baccalaureatus obtentum in Collegio Patrum Ordinis Praedicatorum Civitatis Lyciensis ab Antonio Randini sufficiat pro obtinenda praelatione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative - *in Brundusina Participationis die 2 Decembris 1741.*

34. Hinc multo minus gradus Baccalaurei firmati aequipollet gradibus Licentiati et Doctoris vel Magistri in Theologia vel Iure canonico, quos Concilii Decretum cap. 8 sess. 24 de reformatione in Poenitentiario requirit *in Elboren. die 7 Octobris 1604 lib. 10 Decretorum pag. 99.*

35. Idcirco Baccalaureatus non suffragatur ad effectum obtinendi primam Dignitatem in Ecclesia Collegiata, cum praesertim ex actu erectionis necessarius sit gradus magisterii in Theologia, vel doctoratus aut licentiati in Decretis, attentis tamen peculiaribus circumstantiis locus est dispensationi *in Ulix-*

bonen. Gradus die 30 Martii 1715 lib. 65 Decretorum. (1)

36. Quum itaque Laurea doctoralis in utroque Iure satis non sit ad obtinendam Praebendam Theologalem, Sacra Congregatio, attentis rerum circumstantiis, dispensationem quandoque indulget *in Perusina Dispensationis die 27 Maii 1809.*

37. Siquidem ex collatione Apostolica consequutus est Sacerdos Ioannes Pressio, in utroque Iure doctor, Praebendam Theologalem in Cathedrali Perusina, ea tamen lege in Literis Apostolicis de more expressa, ut infra annum gradum Magisterii in S. Theologia suscipere teneretur. Postulavit itaque, ut, quoniam in utroque Iure erat doctor, dispensaretur a suscipiendo gradu Magisterii in S. Theologia, quemadmodum Literae Apostolicae praescribebant. Episcopus Oratorem, quem in suum Vicarium Generalem iam adsciverat, plurimum commendavit atque affirmavit, - ipsum anno 1788 Lauream doctoralem in utroque Iure in hoc augusto Lyceo fuisse assequutum, eamdemque Lauream erant assequuti bini immediati eius antecessores Canonici Ioannes Maria Perotti et Ioannes Baptista Salvatori, qui, supradicta in utroque Iure Laurea donati, nunquam in sacrae Theologiae magisterio Laureaque muniti extiterunt. Capitulum Oratoris instantiae nullum obicem opponit, immo libentissime assensum praestat. Hinc essem in sensu, ut Orator quoque ab assequutione Laureae doctoralis in Theologia eximi queat –. Proposito igitur dubio: – An sit concedenda dispensatio a suscipiendo Magisterio in sacra Theologia ad effectum retinendi Praebendam Theologalem in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative in casu, de quo agitur – *in Perusina Dispensationis die 27 Maii 1809.*

38. Nam Ecclesia diploma Doctoratus ceu simplex medium exigit experiundae verae et solidae in Dignitatibus doctrinae, ut probat Barbosa in collect. Doctor. in Concil. Trid. sess. 23 cap. 13 de reform. n. 28, et de Episcop. part. 3 alleg. 60 n. 85, et de Canon. et Dignit. cap. 26 n. 9, et ibi citat Lambert. Rebuff. Flamin. Ugolin. Less. Cened. Garc. Van – Expen. part. 2 tit. 19 de aetat. et qualit. praeficiendorum cap. 4, Card. Petra in Constit. 7 Benedicti XII n. 67 et 13, Gonzalez ad Reg. VIII cancell. gloss. 4, Belletti disquis. cleric. part. 1 §. 4 de disciplin. Cleric. n. 4, Grassi de offic. Cleric. in praelud. n. 128, Niccol. in flosc. verb. Doctores n. 32, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 13 n. 110, et ibi resolutio Sacrae Congregationis in Elboren. Poenitentiariae 12 martii 1623 *in Savonen. Caducitatis die 26 Ianuarii 1850* §. *Quod.*

39. Unde qui obtinuit in Ecclesia Collegiata Archipresbiteralem Dignitatem a S. Sede ea adiecta conditione, ut intra annum Lauream doctoralem suscipere teneretur, alioquin eadem vacaret eo ipso, et Episcopus de caducitate Decretum tulit, quin ullam praemisisset citationem vel declaratoriam, redintegrandus est, licet a culpa omnino immunis haud videatur, ac diu steterit, quominus dictam conditionem adimpleret *in Savonen. Caducitatis die 26 Ianuarii 1850 et die 16 Iulii 1853.*

40. Enimvero archipresbiteralem Dignitatem cum animarum cura in insigni Collegiata Ecclesia S. Ioannis Baptistae loci Finarii, praevio concursu, obtinuit ab Apostolica Sede die 24 Septembris 1836 Sacerdos Ioseph Sicardi, qui quum Laurea doctorali nondum esset insignitus, suetam accipere debuit in Literis Apostolicis conditionem, nimirum – ut intra annum proximum gradum magisterii in Theologia, vel Doctoratus aut Licentiaturae in Decretis in aliqua approbata Universitate studii generalis etc. suscipere omnino (teneretur); alioquin Archipresbiteratus praedictus vacet eo ipso –. Huic legi paruit Sicardius, nimirum anno 1848, quo in almae Urbis Archiathenaeo facto periculo, universa Aula suffragante, doctorali Laurea in theologica facultate decoratus est. Constabat nihilominus ex actis Sacrae Congregationis, ipsum iam a mense septembris 1837, antequam fatalia laberentur, Capitulo Collegiatae ac Episcopo eius temporis plene annuentibus, dispensationem a Laurea suscipienda supplici libello postulasse, qui tamen dimissus fuit Rescripto: – Quoad dispensationem, relatum;

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Baccalaureus*, Tom. III.

sed tantum pro gratia prorogationis ad annum, arbitrio et conscientiae Episcopi –. Interim, ne vel momento temporis Paraeciam desereret Sicardius ad Lauream Ianuae aliove sibi comparandam, ipse suadebat Episcopus, ut pro dispensatione iterum apud eamdem S. Sedem instaret, eumdem in spe gratiae assequendae crebris literis ac sponsionibus confirmando. Requidemvera quamplura praesto erant documenta, queis arguere licebat, preces geminatas pro dispensatione fuisse intra utilem prorogationis terminum, nimirum labente anno 1838, etsi datum haud esset, ullum dein vel precum, vel gratiae vestigium penes acta reperire. Mansit nihilominus Sicardius in pacifica Archipresbiteratus possessione, quin demum sollicitus ulterius videretur de adimplenda sibi imposita conditione. Res ita procedebant, quando, elato Antistite De Mari, in eius locum suffectus est modernus Praesul Ricardius. Porro hic, quum iam in Sicardium, veluti suis mandatis inobsequentem, Episcopalis auctoritatis contemptorem, nimis protervum atque iurgiorum fautorem animadvertisse, modo iterata in eum a divinis suspensione, modo etiam reclusione in Capuccinorum Coenobio, in id tamen consilii stetit, ut, quoniam eumdem in dies pervicaciorem experiebatur, arrepta occasione, quod nimirum doctorali gradum adhuc expers maneret, Archipresbiteratu ipsum deiiceret vigore clausulae – eo ipso – Bullae inhaerenti; Decreto in id evulgato die 1 decembris 1845. Decreti acerbitate perculsus Sicardius, qui ceteroquin nec monitus, nec citatus, et adhuc in praefato Coenobio detentus, Dignitate spoliatum se vidit, appellavit ad Metropolitanam Curiam Ianuensem, simulque supplicavit Sacrae Congregationi, ut iterum vel dispensationem, vel congruum saltem terminum ad Lauream assequendam indulgeret. Utrumque tamen male cessit ipsi experimentum: siquidem Vicarius tunc temporis Gualco sententiam tulit, qua Episcopale Decretum undique confirmavit, et Sacra Congregatio instantiam repulit responso: – Lectum, et notificetur Episcopo –. Hinc Sicardius die 23 martii a Ianuensi sententia ad S. Sedem appellationem detulit: sed Curia Ianuensis, non obstante appellatione iam interposita, eam veluti desertam et peremptam Decreto diei 18 martii 1847 edixit. Pontifex nihilominus rerum statu undique comperto, motus etiam precibus Cleri ac Municipum Finariensium, qui veluti agmine facto instabant, ut Plebi restitueretur Parochus Sicardius, recursum admisit, controversiamque in devolutivo tantum, dirimendam gravissimo Sacrae Congregationis iudicio ablegare dignatus est Rescripto diei 29 maii 1848; haud interim praepedita Episcopo facultate in possessionem ita vacantis Archipresbiteratus Sacerdotem Mathiam Richerium immittendi, cuius favore Literae Apostolicae iam fuerant expeditae.

41. Episcopus et Promotor Fiscalis sustinuerunt, Sicardium in caducitatem Dignitatis incidisse, cum ipse post annum adeptae a Sacra Congregatione prorogationis gratiae nullam aliam vel dispensationem vel prorogationem exhibuisset, adeo ut ad annum usque 1848 conditioni in Literis Apostolicis adiectae parere distulerit, quin necessariae essent canonicae monitiones vel citationes: nam in themate de poena latae sententiae et conditione resolutiva gratiae agebatur, ceu erat dictio – eo ipso –, quae poena vacationem inducit Beneficii per simplex inadimplementum legis, et idem importat, ac si dictum fuisset, sine aliquo hominis ac Iudicis ministerio, vel potius ipso iure. Et quamvis plures Doctores requirant citationem seu declarationem, non desunt tamen alii etiam magni nominis Doctoris, qui contrarium tuentur. Praeterea, licet citari utique potuisset Sicardius ad afferendas causas, ob quas Archipresbiteratus vacans declarandus non esset, citatio tamen inutilis prorsus ac supervacanea fuisset, ob tam culposam eius moram in adimplenda lege, adeo ut nulla certe superesse posset eidem exceptio, aut defensio ad impediendam caducitatem. Nec Sicardio suffragari posse videbatur regula triennalis 36 Cancellariae, ad tradita per Rigantium in comment. ad Reg. Cancell. 36 n. 186 tom. 3, cum praesertim etiam titulus coloratus deficeret. Demum recursus Sicardii per viam gratiae erat cognoscendus: at gratiae locus esse amplius nen poterat, cum non ageretur de re amplius integra, sed de actu pleno expleto ac consummato per sententiam appellationis Curiae Ianuensis; hinc ius alteri

quaesitum laedi non poterat. Itaque eo minus de Decreti iustitia dubitasse videbatur Episcopus, cui ex informata conscientia talia fortasse de Sicardio innotescere potuerunt, quae ubi formali processui subiici quivissent, satis per se forent ad eum perpetuo arcendum ab administratione Paraeciae. Nam sustinebatur, licere Episcopo Parochum ex informata conscientia nedum temporariae, sed et perpetuae suspensionis poena plectere, ex cap. 1 sess. 14 Concilii Tridentini, ceu tradit Giraldius in adnotationibus ad idem caput §. 9. Contra Sicardius nullitatem Decreti Episcopi ostendit, ex Regula 36 Cancellariae, et ex auctoritate Doctorum, quos plena manu in medium protulit, cum ipse etiam titulum saltem coloratum haberet. Insuper diploma Doctoratus haud exigitur ab Ecclesia tamquam res substantialis, sed potius tamquam forma, qua Ecclesia veram et solidam in Dignitatibus experitur doctrinam. At ex documentis constare contendit de sua doctrina, cum nedum antecessores Episcopi et finitimarum Diaecesum Ordinarii scientiam eius probarint, sed idipsum testarentur uno ore Clerus Examinatores Pro-Synodales ac ipse Savonensis Antistes. Unde plenis suffragiis et multa cum laude die 12 decembris 1848 Lauream doctoralem in Theologia iam obtinuerat in Archiathenaeo Romano. Ceterum ipse veniam petiit Episcopo De-Mari adeundae alteri ex illis Universitatibus pro Laurea consequenda, sed praefatus Episcopus consilium dedit, ut ab S. Sede dispensationem reposceret. Idcirco per ipsum non stetit, quominus conditioni satisfaceret ; ideoque nulla culpa seu mora incusari poterat, maxime quia in dubio, an culpa sit admissa nec ne, nemo potest condemnari. Nullum etiam dixit Episcopi Decretum, cum praetermiserit formam iudicialem: nam etiam in summario iudicio necessaria est citatio, etiamsi poena fuerit a iure comminata, extra ministerium vel declarationem Iudicis et sub certis conditionibus ab eodem ipso iure statuta, ad effectum ut Iudex constituat reum in mora, adsignando terminum ad purgationem eiusdem morae ex aequitate canonica introductam, quin obessent Auctoritates in contrarium allatas, cum in obiicientem retorqueri sustinuerit. Arguit deinde Sicardius ex ipsa forma Decreti dolum et malitiam, cum Decreti causa non fuisset defectus Laureae, sed potius crimina, quae Episcopus insinuare studebat. Ex iure vero nequeunt Episcopi refraenare crimina, nisi tres adhibeant poenales formas, medicinalium scilicet pro levioribus ad tempus, remotionis seu suspensionis perpetuae, stante titulo, privationis tandem seu depositionis cum ablatione tituli. Episcopus, his despectis, nec causas explicavit, quas de iure explicare tenebatur. Idcirco locus erat redintegrationi in Beneficium, quo nulliter ac iniuste fuerat expoliatus cum fructibus sumptuumque litium refectione.

42. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An substineatur Decretum diei 1 Decembris 1845, seu potius constet de spolio, ita ut sit locus restitutioni, ac redintegrationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Esse redintegrandum, et ad mentem – *in Savonen. Caducitatis die 26 Ianuarii 1850.*

43. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis – *in Savonen. Caducitatis die 16 Iulii 1853.*

44. Quod autem spectat ad Regulares Ordinis S. Augustini, Sacra Congregatio resolvit, ad Lauream Magisterii esse promiscue admittendos arbitrio Patris Generalis Regentes praedicti Ordinis S. Augustini completo quinquennio et Concionatores decennio praedicationis, quin propterea sint praeferendi, qui primo expleverint dictum quinquennium et decennium *in Ordinis S. Augustini die 16 Decembris 1719.*

45. Siquidem in Decretis Capituli Generalis Ordinis S. Augustini, quod habitum fuit anno 1685 habebantur haec verba: – Magisterii Laurea illi in Italia tantummodo decorentur, qui probitatis et doctrinae laude praefulserint, et quinquennio Regentis munus obierint, vel in principalioribus Italiae Urbibus verbum Dei cum plausu iustaque fama decennio depraedicaverint –. Ad tramites horum verborum a Concionatoribus admittebatur, Regentes esse ipsis in consecutione Magisterii praeferendos, si daretur casus, quod uno eodemque tempore Regentes suum quinquennium expleverint, et Concionatores suum decennium, sed controversia in

hoc unice residebat, quod Concionatores asseruerunt, sibi in consecutione Magisterii dandam esse praelationem, si suum expleverint decennium, antequam Regentes suum quinquennium absolverint; tum quia prior in tempore, potior est in iure; tum quia tam Regentes, quam Concionatores cursum explebant philosophiae et sacrae Theologiae, et non solum, ut quis deputaretur in Regentem, subire debebat examen, sed hoc ipsum fiebat ab illis, qui in Concionatores erant deputandi, cum concursum seu concionem haberent super materia ipsis assignata coram omnibus Patribus et in publico Capitulo. Accedebat, quod sicuti expleto cursu quinquennali Regentes novum subibant examen, ita quoque novo se examini exponebant Concionatores post suum decennale praedicationis tempus absolutum; quo stante, arguerunt iidem Concionatores, tum rationi, tum aequitati esse consentaneum, ut, si alter ex ipsis suum decennium terminaverit, antequam quinquennium fuerit terminatum ab aliquo Regente, eidem Regenti praeferretur in consecutione Laureae Magisterii. Praeter hanc controversiam, alia etiam fuit excitata quoad principaliores videlicet Italiae Urbes, in quibus iidem cum plausu et iusta fama debebant per decennium praedicare, antequam fierent Magistri; contendebatur enim, quod iuxta Religionis consuetudinem sub illis verbis comprehenderentur ea loca, ad quae Pater Generalis pro tempore Concionatores annales vel quadragesimales mittere consuevit, quae loca enumerabantur in Summario eorumdem Concionatorum.

46. His itaque stantibus, propositis dubiis: - I. An cum Patres Regentes expleverint quinquennium et Concionatores decennium ad formam Constitutionum Ordinis seu Decreti Capituli Generalis sint praeferendi, qui primo expleverint in casu etc. II. An omnia illa loca, ad quae mittuntur Concionatores a Patre Generali Ordinis, consideranda connumerandaque sint inter principaliores Civitates Italiae in casu etc. et ad effectum, de quo agitur? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et admittendos esse promiscue Regentes et Concionatores arbitrio Patris Generalis. Ad secundum, Negative; et ad mentem – *in Ordinis S. Augustini Magisterii die 16 Decembris 1719* (1).

DOCTRINA CHRISTIANA

1. Neminem latet, doctrinae christianae explicationem praeferri quidem non debere Sacrificiis, Pasqualig. de sacrif. nov. leg. quaest. 1006 et 1009 tom. 2, Amostaz de Caus. piis lib. 1 cap. 12 n. 40, et lib. 2 cap. 6 a n. 10; sed optimum esse pietatis et religionis opus *in Fanen. Erectionis Capellaniae die 9 Augusti 1788* §. *Aliena.*

2. Idcirco haud est servanda consuetudo intermittendi doctrinam christianam aliquibus anni mensibus, licet nemo ad eam huiusmodi temporibus accedat *in Hortana die 8 et die 29 Augusti 1744.*

3. Siquidem Nicolaus Nuccius Canonicus Parochus Ecclesiae Cathedralis Hortanae contendit, servandam esse consuetudinem doctrinam christianam mense octobri et decembri usque ad diem 13 ianuarii intermittendi, quod homines, aucupio vindemiis et rusticatione distenti, nulli ad eam audiendam accederent, et brevitate illa dierum mensis decembris et ianuarii impossibile fieret omnia Parochi munera uno tempore implere. Proposito vero dubio: – V. An servanda sit consuetudo intermittendi doctrinam christianam mense octobris et mense decembris usque ad diem 13 ianuarii aliisque diebus impeditis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, Negative – *in Hortana die 8 Augusti 1744.*

4. Reproposito mox dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad quintum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis – *in Hortana die 29 Augusti 1744.*

5. Pueri tamen cogi non possunt, ut ad

(1) Reliqua prostant in Verb. *Archidiaconatus*, §. II, Tom. II; in Verb. *Canonicatus*, §. VII, et §. VIII, Tom. IV; et in Verb. *Dignitates*, §. I, Tom. VII.

doctrinam christianam discendam petant Ecclesiam parochialem; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, non posse compelli Pueros, ut accedant ad Ecclesiam parochialem ad doctrinam christianam ediscendam *in Dubium ad cap. 4 sess. 24 de reformatione Posit. 77.*

6. Episcopus autem debet omnino curare, ut Pueri caelestem sapientiam prudentibus seculi absconditam discant, cum id maxime christianae rei et animarum salutis intersit, ut ex literis datis a Sacra Congregatione Concilii ad Episcopos Italiae 19 ianuarii 1619 relatis ab Episcopo Crispini in suo tractatu de pastorali visitatione part. 11 n. 13 *in Comaclen. Erectionis Dignitatis die 9 Februarii 1822* §. *Modernus.*

7. Unde quantum in hac re deferendum est prudentiae et vigili Episcoporum sollicitudini, supremo suo monuit oraculo Benedictus XIV in sapientissimis suis literis sub diem 7 februarii anni 1742 datis ad Patriarchas Primates Archiepiscopos et Episcopos, quos suae auctoritatis ac paternae dilectionis stimulis excitavit, ut pium et salutare opus doctrinae christianae impensius studerent promovere *in Ferrarien. Doctrinae christianae die 21 Iulii 1742* §. *Archiepiscopus.*

8. Qua de re quum intra fines Parochiae Oppidi Acumuli situm esset publicum Oratorium in Villa Tini et ab Ecclesia Parochiali S. Laurentii mille circiter passibus distaret, ac orta fuerit controversia inter Parochum et praefati Oratorii Rectorem quoad ius docendi in eo doctrinam christianam, proposito dubio: – V. An idem Rector teneatur permittere, ut Parochus doceat in dicto Oratorio doctrinam christianam, vel possit hoc impedire? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, arbitrio Ordinarii – *in Asculana Iurium et functionum parochialium die 29 Augusti 1733.*

9. Quin imo quum Ecclesia S. Iuliani, quae unica Parochialis erat Terrae Stabiae, anno 1439 erecta fuerit in Collegiatam, illique unitae fuerint aliae campestres Ecclesiae cum respectivis reditibus, qui aequaliter inter Archipresbiterum curam animarum principaliter agentem, et Canonicos dividi deberent, ac inde Episcopus in sacra visitatione decreverit, Canonicos celebrantes primam Missam in aurora teneri exponere Populo doctrinam christianam, Sacra Congregatio, contradicentibus Canonicis, ex eo quod id onus solum Parochis vel Sacerdotibus celebrantibus in Ecclesiis ruralibus imponeretur a Synodo Diaecesana lib. 1 cap. 3 n. 8 ad 10, proposito dubio: – II. An iidem Canonici celebrantes primam Missam in aurora teneantur principaliora fidei mysteria edocere, ita ut substineri debeat Decretum in eadem visitatione factum ab Episcopo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative – *in Civitatis Castellanae die 25 Septembris 1762.*

10. Quum autem Vicarius Generalis Edictum promulgaverit, quo sub poenis pecuniariis ac etiam suspensionis a divinis praecipiebatur, ut omnes Sacerdotes participantes Ecclesiarum parochialium tenerentur fidei rudimenta Pueros docere diebus festivis in dictis Ecclesiis parochialibus per hebdomadarum divisionem, Sacra Congregatio distulit resolutionem ad mentem *in Larinen. die 30 Septembris 1719.*

11. Iamvero Sacerdotes participantes adscripti servitio Ecclesiarum parochialium Sanctae Mariae et Sancti Mercurii in Oppido Serrae Sacrae Congregationi exposuerunt, Vicarium Generalem in ultima visitatione per Edictum poenale demandasse, quod quilibet eorum teneretur fidei rudimenta Pueros docere diebus festivis in dictis Ecclesiis parochialibus per hebdomadarum divisionem, adiecta poena librarum 30 cerae ac suspensionis a divinis in casu contraventionis. Facta instantiae relatione inter Summaria precum die 3 septembris 1718 prodiit Rescriptum: – Ponatur in folio, firmo interim manente Decreto Vicarii Generalis –. Itaque praedicti Sacerdotes contenderunt, ex dispositione Concilii Tridentini sess. 5 cap. 2 de reformatione onus docendi doctrinam christianam Parochis imponi; adeoque Doctores tueri, quod Parochi nequeant cogere Clericos respectivae Parochiae ad huiusmodi munus implendum, quin obesset, quod iidem participarent de decimis una cum praefatis Parochis, quia participatio haec referebatur ad onus celebrationis Missae conventualis, quod ipsi sustinebant. Unde iuxta observantiam Archipresbiteri seu Oeconomi loco ipsorum deputati

doctrinam christianam semper docuerunt, assistentibus tantummodo et coadiuvantibus clericis Subdiaconis et Diaconis. Episcopus contra advertit, onus docendi doctrinam christianam desumi ex participatione annuorum redituum, qui maxima ex parte conflabantur ex decimis et aliis parochialibus obventionibus, cum praesertim absentibus vel impeditis Parochis ipsi, iuxta ordinem antianitatis, fruerentur nonnullis parochialibus praeeminentiis et honoribus. Quum insuper, iuxta immemorabilem consuetudinem, dicti Sacerdotes adscripti essent servitio memoratarum Ecclesiarum, incongruum iudicari non poterat, ut iidem coadiuvarent Parochos; experientia enim teste, soli Parochi ferre non possunt onus docendi doctrinam christianam. Idque adamussim cohaerere his dixit, quae statuta fuere a S. Carolo Borromaeo in Synodo quarta diaecesana part. 2 tom. 1. Addidit Episcopus, se consimilia Edicta alias edidisse, nempe die 30 aprilis 1707 die 24 maii 1708 die 2 Maii 1710 et etiam de anno 1811, absque eo quod ullus Sacerdotum participantium reclamaverit. Nec deerat Emi Metropolitani testimonium in eo, quod attinebat ad necessitatem Edicti, de quo agebatur, cum nec Senes principalia fidei christianae mysteria scirent in tota Provincia.

12. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Edictum Vicarii Generalis sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Dilata, et ad mentem – *in Larinen. die 30 Septembris 1719.*

13. Alias vero Ordinarius praecipere etiam potest in Ecclesia parochiali cathechesim pro erudiendis Pueris ad Sacramenta paschalia, loco concionis quadragesimalis, quando illa utilior sit *in Colonien. die 14 Martii 1767.*

14. Siquidem Ecclesia parochialis Oppidi Kempensis regebatur a Pastore Regulari Ordinis S. Benedicti ex Monasterio Guidbacensi. Plura habebat Beneficia, ad iuspatronatus sive laicorum, sive municipalis Magistratus spectantia. Qui ea possidebant, Vicarii dicebantur. Habebat et alios reditus ex legatis et largitionibus, quae in dies veniebant. Hos Aediles administrabant. Vicarius Generalis Coloniensis quamplura tulit Decreta, quae inter hoc recensebatur, quod die 30 novembris 1758 edidit his verbis: - Cum conciones quadragesimales, quae quavis feria quarta et sexta servatae sunt ab antiquo, minorem utilitatem spiritualem conferunt, quam cathechesis, qua et iuventus et adulti ad digne suscipiendum Sanctissima Sacramenta praeparantur, volumus, ut pro eo tempore dominus Pastor per se, vel per alium pio huic operi diligenter intendat –. Impugnarunt Vicarii etiam praefatum Decretum. At Promotor Fiscalis contendit, dictum Decretum haud subrogare concionibus cathechesim pro erudiendis tantum Pueris ad Sacramenta paschalia; praecipere cathechesim feria quinta et sexta Quadragesimae, quia conciones minorem utilitatem spiritualem conferebant. Quin imo sustinuit, consultissime decretam fuisse subrogationem cathechesis; paucissimos ad conciones accedere, utiliorem esse cathechesim, esse et ipsam praedicationis speciem, ac Parochis stricte inculcandam, ita docere acta Mediolanensia divi Caroli tom. 2 pag. 699.

15. His mature perpensis, proposito dubio: - XX. An substineatur ordinatio cathechesis facienda a Parocho vel Sacellanis pro erudiendis Pueris ad Sacramenta paschalia loco concionis quadragesimalis feria quarta et feria sexta? -, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad vigesimum, Affirmative - *in Colonien. die 14 Martii 1767.*

16. Nam onus Parochorum esse diebus saltem Dominicis et Festis solemnibus docendi Plebes sibi commissas ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, et annunciandi cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, declaravit Sacrosancta Tridentina Synodus inhaerens Can. 8 Concilii Constantinopolitani sexti et sess. 15 ultimi Concilii Lateranensis in sess. 5 cap. 2 et sess. 24 cap. 4 de reformatione *in Ferrarien. Doctrinae christianae die 21 Iulii 1742* §. *Onus.*

17. Idem autem onus docendi fidei rudimenta Pueros ad scholam suam accedentes imposuit Summus Pontifex Leo in sua Bulla 7 §. 32 Bullar. tom. 1 omnibus scholarum Magistris et Praeceptoribus *in Florentina die 16 Martii 1726* §. *In.*

Item *in Ferrarien. Doctrinae christianae die 21 Iulii 1742* §. *Onus.*

18. Propositis itaque dubiis: - I. An Ar-

chiepiscopus Clericos tam minorum Ordinum, quam maiorum ad officium Ludimagistri exercendum stipendio a Communitatibus conductos cogere possit, ut Pueros rudesque scholasticos doctrinam christianam edoceant? II. An idem possit compellere Ludimagistros laicos itidem a Communitatibus stipendio conductos? III. An ad idem onus adigere valeat Ludimagistros sive clericos, sive laicos a nemine salario conductos? IV. Qua poena praefatos Ludimagistros impellere possit? –, Sacra Congregatio respondit: – ad primum secundum tertium et quartum, posse prius hortari, et deinde praecipere – *in Spalaten. Doctrinae christianae die 17 Iulii 1680.*

19. Quin imo Pius V in Constitutione 137 Bullar. tom. 2 iussit, institui ab Ordinariis locorum Confraternitates Doctrinae christianae ad Pueros instruendos: eademque Constitutione confirmata, Gregorius XIII Clemens VIII et Paulus V praefatas Confraternitates pluribus cumularunt indulgentiis, quas videre est recensitas a Monacell. in form. leg. part. 4 in supplem. ad tom. 2 *in Florentina die 16 Martii 1726* §. *In.*

Item *in Ferrarien. Doctrinae christianae die 21 Iulii 1742* §. *Onus.*

20. Idcirco si antiqua adsit consuetudo et acquiescentia Confratrum, haud est removendum exercitium cathechismi et docendi nedum Pueros, sed etiam Puellas in Ecclesia Confraternitatis *in Mantuana Cathechismi die 29 Augusti 1722.*

21. Enimvero contendit Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Mantuanae, exercitium cathechismi sive docendi Puellas doctrinam christianam esse explendum in Ecclesia Confraternitatis S. Mariae de humilitate nuncupatae Quadraginta horarum Civitatis Mantuanae; sic enim statutum dixit anno 1593 a Francisco Gonzaga Episcopo Mantuano, sic actum asseruit usque ad annum 1695, quo tempore dictum exercitium fuit intermissum ex causa fabricae, et sic demum continuatum subinde fuisse praetendit usque ad annum 1716, ex quibus omnibus arguit, non esse locum remotioni dicti exercitii ab Ecclesia, de qua agebatur, quum iuxta Bullam S. Pii V 137 Bullar. tom. 5 pertineret ad Episcopum deputare aliquas Ecclesias, in quibus doctrina doceri deberet. Exceperunt e contra Confratres, in sua Ecclesia exercitium cathechismi pro Pueris tantum, et non pro Puellis fieri debere; cathechismi enim pro Puellis fieri cepisse dicebatur in eadem Ecclesia anno 1695 ad preces Serenissimi Ducis Mantuae, cui Confratres annuerunt, cum protestatione tamen, quod concessio haberetur pro non facta, statim ac ex ea aliquod incommodum in Confratres aut Ecclesiam derivaret. Addiderunt, de incommodo hic et nunc non esse dubitandum, tum propter angustiam Ecclesiae, tum propter functiones in ea ex instituto peragendas. Exhibuerunt denique Breve s. m. Gregorii XIII, in quo fiebat mentio de cathechismo pro Pueris in Ecclesia, de qua res erat, faciendo, ex cuius tenore Brevis arguerunt, non esse cathechismum Puellis in eadem Ecclesia explanandum, cum locus, in quo tradebatur Pueris cathechismum, deberet esse diversus ab alio, in quo idem cathechismus tradebatur Puellis, et multo magis cum in Decretis generalibus Congregationis sacrorum Rituum editis anno 1703 proposito dubio: – XVII. An Parochus invitis Confratribus docere possit doctrinam in praedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis et privatis a Parochiali divisis et separatis? –, responsum fuit: – Negative –.

22. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit removendum exercitium cathechismi et docendi Puellas in ven. Ecclesia Confraternitatis S. Mariae de humilitate nuncupatae quadraginta horarum Civitatis Mantuae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Mantuana Cathechismi die 29 Augusti 1722.*

23. Qua de re etiam Clerici et Sacerdotes, quando necessitas urgere videatur, doctrinam christianam docere debent: quandoquidem S. Carolus Borromaeus in Synodo quarta diaecesana Decreto quinto, ceu videre est in actis Ecclesiae Mediolanensis part. 12 tom. 1, haec statuit: – Sacerdotes et Clerici inferiores Dominicis festisque diebus, qua hora in choro divinis officiis celebrandis adstricti non sunt, Parochum, intra cuius Parochiae fines habitant, in doctrinae christianae scholis adiuvent, in Urbe ad praescriptum eorum, quibus id curae ab Archiepiscopo datum erit, in Diaecesi autem Vicariorum Foraneorum –;

et in Synodo diaecesana undecimo monit. 1 de oper. a Sacerd. navand. in muner. doctr. christianae, ut in iisdem pariter actis part. 2 tom. 1, imposita legitur poena Sacerdotibus non coadiuvantibus Parochos in munere docendae doctrinae christianae his verbis: – Quicumque Sacerdos, aut Beneficium obtinens Parochum non adiuverit, mulctetur duobus nummis realibus – *in Larinen. die 26 Augusti 1719* §. *Adversus.*

Item *in Urbevetana die 20 Maii 1766* §. *S. Carolus.*

24. Hinc et Benedictus XIII in sua Provinciali Beneventana Synodo anni 1729 tit. 1 de Summ. Trinit. et fid. cathol. edixit. – Licet omnem hactenus diligentiam adhibuerint Episcopi, ut Christi fideles, praesertim parvuli, catholicae doctrinae rudimentis imbuerentur, cum tamen eos parum in re tanti momenti profecisse intellexerit, haec Sacrosancta Synodus innovandum censuit, quod omnes Ecclesiarum conventualium seu receptitiarum participantes vel sacris Ordinibus constituti, ubi opus fuerit, adiutores se praebere debeant Parochis in Parvulorum instructione, quod si renuerint, Presbiteros remediis opportunis Episcopi compellant – *in Urbevetana die 10 Maii 1766* §. *Benedictus XIII.*

25. Tandem Benedictus XIV in Constitutione *Etsi minime* 7 februarii 1742 §. Sitae sanxit: – Quoad vero parvas Ecclesias a Parochiali longe positas, cum difficile admodum sit, Parochianos, ob locorum distantiam, longum iter atque asperum hyemali praesertim tempore, cum pluviae inundant, Parochialem adire, ibique divinis officiis interesse, relicta Ecclesia proximiore, decernat Episcopus gravibus etiam statutis poenis, quod Sacerdotes ibi operantes christianae doctrinae summam Populo tradant, divinamque legem annuntient – *in Urbevetana die 10 Maii 1766* §. *Benedictus XIV.*

26. Quapropter onus exponendi Populo doctrinam christianam non solum Parochis, sed etiam Sacerdotibus celebrantibus in Ecclesiis ruralibus iuste ac recte imponitur in diaecesana Synodo cohaerenter ad Concilium Romanum tit. 1 cap. 5 et ad epistolam encyclicam s. m. Benedicti XIV inter eius Constitutiones 42 tom. 1 *in Civitatis Castellanae die 25 Septembris 1762* §. *Eademque.*

27. Quum autem in Capella rurali Beneficiatus Missam celebret diebus festis et cathechesim exponat de mandato Episcopi, ignorantia Puerorum tribuenda est ipsorum et Parentum negligentiae, Rota in decis. 249 n. 7 coram Tanara *in Leodien. Vicariae die 10 Maii 1760* §. *Decimatores.*

28. Episcopus vero id omnibus Sacerdotibus indistincte praecipere nequit, nec poenam suspensionis et interdicti ferre; quum enim Episcopus per Edictum sub poena suspensionis per tres dies mandaverit, ut quilibet Sacerdos teneretur post primum Evangelium docere Populum doctrinam chrislianam iuxta methodum ab ipso scriptam in folio, quoties in Ecclesia parochiali primum Sacrum acturus esset, vel primum et secundum in aliis Ecclesiis et Capellis Civitatis et totius Diaecesis, nec non in poenam interdicti incideret quaelibet Ecclesia, si praefatum folium etiam ex causa fortuita periret, Sacra Congregatio resolvit, substineri Edictum quoad Ecclesias rurales tantum, sublata poena suspensionis, et Episcopum se gerere debere ad formam Constitutionis Benedicti XIV, quin ullatenus substineri posset poena Interdicti *in Neritonen. die 3 Decembris 1757 et die 18 Februarii 1758.*

29. Siquidem Episcopus Neritonensis Edictum tulit, quo praecepit, ut quicumque Sacerdos in Ecclesia parochiali primum Sacrum acturus, vel primum et secundum in aliis Ecclesiis et Capellis, sive intra Civitatem, sive in sexdecim Terris et Oppidis, quibus constabat universa Diaecesis, teneretur post primum Evangelium docere Populum doctrinam christianam, iuxta methodum ab ipso scriptam in folio, quod publicis formis impressum Ecclesiis omnibus distributum fuit: si quis secus faceret, declarabatur suspensus a divinis per tres dies; folium autem illud ita custodiri iussit, ut, si quacumque de causa, etiam fortuita, periret, Ecclesia interdicta esset, donec novum reponeretur. Ab hoc Edicto appellarunt ad Tribunal A. C. Capitulum et Clerus Neritonensis et Terrae Mattini, sententiamque tulit A. C., qua illud revocavit, solumque ex consilio, non ex praecepto servari posse censuit in Ecclesiis et Capellis ruralibus. At Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis ab Auditore Summi Pontifi-

cis obtinuit, ut huius rei cognitio Sacrae Congregationis esset – ex integro, suspensis censuris –. Disputavit itaque Promotor Fiscalis, eam fuisse atque esse Populi et praesertim agrestis ignorationem ipsorum rudimentorum fidei, ut necesse fuerit extraordinario uti remedio, ne salus animarum detrimentum caperet aeternum. Advertebatur autem, Parochorum quidem hoc onus esse munus docendi christianam doctrinam: at cum Agrestes parochialem non adirent Ecclesiam, sed rurales Capellas, alia ratione necessitati animarum consuli non potuisse, cum ne simplices quidem Sacerdotes ab hoc onere docendi sint immunes, ut docuit Summus Pontifex Benedictus XIV; levissimam esse poenam suspensionis per tres dies, interdictum Ecclesiarum, quibus periret folium, paucarum horarum esse, donec ab Urbe repeteretur, nunquam locum habiturum. Contra vero Capitulum et Clerus negarunt eam, quam Promotor Fiscalis asseruerat, Populorum ignorantiam, et si vera esset, non congruere rationi, ut, quia Populus indoctus erat, onere poenali gravarentur Sacerdotes, quibus cura animarum non erat: onus hoc Parochorum esse, ceteros Sacerdotes hortandos esse non cogendos poenis, ut pluries a Sacra Congregatione definitum fuit: aliis rationibus necessitati salutis aeternae indoctorum Agrestium consuli posse: iniquum esse, ut etiam de casu fortuito amissi folii teneri deberent Ecclesiae, quibus nulla imminebat cura animarum: illud vero longe magis contra tenorem rationis esse, quod punirentur Interdicto, poena omnium gravissima.

30. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An substineatur Edictum in ea parte, qua Sacerdotibus non habentibus curam animarum imponitur onus docendi doctrinam christianam sub poena suspensionis in casu etc. II. An substineatur poena Interdicti in eodem Edicto inflicta adversus Ecclesias, in quibus contigerit deficere formularium doctrinae christianae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta modum explicandum Episcopo; modus est, quod Edictum substineatur tantum quoad Sacerdotes celebrantes in Ecclesiis ruralibus, et quoad Sacerdotes, qui Missam celebrabunt in aliis Ecclesiis ante tamen Missam parochialem. Ad secundum, Negative – *in Neritonen. die 3 decembris 1757.*

31. Displicuit definitio primi dubii Capitulo et Clero Neritonensi et Terrae Mattini: displicuit Episcopo definitio secundi dubii; ideoque omnes redierunt unanimes ad novum Eminentissimorum Patrum iudicium. Repropositis hinc dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis iuxta modum; modus est, substineri Edictum quoad Ecclesias rurales tantum sublata poena suspensionis, et Episcopus se gerat ad formam Constitutionis Sanctissimi Domini Nostri. Ad secundum, in decisis; et amplius – *in Neritonen. die 18 Februarii 1758.*

32. Unde Doctores propositae quaestioni, an Parochus possit cogere Clericos, qui sunt intra limites suae Parochiae, ad se coadiuvandum in docendo Pueros doctrinam christianam, negative respondent, sed eosdem posse tantum urbane excitari, uti habetur apud Zerolam in prax. Episcop. in verb. Doctrina christiana in fine *in Larinen. die 26 Augusti 1719* §. *Fundamenta.*

33. Ceterum ad Ecclesias rurales quod spectat, nec Parochus impedire potest, quominus in eisdem Capellanus Pueros et Puellas doceat doctrinam christianam *in Tudertina Doctrinae christianae die 30 Martii 1675 lib. 29 Decretorum pag. 42.*

34. Enimvero quum Testator mandaverit erigi Ecclesiam in proprio fundo, ibique residere debere Sacerdotem – abile di scienza e buoni costumi, che tenga scuola pubblica in dette stanze, ed insegni alli Scolari la grammatica e gli esercizi nel timor di Dio e buone creanze, e faccia ancora l'esercizio della dottrina cristiana in detta Chiesa ogni Domenica insegnandola tanto a Maschi, come a Femine, e faccia, che li Scolari in detto giorno di Domenica dichino anche l'Officio –, quumque Parochus, intra cuius fines sita erat praefata Ecclesia, sese opposuisset, ne fidei rudimenta ibidem exponerentur, contendens id muneris ad Parochialem privative spectare, proposito dubio: – An praemissa Testatoris voluntas sit exequenda? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Servandam esse mentem Testatoris, et quoad

modum arbitrio Episcopi – *in Tudertina Doctrinae christianae die 30 Martii 1675 lib. 29 Decretorum pag. 42.*

35. Qua de re quum Sacerdotes Missionis per quadraginta annorum tempus ad formam pii Fundatoris tradiderint Populo doctrinam christianam diebus Dominicis in Ecclesia rurali, quae mille passus distabat ab Ecclesia parochiali, sed inde Archiepiscopus, instante Parocho, praescripserit, ut praefati Sacerdotes diebus tantum festis, non vero Dominicis id muneris exequerentur, Sacra Congregatio declaravit, licere Sacerdotibus Missionis tradere Populo doctrinam christianam in praedicta Ecclesia seu Oratorio ad formam piae dispositionis Institutoris, et quoad modum arbitrio Archiepiscopi *in Ferrarien. Doctrinae christianae die 11 Augusti 1742.*

36. Siquidem Andreas Bertonus in suprema sua voluntate aedes quasdam rusticas positas in loco, quem vocabant *la Fantolina,* una cum Oratorio publico illis adiacente legavit Sacerdotibus Congregationis Missionis Civitatis Ferrariae, eo tamen adiecto onere, quod iidem omnibus diebus festivis de praecepto Missam in praefato Oratorio a die 29 iunii ad diem 30 septembris inclusive celebrare deberent, nec non diebus Dominicis hora magis opportuna doctrinam christianam Pueros et Puellas Viros ac Mulieres docerent. Obiit Testator elabente iam anno 1698: inde vero Sacerdotes Missionis agnoscentes legatum insequenti anno 1699 ab eo tempore, quod inter diem 29 iunii et alteram diem 29 septembris interfuit, ceperunt singulis festis diebus Missam legere in dicto Oratorio, atque diebus Dominicis ibidem fidei nostrae mysteria Populum edocere, eo tamen ordine servato, ut ante meridianis quidem horis Pueros et Puellas separatim primis fidei elementis instruerent, vespere autem adultis utriusque sexus res ceteras ad christianum hominem bene informandum scitu necessarias exponerent.. Instituto huic operi tradendarum rerum fidei per quadraginta annorum tempus sedulo ac nemine contradicente vacarunt Sacerdotes praedicti: sub annum vero 1739 Hyacinthus Romanus Monachus Olivetanae Congregationis ac Vicarius Ecclesiae parochialis S. Georgei, intra cuius limites Oratorium illud sive Capella existebat, ab Emo Cardinali de Ilcio tunc temporis Ferrariensi Antistite obtinuit interdici Sacerdotibus Missionis, ne Dominicis diebus de rebus fidei, quemadmodum antea consueverant, ad Populum verba facerent. Pro adimplenda autem pii Testatoris voluntate, aliis tantum festis diebus id muneris exequerentur. Huic Decreto protinus obtemperarunt Sacerdotes Missionis: sed inde animadvertentes, ob pauciorem numerum harum festivitatum haud respondentem Dominicis diebus intra menses iulii augusti et septembris occurrentibus, satisfactum non iri piae menti Testatoris, ut omnem ab animis suis abigerent scrupulum, neve propriae obligationi vel minimum deesse viderentur, supplicarunt Summo Pontifici, ut ex Suprema sui Auctoritate, quid ipsis agendum hac in re esset, decernere dignaretur.

37. Vicarius autem Parochialis Ecclesiae S. Georgei contendit, servandum esse Decretum Emi Cardinalis de Ilcio; primo, quia nullo pacto licuit Canonico Bertono aliquod iuribus Parochi detrimentum inferre, quod utique irrogaretur, si aliis, quam proprio Pastori absque speciali ipsius licentia potestas foret gregem suum in iis, quae ad salutem necessaria sunt, publice instruere; secundo, quia sacrorum Canonum regulis consentaneum minime erat, Populum Dominicis praesertim temporibus distrahi ab adeunda Parochiali Ecclesia, in qua Missae solemnia celebrabantur, consueti pro Evangelii explanatione sermones habebantur, denunciationes Matrimoniorum fiebant, atque etiam christianae doctrinae opus non sine magna ipsius Vicarii cura et sollicitudine promovebatur; et tertio, quia non raro tum Pueri, tum etiam Adulti eo sub velamine adeundi Oratorium Sacerdotum Missionis, reipsa neque ad istud, neque ad parochialem Ecclesiam se conferebant, atque ita dum vocem Pastoris sui declinabant, a dictis quoque Presbiteris in rebus fidei non instruebantur. Verumtamen haec tanti momenti haud censuit modernus Archiepiscopus, ut propterea adamussim non esset adimplenda Testatoris voluntas. Neque enim, ut ipse dixit, in Ecclesiae Parochialis dispendium id vergebat, quin immo Sacerdotes Missionis eo munere defungentes Coadiutorum Parochi vicem

potius dicerentur gerere, ut nihil optabilius esse videretur, quam quod huiusmodi Sacerdotum opera ad spiritualem Fidelium utilitatem per universa Diaecesis loca haberi posset. Cuicumque autem fraudi, quae a nonnullis fortasse adhiberetur, ne ad Ecclesiam parochialem, vel Oratorium convenirent, facile occurri posset certis modis ab ipsomet Archiepiscopo Parochialis Ecclesiae Vicario indicatis. Quod si a diebus a Testatore praescriptis ab erudiendo Populo in mysteriis fidei aliisve ad Evangelicae legis notionem spectantibus Sacerdotes Missionis abstinerent, futurum facile esset, ut Villici et Coloni praediorum prope Oratorium *della Fantolina* circumhabitantes, magni spiritualis inde boni iacturam facerent, utpote, qui partim Ecclesiae Parochiali S. Georgei mille passus ab earum aedibus dissitae, partim vero tribus aliis Parochialibus Ecclesiis longe remotioribus subiecti, ad eas nequirent accedere eo praesertim tempore, quo messium colligendarumque frugum occupatione detinebantur.

38. His mature perpensis, proposito dubio: – An Sacerdotibus Missionis liceat tradere Populo doctrinam christianam diebus Dominicis in Ecclesia rurali Fantolinae ad formam piae dispositionis Canonici Bertoni, seu potius sit exequendum Decretum Emi de Ilcio in casu etc. –, SacraCongregatio responsum dedit: – Affirmative ad primam partem; et quoad modum, arbitrio Archiepiscopi – *in Ferrarien. Doctrinae Christianae die 11 Augusti 1742.*

39. Quum itaque Eugenius IV suppressisse videretur quoddam Monasterium Monialium et eius Ecclesiam nec non bona ad dictum Monasterium pertinentia univisse Prioriae et Conventui S. Donati de Scopeto Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Salvatoris de Bononia, cui ex Literis Apostolicis Clementis XI successerunt Sacerdotes Missionis, Sacra Congregatio, licet iidem nunquam continuam habuissent permanentiam penes Ecclesiam, sed tantum eam aliquando accessissent, oblectamenti gratia et ut salubriori aere perfruerentur, ac licet Parochus S. Quirici de Marignola, intra cuius Parochiae fines Ecclesia illa sita erat, contradiceret, declaravit, licere praefatis Presbiteris in ea docere doctrinam christianam; his enim in terminis proposito dubio: – II. An itidem Presbiteri Missionis possint Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae administrare et doctrinam christianam docere, contradicente Parocho, in casu etc. –, responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative, dummodo doctrina christiana non fiat in hora, in qua fit in Parochia – *in Florentina die 30 Martii 1726.*

40. Imo Sacra Congregatio generale tulit responsum, quo statuit, prohibitum non esse Regularibus doctrinam christianam in suis Ecclesiis tradere, quemadmodum refert Nicolius in flosc. verb. *Regulares n. 7 in Florentina die 16 martii 1726* §. *In.*

Item *in Ferrarien. Doctrinae christianae die 21 Iulii 1742* §. *Sacra.*

41. Nullum tamen ius competit Patribus Societatis Iesu, docendi doctrinam christianam in Ecclesiis parochialibus, invito Parocho, immo nec in aliis, invito titulari, non obstante consuetudine contraria etiam nonagenaria *in Mechlinien. Doctrinae christianae die 8 Martii 1681 lib. 31 Decretorum pag. 357.*

42. Iidem vero Patres Societatis Iesu sunt aliis praeferendi a Parochis in hoc munere complendo: ita enim declaravit Summus Pontifex, audita sententia Sacrae Congregationis *in Mechlinien. Doctrinae christianae die 8 Martii 1681 lib. 31 Decretorum pag. 354.*

43. Nec possunt Regulares doctrinam christianam docere Ethnicos in Indiis ad hoc a suis Superioribus nominati, quin prius examinentur ab Ordinario *in Limana anno 1586 lib. 4 Decretorum pag. 111.*

1. Neminem latet, duplicem esse donationis speciem, aliam scilicet inter vivos, aliam causa mortis *in Terlitien. Capellaniae die 29 Ianuarii 1859* §. *Ac.*

2. Hinc donatio non alia intelligi posse videtur, quam ea, quae inter vivos nuncupatur, quando non habito ad mortem respectu, sed pure ac simpliciter quis aliquid donaverit, quin officiat, quod eiusdem possessionem post suum obitum distulerit; nam donationum inter vivos naturam non immutat conditio, qua Donans cautum vult, ut post suum funus Donatarius rem consequatur, quandoquidem non alium in finem mortis tempus adiicitur, quam ut petitio rerum donatarum in illud tempus protrahatur, ceu, post L. pen. Cod. quando dies legati cedit, docet Voet lib. 39 tit. 5 n. 4 per totum *in Tiburtina Capellaniae die 10 Ianuarii 1846* §. *Insuper.*

3. Qua de re acceptatio Donatariorum, etiam nomine suorum heredum ac successorum, ac subsequens ex parte Donantis pactum et promissio de non revocanda voluntate facit, ut absolute inter vivos reputetur donatio, ex Textu in L. *Ubi ita* 27 ff. de donatione causa mortis: – Ubi ita donatur mortis causa, ut nullo casu revocetur, causa magis donandi est, quam mortis causa – *in Hortana Executionis voluntatis die 24 Augusti 1844* §. *Affirmant.*

4. Siquidem ita profecto servari debet donationis lex, ut dicta est, per Textum in Cap. *Verum* 4, ibique Gloss. verb. debeat revocari de condit. apposit., Lambertin. de iurepatronat. part. 1 lib. 1 quaest. 9 art. 4 n. 3 *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1788* §. *Quoad.*

5. Exploratum hinc est, donationem, etsi tantum verbalem, obligare Donatorem ad tradendam rem donatam statim ac donatio fuerit a Donatario acceptata, Textu expresso in §. Alias vero Instit. de donat., et L. *Si quis argentum* 35 Cod. de donat. *in Fanen. Pii Relicti die 22 Ianuarii 1842* §. *Profecto.*

6. Nam ius alicui concessum per publicum instrumentum adimi amplius non potest, ex auctoritate Gratiani discept. 177 a n. 1, Rotae in Recent. part. 2 decis. 107 n. 3, et decis. 220 n. 3 *in Hortana Executionis voluntatis die 24 Augusti 1844* §. *Atque.*

7. Unde in decis. 445 coram Riminaldo agebatur de iure nominandi per publicum instrumentum irrevocabiliter collato pro prima vice in Philippum Valenti ac eius heredes, pro subsequentibus in alium quemdam Tesorati. Accidit, ut Fundator, mutata sententia, per aliud publicum instrumentum, iisdem servatis personis, quoad exercitium nominationis ordinem immutaverit, Rota dixit, servandum esse antiquius instrumentum, sicque decisionem concludebat: – aliter enim aperta nimis esset ac facillime via contraveniendi obligationi iam solemniter susceptae –. Et in eamdem ivit sententiam in confirmatoria, quae est 486. Praeterea in decis. 167 coram Rezzonico haec erat facti species: Quidam, post Beneficii fundationem, ius ad illud nominandi in Petrum Mas eiusque filios contulerat. Defuncto Petro, huius Filios a iure praesentandi conabatur excludere quaedam Antonia Esteve, allegans ipsius iuris translationem sui favore posteriori actu factam a Fundatore. At nullius ponderis praedictam translationem contra primum instrumentum definiit sacrum Auditorium affirmans, haud esse – repositum in facultate Fundatoris a sua obligatione resilire – *in Hortana Executionis voluntatis die 24 Augusti 1844* §. *Atque.*

8. Qua de re quum Patres Conventuales concesserint cum onere quotannis tradendi cereum paschale Aediculam et solum intra ambitum Conventus Sodalibus S. Iosephi, in quo iidem Sodales suis sumptibus Oratorium extruxerunt et praefatam Aediculam pridem ampliarunt, Sacra Congregatio declaravit, praedictum solum spectare ad Sodales quoad usum tantum, sed in perpetuum, quin eiici possent a praefatis Patribus Conventualibus *in Ariminen. die 22 Novembris 1755 die 22 Ianuarii 1756 et die 30 Iulii 1757.*

9. Enimvero cum Artifices quidam et Fabri Ariminenses anno 1736 Sodalitium nomine S. Iosephi instituere cuperent, postularunt a Patribus Minoribus Conventualibus Aediculam nuncupatam *S. Maria del Paradiso,*

quae intra ambitum Conventus erat, et ad quam e via publica patebat accessus. Patres non Aediculam tantum, sed etiam proximum terrae solum concesserunt, data iis onere tradendi quotannis cereum paschale pro Conventu, et eligendi Capellanum Sodalitii ex Patribus Conventualibus. Hac ratione institutum Sodalitium aggregatum inde fuit maiori Sodalitio eiusdem nominis, quod erat in Urbe. Anno 1581 Sodalium impensis et stipe collecta ampliata fuit parva illa et angusta Aedicula, quae tamen, cum ne sic quidem omnibus Sodalibus satis esset, anno 1618 augmentum accepit Oratorii suis sumptibus extructi a Sodalibus in proximo illo terrae solo, quod Patres Conventuales concesserant, situm intra ambitum Conventus, patente tamen aditu ex via publica. Aedicula ampliata fuit et Oratorium extructum a Sodalibus iure utilis seu superficiarii aut perpetuarii dominii, nulla impetrata venia a Patribus Conventualibus, qui probe id agnoscentes recusarunt solum illud alteri Sodalitio Sanctae Crucis concedere, quod pridem concessum fuerat Sodalibus S. Iosephi. Sodalitium hoc tam ab Episcopis, quam a Ministro Provinciali Ordinis Conventualium visitatum fuit, licet ex iis non esset, quae Ordini adnexa essent et unita cum participatione privilegiorum. Congregationibus Sodalium praeesse solebat Vicarius Generalis Episcopi, inde eius nomine Pater Guardianus praeesse cepit, tandem ad hunc et ad Patres Conventuales summa rerum devenit, cum duo ferret Guardianus in scrutiniis suffragia, et Congregationibus interessent cum voce activa et passiva omnes Ordinis Patres, qui sive post professionem in Sodalitium cooptati fuerint, ita ut nihil contra eos a Sodalibus decerni posset. Exortis inde controversiis inter Patres et Sodales, proposito dubio: – I. An solum, in quo aedificata reperiuntur duo Oratoria S. Mariae de Paradiso et S. Iosephi, spectet quoad utile dominium ad Societatem S. Iosephi, seu potius ad Patres Minores Conventuales? –, Sacra Congregatio die 22 novembris 1755 responsum dedit: – Ad primum, spectare ad Societatem quoad usum tantum –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Ariminen. die 22 Ianuarii 1756.*

10. At Patres Conventuales securim ad radices iniecerunt, oblatis precibus Sacrae Congregationi, quibus postulabant, ut Sodales eiicerentur. Proposito vero dubio: – II. An concessio usus soli, in quo aedificata reperiuntur Oratoria S. Mariae de Paradiso et S. Iosephi, fuerit in perpetuum, seu potius sit locus expulsioni? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Ariminen. die 30 Iulii 1757.*

11. Donatio enim inter vivos, semel legitime expleta, revocari amplius per Donatorem nequit, L. ult. Cod. de revoc. donation.: – Generaliter sancimus, omnes donationes, lege confectas, firmas illibatasque manere –, Reiffenst. in ius can. lib. 3 tit. 24 §. 2 n. 5, Ferrar. biblioth. can. art. 3 n. 1 *in Burgi S. Sepulchri Translationis Missarum die 24 Ianuarii 1824* §. *Haec.*

Item *in Terlitien. Capellaniae die 29 Ianuarii 1859* §. *Ac frustra.*

12. Idcirco post expletam perfectamque donationem, non licet Donanti deteriorem facere conditionem Donatarii eiusque ius quaesitum laedere, ad Textum in L. *Perfecta* Cod. de donat., Rota in Romana Legatorum 6 iunii 1777 §. 13 coram Herzan *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1788* §. *Advertere.*

13. Unde largitio Principis, quae veram praesefert perfectamque donationem, haud revocatur, Mantic. tom. 2 tit. 17 lib. 13 n. 16 *in Aquipendien Pensionis die 18 Septembris 1841* §. *Principis.*

14. Amplia, donatio facta Ecclesiae revocari nequit per alteram posteriorem, licet in favorem alterius Ecclesiae, per Textum in L. 5 et fin. Cod. de donat., Tiraquell. de privileg. caus. piae privileg. 115, Reiffenst. lib. 3 iur. can. tit. 24 de donat. n. 12: vetant enim leges, ne conferre amplius valeat Donans ius Donatario quaesitum, Ursaya discept. eccles. 1 n. 9 tom. 8 part. 1 *in Firmana die 16 Martii 1793* §. *Non.*

15. Nec igitur donatio sub conditione facta, revocari potest, cum adhuc pendeat conditio, pendente enim conditione, imperfectus utique contractus habetur quoad executionem, per-

fectus tamen est ad effectum, ut ab eo recedi non possit, Rota coram Merlino decis. 568 n. 8, Covar. variar. resol. lib. 1 cap. 14 n. 16, Gratian. discept. for. cap. 114 a n. 1 *in Ravennaten. Capellaniarum die 23 Ianuarii 1847* §. *Sed esto.*

16. Unde Capellaniae mere laicales, cum mere civilis hereditatis limites haud praetergrediantur, ut irrevocabiles evadant, Donatarii acceptationem indeclinabili lege requirunt, L. 10 ff. de donat., Voet ad Pandect. lib. 39 tit. 5 n. 11, Reiffenst. lib. 3 tit. 14 §. 1 n. 10 *in Ravennaten. Capellaniarum die 26 Iunii 1847* §. *Verumtamen.*

17. Nec praesidium obtineri valet ex praesumpta acceptione Dei ubique adstantis pro Pia Causa: id enim licet receptum sit, vel quando donatio immediata fit per modum voti, uti censet Amostaz de causis piis lib. 1 cap. 5 n. 31, vel quando donatio immediate fit Ecclesiae aut Causae Piae, quin tamen dignoscatur, de qua Ecclesia aut Pia Causa quis speciatim senserit, cum nemo alius haud peculiariter nominatam incertamque Ecclesiam aut Piam Causam representet, qui eiusmodi donationem acceptare possit; attamen exulare prorsus videtur in casu, ubi cubitalibus notis describuntur Templa ad Sacra litanda, eiusque Rectores cogniti sunt, Patroni insuper et Capellani adsignantur, ac proinde hominibus donationem esse directam in dubium revocari nequit. Nam hoc in casu expressa vocatorum et Rectorum requiritur nomine Ecclesiae acceptio, ut donatio perfecta ac irrevocabilis evadat, ceu uno ore tradunt Barbosa de iur. can. quaest. 13 §. Donatio n. 5, Cancer. variar. resol. part. 1 cap. 8 n. 37; quia tunc, non immediate Deo, sed homini dicitur directa donatio, Barbos. in vot. decis. lib. 3 vot. 81 obiect. 4 n. 117, Sanchez de matrim. disp. 6 n. 16, Amostaz de caus. piis lib. 1 cap. 4 n. 27, maxime cum agatur non de donatione mere lucrativa, sed ob impositas Missas onerosa, ideoque utpote quae contractum correspectivum redolet, sine expresso unius alreriusque partis consensu perfici haud potest, reque integra acceptationeque non sequuta, poenitentiae locum relinquit, Card. De Luca de donat. disc. 24 n. 5 et 10, et disc. 23 n. 7 et 11 *in Ravennaten. Capellaniarum die 26 Iunii 1847* §. *Verumtamen.*

18. Amplia, etiamsi donationis actus fuisset iurisiurandi religione vallatus, quia iuramentum censetur appositum, iuxta naturam donationis, et idcirco revocabile est, quia illud sequitur naturam actus, cui adhaeret, Rota in Recent. decis. 586 n. 9 part. 5 tom. 2 *in Ravennaten. Capellaniarum die 26 Iunii 1847* §. *Nullo.*

19. Idcirco si ex cunctis rerum adiunctis satis luculenter probetur, ambulatoriam fuisse voluntatem Institutoris Capellaniarum, is donationem dubio procul legitime revocare valuit *in Ravennaten. Capellaniarum die 15 Iulii 1848* (1).

20. Comperti enim iuris est, simplicem donationem, antequam a Donatario accepto habeatur, nullam parere obligationem, ideoque interim a donante moderari, mutari, vel omnino revocari posse, L. *Absenti* 10 ff. de donat., Voet ad pandect. lib. 39 tit. 5 n. 11, Reiffenst. lib. 3 tit. 14 §. 1 n. 10 *in Tiburtina Capellaniae die 10 Ianuarii 1846* §. *Oratoris.*

21. Haud quippe donatio intelligitur sine acceptatione, quippe datio acceptatione confirmatur, uti docet Vinnius ad Instit. tit. de donat. *in Ravennaten. Capellaniarum die 26 Iunii 1847* §. *Verumtamen.*

22. Idcirco si quis donans absenti moriatur, antequam Donatarius donationem resciat et acceptet, nihil ex ea hic consequitur, L. 2 §. 6 ff. eod. tit., Reiffenst. loc. cit. *in Tiburtina Capellaniae die 10 Ianuarii 1846* §. *Oratoris.*

23. Unde merito in iure sancitum est, donationes causa mortis usque ad exitum vitae mutationi obnoxias esse, cum sit voluntas hominis usque ad interitum ambulatoria, L. *Quod si iterum* ff. de adempt. leg., quin officere queat vel acceptatio alterius partis, uti docet Clar. §. Donatio quaest. 4, Menoch. lib. 3 praesumpt. 35 n. 21, Reiffenst. lib. 3 tit. 25 art. 21 n. 698, vel pactum aut promissio de huiusmodi donatione non revocanda, Ferraris verb. Donatio art. 3 n. 29, et Doctores ibidem citati: est enim de huiusce donationis natura, ut sit usque ad mortem revo-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Capellania* §. VI, n. 90 ad 95, Tom. V.

cabilis *in Tiburtina Capellaniae die 10 Ianuarii 1846* §. *Oratoris.*

24. Quapropter nemini dubium, donationem causa mortis posse revocari, ex L. 16 ff. de mort. caus. donat., ad differentiam donationum inter vivos, quibus transfertur dominium, nec revocari valent *in Terlitien. Capellaniae die 29 Ianuarii 1859* §. *Ac frustra.*

25. Nam donatio mortis causa ex notissimo iuris principio legato comparatur, estque revocabilis, etiamsi Donator adpromiserit, se nunquam revocaturum, fueritque insuper per Donatarium acceptata; immo etiamsi res donata iam in manus Donatarii transierit iuxta ea, quae tradunt Iulius Clarus §. Donatio n. 94, Menoch. lib. 3 praesumpt. 35 n. 21, Reiffenst. lib. 3 tit. 25 art. 21 n. 698 *in Ravennaten. Capellaniarum die 30 Maii 1846* §. *Si primum.*

26. Quum itaque in donationibus, quae fiunt Ecclesiae et Locis Piis pro anima cogitatio est de morte, quapropter donationes causa mortis praesumuntur, Alex. vol. 1 cons. 81 n. 1, Mascard. de probat. verb. Donatio facta conclus. 562 n. 9 *in Terlitien. Capellaniae die 29 Ianuarii 1859* §. *Ac frustra.*

27. Hinc donatio facta per instrumentum, si referatur ad testamentum, pro donatione mortis causa accipitur, Menoch. de praesumpt. lib. 6 praesumpt. 12 n. 18, Rota in divers. decis. 542 *in Ravennaten. Capellaniarum die 26 Iunii 1847* §. *Esto.*

28. Donatio vero Piae Causae facta in dubio praesumitur inter vivos, ac proinde irrevocabilis, quippe quae in dubio semper praesumitur favore Causae Piae, quia teste Schimier iurispr. can. civ. lib. 3 cap. 7 n. 157: – qui donat aliquid pro Loco Pio, non facile credendus est de sola cogitasse morte, dum piae donationes etiam in vita donanti proficiunt –, Fargna de iurepatronat. part. 1 can. 6 cas. 7 n. 13, Fagnanus in Cap. *Relatum* n. 37 ne clerici vel monach., Gonzalez ad Reg. 8 cancell. gloss. 7 §. 7 n. 85, Card. De Luca de Reg. disc. 35 n. 8 *in Ravennaten. Capellaniarum die 30 Maii 1846* §. *Multo.*

29. Siquidem in dubio donationem potius inter vivos, quam causa mortis celebratam fuisse praesumitur, quamvis ab eo factam, qui in extremo vitae discrimine positus erat, quia donatio inter vivos propria, alia autem est impropria, Faber Cod. de donat. lib. 8 tit. 39 def. 3, Voet in pandect. eod. tit. n. 2, Thesaur. quaest. for. lib. 2 quaest. 53 n. 2 *in Hortana Executionis voluntatis die 24 Augusti 1844* §. *Affirmant.*

30. Hinc donatio seu legatum favore Causae Piae statim obligat, et revocationem exinde non patitur, Barbos. lib. 2 iur. eccles. cap. 13 n. 29, Tiraquell. de privileg. caus. piae privileg. 115, Engel lib. 3 Decret. tit. 24 n. 21, Reiffenst. ibid. n. 12 *in Hortana Executionis voluntatis die 24 Augusti 1844* §. *Neque.*

31. Nam donatio in Piam Causam collata, ut perfecta sit, ipsius Piae Causae, vel alterius, qui eam repraesentet, consensu et acceptatione non indiget; sed ubi emissa fuerit, illico obligat, cum ipse Deus eam accepto habere dicatur, uti docent Amostaz de Causis Piis lib. 1 cap. 13 n. 48, Reiffenst. lib. 3 tit. 24 §. 1 n. 12, Rota in decis. 1830 n. 1 coram Molines, et in Recent. decis. 123 n. 5 part. 12 *in Tiburtina Capellaniae die 10 Ianuarii 1846* §. *Insuper.*

Item *in Ravennaten. Capellaniarum die 30 Maii 1846* §. *Multo.*

32. Quandoquidem donatio Causae Piae facta, ipsi Deo facta censetur, qui, cum praesens ubique sit, eam illico acceptare videtur, proindeque suum sortitur effectum, licet, absente etiam Donatario, explicita acceptatio haud interesserit, ad monita per Card. De Luca de donat. disc. 24 n. 2, Manticam de tacit. et ambig. convent. lib. 13 tit. 7 n. 15, Rotam coram Cavallerio decis. 666 n. 10, et de cis. 773 n. 9 coram Dunozzetto *in Ravennaten. Capellaniarum die 23 Februarii 1847* §. *Quod.*

33. Hinc bona donata Clero seculari vel regulari vel Loco Pio censentur donata potentiori, itaut gaudeant immunitate ecclesiastica, iuxta tamen decisionem Rotae Romanae in Brundusina Gabellae coram Penia, et in Alben. coram Merlino *in Vercellen. die 21 Martii 1643 lib. 16 Decretorum pag. 170.*

34. Haud vero immunia censenda sunt ab oneribus laicalibus bona donata Loco Pio a laico in fraudem et ad effectum ea eximendi ab oneribus, quibus sunt obnoxia; quum sibi reservaverit super iisdem bonis pensionem fructibus eorum aequivalentem, praevia ta-

men declaratione Episcopi, quod donatio facta fuerit cum dicta intentione *in Vercellen. die 21 Martii 1643 lib. 16 Decretorum pag. 170.*

35. Donatarius autem universalis heredi assimilatur, Amat. resol. 58 n. 11 et 13, Merlin. de pignor. lib. 4 quaest. 143 per totum *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 29 Novembris 1788* §. *Nedum.*

36. Imo Donatarius universalis nedum aequiparatur heredi, sed nunquam tenetur ultra vires donationis, teste Card. De Luca de donat. disc. 44 n. 2 cum Doctoribus communiter, bene vero heres, si nempe inventarii confectionem omiserit *in Neapolitana Beneficii die 2 Iunii 1838* §. *Verumtamen.*

37. Idcirco si donata bona defecerint, onera erunt reducenda *in Neapolitana Beneficii die 2 Iunii 1838* §. *Verumtamen.*

38. Donatarius vero sic tenetur subsidium et alimenta praestare Donanti coniecto in extremam egestatem, ut recusatio, cum maximam sapiat iniuriam eius vitae allatam, rationem praebeat avocandi bona donata, revocata donatione, ad Textum in L. 33 ff. de bonis libert. L. 6 de agnosc. et alen. liberis, Surd. tract. de alim. quaest. 48 tit. 1 §. 4 *in Ferrarien. seu Adrien. Pii Relicti super avocatione bonorum et fructuum die 2 Iunii 1860* §. *At.*

39. Hinc et filiorum supervenientia, donatio ipso iure et absque ullo hominis facto ac ministerio rescinditur, L. *Si unquam* de revoc. donat. *in Montis Alti Capellaniae die 12 Iulii 1823* §. *Longe.*

40. Quin imo Lex *Si nunquam* Cod. de revoc. donat. ob supervenientiam filiorum locum sibi vindicat non modo in donationibus bonorum, verum etiam iurispatronatus, ut tradunt Vivian. de iurepatronat. lib. 4 cap. 4 n. 31, Piton. de controv. patronat. in supplem. ad alleg. 100 n. 68 *in Montis Alti Capellaniae die 26 Februarii 1825* §. *Irritam* (1).

41. Neque opus est Iudicis ministerio, qui revocatam declarat donationem, siquidem ob supervenientiam filiorum ipso iure ac sine contestatione iudiciali donationes resolvuntur, Sabell. resol. civil. n. 19, Clar. lib. 4 sentent. §. Donatio quaest. 23, Rot. in Recent. decis. 591 n. 3 part. 3 *in Montis Alti Capellaniae die 26 Februarii 1825* §. *Irritam*

42. Limita, donatio quidem universalis revocatur per supervenientiam filiorum, non vero particularis *in Civitatis Castelli Capellaniae die 9 Augusti 1777* §. *Interea.*

43. Unde valida censetur ac est donatio seu dotatio favore Capellae seu Capellaniae facta plurium bonorum a Fundatore cum reservatione iuris nominandi Capellanum sibi ac propriis filiis, si Deus eidem concederet, quin indulgeri debeat facultas revocandi praedictam donationem seu dotationem, ex eo quod ipse postea plures reapse habuerit filios; his enim in terminis proposito dubio: – I. An et pro qua quota sit exequenda donatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative ad formam instrumenti fundationis – *in Civitatis Castelli Capellaniae die 30 Augusti 1777* (2).

44. Idcirco nil obstitit, quod praecipue a qualitate particularis seu universalis donationis praefatus donans vel dotans iam senio confectus in abstracto tantum, non autem dispositive de filiis cogitavit: non enim dixit, quod donatio seu dotatio valeret, etiamsi filii supervenirent, servata formula tradita a Bartolo in Leg. *Titio Seia* §. Imperator n. 7 ff. de legat. 2, nimirum: – Dono bona mea et volo, quod propter supervenientes filios non possit revocari –; nec unquam indefinitam hanc filiorum mentionem alligavit explicitae renunciationi L. *Si unquam* Cod. de revocan. donat., cuius providentia semper locum obtinet, quoties filiorum mentio una cum expressa et literali renunciatione Legis beneficio copulative non concurrat, et in his terminis videndae sunt decis. 288 coram Rezzonico, et in Spoletana Reintegrationis et immissionis 17 ianuarii 1755, et 4 februarii 1756 utraque coram Stadion *in Civitatis Castelli die 9 Augusti 1777* §. *Iura.*

45. Nam censura praefatae Legis *Si unquam* locum in praesenti casu habere non poterat, quia res erat de dotatione Capellae, non autem de donatione eidem factae, et quatenus res fuisset de donatione, ea subesse non poterat revocationi, tum quia praefatus donans de nascituris filiis cogitaverat, tum

(1) Quoad huiusmodi donationes, quae respiciunt iuspatronatus, late habebis in Verb. *Iuspatronatus.*

(2) Speciem Causae huius habes in Verb. *Capellanus*, §. I, n. 45, Tom. V.

etiam quia donatio erat particularis, non autem universalis, dum probabatur, donantem alia quoque possedisse praedia valoris scutorum 3000, quae ab eius filiis post illius obitum detinebantur *in Civitatis Castelli Capellaniae die 9 Augusti 1777 §. Interea.*

46. Hinc Sacra Congregatio declaravit, donationem factam ad Ecclesiae favorem ab eo, qui habebat Uxorem sterilem, si, hac defuncta, is liberos suscipiat ex secundis nuptiis, non posse revocari, intuitu susceptorum liberorum, accedente etiam consensu Ecclesiae donatariae *in Alben. Donationis die 2 Iunii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 504.*

47. Qua de re quum a Muliere facta fuerit omnium bonorum donatio inter vivos Nepoti eique alii ab ipsa substituti fuerint cum lege, quod si absque prole decederent, praefata bona in tot Missas erogari deberent; sed Donatario praemortuo, Donatrix evanuisse putans donationem testamentum condiderit, eodem heredibus iniuncto onere adiecta clausula in genere derogatoria cuiuscumque praecedentis dispositionis, hinc heres nullam habens spem gignendi sobolem petiit declarari, num memorata donatio sive per Donatarii praedecessum, sive per posterius testamentum satis revocata censeri posset, seu omnia hereditaria bona in tot Missas forent eroganda, Sacra Congregatio resolvit, non esse locum petitae declarationi *in Feretrana die 24 Ianuarii 1739.*

48. Enimvero Livia Cionini die 15 maii 1713 universalem omnium bonorum donationem, quae inter vivos dicitur, per publicum instrumentum fecit Caietano Marini germani Fratris sui Filio, hisce adiectis oneribus, scilicet quod ipse Nepos a die obitus praefatae Donantis intra terminum sex mensium celebrare teneretur quinquaginta Missas, nec non a die dicti obitus per quinquaginta annos celebraret vel celebrare faceret duas Missas singulis mensibus. Deinde, substitutis post obitum Caietani Elisabeth altera sua nepte eiusque filiis, quos eodem Missarum onere gravavit, Archipresbitero S. Mareni, quem in executorem eiusmodi suae voluntatis deputaverat, decedentibus absque prole filiis Elisabeth, praecepit, ut ipse emolumento trium in singula centum vendere teneretur cuncta praedicta bona, et quidquid superesset impendi deberet in celebratione Missarum in Ecclesia S. Francisci pro anima praedictae Liviae eiusque Propinquorum. Cum vero memoratus Caietanus Liviae donanti praedecesserit, eadem Livia fortasse existimans, donationem ob Donatarii praedecessum evanuisse, sub diem 16 iulii 1723 testamentum condidit, in quo post scriptos heredes praelaudatam Elisabetham, eiusque filium Marinum et Annam Innocentiam, iisdem iniuncto illomet onere, quod in enunciata donatione Donatariis imposuerat, nulla tamen facta mentione praecepti in enunciato donationis instrumento impositi Archipresbitero S. Mareni, vendendi omnia bona, quae superessent ac pretium inde retractum in tot Missarum celebrationem erogandi, consuetam inseruit clausulam, ut aiunt, in genere derogatoriam cuiuscumque praecedentis dispositionis. Secuto Liviae Testatricis obitu, praefata Elisabeth heres una cum suis filiis instituta possessionem totius assis hereditarii, quod valorem scutorum 871 non excedere asserebatur, eo usque pacifice obtinuit. Verum quia subinde gemini eiusdem Elisabethae filii obierunt, eique nulla amplius erat spes aliam procreandi sobolem, cepit ipsa conscientiae stimulis anxiisque dubitationibus vexari, num scilicet memorata donatio per Liviam exarata, sive per Donatarii praedecessum, sive per posterius testamentum satis revocata censeri posset, vel potius illa adeo subsisteret, ut omnia bona hereditaria Liviae consentanee ad legem in eadem donatione indictam deberent saltem, defunctis absque prole filiis suis, per dictum Archipresbiterum S. Mareni venumdari, atque ex illorum pretio tot Missae celebrari. Conscientiae suae itaque tranquillitati consultura postulavit a Summo Pontifice declarari, licitum sibi fore supradicta bona hereditaria testamenti iure retinere, liberumque pariter esse, superaucto ad uberiorem cautelam moderato aliquo Missarum numero, ultra onus viginti quatuor Missarum per quinquaginta annos celebrandarum in donatione impositum, subindeque in testamento repetitum, de eisdem bonis disponere. Fratres Minores Conventuales vero dictae Terrae S. Mareni, in quorum Ecclesiis Missae in donatione relictae debuissent celebrari,

compositioni ab Elisabeth exoptatae suum non praestiterunt assensum.

49. His mature perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit locus declarationi per Elisabetham Cionini petitae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Non esse locum petitae declarationi - *in Feretrana die 24 Ianuarii 1739.*

50. Cessante vero causa finali donationis, resolvitur etiam ipsa donatio, ex Cap. *Cum* cessante 60 de appell., Fagnan. in Cap. 10 de privileg. n. 11, Card. Petra comment. in Constit. Apost. tom. 4 Const. 2 n. 1 *in Firmana die 16 Martii 1793* §. *Urgent.*

51. Quod enim donatum ac traditum est ob causam, hac non sequuta, revocari et condici potest, ut ex toto titulo de condict. ob caus. datam, Cuiacc. in lib. 4 Cod. ad L. 1 eod. tit. tom. 9, Donell. comment. in Cod. lib. 4 ad rubr. tit. 6 tom. 7 *in Firmana die 16 Martii 1793* §. *Urgent.*

52. Idcirco in donatione pro certa causa vel opera expresse relicta, imo cum substitutione alterius, si adiecta conventio non impleatur, seu aliqua ex parte illi cessatum sit, statim locus fit substitutioni, Rota in Recent. decis. 107 a n. 1 part. 12, decis. 54 a n. 38 part. 13, et coram Emerix Iun. decis. 391 n. 2 *in Urbinaten. Reductionis onerum die 14 Martii 1744* §. *Intentio.*

53. Praesertim si donatio facta fuerit sub conditione observandi et implendi onera, et consequenter, adventa conditione ex inobservantia pactorum, illico fit locus substitutioni, cum satis sit ad ius acquirendum solus defectus implementi pacti conventi et onerum stipulatione conventorum, ut in casu donationis factae sub conditione Sacra quaedam operandi late tradit Sanminiat. controv. 44 a n. 13 ad 43, et respondit Rota coram Celso decis. 238 et 251 n. 1, et in Sabinen. Manutentionis 28 iunii 1737 §. 5 et seqq. coram Emo Rezzonico *in Urbinaten. Reductionis onerum die 14 Martii 1744* §. *Praesertim.*

54. Imo ex dicta stipulatione concepta verbis directis Substitutus rem donatam, sine ulla lege aut hominis opera, adipiscitur *in Urbinaten. Reductionis onerum die 14 Martii 1744* §. *Nec posse.*

55. Nec enim ipsi Summo Principi fas est pacta et conventiones tollere et abrogare auctoritate sua, ut late monstrant Salgad. labyr. cred. part. 1 cap. 38 a n. 15, et Card. De Luca de feud. disc. 4 n. 9 *in Urbinaten. Reductionis onerum die 14 Martii 1744* §. *Quod si.*

56. Idcirco nulla fuit declarata donatio Monasterii, quod Testator extrui mandavit pro Monialibus Sanctissimae Trinitatis, illudque exequutores cum herede quantocitius de facto extruxerunt et a Summo Pontifice obtinuerunt diploma super erectione et approbatione pro Monialibus dicti Ordinis, sed longe dilata eiusdem aperitione, heres mediatus seu eius mater et tutrix dictum Monasterium concessit cuidam Moniali de Monte Carmelo, ut ibi Moniales eius Ordinis reciperentur *in Ulyssipponen. Monasterii die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

57. Siquidem - Emmanuel Gomez d'Elvas in eius supremis tabulis anni 1620 mandavit per heredem extrui Monasterium Sanctissimae Trinitatis certis designatis Exequutoribus, qui una cum herede Pii Operis exequutionem quantocitius procurarent. Et quamvis Francisca Coronel prima heres et testamentarii Exequutores ab anno usque 1634 obtinuerunt ab Urbano VIII Apostolicum diploma super erectione et approbatione dicti Monasterii pro Monialibus Ordinis Sanctissimae Trinitatis, et in fabrica incepta dicti Monasterii insignia et inscriptiones dicti Ordinis apposuerint, nihilominus dilata usque in praesens aperitione Monasterii, Isabella de Castro uti tutrix et curatrix Emmanuelis Ioachimi Correa della Cerda eius filii et heredis mediati dicti Testatoris, cum subsequuta eius ratificatione, Monasterium iam constructum cum suis fundis et reditibus donavit Theresiae Mariae a S. Iosepho Tertiariae Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, ut ibi Moniales dicti Ordinis et Regularis Instituti recipiantur, atque hanc donationem peragere iuxta Testatoris mentem, vel facultatem etiam heredibus substitutis transmissam declararunt. Verum Patres Ordinis Sanctissimae Trinitatis praetendunt, Monasterium instituendum esse non tantum sub titulo, sed etiam sub regula et Ordine Sanctissimae Trinitatis, eo quia in testamento sic legitur: - Ho provisione dalla Maestà Regia per fare un Monastero della Santissima

Trinità –. Regium autem diploma expresse de Ordine Sanctissimae Trinitatis loquitur: – ibi – Fabrichi il detto Monastero delle Religiose dell'Ordine della Santissima Trinità –. Hinc in claris cessare contendunt praesumptiones et coniecturas nomine Donantis et Donatariae deducendas, neque facultatem a Testatore concessam Exequutoribus pro eorum libito immutandi ab ipso disposita transmitti ad ulteriores heredes, eamque concernere regimen Monasterii, non autem institutum ab ipso praescriptum, et Exequutores testamentarios ex relato Brevi Urbani VIII et insignibus appositis in parietibus Monasterii satis suam et Testatoris mentem declarasse supponunt. Hinc EE. VV. dignentur decernere: – An donatio facta pro Monialibus Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo Monasterii et Legati Pii, de quo agitur, sustineatur, non obstante Bulla s. m. Urbani VIII in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius – *in Ulyssipponen. Monasterii die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

58. Quum igitur tres Fratres germani in eam venerint sententiam, ut propria bona post omnium obitum inservire ¡deberent ad erectionem Seminarii, et duobus ex illis inde mortuis, tertius Frater germanus diserte declaraverit, idcirco se institutum fuisse eorum heredem, ut Seminarium erigeretur, sed inde satius ducens a suscepta voluntate desciscere per donationem inter vivos omnia praefata bona in Congregationem Patrum Missionis contulerit, Sacra Congregatio, instante Promotore Fiscali Curiae Episcopalis, resolvit, dictum tertium Fratrem nulliter donasse bona eorumdem Fratrum, adeoque esse locum restitutioni cum omnibus fructibus praefato Seminario, valide tamen donare potuisse sua respective bona dumtaxat, quin tamen restituendi sint praefato Seminario fructus a dicto tertio Fratre percepti a die obitus aliorum Fratrum ex eorumdem bonis hereditariis *in Amerina praetensae Erectionis Seminarii die 12 Novembris 1712 die 17 Iunii 1713 et die 1 Decembris 1714 lib. 62 63 et 64 Decretorum.*

59. Iamvero – iam inde ab anno 1669 Petrus Leoninus, qui Poenitentiarii Canonici munus in Cathedrali obibat, heres ex asse nuncupatus fuit a Francisco eiusdem germano fratre nullo quidem adiuncto onere; subindeque de anno 1673 ad Tarquinii alterius fratris hereditatem vocatus fuit, ea sub expressa lege in postremo elogio exarata, « quod debeat adimplere totum id, quod ipse dominus Testator paulo ante et oretenus ordinasse dixit ac etiam ordinabit, onerando propterea et gravando conscientiam eiusdem R. P. Petri sui fratris, ut id totum omnino exequutioni mandet et adimpleat cum omni fidelitate ». His hereditatibus auctus praelibatus Petrus Leoninus, paulo post diserte patefecit; idcirco se institutum fuisse Francisci bonorum heredem, ut in idem coalescentibus amborum patrimoniis Seminarium erigere posset pro religiose educandis Adolescentibus, in ecclesiastica disciplina et bonis artibus, eamdemque fuisse piam voluntatem Tarquinii [(1). Quoniam vero utrisque Fratribus vita functis, iam dictus Petrus Leoninus, iuxta ingenitam hominibus instabilitatem, a suscepta voluntate desciscere satius duxit, sub anno 1679 publico exarato instrumento, pro infecto voluit recensitum supremum elogium atque « ipse solus (sunt eiusdem verba) maturius reflectendo cogitans et recogitans ad maiorem Dei gloriam et earumdem Civi-

(1) Conditis is enim supremis tabulis eodem anno 1673, quo Tarquinius ipse hac luce adhuc fruebatur, ita exorsus fuit: – Per l' esperienza fatta per lungo tempo nell' esercizio di detto suo offizio ha avuta notizia del gran danno, che riceve la Città ed il Popolo d' Amelia causato dalla povertà e mancamento e direzione e Maestri per la gioventù, che non ha comodità d' attendere alle lettere e così approfittarsi nelle virtù, non essendo mai stato in detta Città eretto un Seminario, tanto comendato dal Sacro Concilio di Trento, e desiderando per quanto puole ovviare a detto male, e considerando, che le sua deboli forze ciò non poter mettere in effetto, aver propalato questo buon suo intento al quondam Francesco Leonini suo fratello carnale, mentre visse, quale annuendo alla detta pia intenzione, e acciò più facilmente la potesse mettere in esecuzione gli abbia lasciati tutti i suoi beni instituendolo suo erede universale, come anche per soddisfare al desiderio del Signor Tarquinio Leonini altro suo fratello carnale etc., finalmente volendo mettere in esecuzione la detta sua e di detti suoi fratelli pia intenzione, e benchè non possa totalmente arrivare con i suoi e detti fratelli beni a quello, che è necessario alla erezione e manutenzione del Seminario o Collegio, ma almeno mettere la pietra fondamentale di esso etc., in tutti e singoli suoi beni mobili e stabili e in tutta l' universa sua eredità lascia ed istituisce suo erede il detto Collegio o Seminario da eriggersi con detti suoi beni dagli infrascritti suoi Esecutori testamentarii –.

tatis et Diaecesis utilitatem cedere erectionem alicuius Seminarii per RR. Presbiteros ven. Congregationis Missionis regendi, et non parvis Clericis, sed Ecclesiasticis iam adultis compositi, qui manentes in eo per aliquod temporis notabilis spatium eruditi remaneant in scientiis ritibus cantu firmo et virtutibus requisitis in illis, qui in divinis et ecclesiasticis ministeriis versari debent etc., irrevocabiliter inter vivos dono dedit ven. Congregationi Missionis Domus Romanae in Monte Citorio existentis omnia et singula bona mobilia et stabilia etc. cum iniunctis oneribus, videlicet quod Superior et Sacerdotes dictae Congregatiunis Missionis pro tempore existentes teneantur in dicta Civitate Ameriae (praevio consensu Ordinarii quatenus etc.) fundare domum dicti eorum instituti, quando factus erit locus praesenti donationi, et respective quando huiusmodi bonorum donatorum introitus erunt sufficientes (qui saltem ad annua scuta 400 ascendere debeant) pro manutentione quatuor Sacerdotum et duorum Fratrum laicorum, qui RR. DD. Sacerdotes statim teneantur suas impendere operas in directione Seminarii Ecclesiasticorum, iuxta formam ab eis fieri solitam in Urbe, et quia dictus Dominus Leoninus donans cupit, ut in dicto Seminario gratis alimenta suppeditentur nonnullis Ecclesiasticis, ad quem effectum impendantur singulis annis scuta 100 monetae, mandavit, quod a die eius obitus bona omnia donata ponantur ad multiplicum, et illorum fructus tangi non possint, sed multiplicari debeant; donec et quousque sive cum huiusmodi fructibus et successive fructuum ad hunc effectum investiendorum fructibus, sive cum aliis bonis, quae specialiter ad hunc finem forsan ab aliis personis piis elargirentur, sive relinquerentur, sit factum et congressum (comprehensis dictis bonis donatis) capitale, quod in fructibus annua scuta 500 monetae reddere posset ».

60. His itaque perspectis, cum Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Ameriae contendat, saepedictum Petrum nequivisse a proposito exarato in ultimis tabulis discedere, praesertim quoad bona ab eius Fratribus relicta, remissaque cognitione huiusce Causae ad hanc Sacram Congregationem, contigit in praesenti bina inter partes concordata dubia disceptari, super quibus dignabuntur EE. PP. ex utrinque deducendis, sapientissimum oraculum proferre –. Propositis hinc dubiis: – I. An Petrus Leoninus in instrumento donationis potuerit donare PP. Missionis Montis Citorii bona provenientia ab hereditatibus Francisci et Tarquinii eius fratrum praemortuorum in casu etc. II. An PP. Missionarii teneantur restituere Seminario Puerorum ordinato et instituto in testamento dicti Petri nedum dicta bona provenientia ab hereditatibus dictorum Francisci et Tarquinii, sed etiam omnes fructus a die obitus Petri Leonini usque ad praesentem diem decursos et perceptos ex dictis bonis etiam multiplicatos reinvestitos et in sortes principales conversos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative; et amplius – *in Amerina praetensae Erectionis Seminarii die 12 Novembris 1712 lib. 62 Decretorum.*

61. Subinde – Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Amerinae novam resuscitat praetensionem, quod videlicet praelibatus Petrus Leoninus neque eius bona donare potuerit RR. Presbiteris Congregationis Missionis, sed omnino ratam firmamque habere debuerit susceptam assertam voluntatem erigendi Adolescentulorum Seminarium –. Propositis vero dubiis: – I. An Petrus Leoninus in instrumento donationis potuerit donare PP. Missionis Montis Citorii bona propria in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An PP. Missionis teneatur restituere Seminario nedum dicta bona propria, sed etiam omnes fructus perceptos ex dictis bonis etiam multiplicatos et investitos in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Amerina praetensae Erectionis Seminarii die 17 Iunii 1713.*

62. Demum – Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis novam desuper instaurat controversiam contendens, Seminario proxime erigendo restitui quoque debere fructus a Petro Leonino perceptos ex hereditatibus Francisci et Tarquinii a die eorum respective decessus, cum fiduciarius heres, ut idem ipse autumat, nec proprietatem, neque fructus lucrari possit, sed tamquam merus custos et minister reputari debeat. At sese opponentibus Patri-

bus Congregationis Missionis, qui plures facti ciscumstantias ingerere contendunt, concordatum fuit infrascriptum dubium, sapienter ab EE. VV. decernendum: – An fructus percepti per Petrum a die obitus Francisci et Tarquinii ex bonis hereditariis eorumdem sint restituendi Seminario erigendo in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Amerina praetensae Erectionis Seminarii die 1 Decembris 1714 lib. 64 Decretorum.*

63. Hinc si Fundator prohibuerit alienare Eremum, quam ipse erexit, nulla ac irrita est eiusdem donatio facta Conventui Capuccinorum, quin propterea in ea erigi valeat Hospitium seu Infirmaria *in Bracharen. Erectionis Hospitii die 12 Augusti 1741.*

64. Siquidem sub annum 1675 Antonius Pincheiro et Melchior ab Incarnatione prospecturi commodo eorum, qui mundi illecebras evitare satagentes et fructuosae solitudini rerumque divinarum contemplationi se devovere statuerunt, Eremum quamdam, congrua constituta bonorum dote, erexerunt ea sub lege, ne Eremus ista in alium quemcumque usum distraheretur. Iuxta Fundatorum mentem res diu stetit: at quum anno 1737 Simon et Ludovicus a Conceptione nuncupati ambo laici in dicta Eremo degentes, sub obtentu non inveniendi consocios volentes ibi solitariam vitam traducere, Eremum istam una cum omnibus eius bonis et iuribus donaverint cesserintque Conventui Fratrum Ordinis Capuccinorum Villae de Barcellos, in finem eam redigendi ad usum Hospitii et Infirmariae pro Religiosis eiusdem Ordinis infirmis et convalescentibus, Franciscus Sonza et Menezes Rector Ecclesiae parochialis S. Petri de Tamal, intra cuius Paraeciae limites saepe dicta Eremus constituta reperiebatur, praefatam donationem irritam esse contendens, oppositorem se praebuit, ne eiusdem donationis confirmatio nomine Syndici Fratrum dicti Conventus petita a Sacra Congregatione indulgeretur. Primo enim, quia obsistebat explicata Fundatorum dispositio; secundo, quia duo Laici non poterant, Presbiteris in Eremo degentibus, quibus ipsi inservire tenebantur, tantum sibi ius arrogare; tertio, quia si nulli amplius reperirentur Sacerdotes, qui dictam Eremum deinceps incolerent, Eremus ipsa una cum adiuncto Sacello omnibusque bonis ad eam pertinentibus remanere debuisset sub omnimoda iurisdictione et potestate Ordinarii Bracharensis, cuius muneris foret id totum in aliud pium opus convertere, nunquam vero licere posset duobus Laicis, absolutum sibi illarum rerum dominium usurpare et in alios effraeni quadam libertate transferre. Vicarius Capitularis inter cetera haec retulit: – Addo tamen, quod prohibitio alienandi, visa donatione, est absoluta, et nullam constituit differentiam inter usus prophanos, vel ecclesiasticos, et sic irrita videtur donatio Syndico facta. Parochus pugnat pro iuribus parochialibus, quibus privatur, confirmata donatione; addit, Capuccinos, quibus fit donatio, habere tres Conventus, unum supradictum de Barcellos, qui a tali Recollectione unam distat leucam, alium vocatum de Pranquira cum simili intervallo, alium iuxta hanc Civitatem, qui tres leucas distat; et sic non indigere hospitio in tali loco, et multo minus Infirmaria, ad quod institutum ineptus est talis locus, et aptissimi Conventus supradicti, succedit, quod similes fundationes non permittuntur absque licentia Principis, qui, audito Ordinario et Populo, sine eorum assensu regulariter hoc non permittit, propter praeiudicium praedictis resultans. Accrescit, quod Populi non sufficiunt ad alendos tres Conventus supradictos, et sic magis gravarentur, permissa tali fundatione. Aliud et sane non parvum pullulat inconveniens, quippe in Recollectione eiusmodi constituta reperitur obligatio certas quidem celebrandi Missas, quae per viam legatorum fuit suscepta, quorum onerum omnino Capuccini de iure redduntur incapaces, nec illorum subeundi obligationem valide possunt in se suscipere. Denique exponens praefatus in supplicatione sese veritatis suppressione habuit, dum recollectis Viris destitutam praedictam asserit esse recollectionem, cum potius in veritate sit, quod ad praesens in ea degunt et simul habitant viri quinque congregati, et quorum tres sunt Presbiteri et alii duo laici –.

65. His mature perpensis, propositis dubiis: – An donatio sustineatur in casu etc. II. An sit locus erectioni Hospitii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad utrumque, et amplius – *in Bra-*

charen. Erectionis Hospitii die 12 Augusti 1741.

66. E contra valida renunciatur donatio aedificii et terreni facta ab Eremita Conventui Patrum Trinitariorum, licet Curia Episcopalis pluribus assertis de causis eam servatis servandis nullam definierit, dictus tamen Conventus exhibere tenetur suas constitutiones, ut decidatur, num eo in loco manutenere valeat in perpetuum duos saltem Religiosos *in Tusculana die 3 Februarii 1725.*

67. Enimvero Philippus magnus comestabilis Columna anno 1707 concessit unum rubrum terreni in summitate Montis Cavi Edmundo de Buisson ad habendum meliorandum et fabricandum ad usum Eremi cum horto et viridario, et Fabritius filius dicti Philippi anno 1718 concessionem a Patre factam extendit ad alios centum terrae passus, et Communitas Arcis Papae, quae habebat ius lignandi in toto circuitu Montis Cavi, a dicto onere liberavit situm omnem Edmundo uti supra concessum. Fabricavit Edmundus Capellam chorum octo cellas et alias quasdam mansiones, ut alios Eremitas in eo recipere posset, sed cum subinde, ut maior Deo Optimo Maximo cultus in praedicto loco exhiberetur, situm et omnia praedicta donaverit die 8 maii 1723 Ordini Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum excalceatorum Congregationis Hispaniarum in Conventu S. Caroli ad quatuor fontes in Urbe degentium, praevia reservatione consensus et approbationis magni comestabilis Columnae, et sub reservatione Beneplaciti Apostolici et consensu Emi Episcopi Tusculani. Comestabilis omnia benigne approbavit: sed interposito recursu ad Sacram Congregationem Emus Episcopus retulit, in loco fabricae factae ab Edmundo adfuisse ruralem Ecclesiam S. Petri, fabricam Patribus donatam fuisse ex piorum eleemosynis constructam, adeoque de ea Eremitam disponere non potuisse sine consensu Ordinarii, in donatione non adesse pactum non quaestuandi, adeoque adversari alios Religiosos Matris Dei Redemptionis Captivorum, qui habebant in loco Arcis Papae Conventum, nullatenus suffragari cessionem factam ab Archipresbitero Arcis Papae favore Edmundi, Vicarium Generalem servatis servandis nullam dixisse dictam cessionem ac donationem. E contra Patres Trinitarii sustinuerunt, in loco concesso nunquam fuisse Ecclesiam S. Petri unitam Ecclesiae parochiali, sed potius rudera quaedam Templi Iovi a Gentilibus dicati; negarunt, quod fabrica piorum eleemosynis in totum facta fuisset, cum Edmundus plura de proprio impenderit, et eleemosynae, quas habuit, non fuerint factae pro fabrica, sed pro alimonia quaerentis, qui bene idcirco potuit disponere, cum parce vivendo necessaria sibi subtraxerit, ut fabricam perficeret. Adverterunt inde Patres Trinitarii, statutum esse in suis Constitutionibus, quod in qualibet Provincia locus quaereretur desertus, in quo Religiosi vitam solitariam desiderantes vivere possent, se idcirco locum praedictum obtinuisse, ut in eo duo Religiosi sumptibus Conventus S. Caroli ad quatuor fontes alendi vitam solitariam ducere possent, se ulterius in precibus magno Comestabili porrectis quaestuationi renunciasse et iterum libentissime renunciare, quin obstaret, quod in donationis instrumento mentio fieret Conventus progressu temporis erigendi ex legatis et aliis, quae a Benefactoribus tractu temporis conferri possent, cum in praesens quaestio non esset, nisi de simplici Eremo cum sola Capella ad privatum commodum duorum Religiosorum, adeoque examen novi Conventus erigendi differendum esset ad tempus, quo de eius erectione tractari deberet, tunc enim citandi forent omnes illi, qui sua putarent interesse, ne novus aperiretur Conventus. Ad sententiam autem Curiae Episcopalis quod spectabat dixerunt, de ea non esse habendam rationem, tum quia innixa erat fundamentis supra reiectis, tum quia prolata fuerat post Causam ad Sacram Congregationem devolutam.

68. His utrinque perpensis, propositis dubiis: — I. An donatio seu cessio aedificii et terreni in summitate Montis Cavi per dominum Edmundi de Buisson facta ad favorem Conventus S. Caroli ad quatuor fontes sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative* II. An sit locus revalidationi? *Et quatenus affirmative ad alterutrum.* III. An liceat dicto Conventui S. Caroli manutenere in perpetuum et de continuo in eadem Eremo Montis Cavi duos saltem Religiosos Sacerdotes ex

eorum Ordine et Congregatione Hispaniarum cum obligationibus praescriptis in instrumento dictae donationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, et amplius. Ad secundum, provisum in primo; et amplius. Ad tertium, exhibeantur Constitutiones – *in Tusculana die 3 Februarii 1725.*

69. Donatio autem mole sui corruit, si a dementibus facta fuerit, qui ex omnium gentium iure contrahere nequeunt : nec Matris auctoritas quidquam proficit , si donationi, qua tutrix, adfuerit; donationem enim pupillorum et dementium ne auctori quidem Tutore consistere valent, L. *Non omni* 16 Cod. admin. et peric. tutor., Voet in pandect. lib 39 tit. 5 n. 9 *in Melevitana Beneficii die 21 Novembris 1829* §. *Deinde.*

70. Hinc et donatio Mulierum irrita est, si facta fuerit absque proximiorum interventu, et si defuerit apud Iudicem praeiudicialis insinuatio; quibus enim deficientibus, pluries dixit irritas donationes S. Rota, ceu in Firmana Nullitatis Donationis 18 aprilis 1817 coram Piccolomini §. 10 *in Firmana Institutionis et Locationis die 2 Iunii 1838* §. *Spectaret.*

71. Siquidem insinuatio necessaria est ex Aegidianae Constitutionis sanctione *in Montis Alti Capellaniae die 12 Iulii 1823* §. *Longe.*

72. Nam insinuationem in contractibus Mulierum et Minorum pro forma essentiali ab Aegidiana Constitutione praescriptam esse admonent Constantini ad statutum Urbis annot. 44 art. 8 n. 784 , Rota coram Coccino decis. 1513 n. 6 *in Montis Alti Capellaniae die 26 Februarii 1825* §. *Silentium.*

73. Donatio vero in suo robore manet, si eam minorem quidem aetatem agens perfecit, sed omnibus adhibitis solemnitatibus a iure praescriptis instrumentum fuerit stipulatum, cum praesertim quadraginta et amplius anni elapsi sint, quin de eiusdem instrumenti nullitate conquestus fuerit donans; id enim exceptionem etiam omissae insinuationis excludit , quandoquidem rescissionis exceptio contra quinquennium proponi debet, Novell. 92 cap. 1, L. ult. Cod. de inoff. donat., L. *Si quis filium* 34 Cod. de inoff. testam. *in Montis Alti Capellaniae die 12 Iulii 1823* §. *Sacerdos.*

74. Similiter de iure est, donationes inter Virum et Uxorem, constante Matrimonio, factas improbari, ex textu in L. 1 et 2 ff. de donat. inter Virum et Uxorem, L. *Cum quis decedens* §. Titio ff. de legat. 3, nisi morte Viri, vel Uxoris confirmentur , ex traditis per Rotam in Romana seu Fanen. Dotis super cautela Angeli 10 decembris 1756 §. 4 coram Olivatio *in Verulana die 11 Ianuarii 1777* §. *Quamvis.*

75. Ambigendum tamen est, an testamentum Viri , quo , praevia absolutione a iuramento praestito in huiusmodi donatione favore Uxoris de eam non revocando, quam tamen revocavit, mandavit, ut post obitum praefatae suae Uxoris , quam heredem usufructuariam reliquerat, utcumque ad secundas convolasset nuptias, quatuor erigerentur Capellaniae cum onere Missae quotidianae, mereatur executionem etiam quoad ea quae, praeter erectionem Capellaniarum praeterque faciendam Capellanorum nominationem in donatione sibi reservatas, praescripta fuerant: et an praefatus Vir, condito testamento, praecedentem revocare potuerit donationem Uxori factam, quoties ipse sciens prudens nullitatem donationis tamquam a lege improbatae, adhuc tamen pro firmitate donationis huic beneficio legis, interposito iuramento , solemniter renunciavit, ex traditis per Rotam coram Molin. decis 1036 n. 3, exemplo Fratris , qui bona sua donaverit favore Fratris, intuitu certi Matrimonii cum explicita renunciatione L. *Si unquam* Cod. de revocan. donat., per quam huius generis donationes revocationi subiiciunt, ob supervenientiam filiorum donantis, et tamen firma manet donatio, licet filii superveniant , quia legis auxilium , cui Donans renunciaverit, eidem minime succurrit, ut testis est Rotalis decisio, cui titulus Spoletana Reintegrationis et Immissionis 17 ianuarii 1755 coram Stadion *in Verulana die 11 Ianuarii 1777* §. *Quamvis.*

76. Ambigendum insuper est, an absolutio a iuramento, nec citata, nec audita Uxore donataria, per Virum Donantem ab Episcopo reportata, tanti roboris et efficaciae esse potuerit, ut Viro liberum fuerit revocare donationem iuramento vallatam in praeiudicium eiusdem Uxoris, cui ius iam inde fuerat super bonis donatis perfecte quaesitum, quod

tuetur Rota in Ripana Devolutionum 11 iunii 1756 §. 11 coram Canilliac, et in Romana seu Ferrarien. Census dicta die et anno §. 15 coram Stadion *in Verulana die 11 Ianuarii 1777* §. *Ambigendum*.

77. Praeterea ponderandum occurrit, hic non agi de pura et simplici donatione a Viro facta Uxori, vel e contra, sed agi quidem de reciproca donatione una cum ultima dispositione vicissim facta inter Coniuges, quae tamquam liberalitem excludens valere Virum inter et Uxorem, absque eo quod indigeat confirmatione per mortem, firmavit Lopez de donat. inter Vir. et Uxor. in Repetit. Rubricae §. 50 n. 12 16 et 17, et ad rem explicat Cutell. de donat. special 17 n. 14: quemadmodum enim, si Vir Uxori supervixisset, gavisus fuisset effectu et commodo reciprocae donationis eos inter initae, ita videtur, praefatum Virum de hoc eodem donationis commodo et effectu suam Uxorem privare non potuisse, dum Uxori praecederet *in Verulana die 11 Ianuarii 1777* §. *Praeterea*.

78. Quum autem Uxor superstes ad omnes praecidendas iuris et facti quaestiones proposuerit transactionis speciem, nimirum renunciandi ius suum, quod, subsistente donatione, super bonis donatis habebat, ea distrahendi usque ad dodrantem, relicto tantum quadrante pro erigendis Capellaniis, quae iuxta voluntatem Viri donantis erigi debebant cum suis bonis, tempore eiusdem mortis existentibus, per ea, quae sancita fuerunt in Auth. *Contra cum rogatus* Cod. ad sen. cons. Trebell., et consentanee firmavit Rota in Aesina Immissionis super reservatis 5 martii et 15 iunii 1799 coram Elephantutio; quumque eadem Uxor exhibuerit restitutionem bonorum, quae sibi donata fuerant, quaeque servavit, nec non et praestiterit assensum, ut exequeretur Viri testamentum, utque erigerentur quatuor demandatae Capellaniae, quarum fundos obtulerat se aucturam in scutis centum de propriis bonis, dummodo tamen in horum omnium correspectivitatem bonorum usufructus, quem idem Vir sibi reliquerat, eius vita durante, protraheretur etiam ad vitam sui secundi Viri, suspensa interim Capellanorum nominatione, illa tantum excepta, quam Vir egit in suo testamento in personam designati Clerici, Sacra Congregatio preces praefatae Uxoris, quas, ea interim functa, prosequutus est dictus secundus Vir, penitus reiecit, licet illis Episcopus et unicus Patronus annuissent; proposito enim dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, primum die 11 ianuarii 1777 respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo pro ulteriori informatione super annuo fructu bonorum hereditariorum Iosephi Cappella et super aetate Oratoris –. Exinde vero constitit quidem, reditus bonorum primi Viri ascendere ad annua scuta 89 71, et secundum Virum esse in aetate annorum quinquaginta constitutum; sed cum e contra urserit Angela Celletti mater defunctae praedictae Uxoris Praxedis in primis nuptiis Iosephi Cappella, ac contenderit, reiiciendam esse petitionem praefati secundi Viri Andreae Trenta, ne indulgentia Sacrae Congregationis praeiudicii esset eius iuribus contra dictum Andream promotis coram A. C. Cioia super nullitate donationis, quam egit Filia Praxedes, praetermissa Matre, favore Andreae Trenta eius secundi Viri, vel saltem super assecutione legitimae super illius dote ex bonis Iosephi Cappella eius primi Viri detrahenda, atque sustinuerit, exequendam esse voluntatem Iosephi erectione Capellaniarum cum Missarum celebratione, ne eius anima debitis privaretur suffragiis, ac fortius ne ulterius imminueretur hereditas, cum doceret, capitalia nonnullorum censuum hereditariorum Iosephi cum eorum fructibus usque ad illius obitum decursis ascendentia ad summam scutorum mille circiter extincta et distracta fuisse ab eodem Andrea Trenta et a Praxede eius Uxore, nec esse sperandum, quod Andreas pro distractis bonis reintegraret expilatam Iosephi Cappella hereditatem, quia Andreas pauper erat, suis laboribus et industria vivebat, nihilque possidebat, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Verulana die 14 Februarii 1778*.

79. Nec ullatenus posse Episcopum sine Apostolico Beneplacito bona unius Ecclesiae in alteram etiam inopem transferre, respondit Sacra Congregatio die 11 iunii 1712 ad primum postulatum Eminentissimi Bellugae, tunc Carthaginensis Ecclesiae Pastoris vigilantis-

mi in visitatione sacrorum Liminum his verbis: – Respondentes autem Eminentissimi Patres postulatis; et primo, an reditus exuberantes divitum Ecclesiarum applicari possint Ecclesiis pauperioribus, censuerunt, id fieri non posse absque Beneplacito Apostolico –, ut in lib. 20 Litt. *in Arianen. Canonicatus die 7 Februarii 1733* §. *Perpendendum.*

80. Quin imo Archiepiscopi atque Episcopi Regni Neapolitani habentes facultatem ab Innocentio XII tributam in Constitutione, quae incipit: *Inscrutabili* inter eius n. 23, disponendi videlicet de eorum bonis, quae spolio subiacere deberent favore Metropolitanarum et Cathedralium, iisque indigentibus favore Ecclesiarum Parochialium, non possunt donare causa mortis praedicta bona Ecclesiis Parochialibus, si Ecclesiae Metropolitanae et Cathedrales indigentia premantur; alias enim nulla censetur ac est huiusmodi donatio *in Abellinen. et Frequentina die 18 Augusti 1703 lib. 53 Decretorum* (1).

81. Valida tamen renunciatur donatio inter vivos, qua Episcopus quaedam vasa argentea quoad proprietatem Cathedrali Ecclesiae, quoad autem liberum usum sibi et successoribus concessit, cum vix munus Episcopale suscepisset iureiurando affirmaverit, ea ex propriis pecuniis sibi comparasse, ab eiusque patriis laribus transvexisse *in Andrien. Donationis die 19 Augusti 1713 lib. 63 Decretorum.*

82. Enimvero – ubi primum ad Ecclesiae Andriensis Episcopale munus evectus fuit R.P. Andreas Arianus sub anno 1697 describi in publicis tabulis curavit quaedam mobilia praesertim argentea, quae iureiurando affirmavit ex propriis pecuniis sibi comparasse, ab eiusque patriis laribus transvexisse; de anno subinde 1700 praelibatus Episcopus in huiusce inventarii calce propria manu declaravit, quod crucis signo notata in numero unius supra triginta, post eius decessum, beneficio iam dictae Ecclesiae remanerent, reliqua vero ad heredes et successores spectarent, tamquam patrimonialia. Postremo anno interlabente 1706 irrevocabili donationis titulo, quae inter vivos dicitur, concessit Cathedrali Ecclesiae, quoad proprietatem dumtaxat, quindecim argentea vasa iam obsignata, eorum tamen liberum usum sibi ipsi ac Episcopis pro tempore succedentibus reservavit, ut, re familiari pretiosa iam instructa, facilius Pauperibus ipsi succurrere possent. Fato tum pridem functo praelaudato Episcopo, statim ac modernus Antistes Adinolfi clavem Andriensis Ecclesiae suscepit, Capitulum Cathedralis in controversiam revocare cepit donationem, ut praefertur, exaratam anno 1706, sibi pleno iure vindicare contendens mobilia, quorum usus successoribus Episcopis in ipsa attributus fuit. Hinc inter Partes concordato huiusmodi facti themate, modo desuper exquiritur sapiens EE. PP. oraculum sub dubio: – An donatio, de qua agitur, sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Andrien. Donationis die 19 Augusti 1713 lib. 63 Decretorum.*

83. Hinc post centum et ultra annorum metam, qua viguit donatio Ecclesiae una cum domo et praediolo facta ab Episcopo per se et mensam suam Episcopalem Ordini Fratrum Minorum Conventualium, frustra eam nullam ex eo dixit Capitulum, quod ipso irrequisito earumdem domino fuerit expleta, quin praedicti Fratres legem in fundatione indictam servaverint *in Vasionen. Iurium parochialium die 17 Februarii 1742.*

84. Siquidem Guillelmus Cheisolmus Episcopus Vasionensis, divino cultui adaugendo atque spirituali Gregis sui bono consulturus, sub anno 1628 Ecclesiam quamdam a Civitate Vasionis parum dissitam una cum domo atque praediolo illi adiacentibus – per se et Mensam suam Episcopalem, salvo iure tertii –, titulo donationis concessit Ordini Fratrum Minorum Conventualium ea sub lege, ut senarius ibi constitueretur Religiosorum numerus, quorum duo vel tres audiendis confessionibus, atque alter habendis concionibus vacarent. Cumque eodem fere tempore accesserit consensus Communitatis Vasionensis per actum, quem vocabant consularem, coram Praeposito Ecclesiae Cathedralis ad id specialiter ab Episcopo delegato praestitum, Fratres praedicti possessionem Ecclesiae ac domus paullo post nacti fuere, ibique inhabi-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Applicatio in genere*, n. 201 ad 205, Tom. II.

tare ceperunt. Inde vero Capitulum Ecclesiae Cathedralis contendit, irritam fuisse erectionem Conventus, utpote Apostolicae Auctoritatis praesidio haud communitam, invalidamque pariter donationem Ecclesiae et domus, quam ab Episcopo obtinuere, veluti irrequisito Capitulo earum domino expletam, et tandem illam corruisse etiam ob non servatam legem ab Episcopo in fundatione indictam, quippe quia nunquam in dicto Conventu retinuerint sex Religiosos. E contra praedicti Fratres Minores putarunt, utique post centum et ultra annorum metam, quae validissimi cuiuscumque tituli praesumptionem inducebat, frustra nimis de illorum viribus disceptari. Probarunt autem, in eo fuisse sex Religiosos, eiusdemque Conventus aedes fuisse ob hanc causam adauctas, et praedium quoddam, ut eius claustra amplius laxari possent, ab iisdem Fratribus comparatum. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An donatio Ecclesiae Beatae Mariae Virginis de Campis cum ei contigua domo facta per Episcopum Vasionensem Fratribus Conventualibus substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative, servatis tamen conditionibus in instrumento donationis appositis – *in Vasionen. Iurium parochialium die 17 Februarii 1742.*

85. Nec dubium, quin valeat ab Episcopo acceptari donatio bonorum pro Patrimonio eorum, quibus ad sacros Ordines sunt promovendi, dummodo sit absque ulla fraude vera et irrevocabilis et in tot bonis sufficientibus ad ordinandum honeste sustentandum *in Feretrana lib. 2 Decretorum pag. 19 a tergo.*

86. Quantitas autem ad honeste sustentandum sufficiens, intelligenda est cum vestiario et habitatione, iuxta conditionem ordinandi et more regionis inspecto *in Mutinen. die 25 Maii 1641 lib. 16 Decretorum pag. 520.*

87. Nam dispositioni Concilii Tridentini in cap. 2 sess. 21 de reformatione satisfactum est per donationes irrevocabiles *in Dubium ad cap. 2 sess. 21 Posit. 16 pag. 264 et Posit. 29 pag. 129.*

88. At donatio Patrimonii, ad cuius titulum quis fuit ordinatus, utpote prohibita Decreto Concilii in cap. 2 sess. 21 de reformatione iuramento donantis nequaquam confirmatur *in Parmen. anno 1599 lib. 9 Decretorum pag. 60.*

89. Quum vero Sacerdos titulo donationis inter vivos, neque ingratitudinis causa revocandae, retrocesserit usufructum bonorum in Fratrem, qui ea cum aliis ipsi in patrimonium ecclesiasticum constituerat, praeservato tamen in omnibus Episcopi beneplacito, qui subinde assensum praebuit, quia tamen dictus Sacerdos sibi summa pro titulo Patrimonii ecclesiastici necessaria reservaverat et pinguem possidebat Capellaniam, Sacra Congregatio dictum assensum praestitum confirmavit, etiamsi prafatus Sacerdos praetenderet, Episcopum non potuisse impertiri huiusmodi assensum, ex eo quod idem asserebat, se dictam donationem, re adhuc integra, revocasse *in Casertana Patrimonii die 26 Ianuarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

90. Siquidem – inde ab anno 1694 percupiens Ioannes Sarconius sacris initiari Ordinibus comparuit in Curia Episcopali Casertana, ibique ecclesiasticum Patrimonium constituit in quibusdam bonis stabilibus, quae sibi donata fuisse asseruit, quoad usumfructum, a Iulio aliisque Fratribus de Sarconiis, haec prae ceteris iureiurando addendo – promisit illa nec fructus illorum alterare, nec alicui hypothecare sub poena suspensionis ipso facto et nullitatis contractus –. At decem circiter post annos, idem ipse Ioannes iam factus Sacerdos, titulo donationis inter vivos, neque ingratitudinis causa revocandae, retrocessit memorato Iulio bona sive usumfructum supra recensitum, sibi tantum reservatis pro sacro Patrimonio annuis ducatis viginti quinque asserens, se provisum cum Capellania annui reditus ducatorum septuaginta in Civitate Neapolis, ubi moram faciebat, praeservato tamen in omnibus Episcopi beneplacito, quatenus de iure intercedere deberet. Nuper vero non dubitavit Ioannes praedictus controversiam coram Indice laico promovere adversus Iulium Sarconium super asserta falsitate huiusce instrumenti, exindeque edito Decreto, quod in Causa supersederetur, donec sub praefixo termino impetraretur assensus Episcopalis Curiae, in publicis tabulis praeservatus, confestim idem Ioannes protestationem emisit super falsitate instrumen-

ti, et quatenus de veritate, enixe impugnata, constaret, nullitatis vitio id ipsum redarguere cepit, tamquam exaratum contra formam praescriptam a sacro Concilio Tridentino. Nihilominus in Curia Episcopali Decretum prodiit super assensus concessione, quatenus in tribunali laicali, ubi super nullitate, vel falsitate instrumenti lis introducta fuit, declaratum fuisset, esse verum, et non falsum. Quoniam vero saepedictus Ioannes sibi persuadet, quod sive verum, sive falsum comperiatur instrumentum, nullatenus Episcopus poterat super eiusmodi retrocessione assensum impartiri, praesertim quia asserta huiusmodi donatio revocata ab ipso fuit, ut asseritur, re integra videlicet ante impetrationem beneplaciti, hinc supplicem recursum habuit ad Sacram Congregationem, quatenus praememoratum assensum revocare dignaretur.

91. Remissis itaque precibus pro consueta informatione, Episcopus Casertanus, qui cuncta haec non inficiatur, iure merito censet, expetitum assensum fuisse in Curia Episcopali exhibitum super donatione, ut inquit, ab ipsomet Oratore exarata; tum quia integrum ibi praeservatum comperitur ecclesiasticum Patrimonium in ducatis viginti quinque annuatim, quod iuxta taxam synodalem huiusce Diaecesis in eadem summa constabilitur; tum certius quia ad commodiorem vitae sustentationem ratio quoque habita fuit super reditibus Capellaniae supra enunciatae. Ceterum Relator ipse prosequitur, satis consultum fuisse saepedicti Oratoris indemnitati cum clausula in Decreto apposita, – si et quatenus instrumentum ipsum fuerit pronunciatum verum et validum, et non aliter –. Monito itaque Procuratore Iulii Sarconii, quid desuper decernendum sit, relinquitur summae EE. VV. sapientiae sub dubio: – An assensus praestitus per Curiam Episcopalem Casertanam, de quo agitur, sit revocandus vel confirmandus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Casertana Patrimonii die 26 Ianuarii 1715 lib. 65 Decretorum* (1).

92. Idcirco valida renunciatur donatio, qua Sacerdos in Fratrem contulit fundum Patrimonii ecclesiastici, sibi quoadusque viveret reservato usufructu, vel annua praestatione pecuniae, cum praesertim eidem in solo usufructu praedicti fundi Patrimonium praefatum fuerit constitutum *in Monopolitana Donationis die 20 Ianuarii 1770.*

93. Iamvero Paulus de Alessio, postquam ad Sacerdotium fuit evectus, anno 1735 Patrimonium ecclesiasticum irrevocabiliter donavit Natali de Alessio fratri, reservato sibi quoad viveret usufructu, vel annua responsione ducatorum septemdecim, prout melius eidem Natali donatario videretur. Paulus tamen fundum praedicti Patrimonii possidere continuavit ad annum usque 1759, illumque pro sui arbitrio locavit. Cum autem Natalis frater eo anno illum vindicare sategisset, oblata Paulo fratri pensione ducatorum septemdecim, quaestio instituta fuit in Curia Metropolitana super dictae donationis validitate: sed Episcopalis Curia validam declaravit donationem cum onere annuae praestationis ducatorum septemdecim, Paulo dum viveret persolvendae. Appellavit Paulus ad Sacram Congregationem: namque contendit, fundum seu rus sibi in Patrimonium ecclesiasticum anno 1729 assignatum fuisse; irritam idcirco fuisse donationem factam anno 1735 absque Ordinarii licentia favore Natalis fratris, ex censura Concilii Tridentini cap. 2 sess. 21 de reformatione, quin obesset reservatio vel ususfructus ruris, vel annuorum ducatorum septemdecim. Etenim compertum est, Patrimonium semper in re stabili constitui ac permanere debere; hinc invalidam esse quamcumque distractionem rei stabilis in Patrimonium assignatae, etiam reservato favore donantis usufructu, vel annua responsione. Nec prodesse sustinuit ad donationis validitatem tuendam, quod ipse donans inter Portionarios Ecclesiae Cathedralis adscriptus esset, tum quia tempore donationis Portionariorum Collegio nondum fuerat cooptatus, tum quia Patrimonii titulus, ac legis prohibitio de illius alienatione non cessat, nisi de expressa Episcopi licentia Beneficium loco Patrimonii subrogatum fuerit. Animadvertit insuper, immerito supponi, donationem fuisse onerosam et

(1) Reliqua late habebis in Verb. *Patrimonium ecclesiasticum.*

correspectivam, quin imo ex eius litera aperte constare mere gratuitam ac voluntariam extitisse; eamque donationem spatio fere viginti quinque annorum nunquam executioni fuisse demandatam, ac proinde ex hoc ipso illius nullitatem et inefficaciam deprehendi. Contra Antonia filia praedicti Natalis, qui ei praefatum rus in dotem constituerat, cum proprio Viro validitatem donationis propugnavit. Dixit enim, Patrimonium ecclesiasticum sacerdotis Pauli fuisse a Matre constitutum in solo usufructu praedicti ruris, non vero in illius proprietate; nihil proinde detractum fuisse eidem Patrimonio ecclesiastico ex donatione, quae non usumfructum, sed proprietatem tantum comprehendebat. Addidit, in ipsa donatione sacerdotem Paulum sibi expresse reservasse dicti ruris usumfructum, et hac stante reservatione, liberum eidem fuisse ad alienationem proprietatis Patrimonii ecclesiastici absque Episcopi licentia devenire. Exequendam hinc esse sustinuit donationem irrevocabiliter factam, praesertim quia exarata noscebatur in remunerationem beneficiorum a Donante acceptorum, et munita etiam deprehendebatur iuramento et pacto de non revocando, quorum utrumque tantae est efficaciae ac roboris, ut irrevocabilis censeatur donatio, etiamsi destituta sit Episcopi licentia, vel saltem id efficit, ut etiam ex post Ordinarii approbatio efflagitari atque obtineri valeat. Insuper Sacerdos Paulus non solum usumfructum ruris percipiebat, sed etiam Portionarius erat Ecclesiae Cathedralis et abunde provisus, unde cessabat ratio et causa, cur a Concilio Patrimonii distractio vetita fuerit. Tandem observavit, donationis nullitatem nonnisi, quam post lapsum triginta annorum fuisse propositam, quo quidem temporis decursu quaelibet nullitatis querela praescripta remanserat.

94. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An substineatur donatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Monopolitana Donationis die 20 Ianuarii 1770* (1).

95. Nulla autem est donatio facta ante ingressum in Monasterium eidem Monasterio coram Episcopo, licet donans defuncta sit in Monasterio post annum probationis *in Civitatis Ducalis lib. 3 Decretorum pag. 74.*

96. Nulla pariter est donatio facta a Novitio post duos menses sui novitiatus favore Monasterii, in quo habitum susceperat, tamquam comprehensa in Decreto Concilii Cap. 16 sess. 25 de Regularibus *in Licien. die 6 Decembris 1642 lib. 17 Decretorum pag. 121.*

97. Hinc et donatio facta a tacite professo renunciatur nulla, si infra duos menses ante professionem eam non fecit cum licentia Ordinarii, iuxta Decretum sacri Concilii Tridentini in cap. 16 sess. 25 de Regularibus *in Cremonen. lib. 2 Decretorum pag. 249.*

98. Unde nullae censentur ac sunt donationes factae a Novitiis ante ingressum in Religionem Monasterio sive Conventui, in quo habitum susceperunt, si Novitii decedant ante annum probationis, nec bona donata possunt a Monasterio retineri *in Dubium ad cap. 16 sess. 25 de Regularibus Posit. 147.*

99. Similiter nullae ac irritae prostant donationes factae a Novitiis Monasterio, omissa licentia, de qua in Decreto Concilii cap. 16 sess. 25 de Regularibus, etiam professione sequuta *in Dubium ad cap. 16 sess. 25 de Regularibus Posit. 147 pag. 511.*

100. Hinc Sacra Congregatio haud permisit Patribus Excalceatis S. Petri de Alcantara, ut reciperent donationem domus, quam ipsi titulo conductionis inhabitabant, cum onere Missae quotidianae, licet necessitas et utilitas concurrere videretur, quum eorumdem Constitutiones districte prohiberent, quominus onera Missarum acceptarent, sed Missas celebrare deberent pro suis Benefactoribus, nulla accepta pro ipsis eleemosyna *in Neapolitana die 17 Septembris 1722.*

101. Siquidem Nicolaus Aulisius Garigliola emit domum a Theresia et Dorothea de Maniello et se obligavit ad certam summam dictis Mulieribus persolvendam, usquequo vixissent, et illis defunctis, se et suos heredes obligavit ad celebrare faciendum Missam quotidianam pro anima illarum in quacumque Ecclesia sibi benevisa. Mortuo Nicolao, praedicta domus pervenit ad Franciscum eiusdem fratrem, et praeter domum praedictam subiectamque oneri Missae quotidianae, pro qua

(1) Cetera prostant in Verb. *Attentata*, n. 324 ad 330, Tom. II.

Capellano persolvebantur ducata 36 quolibet anno, alia ipse possidebat bona, et signanter aliam domum, quam inter vivos donare intendit Patribus Excalceatis S. Petri de Alcantara Nationis Italicae, qui titulo conductionis tunc in ea habitabant, iuxta facultatem a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium obtentam. Quia vero Franciscus Donator liberare volebat aliam domum ab onere Missae quotidianae, et in compensationem domus, quam Patribus donare intendit, volebat, quod dictae Missae onus assumerent, quae res dictorum Patrum Constitutionibus obstare videbatur, hac de causa preces Summo Pontifici exhibitae fuerunt. Nuntius retulit, primo exortas fuisse dissentiones anno 1719 inter Religiosos huius Ordinis Hispanos et Italos, et hos e Conventu eiectos magna cum difficultate reperire potuisse in Civitate Neapolitana domum, in qua habitare possent; secundo eos habuisse a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium licentiam conducendi domum, et conduxisse eam, de qua agebatur, quae erat maximopere apta, et quae licet locaretur pretio ducatorum 142, nihilominus pietatis gratia locata fuit ab Aulisio iisdem Patribus sive eorum Syndico pretio tantum ducatorum centum; tertio velle utique Aulisium Patribus donare domum, sed insimul velle, ut ii in se assumerent onus Missae quotidianae, ut alia domus, super qua dictum onus erat impositum, sibi libera remaneret; quarto maximopere expedire bono animarum, ut Religiosi isti permanerent in Civitate Neapolitana, et ab ea non discederent, nec alio modo permanere posse, cum essent in extrema necessitate constituti, et demum emere non possent, nec prosequi in solutione pensionis; ultimo non posse illos acceptare onera Missarum, sed Missas celebrare et orationes facere, iuxta praescripta in suo instituto pro suis Benefactoribus; in quo rerum statu, salva et integra regula de non acceptandis oneribus Missarum, ad participationem suffragiorum et orationum, quae pro Benefactoribus faciebant, admitti possent Theresia et Dorothea de Maniello, pro quarum animabus Missa esset celebranda (1).

102. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo petitis sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Neapolitana die 17 Septembris 1722.*

103. Idcirco nec dispositio testamentaria, qua bonorum hereditas relinquitur Capellae existenti in Ecclesia Patrum Reformatorum, cum onere utensilium et onere Missarum celebrandarum a dictis Patribus vel Substitutis, sustinetur, nec donatio inter vivos valida renunciatur, qua omnia pariter bona conceduntur, tam pro utensilibus alterius Capellae eiusdem Conventus dictorum Patrum Reformatorum, quam pro Missis nec non pro lana pro Patribus *in Marianen. piarum Dispositionum die 6 Iulii 1709 et die 15 Novembris 1710 lib. 59 et 60 Decretorum.*

104. Enimvero – binae piae dispositiones facessunt negocium in hac causa. Altera facta per Petrum Antonium Adurnum Terrae Occhiatanae in ultimo, sub quo decessit testamento de anno 1689, in quo factis quibusdam particularibus legatis, reliquum suae hereditatis investiendum in tot censibus et sub prohibita alienatione addixit Capellae seu Altari nuncupato *del Cordone*, sito in Ecclesia Patrum Reformatorum S. Francisci loci Tuani, constituitque suum Executorem fideicommissarium Procuratorem seu Syndicum pro tempore antedicti Conventus, cuius esset cura ex reditibus hereditariis applicandi medietatem in manutentionem et ornatum utensilium et paramentorum dictae Capellae, et aliam medietatem celebrari faciendi Missas (2). Postmodum idem Testator de anno 1690

(1) Verba Constitutionum haec erant, ut in cap. 3 puncto primo §. 5 n. 2: – E seguendo l' esempio del Sommo nostro Sacerdote Gesù Cristo, che liberamente per gloria del Padre e salute delle anime nostre sacrificò se stesso nell' altare della Croce, s'ordina a tutti i Sacerdoti della nostra Provincia, che dentro e fuori de' Conventi celebrino in unione di quella purissima e dissinteressata intenzione del nostro Redentore, applicando tutte le Messe per i Benefattori, e secondo che s' ordina in queste Costituzioni e si comanda in virtù di santa obbedienza, che mai non sia lecito di ricevere per niuna Messa elemosina, nè in denari, nè in verun' altra cosa, come ordinò già l' Emo Barberini –. Et paullo post: – Possono però i Prelati applicare tre o quattro Messe per qualche gran Benefattore particolare, ma sia ciò di rado, e senza che direttamente, nè indirettamente si pretenda interesse da lui –.

(2) Scilicet, – e l' altra metà i Procuratori, che saranno pro tempore, farne celebrare tre messe ogni settimana

codicillum confecit, in quo confirmando supradictam dispositionem ad favorem supradictae Capellae addidit, quod in casu, quo Procurator seu Syndicus dicti Conventus renueret seu non posset acceptare seu administrare dictam hereditatem, tunc administratio deveniret ad Presbiterum pro tempore ipsimet Testatori proximiorem, ab eodemque Missae celebrarentur in primodicto Altari, eodemque Presbitero deficiente, administratio Missarumque celebratio pertingeret ad Sacerdotem seniorem Terrae Occhiatanae, cum iisdem iuribus collatis in Procuratorem seu Syndicum Conventus; atque subinde Patribus renuentibus admittere dictos respective Presbiteros ad celebrationem in saepedicto Altari, tum Missae celebrarentur in Ecclesia Occhiatanae. Ulterius idemmet Testator in alio codicillo enunciatas Missas tres Patribus iniunctas moderatus fuit ad duas dumtaxat in hebdomadam. Altera dispositio facta extitit de anno 1700 per Paulum Petrum Polidorum loci Bananiae mediante contractu donationis inter vivos omnium suorum bonorum erga Procuratorem seu Syndicum Patrum Reformatorum supradicti Conventus Tuani, eiusque Conventus nomine acceptantem et Successores in munere Procuratoriae, in quo fuit pactum, ut idem Syndicus venderet dicta bona, et ex eis constitueret capitale in censibus, quod redderet certam annuam summam convertendam in ornatum ipsius Donantis Capellae sub invocatione Sanctissimae Annunciationis positae in Ecclesia dicti Conventus; de reliquo vero quod perciperetur ex eisdem bonis venditis, una medietas erogaretur in emptionem lanae pro indumentis Patrum Reformatorum districtus Bananiae, ac altera medietas implicaretur in stipendiis tot Missarum celebrandarum a Patribus Reformatis Conventus Tuani ad rationem solidorum decem pro qualibet. Etsi forte non reperiretur emptor dictorum bonorum, conventum fuit, ut ex eorum reditibus erogarentur annuae librae triginta pro dicta Capella, et quidquid superesset, pro medietate expenderetur in vestimentis Patrum, et pro alia medietate celebrari fierent tot Missae a Patribus Conventus Tuani, quousque tamen non divenderentur dicta bona donata. Cumque haec innotescerent Fr. Serapioni Ministro Provinciali Provinciae Corsicae, idem attendens acceptationem praedictarum dispositionum repugnare altissimae paupertatis Instituto Patrum Reformatorum, de asserto mandato Superiorum Generalium Urbis, eas renunciavit in manibus Episcopi Marianensis praedecessoris declarans, ut dumtaxat per modum simplicis eleemosynae liceret Patribus dictas dispositiones recipere; hinc Episcopus eas applicavit Capitulo et Canonicis eius Ecclesiae Cathedralis in subventione illarum Praebendarum, facta tamen obligatione per eosdem Canonicos solvendi Procuratori seu Syndico pro tempore Conventus Tuani aliquam eleemosynam ad effectum satisfaciendi oneribus iniunctis in dicto testamento codicillo et donatione, sicque subinde per eosdem Canonicos capta fuit supradispositarum rerum possessio.

105. Adversus huiusmodi applicationem recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem modernus Syndicus Apostolicus Conventus Tuani, et humiliter instit pro eius revocatione, et pro observantia dictarum dispositionum, iuxta illarum formam a Disponentibus praescriptam. Unde modernus Episcopus mox recens in illo Episcopatu informare requisitus praemissa confirmavit, suumque votum aperire omisit. Citatis itaque Canonicis dictae Cathedralis concordatisque dubiis infrascriptis cum eorum Procuratore in Curia ac Partibus monitis, restat, ut EE. VV. declarare non graventur: – I. An susti-

in perpetuo all' Altare del Cordone per l' anima di esso Testatore, e dette Messe a quelli Sacerdoti di detto Convento di Tuano, o ad altri, che al Procuratore parerà, e ciò per elemosina e non per altro etc. e condizione, che detti Padri non possino per alcun tempo del mondo acquistar dominio successo padronanza di detti stabili o mobili di esso Testatore, nè altri redditi suddetti, non per osservazione servile possino molestare detto suo Esecutore fideicommissario, che sarà pro tempore etc., ma solo quelli scuotere ed avere per modo di elemosina, quali dovrà per la celebrazione di dette Messe e sovvenimento alla loro povertà e non altrimenti etc. Dichiarando parimenti, che detta volontà sia a favore di detta Cappella e Padri, non vuole possa chiamarsi nulla e di niun valore e caduca, ovvero doversi detti suoi beni, quali cose alli venienti ab intestato, ma quella stabile e ferma etc. in quella miglior forma modo etc. con condizione, che niun Superiore ecclesiastico seculare si possa in quella intromettere, e conoscere detti emolumenti di quella etc. –.

neatur dispositio facta per quondam Petrum Antonium Adurnum ad favorem Capellae *del Cordone* existentis in Ecclesia Patrum Reformatorum Terrae Tuani cum onere utensilium et onere Missarum celebrandarum a Patribus, vel Substitutis in casu etc. II. An sustineatur donatio facta a Petro Paulo Polidoro, tam pro utensilibus Capellae Sanctissimae Annuntiationis Conventus Patrum Reformatorum dictae Terrae Tuani, quam pro Missis nec non pro lana pro dictis Patribus in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An his et quibus dispositionibus renunciare potuisset Serapion Minister Provincialis Patrum Reformatorum? *Et quatenus negative quoad omnia.* IV. An idem Provincialis inciderit in poenas et censuras latas contra alienantes bona Ecclesiae et in contentas in Decreto contra alienantes bona Regularium in casu etc. –, Sacra Congregatio die 6 iulii 1709 respondit: – Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium et quartum, provisum in primo et secundo –. Non acquiescens idem Syndicus praefatis resolutionibus, noviter adversus eas audiri obtinuit. Unde repropositis dubiis sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis sub die 6 iulii 1709 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis in omnibus, et amplius quoad Fratres – *in Marianen. piarum Dispositionum die 15 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

106. Quum autem Fratres S. Francisci de observantia Conventus S. Mariae et Angelorum et alii eiusdem instituti existentes in Monte Civitatis Perusinae Sacrae Congregationi supplicassent pro facultate acceptandi legatum relictum cum onere perpetuo Missarum, et exposuissent, suos Conventus esse in necessitate, et legata a se esse expendenda in causam dictarum necessitatum, Sacra Congregatio censuit, annuendum esse petitis, – remanente tamen Conventui et Fratribus onere celebrandi in perpetuum Missas a Testatore demandatas –, uti habetur in lib. 13 Decretorum pag. 23 *in Neapolitana die 29 Augusti 1722* §. *Transeundo.*

107. Ceterum iustis de causis Sacra Congregatio indulsit quidem Thomae Innico dispensationem a voto Religionis, sed quoad donationes bonorum, quas ante professionem religiosam ipse Monasterio et aliis fecerat, mandavit, uteretur iure suo coram suis Iudicibus, ex eo etiam quod in ius vocati Donatarii post triennium in Congregationem haud venerunt; his enim in terminis proposito dubio: – An sit locus dispensationi a voto Religionis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Consulendum Sanctissimo pro dispensatione voti Religionis tantum; et quoad donationes, utatur iure suo coram suis Iudicibus – *in Neapolitana Dispensationis die 17 Iunii 1752* (1)

108. Hinc et donatio iurispatronatus vel iuris praesentandi ad hoc, ut sustineatur, debet esse cum consensu Episcopi Diaecesani *in Melphicten. die 4 Maii 1641 lib. 16 Decretorum pag. 519.*

109. Qua de re confirmata fuit, si Sanctissimo placuerit, donatio iuris nominandi ad Canonicatum, facta Nepti a Patrona occasione Matrimonii et inserta in capitulis Matrimonialibus *in Camerinen. die 16 Iulii 1695 lib. 46 Decretorum.*

Item *die 7 Iulii 1696 lib. 46 Decretorum* (2).

110. Praeterea donatio potest esse illicita, non vero simoniaca *in Neapolitana die 26 Augusti 1719.*

111. Siquidem quum Damianus Mastrota Sacerdos donaverit donatione irrevocabiliter inter vivos Lucretiae Serrani diaetam domus spectantem ad Beneficium seu Capellaniam sub titulo Annuntiationis, eaque moriente, ad donationem vocaverit Michaelem eiusdem Virum, atque idem Damianus donaverit praedictò Michaeli totum id, quod ab ipso tamquam a Patrono dicti Beneficii quolibet anno praetendere poterat pro iuribus sacristiae Missarum cantatarum et aliarum similium rerum, se obligando ad subeundum de proprio onera praedicta, ac duae superadditae fuerint conditiones, quarum altera erat, quod hae donationes durare deberent, quoadusque Damianus persisteret in possessione Beneficii, et altera erat, quod in casu inobservantiae exbursare teneretur scuta quinquaginta, Sacra Congregatio declaravit, haud constare de simonia, donationem tamen fuisse

(1) Species causae huius prostat in Verb. *Dispensatio*, §. XIII, n. 8, Tom. VII.

(2) Reliqua late habebis in Verb. *Iuspatronatus.*

illicitam, et Mastrotam esse removendum, dum e contra dictus Damianus Mastrota sustinuerat, instrumentum donationis seu cessionis stipulatum fuisse non ante, sed post nominationem, nec legitimam de ipsius confessione extraiudiciali haberi probationem, quin ea admitti posset, agi insuper de Capellania fundata absque Ordinarii auctoritate et amovibili, ad quam per modum provisionis et ad supplendam absentiam Ioachimi Villae ipsum fuisse nominatum, in qua facti specie conventiones esse posse illicitas, non vero simoniacas et obnoxias poenis a iure statutis adversus Simoniacos; his enim in terminis propositis dubiis: - I. An constet de simonia in casu etc. *Et quatenus affirmative*. II. An et in quas poenas incurrerit Mastrota in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, non constare de simonia, sed donationem fuisse illicitam. Ad secundum, non incurrisse; et ad mentem, nempe ut Emus Archiepiscopus mandet, Mastrotam removeri – *in Neapolitana praetensae Simoniae die 26 Augusti 1719.*

112. Sacra Congregatio autem primum rescripsit pro sanatione donationis, qua unus ex Capellanis summam pecuniae aliis ita dedit, ut iidem perpetuo susciperent onus quarumdam Missarum et Anniversariorum, nec non ad Capellaniam primo vacaturam admitterent designatum Sacerdotem; sed mox reclamante Collegio Capellanorum, ex eo quod pactionem vitio simoniae infectam et insanabilem nec non laesivam censebat, responsum tulit, ad mentem *in Montis Regalis die 16 Decembris 1724.*

113. Enimvero Petrus Costa unus ex Capellanis, qui choro processionibus et functionibus intererant in Cathedrali-Ecclesia Montis Regalis anno 1719 donavit Collegio dictorum Capellanorum libras 1000, imposito onere duarum Missarum quolibet mense et alterius Missae solemnis in suo Anniversario, nec non admittendi ad Capellaniam primo vacaturam Sacerdotem Ioannem Michelettum; iuxta enim receptam in praefata Ecclesia consuetudinem in casu vacationis Capellani habebant ius eligendi, nec ullam exposcebant confirmationem vel institutionem ab Ordinario. Donatio fuit accepta a Capellanis, et librae 1000 fuerant exbursatae, nec non favore eorumdem investitae: inde vero cum non contigerit adhuc casus vacationis, et interim quaestio insurrexerit circa validitatem pacti supra memorati, Capellani protestati sunt, ut vel obtineretur sanatio contractus, vel donatio rescinderetur, restituta pecunia iam recepta. Sacra Congregatio ad preces praefati Petri Costa die 20 novembris 1723 rescripsit: – Pro sanatione –. At ante Decreti expeditionem Capellani in Secretaria apposuerant – Nihil transeat –: nam contenderunt, pactionem fuisse illicitam, utpote infectam vitio simoniae, nec esse sanabilem, et multo magis cum in contractu adesset laesio; pro fructu quippe capitalis scutorum 200 impositum fuerat onus duarum Missarum quolibet mense et alterius solemnis in die anniversaria, ultra carentiam libertatis eligendi in casu vacationis personam sibi benevisam. Addiderunt, non esse desumendum argumentum a donatione Canonici Trombettae, cum ipse donaverit scuta decem millia. E contra praefatus Petrus Costa sustinuit, in casu simoniam non esse, nisi iuris ecclesiastici, et proinde sanabilem, intercedente Summi Pontificis auctoritate, cum praesertim res non esset de Beneficio Curato, sed simplici. Advertit, consimiles pactiones non esse in Collegio novas, cum anno 1711 Canonicus Trombetta quaedam bona donaverit et conditionem apposuerit, ut Capellanum in prima vacatione eligerent Sacerdotem Ioannem Marencum, qui etiam subsequenter electus fuit, et etiam de praesenti erat in albo Capellanorum.

114. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An relaxanda sit gratia pro sanatione contractus initi a Costa in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad mentem – *in Montis Regalis die 16 Decembris 1724.*

115. At falsa in iudicio civili censetur donatio ex simplici falsitatis suspicione, Rota in Senogallien. Redditionis rationis 1 iunii 1772 §. 5 coram Riccio, quae ex una scilicet et altera concipitur coniectura, Cyriac. controv. 410 n. 36, Mascard. de probat. cap. 140 n. 45, Rota in Senogallien. Pecuniaria 23 iunii 1783 §. 2 coram Salm *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 21 Augusti 1792* §. *Ex pluribus.*

116. Imo non creditur donatio actus, in quo non sit sermo de donatione donante et

donatario, Rota in Recent. dec. 125 part. 6 *in Hortana Executionis voluntatis die 24 Augusti 1844* §. *Contendit.*

117. Ceterum ad validam donationem haud requiritur expressa mentio donationis donantis vel donatarii, cum nihil intererit omnino, utrum Donator donandi animum aperte demonstraverit, an sub specie alterius contractus peracta sit donatio, Faber Cod. de donat. lib. 8 tit. 36 def. 7; potius enim in contractibus valet rei veritas, quam scriptura, L. 1 Cod. plus valere quod agitur *in Hortana Executionis voluntatis die 24 Augusti 1844* §. *Heredes.*

118. Hinc Episcopale Archivium, a quo actus donationis extractus est, auctoritatem habet publici Archivii, tum ex iure, Rota in Recent. decis. 349 n. 24 part. 15, et coram Emerix Iun. decis. 1296 n. 16, tum ex privilegio Clementis VIII, ac eo vel magis si duorum Notariorum iudicio omnia exhibeat signa Notarii, qui eam stipulatus fuit *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 21 Aprilis 1792* §. *Licet.*

119. Siquidem donatio praesumi non potest, sed concludenter est probanda, ad Textum in L. *Cum de indebito* ff. de probat., Rot. coram Herzan decis. 246 n. 5 *in Firmana Transactionis die 28 Maii 1791* §. *Notandum.*

Item *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Orator.*

120. Nam generaliter donare non est aliud, quam suum perdere ac iactare, L. 1 ff. de donat., Rota coram Molin. decis. 556 n. 3 *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Orator.*

121. Idcirco donandi animum abfuisse a quodam Viro, qui conflaverat argentea candelabra cum stigmatibus cuiusdam Monasterii, illaque penes Monasterium reposuerant, aliquando definitum referunt Riccius in decis. Cur. Archiepiscopalis Neapolitanae decis. 296, Ventriglia tom. 2 annot. 16 §. 1 n. 15, Ferrar. in Biblioth. can. verb. Spolium n. 19 *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Orator.*

122. Contra donatio tacita habetur, si Beneficiatus rebus proprio etiam aere acquisitis stigmata aliaque insignia suae Ecclesiae attexuerit, vel res illas ita eidem Ecclesiae aptaverit, ut a primaeva sua emptione ipsi dicata ac donata videantur, Rota divers. part. 3 lib. 3 decis. 582 n. 7 et 9, Ventriglia tom. 2 annot. 16 §. 1 n. 11, Ferrar. in Biblioth. verb. spolium n. 17 *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* §. *Nihilominus.*

123. Qua de re quum Sacerdos Fabri Oeconomus primum, deinde Parochus Ecclesiae Roncaleae Organum pneumaticum in Ecclesia collocaverit parieti infixerit et ornaverit nec non per undecim annos usus fuerit in obeundis sacris functionibus, quin, dum suorum bonorum inventarium iuramento vallatum exhibuit, inter ea praefatum organum recenseret, sic nulliter Paraeciam dimissurus eumdem vendidit, ex eo quod iam ad praefatam Ecclesiam spectabat, ut etiam in censuras inciderit, etiamsi sustineret, se illum propria comparasse pecunia, cum precario dumtaxat Paraeciam regeret, nec animum donandi habuisse, attenta tamen bona fide, Sacra Congregatio declaravit, consulendum esse Sanctissimo pro absolutione ad cautelam etiam quoad emptionem *in Pisauren. Alienationis die 18 Augusti 1827* (1).

124. Donatio autem anterior vincit posteriorem, cum donatio iterari non liceat, Rota in Plocen. Donationis 9 iunii 1727 §. Quandoquidem coram Cincio, et in Albanen. Donationis 2 aprilis 1759 §. 5 coram Bussio *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 21 Aprilis 1792* §. *A gravamine.*

125. Unde spernenda est observantia posterioris donationis, sive ob ignorantiam anterioris, sive quia de vero subinde constat titulo, Rota in Tyburtina Fideicommissi 2 iunii 1755 §. 7 coram Elephantutio, et in Romana seu Parmen. 10 decembris 1787 §. 6 coram Strasoldo *in Caesenaten. Subsidiorum dotalium die 21 Aprilis 1792* §. *Licet.*

126. Qua de re quum satis constaret, quod donatio facta per publicum instrumentum esset donatio inter vivos, non vero causa mortis, Sacra Congregatio declaravit, exequendam esse voluntatem Institutoris Pii Operis ad formam praefati instrumenti, quin obstaret, quod idem Institutor seu Fundator voluntatem in eo panditam immutaverit, cum

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Alienatio*, §. III, n. 93 ad 96, Tom. I.

praesertim alia privata existeret scriptura, qua res in pristinum restituebatur, nec non observantia quadraginta fere annorum *in Hortana Executionis voluntatis die 24 Augusti et die 14 Decembris 1844.*

127. Iamvero die 4 octobris 1800 Felicianus Porta e Terra Soriani Diaecesis Hortanae, publico ac solemni confecto instrumento, pium instituit legatum seu laicalem Capellaniam, cum onere litandi qualibet hebdomada in praefinitis Ecclesiis Sacri unius a singulis Capellanis, quos nominavit, scilicet Canonicum Amantium et Sacerdotem Angelum Vecchiarelli eorumque heredes et successores, ablato omnimodo iure vel facultate tum Episcopo, tum Apostolicae Datariae super canonica institutione. Quoad dotem vero Capellaniae mandavit, ut investirentur scuta quatuor centum quinquaginta in bonis stabilibus, simul transferens in Capellanos eorumque heredes et successores praefata bona pro tempore, quo acquisita fuerint. Inde sub finem instrumenti pactum ac promissio ab eodem eliciebatur de nunquam revocanda voluntate, sub obligatione ac poena damnorum reparationis. At paucis post diebus, die scilicet 30 eiusdem mensis et anni, facti repente poenitens pii Legati Fundator, inspecto praesertim infelici exitu, quem haec pia Legata habere solent privatis familiis demandata absque ulla Superiorum censura, mutata quoad heredes praefatos voluntate, omnique prorsus iure iisdem adempto, quod per publicum instrumentum paucis diebus ante in illos contulerat, totum voluit in Episcopum collatum arbitrium, quod ei magis placuerit, pium aliud opus cum praefatis bonis constituendi, post mortem tamen amborum vel primi ex iam nominatis Capellanis. Quem suae voluntatis actum privata schedula, trino tamen Teste subscripta, exaratum commisit Canonico Frale, ut exhiberet Episcopo, qui et illum accepto habuit, et in publicis suae Cancellariae actis ad omnes iuris effectus servari mandavit. Data interim opportunitate, summam praedictam, ipso vivente Fundatore, die prima martii insequentis locarunt investimento praedicti Capellani, emptis scilicet a loci Communitate tot fundis rusticis cum pacto redimendi semper et quandocumque. Res tamen uti fuerant per posteriorem actum dispositae, haud ita longe processerunt. Ex privata enim scriptura diei 8 octobris 1802 inter ipsius Fundatoris chartas reperta, nulla licet authenticitate unquam donata, soloque Auctoris, utpote literarum experti, crucis signo munita, ac binis Testibus subscripta (quorum alter tantum vivebat, deque vera ipsius Porta voluntate in dicta chartula contenta deponit) constabat, praefatum Felicianum, nullo irritoque declarato ac pro infecto tum folio privato diei 30 octobris 1800 ac in eo contentis, tum signo crucis a se in illo inadvertenter apposito, utpote qui Vicarii Generalis tricis unice circumventus ne bene quidem intellexit quid in eo continebatur, alias signum crucis non apposuisset, – ma s' indusse a segnarlo per mero rispetto umano e riguardo di detto Vicario, perchè chiamato da questo all' improviso –; hinc suam retulisse undequaque voluntatem ad primum actum solemnem seu publicum instrumentum. Occubuit haud multo post Fundator Porta: occubueruntque Capellani primo loco nominati, Angelus Vecchiarelli die 8 aprile 1804, Amantius Franchi die 8 novembris 1816, ac heredes ipsorum, nulla prorsus accepta unquam molestia, fundos Capellaniae semper pacifice possederunt, atque onera imposita adamussim impleverunt. Vertente autem anno 1842, quo Communitas Soriani, facto iuridice scutorum quadrigentorum quinquaginta deposito cum onere investiendi favore pii Legati, fundos divenditos anno 1802 iuxta pactiones redemit, heredes Capellanorum Ioseph Buttinelli ac Vecchiarelli ab Episcopo postularunt, ut sibi liceret summam praedictam, aequis inter se partibus prius divisam, quisque pro rata propriis in bonis investimento tradere, ipsaque bona favore pii Legati proque eiusdem implendi securitate obligare, ea potissimum ducti ratione, quod legatum praedictum ex donatione Fundatoris in propriis ipsorum familiis perpetuo esset permansurum. Quibus Episcopus respondit, eos nullum ad pii Legati fruitionem ius habere, sed in Episcopum fuisse collatum arbitrium de eo disponendi a Fundatore vi scripti privati diei 30 octobris 1800, quo priorem institutionem omnino destituit. Hoc perculsi Decreto, heredes praedicti Sacram Congregationem adierunt expostulantes, ut, infirmato Episcopali

Decreto, exequendam esse voluntatem Feliciani Porta statueretur, ad formam publici instrumenti.

128. Episcopus requisitus, scripta Promotoris Fiscalis transmisit, qui contendit, primam Feliciani Porta dispositionem nullo modo posse donationem reputari: in instrumento enim, quod afferebatur, ne verbum quidem excidebat, quod vel donationem, vel donantem, donatariumve praeseferret; nec nudis conventionibus acquiri dominium, sed legitimis titulis, docet Gratianus in discept. 22 n. 15. Et posito etiam, quod donatio actus ille esset renunciandus, nunquam tamen haberi poterat donatio inter vivos, cum ex verbis instrumenti non constaret de immediata dominii translatione, quam huiusmodi donationes operantur. Ad summum igitur dici poterat donatio causa mortis, quae usque mortis exitum revocari potest, quin minimum officeret acceptatio alterius partis, vel pactum et promissio de non revocanda tali donatione. Quod si magis placuerit simplex legatum dicere praefatam dispositionem, revocari pariter poterat, cum donationes causa mortis legata et fideicommissa pari omnino iure censeantur quoad omnes iuris effectus. Nec obstare dixit, quod legatum favore Causae Piae statim obliget, quin revocari valeat: nam Legatum pium in suo robore mansit, et solum illius translatio per Fundatorem effecta est e persona recurrentium heredum in personam Episcopi, ut tutius Legati ipsius implemento prospiceretur. Idcirco recte Felicianus Porta per posteriorem scripturam derogare potuit priori dispositioni in publico instrumento contentae, quin obesset altera dispositio privata, quae destruere non poterat priorem ex publico ac solemni instrumento emergentem, nam illa solemnitatem recepit ex acceptatione Episcopi subsecuta ac illius repositione in actibus et archivio Episcopalis Cancellariae. Ubi autem producuntur instrumenta inter se contraria, paris tamen auctoritatis, tunc pronunciandum est pro libertate disponendi, ex Cap. Literis 3 de probationibus. Quin imo alia simplex privata ac informis scriptura nimis sero prodiit in lucem ad commodum heredum valde suspectorum, quae plenam fidem facere non poterat, cum haud esset subscripta ab ipso Auctore et a tribus saltem Testibus viventibus, iuxta Textum in Cap. 2 de fide instrumentorum. Sprevit inde futiles captiunculas, reverentialem scilicet Episcopi timorem, quo sese Fundator abstinuit ab exhibitione postremi scripti in actibus Cancellariae, cum praesertim ne verbum quidem fecerit in ultimo, quo decessit, testamento, ubi quilibet timor exulare ab eo debuerat. Praefati heredes contra negarunt, ad validam donationem requiri expressam mentionem donationis donantis vel donatarii; potius enim in contractibus valet rei veritas, quam scriptura. Affirmarunt inde, veram et legitimam donationem inter vivos habendam esse, cum nulla mortis cogitatione vel periculo compulsus fuerit Fundator. Acceptatio autem Donatariorum, etiam nomine suorum heredum ac successorum, ac subsequens ex parte Donantis pactum et promissio de non revocanda voluntate faciebat, ut absolute inter vivos reputaretur donatio: et in dubio donationem potius inter vivos, quam causa mortis esse praesumendam, cum praesertim aliquae assisterent coniecturae, scilicet mandatum insinuationis, vel pactum de non revocanda donatione. Idcirco locus esse non poterat revocationi, cum etiam dominium in Capellanos eorumque heredes ac successores Institutor transtulisset per ea verba: - trasferendo adesso per quando saranno detti beni acquistati a favore di detti Capellani e loro heredi e successori con tutte e singole ragioni –, qui adamussim legatum acceptarunt ac iugiter impleverunt. Unde ius hoc per publicum instrumentum concessum adimi amplius non poterat. Aderat insuper alia privata scriptura, cuius vi res in pristinum restituebantur, quae, licet nulla fuerit unquam authenticitate donata, solemnitatem recipiebat ex longa quadraginta fere annorum observatione, quin unquam Episcopus, vel anno 1804 cum unus ex Capellanis diem clauserit supremum, vel anno 1816 cum alter Capellanus obierit, ius ullum praesumpsisset.

129. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus executioni voluntatis in casu? –, Sacra Congregatio die 24 augusti 1844 respondit: - Dilata ad primam post aquas –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, responsum dedit: – Affirmative ad formam instrumenti diei 4 octobris 1800 – *in Hortana Executionis voluntatis die 14 Decembris 1844.*

§. I.

ECCLESIA IN GENERE QUOAD AEDIFICATIONEM ET REPARATIONEM

1. Nativum Ecclesiae nomen, graeco fonte a congregando est *in Terracinen. Setina et Privernen. die 1 Martii 1766* §. *Ecclesia.*

2. Hinc Ecclesiae aedificatio inter praecipua Religionis et pietatis opera recensetur, illaque proinde nemini vetita, imo de iure utique licita est, Zerol. in prax. part. 1 vers. Ecclesia, Barbos. de iur. Eccles. univ. part. 2 n. 4, Card. Petra ad Constit. Paschalis II sect. 1 n. 12 *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778* §. *Sustinent.*

3. Certum enim in iure est, Ecclesiam aedificare opus esse necessarium pium religiosum, Can. fin. dist. 96, divus Chrisost. in act. Apost. orat. 18, Barbos. iur. eccles. univ. lib. 2 de Eccles. aedif. et consecr. cap. 2 n. 1, et Amostaz de caus. piis lib. 5 de Eccles. aedif. cap. 1 n. 1 *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778* §. *Ad.*

4. Amplia, id praesertim obtinet post veteris demolitionem; hanc enim novam Ecclesiam construere post veteris demolitionem opus necessarium esse, et omni iure permissum, tradunt post Tridentinum Pitonius controv. patron. all. 12 n. 10 et 16, Rota in decis. 1037 §. ult. coram Molines *in Anconitana Beneplaciti die 13 Martii 1762* §. *Reliquum.*

Item *in Caesenaten. Oratorii die 6 Iunii 1840* §. *Quatenus.*

5. Qua de re valde Sacrum Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 7 de reformatione Ecclesiarum restaurationem commendat, – ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria absolescant, et ex hominum memoria excidant – *in Ariminen. Demolitionis et Translationis Missarum die 16 Februarii 1788* §. *Valde.*

Item *in Fanen. Demolitionis Ecclesiae die 16 Augusti 1806* §. *Restaurationem; in Caesenaten. Oratorii die 6 Iunii 1840* §. *Quatenus.*

6. Unde non decet sine pompa restaurari Ecclesiam, sed expedit ad excitandam et fovendam Populi fidem et devotionem, ut Templa magnifice construantur et exornentur, ex adductis per Thomass. de vet. et nov. Eccles. disciplin. tom. 2 part. 3 lib. 1 cap. 4 n. 4, Brasch. de libert. Eccles. tom. 3 cap. 24 n. 8 *in Lisbonen. die 23 Augusti 1760* §. *Et.*

Item *in Camerinen. Absolutionis et Reductionis die 18 Februarii 1832* §. *Post.*

7. Nec obstat Ecclesiae aedificandae, quod muri laterales sint communes cum privatis, dummodo ostium sit publicum nullusque ex privatis domibus prospectus, aut exitus pateat in Ecclesiam *in Pisciae anno 1616 lib. 11 Decretorum pag. 171.*

8. Certum tamen est, aedificationem Ecclesiae fieri non posse sine consensu Ordinarii, Can. *Nemo* de consecrat. dist. 1, Barbos. iur. eccles. univ. lib. 2 de Eccles. aedif. et consecr. cap. n. 4, Monacell. for. leg. part. 1 tit. 6 form. 10 n. 2 *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778* §. *Et.*

9. Idcirco quum Borromaeus Accursius in parte propriae domus positae in Oppido Montis Milonis Ecclesiam aedificare eique dotem assignare exoptaret ac ea propter supplicaverit pro huiusmodi facultate, Sacra Congregatio eam quidem indulsit cum assignatione congruae dotis, sed pro conscientia et arbitrio Episcopi et salvis iuribus parochialibus *in Maceraten. die 10 Maii 1687.*

10. Hinc neque, invito Parocho, posse aedificari videtur Ecclesia intra limites Paraeciae, cum hoc redundet in sui praeiudicium, ut docet Barbosa de offic. et potest. Paroch. part. 2 cap. 1 n. 26, Richer. in prax. iur. paroch. cap. 1 n. 1, Panimolla dec. 11 n. 1 *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 17 Augusti 1805* §. *Parochus.*

11. Nam licet salva sint iura parochialia, attamen amittere potest oblationes eleemosynas Missas Anniversaria, quae novae Ecclesiae offerri possunt, ut ad Textum in can. *Ecclesiae antiquitus* Can. *Quicumque* caus. 16 quaest. 16 tradunt Tondut. quaest. et resolut. Benef. Cap. 53, Pignatell. consult. 12 n. 2 tom. 10 *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 17 Augusti 1805* §. *Parochus.*

12. Comperti autem iuris est, Ecclesiam Episcopi auctoritate, Parocho licet dissentiente, intra limites eius Paraeciae construi posse, dummodo iura parochialia in ipsius erectione praeserventur ac illaesa maneant, iuxta Textum in Can. *Quicumque* 16 quaest. 1, Can. *Rem* Can. *Placuit* de consecrat. dist. 1, Cap. *Ad haec* de religiosis domibus, et Cap. 2 de Ecclesiis aedificandis, et Resolutiones Sacrae Congregationis late relatas per Monacellium in form. for. eccles. part. 1 tit. 6 form. 10 a n. 9 *in Privernen. Aedificationis Ecclesiae et Iurium Parochialium die 24 Septembris 1735* §. *Ad.*

13. Nulli enim esse neganda videtur facultas aedificandi novam Ecclesiam,si Episcopi consensus accedat, et si nova antiquae Ecclesiae detrimentum non inferat, ut in Can. *Nemo* de consecrat. dist. 1, et iure etiam civili constitutum est in Authen. de Ecclesiis §. Si quis autem collat. 9, et in Auth. *De Monachis* §. Illud igitur *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 6 Maii 1747* §. *Urget.*

Item *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 17 Augusti 1805* §. *Ex; in Caesenaten. Erectionis publici Oratorii die 6 Iunii 1840* §. *Verum.*

14. Parocho quippe nullum aliud ius competit, quam tuendi iura sua parochialia, hisque praeservatis, nullus ipsius consensus requiritur, ex firmatis per Card. Petra in comment. ad Constit. 2 Paschalis II sect. 1 a n. 16 *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778* §. *Quo.*

15. Quapropter Ecclesia, Parocho licet dissentiente, intra limites eius Paraeciae construi potest, dummodo iura parochialia in illius erectione praeserventur ac illaesa maneant, ex Textu in Can. *Quicumque* 16 quaest. 1, et Cap. 2 de Eccles. aedif., Monacell. form. for. Eccles. part. 1 tit. 6 form. 10 n. 8 *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778* §. *Ad.*

16. Nam novae Ecclesiae fundatio, si parochiali non affert detrimentum, semper ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem redundat, ut sine necessitate etiam permittitur, Monacell. form. legal. tom. 1 tit. 6 form. 10 n. 15,Ursaya discept. eccles. 23 n. 70 tom. 1, Fargna de iurepatronat. part. 1 can. 4 cas. 4 n. 40 *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 17 Augusti 1805* §. *Ex.*

Item *in Caesenaten Erectionis publici Oratorii 1840* §. *Ecclesiae.*

17. Sola tamen novae Ecclesiae aedificatio vetita esse videtur, sine consensu Ordinarii, non vero restauratio Ecclesiae iam existentis, cuius reparatio haud vetanda, sed praecipienda est ab Episcopo, iuxta praescriptum Sacri Concilii Tridentini sess. 7 cap. 8 et sess. 21 cap. 7 de reformatione, et late Vanespen. in ius eccles. univ. part. 2 tit. 16 cap. 5 a n. 6, et Reiffenst. in ius can. lib. 3 tit. 48 §. 1 n. 21 ad 28 *in Civitatis Plebis die 26 Ianuarii 1760* §. *Nec.*

18. Quin imo si Episcopus nulla ratione veniam aedificandi Ecclesiam neget, appellari potest ad Sedem Apostolicam seu Iudicem, qui vel aedificandi facultatem dabit vel Episcopum compellet, ut praestet aedificationi consensum, Barbos. de iur. eccles. lib. 2 cap. 2 de Eccles. aedif. n. 5, Ventrigl. in prax. vol. 2 annot. 17n. 3, Card. Petra in comment. ad Constit. Paschalis II sect. 1 n. 11 vol. 1, Monacell. for. part. 1 tit. 6 form. 10 n. 3, Amostaz de caus. piis lib. 5 de Eccles. aedif. cap. 2 n. 31 *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 6 Maii 1747* §. *Urget.*

Item *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778* §. *Et; in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 17 Augusti 1805* §. *Ex.*

19. Episcopi enim consensum in Ecclesiis aedificandis unice requiri, ne vel antiquiori Ecclesiae, vel iuribus parochialibus irrogetur praeiudicium, utroque autem praeiudicio deficiente, consensum semper supplendum esse dixit Card. Petra in comment. ad Constit. 2 Paschalis II sect. 1 n. 9 *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778* §. *Quibus.*

20. Quapropter indulgetur constructio parvae Ecclesiae sine turri et campana in agro, ne Domini loci eorumque Ministri festis praesertim diebus, ad Ecclesiam parochialem, mille circiter passus ab eo loco distantem, inter imbres et aestus accedere cogantur, etiamsi Parochus adversetur et Episcopus eidem faveat, salvis tamen iuribus parochialibus *in Ravennaten. seu Forolivien. Constructionis Ecclesiae die 27 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum.*

21. Iamvero – in Pago nuncupato S. Petri in Trento, quod in Territorio quidem Ravennatensi, sed de Foroliviensi Diaecesi existit, Mandricardus et Lucretia Iugales de Pellegrinis nobiles Ravennatenses et plura praedia possident et amplam domum extruxerunt. Cum autem ibidem prope parvam quoque Ecclesiam sine turri et campana S. Francisco de Paulo dicandam aedificare cupiant, ne ipsi eorumque Ministri, festis praesertim diebus, ad Ecclesiam parochialem mille circiter passus ab eo loco distantem inter imbres et aestus accedere cogantur, sed in eodem loco Missam commodius audire valeant, Episcopo supplicarunt, ut opportunam ad id facultatem impartiri vellet: quia vero Episcopus, Parocho sese opponenti indulgens, eam denegavit; idcirco preces pro huiusmodi facultate obtinenda huic Sacrae Congregationi exposuerunt, quae pro informatione de more eidem Episcopo rescripsit, atque informatione postea recepta sub die 20 septembris 1704 petitam licentiam pariter esse denegandam censuit. Hodie igitur nova audientia ab Oratoribus adversus contrariam resolutionem obtenta, ab EE. VV. respondendum superest: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 20 septembris 1704? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Praevio recessu a decisis, concedendam esse licentiam pro constructione Ecclesiae, salvis iuribus parochialibus – *in Ravennaten. seu Forolivien. Constructionis Ecclesiae die 27 Iunii 1705 lib. 55 Decretorum.*

22. Ceterum in erectione novarum Ecclesiarum pertinet summopere animadvertere, ne in consimilibus concessionibus Populus nimium abstrahatur ab Ecclesia parochiali, et sic incidat in ignorantiam circa credenda et observanda, uti bene ponderat Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 1 pag. 390 n. 69, et latius prosequitur Monacellius in form. legal. tom. 1 pag. 52 n. 42, ubi ait, Oratoriorum erectionem tendere ad cultum divinum et esse opus pium et religiosum, sed non esse de facile ruri permittendam propter spiritualia damna, quae in Populum derivant; ille enim accedendo ad audiendam in Oratorio Missam non audit verbum Dei a Parocho, caret cathechismo, ignorat vigilias et festivitates de praecepto, et denunciationibus matrimonialibus non interest, ita ut aliquando contingat, quod impedimenta matrimonialia non revelentur *in Lucana Capellaniae die 17 Septembris 1722 §. Pro.*

23. Idcirco haud indulgetur aedificatio Ecclesiae in latifundio, si causae ad facultatem huiusmodi obtinendam, reapse non subsistant *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 2 Septembris 1747 die 22 Martii 1755 et die 17 Augusti 1805.*

24. Siquidem latifundium *Verdefiore* possidebat Pius Puccettus in territorio Castri Apignani Diaecesis Auximanae, quod perpetuo incolebant plures Coloni. Cum vero distaret a Castro et inter latifundium et Castrum flueret quidam fluvius, cui nomen *Menocchia,* accidit, ut Coloni non huius tantum latifundii, sed aliorum etiam vicinorum, hyemali tempore aliisque anni tempestatibus, quibus pluviae ingruebant, non possent fluvium largis imbribus auctum superare, ut ad audiendum Sacrum aliaque divina officia in Ecclesia parochiali Castri Apignani praesentes essent. Huic malo ut medicinam pararet, Pius Puccettus voluit in suo latifundio publicam aedificare Ecclesiam, in qua Capellanus onus haberet Sacrum singulis diebus agendi, et ne Pueri fraudarentur fructu christianae cathechesis, teneretur eam diebus festis edocere. Veniam itaque publicam hanc Ecclesiam aedificandi petiit ab Episcopo Auximano, qui noluit concedere. Idcirco ad Sacram Congregationem Puccettus confugit: sed Episcopus retulit, a Puccetto narrata nullius esse momenti; hinc Sacra Congregatio die 27 augusti 1747 eius postulationem reiecit. At inde ea, quae narrata erant a Puccetto, testificationibus plurium Testium Colonorum, qui latifundia illa accolebant, comprobabantur, et charta topographica. Cum igitur nulla iusta causa ab Episcopo proponeretur, nam quae facti erant, Testibus probabantur, aliisque etiam probationibus vera demonstrari poterant, res omnis propterea deducenda esse videbatur ad detrimentum veteris Ecclesiae parochialis; detrimenta vero haec numerat Ventriglia in prax. vol. 2 annot. 17 n. 4, quorum nullum in themate locum habebat. Proposito tamen dubio: – An sit permittenda aedificatio novae Ecclesiae in casu etc. –, Sa-

cra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 2 Septembris 1747.*

25. Cum autem post hoc responsum pluries idem Puccettus preces obtulerit Summo Pontifici, et iterum iterumque auditi fuerint et Episcopus et Praesides Provinciae et ipsa Communitas, tandem obtinuit ab eodem Summo Potifice, ut Causa ad novum Sacrae Congregationis iudicium rediret. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 22 Martii 1755.*

26. Silentium inde consequutum est: sed inde cum R. P. D. Puccetti fundum illum *Verdefiore* possideret, impetravit ex Decreto diei 1 aprilis 1805 ab Emo Praefecto novae audientiae beneficium a resolutione anni 1755. Indicto itaque vadimonio, Parochus Viviani allegationem impressam distribuit; sed R. P. D. Puccetti per memoriale dilationem postulavit. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata post aquas – *in Auximana Aedificationis Ecclesiae die 17 Augusti 1805.*

27. Prae oculis hinc habendum est, quod Alexander III in Cap. *Ad Audientiam* 3 de Ecclesiis aedificandis permisit, novas Ecclesias construi, si, ob nimiam distantiam Parochialis, Populus ad illam accedere non possit *in Brictinorien. Translationis Ecclesiae parochialis die 14 Decembris 1782* §. *Sedulo.*

28. Qua de re licet Parochus et Episcopus acriter obsisterent, ne Ecclesia aedificaretur in Villa intra limites eius Paraeciae existenti, Sacra Congregatio, attenta Villicorum necessitate, nedum mandavit, ut Episcopus quam citissime curaret constructionem et erectionem Ecclesiae, sed et eligeret Sacerdotem idoneum, qui in erigenda Ecclesia Sacrum celebraret in omnibus festis de praecepto hora commoda Populo et Pueros doceret rudimenta doctrinae christianae, ac pro omnibus expensis ad id necessariis, si satis non essent vires Incolarum, suppleret ex fructibus ad Ecclesiam matricem pertinentibus *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778.*

29. Enimvero Ecclesia parochialis Villae Rezoalii Derthonensis Diaecesis sub se continebat alias quindecim Villas seu Pagos, quos inter recensebantur finitimi Pagi Brignolae et *Piano* animarum circiter 300, et ab Ecclesia parochiali per duo fere milliaria dissiti. In his autem binis Pagis nulla Ecclesia nullumque publicum extabat Oratorium, in quo vel Sacrum celebrari, vel saltem ubi singuli seu insimul collecti Incolae preces Deo possent effundere. Hinc pluries iidem Incolae deliberarunt de Ecclesia in dicto Pago Brignolae construenda, sed ob moderni Parochi contradictionem cum nihil unquam ab Episcopo consequi valuerint, inde obtento a Domino Pagorum assensu, stipulatoque instrumento de Ecclesia construenda manutenendaque, institerunt pro facultate dictam Ecclesiam aedificandi etiam ad effectum in ea celebrandi Sacra, sine tamen praeiudicio iurium parochialium. Res enim erat de Villa, ubi nulla Ecclesia erat, in qua Incolae, vel coniunctim, vel divisim preces Deo fundere possent, aut Senibus Infirmis vel Pueris liceret, vocato Sacerdote, Sacrum audire, ita ut in ea Villa nullum adesset Religionis signum, nullusque divinus cultus exerceri posset. Addiderunt, distantiam duorum ferme milliarium esse ab Ecclesia parochiali, longum iter impervium et difficile, praesertim hiberno tempore, ob nives glacies pluviasque; intermedium flumen seu torrentem, nuncupatum *Avanto,* persaepe propter reduntantes aquas, vel ob lignei pontis instabilitatem, accessum ad Parochiam impedientem; eaque propter pluries vel e caelo defluentibus, vel e flumine erumpentibus aquis praesertim hyemali tempore, ne quidem pro Sacro diebus festis audiendo ad Parochialem accedi posse, illamque perraro adire Senes Mulieres Infantes; plures etiam esse Senes et Infirmos, qui iam quatuor ac etiam novem annorum spatio nunquam accesserunt ad Ecclesiam; persaepe ad eam accedentes gravia pericula in itinere, et praesertim in praetereundo ligneo ponte subiisse, eorumque plures sine Sacramentis et praesertim Sanctissimae Eucharistiae decessisse ob itineris longitudinem et difficultatem; defunctos etiam per integrum

quatriduum insepultos permansisse, pluraque demum alia frequenter obvenisse spiritualia damna. Quo posito, propugnarunt Incolae, spernendam esse Parochi contradictionem, quin obesset, quod voluntarias oblationes et largitates, constructa Ecclesia, amitteret; has enim inter parochialia iura non recenseri, sed a simplici offerentium voluntate pendere, unde nec iustam praebere dissentiendi causam, Rot. in Nuperr. decis. 388 n. 14 tom. 5. Adverterunt etiam, vel in iis nullum Parocho damnum obvenire, quia, erecta Ecclesia in Villa Brignolae, semper unus erat Parochus eorumdem Pagorum, eidemque dumtaxat privativum incumbebat animarum curae exercitium, vel quodvis leve damnum abunde compensari cum commodo et utilitate eiusdem Parochi in Sacramento Sanctissimae Eucharistiae dictorum Pagorum Incolis administrando. Unde nec ullo in pretio habendum esse dixerunt Episcopi dissensum, utpote innixum iniustae Parochi contradictioni. Demum asseruerunt, sese prout in praesens, ita et in posterum semper paratos esse ad Ecclesiae Parochialis necessitatibus prospiciendum, nihilque proinde detrahi, vel subtrahi; se pariter promptos esse ad Ecclesiam propriis sumptibus aedificandam; iam per publicum instrumentum pro illius patrimonio plura credita bonaque contulisse, iam obstrictos ad eleemosynam pro Sacro celebrando praestandam, et ad perpetuam eiusdem Ecclesiae manutentionem.

30. Contra Parochus dixit, non solum eadem, sed etiam maiori distantia sitas esse plures eiusdem Parochiae Villas, in quibus nullum aderat publicum Oratorium, et vix in quatuor remotioribus extructum esse: impervium autem et difficile non esse iter, nisi perraro ob reduntantes torrentis aquas accessum interdici ad Parochialem pro Sacro audiendo: reditus vero tum Parochi, tum Parochiae tenues esse, et potissime in voluntariis oblationibus et eleemosynis consistentes, et utrique per Oratorium erectionem magnum adferri damnum: Incolas item ut antea non esse propensos ad easdem largitates, sive Parocho sive Ecclesiae praestandas; hinc ob alia extructa Oratoria quammaxime tum subsidia, tum Parochi reditus esse imminutos, et exemplo Villarum Brignolae et *Piano* alias quoque Villas simile Oratorium petituras esse cum gravi, tum Parochi, tum Ecclesiae, detrimento. Episcopus retulit: – Similibus et frequentissimis precibus assensum constantissime negavi, quia luctuosa et quotidiana viginti octo annorum experientia didici, idem esse apud illos Monticolas habitatores alicuius Villae habere Oratorium, et esse propterea Parochiae infensissimos hostes. Rident pacta publico instrumento in fundatione promissa, rident Decreta apprime necessaria in Visitatione lata, et cum pro maiori parte pauperes nimium sint Ecclesiae illae parochiales, deficientibus eleemosynis illarum Villarum, in quibus aliquod erectum est Oratorium, aegre admodum et opportunae reparationes fieri, et coram Sanctissimo lampas manuteneri potest. Quid de Oratorum promissionibus sit sperandum, prudenter ex hoc coniicitur –.

31. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus aedificationi Ecclesiae etiam cum facultate celebrandi Missas in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, salvis iuribus parochialibus, et ad mentem; et mens est, quod Episcopus quam citissime curet constructionem et erectionem unius Ecclesiae seu Oratorii publici in situ per eum designando, qui commodior sit omnibus Incolis Villarum Brignolae et Plani, eligatque Sacerdotem idoneum, qui in erigenda Ecclesia seu Oratorio Sacrum celebret in omnibus diebus festis de praecepto hora commoda Populo, et praevio triplici sonitu campanae cum distantia unius quadrantis ab uno sonitu ad alium, nec non Pueros doceat rudimenta doctrinae christianae, et pro constructione dictae Ecclesiae seu Oratorii, prout etiam pro sacris supellectilibus, eorumque respectiva manutentione, ac pro congrua eleemosyna, arbitrio eiusdem Episcopi, Sacerdoti subministranda, taxam imponat Incolis dictarum Villarum, iuxta eorum vires eorumque respective patrimonium, et quatenus non sufficiant, suppleat ex fructibus ad Ecclesiam matricem pertinentibus, ad formam Concilii Tridentini sess. 21 cap. 4 de reformatione – *in Derthonen. Erectionis Ecclesiae die 30 Maii 1778.*

32. Hinc et Societas S. Mariae de Suffragio iure pollet aedificandi Ecclesiam in loco

etiam Cathedrali Ecclesiae satis propinquo, etiamsi Capitulum sese apponat, ex eo quod ea non leve cultui eiusdem Cathedralis Ecclesiae ac iuribus parochialibus detrimentum allatura foret *in Privernen. Aedificationis Ecclesiae et Iurium parochialium die 24 Septembris 1735.*

33. Siquidem Societas sub titulo Sanctae Mariae de Suffragio, erecta in Ecclesia Sancti Ambrosii extra maenia Civitatis Priverni, anno 1646 obtinuit a Capitulo Ecclesiae S. Mariae tunc Collegiatae, dein Cathedralis facultatem erigendi Capellam in dicta eius Ecclesia. Cum autem numerus Confratrum subinde ita excreverit, ut memorata Ecclesia S. Ambrosii, tum ob loci angustiam, tum ob eius situm extra maenia, pluribus sacris functionibus piisque exercitiis, quae tunc a Societate peragi solebant, haud satis apta dignosceretur, Confratres praedicti, comparato sibi quodam Hospitio intra Civitatem posito, statuerunt Ecclesiam ibi construere. At erectioni novae huius Ecclesiae, quae a Cathedrali triginta, ut aiebant, cannis distaret, sese opposuit Capitulum, cum meditata constructio veluti non leve cultui eiusdem Cathedralis Ecclesiae ac iuribus parochialibus detrimentum allatura prohiberetur. Proposito vero dubio: – I. An sit locus constructioni novae Ecclesiae in loco, de quo agitur? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative – *in Privernen. Aedificationis Ecclesiae et Iurium parochialium die 24 Septembris 1735.*

34. Quin imo tantus est favor construendi novam Ecclesiam, ut, si alia desint media et necessitas urgeat, etiam legata pia Missarum et Anniversariorum applicari valeant, ceu tradunt Amostaz de caus. piis lib. 1 cap. 14 n. 36, et lib. 2 cap. 12 n. 35, et Episcopus Braschius de libert. Eccles. tom. 3 cap. 24 n. 8 14 et 26 *in Lisbonen. die 23 Augusti 1760* §. *In.*

Item *in Veliterna Suspensionis Missarum die 5 Iunii 1790* §. *Notandum; in Lisbonen. Applicationis die 27 Novembris 1790* §. *Quatenus; in Forosempronien. Applicationis die 9 Septembris 1797* §. *De instituenda; in Camerinen. Suspensionis die 20 Novembris 1802* §. *Restat.*

35. Idcirco indulgetur intermissio celebrationis Missarum ad effectum erogandi pecuniam ad Oratorium et Sacrarium Sodalitii reaedificandum, quando Testatoris voluntas haud omnino obstare videatur *in Bononien. Commutationis voluntatis die 21 Iunii 1783 die 6 Maii 1786 et die 28 Maii 1791.*

36. Iamvero Sebastianus Ghirardelli in ultimo suae voluntatis elogio exarato anno 1668 heredi instituto substituit Sodalitium S. Mariae *del Gaudio* et S. Apolloniae Civitatis Bononiae. Mandavit, ut hereditatis reditus pro medietate erogarentur in aedificationem Ecclesiae eiusdem Sodalitii, pro altera vero medietate in celebrationem Missarum, et in hanc causam praecepit, ut cederent fructus omnes suae hereditatis, postquam Ecclesiae aedificium completum fuisset. Anno 1774 Ioannes Franciscus Giacobbi in testamento, quod eo anno condidit, reliquit eidem Sodalitio S. Mariae *del Gaudio* et S. Apolloniae duo praedia, quorum reditus erogari iussit eodem modo, quo Sebastianus Ghirardelli fructus suae hereditatis impendi praeceperat. Post obitum Ioannis Francisci compertum est, domos rurales dictorum praediorum restaurationibus indigere ad summam usque scutorum 680; hinc Sodalitii Officiales curarunt reditus, quos ab iisdem praediis quotannis percipiebant, in arca deponere, ut restaurationes perficere possent. Cum autem anno 1778 Vicarius Generalis deprehendisset, Sodalitium omisisse Missarum celebrationem, atque insuper agnovisset restaurationum necessitatem, praecepit, ut reditus usque ad dictum tempus percepti et in posterum percipiendi pro una ex tribus partibus deservirent pro Missarum celebratione, reliquae vero duae partes impenderentur pro conficiendis restaurationibus, et hanc methodum servari iussit, quousque restaurationes completae fuissent. Hoc modo Testatoris suffragio consuluit, et restaurationum necessitati prospexit. Decreto Vicarii Generalis paruerunt Officiales: verum cum restaurationes domorum ex fructibus a praediis percipiendis quam citius expleri non possent, et illarum protractio in praediorum vergeret detrimentum, anno 1780 eadem praedia alienarunt, obtenta prius facultate a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, et peracta alienatione, cessavit causa depositi a Vicario Generali deman-

dati. Ast a tempore obitus Ioannis Francisci usque ad dictum anno 1780 depositata fuerunt scuta 257. 10, quae adhuc sub depositi lege asservabantur. Ruinam interim minabatur tum Oratorium, tum Sacrarium Ecclesiae Sodalitii, et pro explenda restauratione impares erant Confraternitatis reditus: postularunt idcirco Sodales facultatem impendendi pro Oratorii et Sacrarii reaedificatione cumulum conflatum ex fructibus legati dicti Ioannis Francisci, quodque in restaurandis ruralibus domibus converti debebat. Archiepiscopus retulit, ad Operis complementum requiri summam scutorum 240, quin eam Sodalitium praestare posset; ac censuit, ex speciali gratia concedi Confratribus posse summam scutorum 240, cum Testator fuisset confrater, et eius animus non omnino alienus a subsidiis ferendis suae Congregationi, quam vivus tantopere adamaverat, alias pia exercitia cessarent, nisi instanti ruinae consuleretur, quin propterea obstaret, quod pecunia coacta in celebrationem Missarum erogari omnino deberet.

37. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 iunii 1783 responsum tulit: – Affirmative pro medietate summae depositae –. Cum autem impensae admodum excederent prolatum a Peritis de futuro opere iudicium, postularunt Sodales, ut iisdem concederetur, quod ex deposito reliquum erat; eisque Emus Archiepiscopus favit. Proposito interim dubio: – An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 6 maii 1786 respondit: – Dilata, et scribatur Emo Archiepiscopo, iuxta instructionem –, ut referret nempe, an in totum vel in parte sequuta fuisset redintegratio bonorum distractorum, num pro Missarum celebratione medietas remaneret, et an libere demum, vel cum onere redintegrationis concedi posset pecunia. Respondit Emus Archiepiscopus ad primum, – nullam sequutam esse redintegrationem, quum ab Emis Patribus in favorabili Rescripto ab Oratoribus obtento die 21 iunii 1783 ad effectum erogandi medietatem scutorum 240 in reaedificationem Oratorii et Sacrarii (verius scutorum 257 secundum folia annorum 1783 et 1786) nulla fuerit demandata reintegratio, ex quo agebatur de pecunia coacta ex reditibus, non vero ex bonis alienatis –. Ad secundum, – quod annui reditus, qui percipiuntur ex pretio venditorum praediorum, quodque erogatum fuit in emptionem Locorum Montium, ii deserviunt Missarum celebrationi, ut praecipit Testator; medietas vero, quae superest, scutorum 240, oneri Missarum non est obnoxia –. Ad tertiam, – quod sicuti in praedicto Rescripto diei 21 iunii fuit impartita licentia erogandi medietatem scutorum 240 in reaedificationem Oratorii et Sacrarii, nullo imposito onere redintegrationis, ita videtur, quod eadem ratione impartiri possit licentia erogandi in solutionem aliarum expensarum, de quibus sermo est in precibus, alteram medietatem scutorum 240 absque onere redintegrationis –. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, iuxta votum Emi Archiepiscopi – *in Bononien. Commutationis voluntatis die 28 Maii 1791.*

38. Hinc locus est suspensioni Missarum, si dos pro Ecclesiae manutentione a Fundatore assignata haud sufficiat pro eiusdem Ecclesiae restauratione, atque Patronus ita prematur inopia, ut impar sit ad huiusmodi onus ferendum *in Camerinen. Restaurationis Ecclesiae die 6 Martii et die 27 Novembris 1779.*

39. Siquidem Barnabas Benigni Camers propriis sumptibus in Villa *di Seano* nuncupata ruralem aedificavit Ecclesiam Beatae Mariae Virgini in Caelum Assumptae dicatam. Die 26 maii 1684 praefatus Barnabas emit quatuor Loca cum dimidio alterius Montis Fidei in faciem et creditum dictae Ecclesiae per ipsum aedificatae, sibi tamen reservavit, donec vixerit, liberam potestatem de iisdem Locis disponendi, et quatenus de illis non disposuisset cum lege in patentalibus Literis expressa, quod eadem Loca Montium cum dimidio – semper et perpetuo stare debeant vinculata et obligata ad favorem dictae ven. Ecclesiae et Capellae pro dote et fundo, ac perpetua manutentione eiusdem Ecclesiae et Capellae –. Die vero 31 eiusdem mensis maii dictus Barnabas testamentum condidit, quo mandavit, ut fructus dictorum Locorum Montium darentur Capellano pro tempore prae-

fatae Ecclesiae ab ipso eiusque herede nominando, onere eidem indicto celebrandi Missam diebus festis de praecepto pro Populi commoditate, nec non heres eius proprietarius dictam Ecclesiam supellectilibus necessariis manutenere deberet. Quia vero fructus dictorum Locorum Montium impares erant ad ferendum onus a Fundatore praefinitum, hinc Sacra Congregatio die 15 novembris 1710 ad preces Iacobi Benigni Ecclesiae Patroni Missarum onus iuxta proportionatam reddituum quantitatem ad rationem eleemosynae manualis, inspecto regionis more, reduxit: novisque precibus ab ipso Iacobo porrectis, in quibus narratum fuerat, eleemosynam manualem iulii dumtaxat unius imparem esse ad implendum praescriptum onus, propterea quod ruralis Ecclesia, in qua erant celebranda Sacra, per quinque milliaria distabat a Civitate Camerini, idcirco Sacra Congregatio die 8 augusti 1711 commisit Episcopo Camerinensi, ut Missas taxaret – ad rationem eleemosynae manualis habito respectu ad iter –, vi cuius idem Episcopus Decreto suo Missas ad rationem iuliorum trium pro earum qualibet imposterum celebrandas esse mandavit. Cum inde praefata Ecclesia proximam minaretur ruinam, cumque ad eam reparandam, iuxta Peritorum iudicium, necessaria esset expensa scutorum viginti quatuor et obulorum triginta, supplex proinde fuit penes Sacram Congregationem Barnabas Benigni Capellanus pro suspensione celebrationis Missarum, donec ex fructibus Locorum Montium conflata fuerit quantitas dictorum scutorum 24. 30, in restaurationem Ecclesiae eroganda. Homines tamen in supradicta Villa Seani sparsim commorantes ac in totum quinque familias efformantes dissentiebant petitioni, ne privarentur commodo diebus festis de praecepto audiendi Sacrum in dicta Ecclesia: Patronus contra et Parochus Brondoleti, intra cuius Paraeciae ambitum extabat Ecclesia, petitae suspensioni Missarum assentiebantur. Episcopus conclusit: – Cum ergo satis clara sit dispositio et voluntas pii Institutoris in cedendis et resignandis dictis Locis Montium pro eiusdem Ecclesiae manutentione, censeo, annuendum esse precibus Oratoris –. Assignatio enim Locorum Montium facta fuisse videbatur per modum taxativae assignationis dotis, onere dumtaxat heredi indicto manutenendi Ecclesiam de sacris supellectilibus.

40. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 6 martii 1779 responsum dedit: – Dilata, et proponatur, citato Patrono –. Patronus autem sustinuit testificatione Episcopi ac Testium fide dignorum, se pauperem esse, et hac de causa prorsus imparem ad ferendum onus reparandi fatiscentem Ecclesiam. Eo enim ipso modo, quo Ecclesia pauper non tenetur alere Patronum pauperem, ita e converso nec etiam Patronus pauper adigi potest, ut Ecclesiam reaedificet vel restauret. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, iuxta votum Episcopi – *in Camerinen. Restaurationis Ecclesiae die 27 Novembris 1779.*

41. Quin imo, omnibus deficientibus mediis, permittitur etiam impositio census super bonis Ecclesiae *in Senogallien. Fabricae Ecclesiae die 20 Februarii 1796* §. *At.*

Item *in Nullius seu S. Laurentii in campo Demolitionis Oratorii et Translationis Onerum die 15 Martii 1802* §. *Concilium.*

42. Qua de re Sacra Congregatio censuit, indulgendum esse Beneplacitum Apostolicum Conventui Patrum Dominicanorum ad effectum emittendi obligationem, qua adimplere posset conditiones psaescriptas a Sacra Congregatione Boni Regiminis, cum ostendisset, necessariam esse aedificationem novae Ecclesiae, nec expensas excedere scuta triginta quinque millia, quin eidem ad id perficiendum vires deessent *in Anconitana Beneplaciti die 27 Martii 1762.*

43. Enimvero veterem Conventus Ecclesiam temporum iniuria collabentem Anconitana Ordinis Praedicatorum Familia demoliri statuit in Conventuali Capitulo habito die 26 maii 1759, novamque a fundamentis construere iuxta delineationem faciendam a Carolo Marchionni Architecto et approbandam a P. M. Generali Ordinis. Precibus inde oblatis Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium, postulavit, ut sibi facultas indulgeretur foenore accipiendi decem millia scutorum pro exequenda Capitulari delibera-

tione construendi novam Ecclesiam, iuxta delineationem faciendam a Carolo Marchionni Architecto et a praefato Generali approbandam, cum opus inceptum, pro cuius materia necessaria erat summa viginti quinque millium scutorum, nequiret Conventus totum perficere suis sumptibus brevi annorum curriculo. Annuit petitis Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 20 iulii eiusdem anni, onere iniuncto deponendi quotannis post expletam fabricam scuta sex centum pro redemptione censuum contrahendorum, et specialiter ad hunc effectum assignandi sufficientes alicuius fundi reditus. Assignato igitur fundo, collectaque ex impositis censibus pecunia, manus demolitioni admotae sunt; prodiitque tandem Architecti Marchionni delineatio non minori repensa praemio scutorum tercentum. Operis elegantia, quam exhibebat Architecti Marchionni delineatio, digna visa est Priori Conventus aliqua Anconitanae Civitatis retributione. Ob eam igitur postulavit suo suorumque Religiosorum nomine, ut Conventui cederentur quaedam domus cum taberna et receptacula aquarum nuncupata *li Vasconi* ad Communitatem spectantia; sed reiecta semel, iterumque petitione hac in Communitatis consilio, preces Religiosorum nomine oblatae fuerunt Sacrae Congregationi Boni Regiminis, quae die 28 februarii 1761 rescripsit: – Facta per Patres Sancti Dominici obligatione de elevando aedificio, iuxta mappam Periti Marchionni, ac de manutenendo propriis expensis platea ante Ecclesiam, et de via prosternenda usque ad maenia, eaque similiter manutenenda, Communitatem esse cogendam ad venditionem domus et apothecae, iuxta aestimationem per Peritos faciendam. Et quoad cessionem situs vulgo *Vasconi,* ad Emum Praefectum ad mentem. Mens est, quod per eosdem Patres S. Dominici solvantur Communitati scuta sex centum pro cessione situs, ut supra nuncupati *li Vasconi;* nec non etiam fiat obligatio de conficiendo canali usque ad aliud canale iam constructum a Communitate, ad effectum ferendi aquam ad fontes nuncupatos *di S. Nicola e dei Leoni* –. Editum Rescriptum approbavit acceptavitque unanimi suffragantium voto Capitulum conventuale Anconitanum die 16 aprilis 1761; sed ab illo reclamarunt Cives iura Communitatis tuentes, iterumque adiverunt Sacram Congregationem Boni Regiminis, quae die 30 sequentis mensis maii responsum dedit: – In decisis, et ad mentem. Mens est, quod per Patrem Vicarium Generalem fiat obligatio in forma iuris valida de servandis omnibus conditionibus positis in Rescripto diei 28 februarii currentis anni; et quoad situm *dei Vasconi,* ad Dominum Secretarium; et amplius –.

44. Electis deinde Peritis, situs praedictus *dei Vasconi* aestimatus fuit in scutis 1208. 08; et die 4 iulii Sacra illa Congregatio, datis Literis ad Gubernatorem Anconae, ea praecepit, quae agenda forent vigore utriusque Rescripti: et circa quantitatem pretii exequi iussit mox enunciatam peritiam ac alteram praecedenter confectam, quoad domum et tabernam aestimatas scutis 1588, 91, 1. Reliquum erat, ut Beneplacitum Apostolicum impetraretur pro obligatione per Religiosos et P. Vicarium Generalem Ordinis emittenda in forma iuris valida. Cives itaque Summo Pontifici supplicarunt, ne Beneplacitum Apostolicum concederetur, quod cessurum foret in praeiudicium Conventus et Civitatis, ac in detrimentum divini cultus. Nam obligatio, a Vicario Generali emittenda, afficeret totum Ordinem, cuius nihil interesse debebat magnificum opus construere in Civitate Anconae; et vires Conventus ferre non poterant immanes sumptus scutorum octoginta millium necessarios ad opus perficiendum, ut Religiosi ipsi agnoverunt in Epistola scripta ad P. Generalem, et in pleno Capitulo conventuali habito die 22 septembris 1760, in quo etiam modernus Prior adfuit, quin obesset altera posterior deliberatio capta die 16 aprilis 1761, quia suspicione non carebat. Idcirco a Patribus consulendum esse dixerunt necessitati reaedificationis Ecclesiae pro modo facultatum Conventus, nec proinde Beneplacitum Apostolicum concedendum pro obligatione absolvendi opus inutile et praeiudiciale; et opinati sunt, inutiliter extolli annuos reditus Conventus, quia nec satis exploratum erat, quantum superesset Religiosorum manutentioni. E contra Patres Dominicani sustinuerunt, novam Ecclesiam construere opus necessarium esse, et omni iure permissam, nec utilitatem deficere ob annuas retrahen-

das pensiones ex aedificiis seu domibus, quae in Civitate Anconae plurimi pendebantur. Conventui autem vires non deesse asseruerunt, quia licet eius patrimonium non excederet scuta sexaginta quatuor millia, habebat tamen annuos reditus fere scutorum quatuor millium, quorum tres partes supererant ordinariae manutentioni Familiae, ita ut aes alienum hac occasione forsan contrahendum facile dimitti posset ex annuis reditibus exuberantibus. Addiderunt praeterea, pro nova Ecclesia construenda requiri solum expensas scutorum triginta millium, iuxta Architecti Marchionni iuratam declarationem, illisque haud impares esse vires Conventus, cuius damnum proinde verendum non erat ob alia excogitata aedificia, quae commodiori tempore perfici poterunt, cum facultates suppeterent.

45. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo sit indulgendum Beneplacitum Apostolicum pro valida emittenda obligatione adimplendi conditiones praescriptas a Sacra Congregatione Boni Regiminis? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative iuxta modum: modus est, quod exequatur mappa Marchionni pro scutatis triginta quinque millibus, cum approbatione P. Vicarii Generalis – *in Anconitana Beneplaciti die 27 Martii 1762.*

46. Quum itaque in loco a Testatore designato aedificari nequeat Ecclesia, quam ipse construi mandavit, locus est commutationi voluntatis ad effectum, ut eadem in loco aptiori aedificetur *in Firmana Aedificationis Ecclesiae die 12 Februarii 1718.*

47. Siquidem Franciscus Vannus in ultimo, quo decessit, testamento reliquit Imagini Beatissimae Virginis Angelorum extra Portam S. Andreae Terrae Montis Georgii octo Loca Montium, ut in eius Imaginis honorem fabricaretur Ecclesia; utque haec sua ultima voluntas exequutione non careret, deputavit et elegit Doctorem Ioannem Franciscum Passarum, qui fabricae assisteret, attributa ipsi facultate vendendi et alienandi Loca Montium absque etiam suorum heredum consensu. Sequuto Testatoris obitu, Passarus executor, eo sub obtentu, quod Ecclesia fabricari non posset in loco a Testatore electo, et in quo erat Imago memoratae Beatissimae Virginis Angelorum, ex quo inhaereret lateri collis fere ruinosi, licentiam ab Episcopo Ripano administratore reportavit eamdem Ecclesiam fabricandi in altero solo, ab Imagine distante per passus geometricos centum viginti, et ab Oppido per passus bis centum quinquaginta. Displicuit haec loci commutatio heredibus Francisci Vanni, tum quia propter maiorem ab Oppido distantiam eius habitatores incommodum passuri dicebantur, tum quia cum ipsi heredes in vim testamenti tenerentur celebrari facere Missas in Ecclesia aedificanda, loci commutationem existimabant sibimet fore praeiudicialem; factaque idcirco oblatione domus, quam possidebant prope ianuam S. Andreae, ut in ea novae Ecclesiae constructio impleri posset, habitoque subinde ad Sacram Congregationem recursu, haec, praevia relatione Archiepiscopi Firmani, eidem commisit, ut, veris existentibus narratis et praesertim, quod Ecclesia in loco a Testatore assignato construi non posset, facultatem impertiri valeret pro suo arbitrio et conscientia eamdem Ecclesiam aedificandi in domo ab heredibus designata, et Archiepiscopus, utens arbitrio sibi dato, annuit petitis. Hisce sese opposuerunt coram Auditore Summi Pontificis, tum Passarus executor, tum heredes Philippi Vanni fratris Testatoris: sed cum, ad amputandam quamcumque dilationem, heredes Francisci Vanni Testatoris se promptos paratosque exhibuerint ad Ecclesiam aere proprio aedificandam, ut interim et in forma depositi pretium Locorum Montium erogandum in Ecclesiae constructionem remaneret penes Passarum executorem testamentarium, dictus Auditor, firmo remanente dicto deposito, Causam ad Sacram Congregationem remisit super puncto commutationis voluntatis. Hinc heredes Francisci Vanni sustinuerunt, aptiorem esse locum ab ipsis electum pro constructione Ecclesiae comparatione ad alium, in quo Passarus ab Episcopo Ripano obtinuit, ut Ecclesia construeretur, cum melior esset situs a se assignati capacitas et minor incommoditas, tam Incolarum Oppidi S. Georgii, quam Sacerdotum Missas in nova Ecclesia celebrare debentium, ac ibidem nulla alia Ecclesia existeret, in qua Missa celebraretur, praeter Ecclesiam Monialium S. Andreae, in qua unica Missa dice-

batur pro Monialibus, licet ibi ter centum habitarent Personae, quando in loco ab Executore electo alia reperiebatur Ecclesia, in qua duae Missae qualibet hebdomada celebrabantur, praeter illam, quae diebus festivis dicebatur pro Populo rustico per Capellanum Communitatis.

48. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus commutationi voluntatis bo. me. Francisci de Vannis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Archiepiscopi, reservato iure Executori testamentario adimplendi voluntatem Testatoris in domo ab heredibus assignata – *in Firmana Aedificationis Ecclesiae die 12 Februarii 1718.*

49. Idcirco cum necessitas et utilitas adsint, indulgetur reaedificatio Ecclesiae alio in loco iuxta votum Emi Episcopi, ac reservato etiam iurepatronatus favore eius, qui onus reaedificationis et manutentionis cum sacris supellectilibus suscipit *in Senogallien. Reaedificationis Ecclesiae die 6 Maii 1797.*

50. Enimvero extra maenia Rocchae Contratae posita erat Ecclesia nuncupata *la Madonna del Renale,* et in ea miraculis clara Beatae Virginis Imago. Simplex ibi erectum Beneficium, cuius dos in adhaerente consistebat agello valoris scutorum centum, iuxta publicum aestimum, et scutorum 319. 25 iudicio Peritorum, annuique reditus scutorum circiter duodecim. Ex parte collapsum erat Ecclesiae aedificium, proximam ex altera parte minabatur ruinam vitio substructionum, quae positae erant in aquoso et lubrico fundo. Ad illud reparandum legavit anno 1789 Marcus Antonius Rossi scuta quinquaginta sub lege, quod nisi fieret intra quinquennium reparatio, erogari deberent in eleemosynas. Quum satis tamen operi non esset legata summa, et pares non essent reditus Beneficii impensae scutorum 339. 50, quot iudicio Periti requirebantur, diu idcirco haesit Sacerdos Carolus Aprili Beneficiatus; ac die tandem 26 novembris 1791 facultatem ab Sacra Congregatione obtinuit construendi in eodem loco angustiorem Ecclesiam, pro qua sufficiebant scuta 250. In hac tamen designanda Ecclesia animadversum a Peritis fuit, eam quoque ratione lubrici soli cito defecturam; resque in eodem remansit statu. Quum interim vero laberetur quinquennium a legante Rossi praefinitum, iterum atque iterum Beneficiatus prorogationem a Sacra Congregatione obtinuit termini; supplicavitque postremo pro translatione Imaginis Beatae Virginis et tituli Beneficii ad urbanam et parochialem Ecclesiam S. Ioannis. At se opposuit Communitas Rocchae Contratae, ad servandam devotionem Populi erga antiquam Ecclesiam, excitavitque controversia pium virum Theodorum Carletti, qui ad eam dirimendam se obligavit nedum ad Ecclesiae intra Oppidi maenia reaedificationem, cuius iuspatronatus ad ipsum spectaret, sed etiam ad eiusdem manutentionem cum sacris supellectilibus, his tamen adiectis conditionibus, ut sibi subministrarentur dirutae Ecclesiae coementa sacrae supellectiles Imago praedictum legatum quinquaginta scutorum alia quinquaginta scutata a Beneficiato solvenda in quinque annis, nec non venderetur dictum agellum pretio scutorum 319. 25 solvendo fructus compensativos quinque pro centenario. Id probavit Beneficiatus; supplicavit idcirco pro facultate ineundi contractum, eiusque instantiae favit Emus Senogalliensis Episcopus in haec verba: – Si pius oblator aedificandi onus in se recipiat, Sacerdotis dos crescit, si valor aestimi catastralis cum venditionis pretio comparetur: annuus quoque reditus augetur, si cum fructibus compensativis conferatur: quodque maioribus momenti est, nil conducibilius excogitari potest, quam si pius oblator ad sacrae supellectilis subministrationem atque perpetuam aedificii manutentionem se obligavit. Neque per ea, quae diximus, ulla Eminentiis Vestris dubitatio oriatur, quasi quidquam mali obventurum, si nova Ecclesia alio aedificetur, quam in veteris Ecclesiae loco. Quippe ab eo parum distat PP. Reformatorum Ecclesia et Coenobium, ubi Sacrum facere et Missas audire facile est: viceversa nova Ecclesia aedificanda est in loco ab aliis Ecclesiis distante, proptereaque magnam Oppidanis utilitatem commoditatemque afferri dicendum est –.

51. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus reaedificationi Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, iuxta votum Emi Episcopi – *in Senogallien. Reaedificationis Ecclesiae die 6 Maii 1797.*

52. Haud est vero reducenda in pristinum Ecclesia, cum Episcopus iure ac merito illius demolitionem mandaverit, ac coementa in constructionem alterius Ecclesiae alibi erigendae adhiberi iusserit *in Brictinorien. Translationis Ecclesiae parochialis die 14 Decembris 1782.*

53. Siquidem Ecclesia S. Mammantis parum distabat ab Ecclesia parochiali S. Laurentii sita in loco campestri et ab Oppido Teodorani distans quartam partem unius milliarii. Cum autem Archipresbiter instaret pro translatione Ecclesiae parochialis in Ecclesiam S. Mariae de Platea sitam inter dictum Oppidum Teodorani, demolita extitit Ecclesia S. Mammantis. Unde Incolae nedum adversabantur praefatae translationi, sed etiam contenderunt, Archipresbiterum ex condicto cum familia Bastelli, insciis prorsus Parochianis, demolitionem Ecclesiae S. Mammantis demandasse, statuam S. Titularis aliaque ornamenta subripuisse: hanc vero Ecclesiam etiam Alienigenarum concursu in nonnullis anni diebus decoram esse, hinc illius reaedificationem sumptibus tum Archipresbiteri, tum familiae Bastelli demandandam esse. Spernendum dixerunt diffugium desumptum a Decreto lato in pastorali Visitatione anni 1779; nam in dicto Decreto illius demolitio demandata non fuit, et negligentia perficiendi reparationes in eodem Decreto praescriptas demolitionis poenam non meruisse. Contra vero Promotor Fiscalis asseruit, compertum fuisse in pastorali visitatione expleta anno 1779, quod Ecclesia S. Mammantis ruinam minabatur, et licet de eo tempore illius restauratio demandata fuerit, restaurationis tamen opus nunquam expletum fuisse, quia nec Patronus aderat, nec peculiares reditus pro fabrica; hinc redargui non posse Episcopum, si illius demolitionem demandavit, et quae aderant coementa in constructionem novae Ecclesiae S. Mariae de Platea, ubi simulacrum S. Mammantis translatum fuerat, adhiberi iussit. His utrinque perpensis, proposito dubio: – II. An Ecclesia S. Mammantis sit reducenda in pristinum, et cuius sumptibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative; et amplius – *in Brictinorien. Translationis Ecclesiae parochialis die 14 Decembris 1782.*

54. Quapropter si Ecclesia ruinam minans ab Episcopo iam suspensa fuerit ac superflua et inutilis ab eodem censeatur, haud est locus eius reparationi seu reaedificationi, etiamsi tacita adsit voluntas Testatoris pro reparatione, sed servari debet forma Concilii Tridentini, nec non Capella sub titulo Beatae Virginis de Rosario erigenda est in altera e duabus Ecclesiis ex mandato praedicto Testatoris reaedificatis *in Camerinen. die 18 Novembris 1797.*

55. Enimvero Petrus Paulus Cardinalis de Comitibus anno 1775 mandavit, ut ex bonis hereditariis reaedificarentur seu repararentur Ecclesiae S. Mariae de Trivio, S. Mauri, et S. Mariae *del Rivo* in Diaecesi Camerinensi existentes. Et reapse, Testatore defuncto, reaedificatae sunt Ecclesiae S. Mariae de Trivio et S. Mauri: sed quoad alteram Ecclesiam Archiepiscopus retulit, – quod Ecclesia S. Mariae in Rivo adhuc remaneat suspensa, quae usque ab anno 1787 occasione sacrae visitationis a cl. me. Aloisio Amici Archiepiscopo immediato meo praedecessore suspensa fuit, id non eo animo factum est, ut non adimpleatur voluntas Testatoris, sed quia isthaec tertia Ecclesia superflua et inutilis reputatur. Quae enim remanent, duae a fundamentis reaedificatae Ecclesiae, satis superque sunt pro commoditate exigui Populi Villiculae S. Mauri, coalescentis ex undecim dumtaxat familiis non longe inter se dissitis, et una simul non excedentis numerum sexaginta Parochianorum –. Illius enim aedificium adeo deterius factum esse videbatur, ut indecorum esset pro divinis ministrandis. Reparari quidem poterat; sed maximo fortasse cum sumptu, ex quo negligi deberet aliarum Ecclesiarum manutentio, de qua solicitus fuit Testator. Hinc praeter eius inutilitatem aliae duae erant Ecclesiae, unde Parocho et Parochianis – nihil (teste Archiepiscopo) aut parum interest, sive praedicta tertia Ecclesia suspensa remaneat, aut manuteneatur, sive non, dummodo in una, vel altera ex memoratis Ecclesiis reaedificatis Altare seu Capella honori erigatur Beatissimae Virginis sub titulo Sanctissimi Rosarii, quemadmodum commode fieri potest; idque ad conservandam fovendamque pietatem ac devotionem Parochi ac Parochianorum, eo ipso modo,

quo et ipsi et eorum tum Praedecessores, tum Maiores per successiva secula consueverunt in praefata hodie derelicta ac suspensa Ecclesia S. Mariae in Rivo Beatissimam Virginem Sanctissimi Rosarii excolere ac venerari –. Contra advertebatur, quod pro reparatione erat Sacrum Concilium Tridentinum, et tacita etiam voluntas Testatoris. Nam licet reparationem, vel reaedificationem demandaverit Ecclesiarum dumtaxat S. Mariae de Trivio et S. Mauri, voluit tamen, ut superextantes Romanae haereditatis reditus erogarentur – in beneficio delle suddette tre Chiese –, et sic etiam in reparatione Ecclesiae *del Rivo*, quam expresse non demandavit, ex quo tunc Ecclesia ista in bono forsan erat statu.

56. His utrinque perpensis, proposito dubio: – III. An sit locus reparationi Ecclesiae S. Mariae *del Rivo,* seu potius illius profanationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, servata forma Concilii Tridentini et erecta Capella sub titulo Beatae Virginis de Rosario in altera e duabus Ecclesiis – *in Camerinen. die 18 Novembris 1797.*

57. Alias Sacra Congregatio mandavit – quod urgeat Episcopus pro executione Decretorum respicientium restaurationem pavimenti Ecclesiae et aliorum divinum cultum respicientium – *in Balneoregien. et Urbevetana die 7 Iunii 1777.*

58. Episcopus enim potest etiam mandare, ut sequestrentur fructus Beneficiorum pro restauratione Ecclesiarum, quae sunt tituli Beneficiorum, et pro conficiendis supellectilibus sacris, etiamsi sint Beneficiati in quacumque dignitate constituti *in Narnien. die 24 Martii 1657 lib. 19 Decretorum pag. 642.*

59. Idcirco servandum est Decretum sequestrationis bonorum suppressi Conventus editum ab Episcopo in sacra Visitatione, ut ex fructibus eorum restauraretur eiusdem Ecclesia, cum omnia bona et ipsa Ecclesia et Conventus per Summum Pontificem translata et incorporata fuerint favore alterius Conventus seu Collegii eiusdem Ordinis Minorum Conventualium *in Tuscanen. et Ordinis Minorum Conventualium Restaurationis Ecclesiae die 22 Maii 1830.*

60. Siquidem Fratribus Minoribus Conventualibus, qui extra maenia Tuscaniae morabantur, sub finem seculi decimi tertii se iuxta Templum S. Iacobi intra Civitatem positum transferendi potestatem fecit Tuscanensis Episcopus, eisque concessit – ipsam Ecclesiam cum suis pertinentiis, scilicet domibus caemeterio et hortis circumadiacentibus et platea –, imo et sacris supellectilibus omnibusque Ecclesiae ornamentis. At – possessiones alias et Parochiam ad praedictam Ecclesiam pertinentes – sibi suisque Successoribus censuit reservandas. Huius Templi curam, quod eleganti forma constructum erat, ac tamquam S.Francisci Assissinati nuncupatum postea haberi cepit, omni studio et aedificato etiam Coenobio gesserunt iidem Religiosi, donec ob sacrarum publicarumque rerum perturbationem, quae seculo decimo octavo exeunte misere obtigit, illam deserere compulsi sunt. Factum hinc est, ut Antistes Tuscanensis tam Ecclesiae, quam omnium bonorum derelicti Coenobii administrationem interea susciperet. Ubi primum autem Pontificiae ditioni pax reddita est, memorati Religiosi supplices adierunt sa. me. Pium VII, ab eoque die 15 iunii 1801 veniam impetrarunt, ut bona et reditus suppressi Coenobii S. Francisci Tuscanensis Civitatis unirentur Collegio S. Antonii Minorum Conventualium in Urbe existenti, cuius erat Viros eiusdem Ordinis mittere ad praedicandum Infidelibus Iesu Christi Evangelium. Paullo post, scilicet die 29 octobris 1804 ad tenues Collegii reditus augendos ab Sede Apostolica facultatem obtinuerunt perpetuo transferendi ad praefatum Collegium S. Antonii – Missarum aliaque onera transferibilia, quibus gravatus reperiebatur – Conventus S. Francisci. Aliud die 11 martii 1807 Rescriptum assequuti sunt, quo declarabatur, – sacra supellectilia mobilia campanas aliaque omnia olim pertinentia ad Conventum et Ecclesiam S. Francisci Ordinis Minorum Conventualium Civitatis Tuscanensis, ipsamque Ecclesiam et Conventum, censenda esse translata et cum aliis bonis comprehensa et incorporata favore Collegii divi Antonii Patavini eiusdem Ordinis pro Missionibus in partibus Infidelium –. Apostolicis hisce suffultus

Rescriptis, nullumque sibi onus imminere autumans Rector Collegii Missionum, Templum S. Francisci sacra supellectili expoliavit; itaque illud despexit, ut brevi ruinam pene minitaretur. Quamobrem cl. me. Cardinalis Severolius sacram Tuscaniae peragens visitationem die 15 maii 1823 Ecclesiam et Altaria suspendit, et constituit Collegio Missionum – terminum unius anni ad effectum restaurandi Ecclesiam praedictam; quo termino elapso, mandavit apponi sequestra super reditibus bonorum dicti suppressi Conventus, applicandis pro restauratione praedicta –. Cumque Decretum eiusmodi nihili fecissent Minores Conventuales, modernus Tuscanensis Episcopus in sacra visitatione diei 2 aprilis 1829 Decretum illud confirmavit, – ac in executionem eiusdem et praesentis novi Decreti mandavit immediate apponi sequestra super reditibus bonorum dicti suppressi Conventus. applicandis pro restauratione Ecclesiae. –

61. Nedum autem Promotor Fiscalis, sed et Tuscaniae Civitas deprecati sunt, ut quaestio quam cito dirimeretur, cum in praefato Templo mira adoraretur Imago Sanctissimi Crucifixi, ac extaret Altare S. Antonio Patavino Civitatis Compatrono dicatum. Nam ex enarrata rerum serie duo certa exploratagque arbitrabatur Promotor Fiscalis, nimirum nedum Ecclesiam, sed etiam aedes hortos aliaque adiuncta seculo decimo tertio ab Tuscanensi Antistite fuisse Fratribus Minoribus Conventualibus concessa, atque istos ad suppressionem usque Coenobii S. Francisci onus iugiter subiisse instaurandi Ecclesiam et inibi exercendi cultum divinum. Inde Coenobitarum successor extitit Collegium Missionum; huic enim Apostolicae Sedis largitione data sunt bona omnia et iura Ecclesiae S. Francisci ac suppressi Conventus, imo Ecclesia ipsa eiusque sacra suppellex et ornamenta. Idcirco sicut bonis fruebatur, ita et onera ferre debebat. Nam S. Sedes anno 1807 declaravit, Ecclesiam S. Francisci translatam esse cum bonis et incorporatam favore Collegii Missionum. Unde iure ac merito Praesul Tuscanensis Decretum sequestrationis bonorum subscripsit, ad formam Concilii Tridentini sess. 7 cap. 8 et sess. 21 cap. 7 de reformatione, ubi nulla Ecclesia quomodolibet exempta excipitur, imo praecipitur, ut Auctoritate Apostolica Ordinarii locorum etiam per sequestrationem fructuum provideant. Contra Procurator Generalis Collegii Missionum primum advertit, Ecclesiam illam antiquitus concessam a Minoritis fuisse reaedificatam; ac Leonem X Minoritorum Ordini potestatem fecisse vivae vocis oraculo ex uno Coenobio demigrandi in aliud, resque omnes derelicti Coenobii in propriam vertendi utilitatem, Urbanum VIII Generalibus Minimorum ac Franciscalium seu Conventualium congruentem dedisse potestatem semiruti Coenobii bona in aliud transferendi, ex privilegiorum mendicantium collectione, iuxta Sacri Concilii et Summorum Pontificum confirmatione Florentiae edita, meridiana luce clarius evinci, Regularibus datam esse facultatem locorum dimissorum bona vendendi ac illorum pretium vertendi in propriam utilitatem, simulque dirutas Ecclesias in privatas domos ex Concilio Tridentini praescripto convertendi. Unde Barbosa de iure ecclesiastico aliique tradunt, quod in casu magnae necessitatis bene possit Monasterium destrui, et, cum opus fuerit, commutari. At id praefatus Generalis Collegii Missionum maxime ursit, quod scilicet Pius VII anno 1801 Conventus Tuscaniae bona Missionum Collegio de Urbe permiserit incorporari: ac inde anno 1807 etiam sacra supellectilia mobilia campanas aliaque omnia olim pertinentia ad praedictum Conventum et Ecclesiam, ipsamque Ecclesiam et Conventum, censenda esse mandavit laudatus Pontifex translata et cum aliis bonis comprehensa et incorporata favore dicti Collegii.

62. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Decretum sacrae Visitationis sit servandum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Tuscanen. et Ordinis Minorum Conventualium Restaurationis Ecclesiae die 22 Maii 1830.*

63. Nam ad reficiendas Ecclesias, quae inopia laborant, impendi permisit sancta Synodus Tridentina fructus et proventus ad eidem Ecclesias quomodocumque pertinentes, sess. 21 cap. 7 de reformatione *in Brictinorien. Applicationis et Indulti abessendi die 17 Decembris 1796* §. *Ad.*

64. Hinc Ecclesias reparandas primum esse

ex suis reditibus monet Tridentina Synodus in cap. 7 sess. 21 de reformatione *in Camerinen. Suspensionis die 20 Novembris 1802* §. *Suspensio.*

Item *in Tiburtina Suspensionis Capellaniae die 13 Ianuarii 1816* §. *Iussit; in Assisien. Reaedificationis die 18 Decembris 1719* §. *Ecclesias.*

65. Enimvero iuxta Sacri Concilii Tridentini sanctionem in cap. 8 sess. 7 et in cap. 7 sess. 21 communiter receptum est, onus reparandi Ecclesias, earumque indigentiis providendi, ubi Ecclesiae ipsae reditibus in eum finem destinatis careant, primo ac prae ceteris ad earumdem Ecclesiarum Rectores aliosve ipsarum reditibus fruentes pertinere, adeoque iure optimo istos posse ad id per eorumdem fructuum sequestrationem compelli, uti cum aliis tradit Sperell. decis. 67 n. 6, Panimoll. dec. 15 annot. 1 n. 2, et pluries resolvit Sacra Congregatio, et signanter in Hieracen. 18 maii 1590 lib. 7 Decretorum pag. 165, et in Narnien. 24 maii 1657 ad quartum dubium *in Bossanen. Reparationis Parochialis die 25 Februarii 1741* §. *Iura.*

66. Unde onus reparandi Ecclesiam, illius etiam Beneficiis incumbit, ex Decreto Concilii Moguntini, de quo in Cap. 5 de Eccles. aedificandis, et apud Burchard. Wormach. de Eccles. decret. lib. 3 cap. 3, novissimaque S. Concilii Tridentini sanctione sess. 21 cap. 7 de reformatione, quam exornant Gibert. in ius can. tom. 2 tit. 15 de loc. sacr. §. 4, Pecch. Zittic. de reparat. Eccles. cap. 14 a n. 1 *in Firmana Praebendae die 26 Martii 1791* §. *Quatenus.*

67. Idcirco consonum est iuris dispositioni, ut praecipue cogantur ad contributionem pro fabrica Ecclesiae, qui ex reditibus et proventibus eiusdem quomodocumque participant *in Viterbien. Census die 4 Aprilis 1767* §. *Huic.*

68. Nam Rectores Beneficiorum, etiam in quacumque Dignitate constituti, tenentur ad reparationem illius Ecclesiae, ad quam eorum Beneficia fuerunt iusta de causa ab Episcopo translata *in Narnien. die 24 Martii 1657 lib. 19 Decretorum pag. 642.*

69. Quapropter si Ecclesiae parietes corruerint culpa Beneficiati, qui tecti reaptationi haud vacavit, merito Episcopus fructus Beneficii sub sequestro posuit, cum ex iis eadem reaptari et supellectilibus instrui debeat, etiamsi iidem fructus adeo tenues sint, ut ipse ex Beneficio congruam non recipiat substentationem *in Asculana Reaedificationis Ecclesiae die 11 Maii 1720 et die 21 Iunii 1721.*

70. Enimvero Episcopus in sua Visitatione peracta anno 1712 restaurari iussit quamdam parvam Ecclesiam S. Francisci de Caprodoxo, in qua Scipio de Boncompagnis quoddam simplex retinebat Beneficium. Scipio vero putavit, non esse locum restaurationi, licet eadem esset diruta et omnibus supellectilibus destituta et absque tecto, tum quia necessaria fuisset impensa scutorum 185 et obulorum 50 quando, adimpleto onere Missarum, sibi non supererant sex scutata annua, tum quia ceteri praedecessores Episcopi eam habuerunt pro derelicta permittendo, ut Missae, quae in eadem forent celebrandae, celebrarentur in parochiali Ecclesia S. Luciae, prout factum fuerat a quadraginta annis citra, et tandem quia concurrente inopia Ecclesiae, quae dote carebat, concurrente inopia Rectoris, qui suam ex Beneficio non recipiebat congruam substentationem, aliisque omnibus remediis deficientibus, Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 7 de reformatione statuit, quod Ecclesiae dirutae ad Matrices seu Viciniores Ecclesias transferantur et convertantur in prophanos usus, sed non sordidos, erecta Cruce in loco, in quo erant. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit reaptanda et supellectilibus instruenda Ecclesia S. Francisci de Capradoxo? *Et quatenus affirmative*, ad quem onus spectet in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem – *in Asculana Reaedificationis Ecclesiae die 11 Maii 1720.*

71. Primum caput instructionis fuit, ut Episcopus referret super reditibus Beneficii, et ipse respondit, libera pro Rectore remanere scuta sex annua cum dimidio. Secundum caput instructionis fuit, ut referret super impensa necessaria pro instauratione, et Episcopus respondit, esse necessaria scuta centum et ultra. Tertium caput fuit, quoad tempus, quo incepit necessitas restaurandi Ecclesiam, et Episcopus respondit, quod ex

visitatione facta anno 1672 haberetur, quod Ecclesia indigebat reaptatione in tecto, et quod si anno 1673, quo Scipio obtinuerat Beneficium, dictae reaptationi vacasset, non corruissent parietes Ecclesiae, ubi subinde contigit. Conclusit Episcopus, quod si fructus, quos ipse posuit sub sequestro ab anno 1712 pro Ecclesiae restauratione applicarentur, ipse absque alia impensa Scipionis modum inveniebat construendi de novo Ecclesiam, quae Ecclesiae aedificatio multum prodesset ad excitandam fidelium devotionem. His itaque stantibus, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Episcopus mandet reaptari Ecclesiam cum fructibus usque adhuc sequestratis – *in Asculana Reaedificationis Ecclesiae die 21 Iunii 1721.*

72. Qua de re multo magis laicus tenetur Ecclesias in pristinum restituere per sequestrationem bonorum, cum illegitime ac ausu temerario altaria ac pavimento subverterit, nec non conscientiae suae consulere debet *in Spoletana Ecclesiarum die 12 Septembris 1829.*

73. Siquidem tristissimis superiorum temporum calamitatibus, quando nimirum, Regularibus e propriis sedibus abire coactis, sacra quoque Templa expilabantur, tum Ecclesia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, cui adhaerebat Coenobium Patrum Capuccinorum, tum Ecclesia S. Mariae Magdalenae, quae Congregationis Oratorii S. Philippi adnexam habebat domum, ambae Mevaniae existentes, suis vasis sacraque supellectili expoliatae fuerunt eorumque fores clausae sunt. Adhaerentium vero Religiosarum aedium possessionem invasit Fiscus, quem demanium appellabant. Paullo post, seu anno 1812 actum est de piorum locorum venditione, et Angelus Andreoli licitatus est praefatam domum Congregationis S. Philippi Neri et Conventum cum horto dictorum Capuccinorum: et quamvis in constituta auctione nulla facta fuerit Ecclesiarum mentio, attamen Andreolius nedum Religiosarum aedium proprietatem possessionemque nactus est, sed etiam contiguas occupavit Ecclesias, quin tamen illarum sive externam, sive internam ausus fuerit immutare formam. At reddita Ecclesiae pace, et a Sacra Congregatione Episcoporum ac Regularium die 15 augusti 1814 edita lege, qua revocabantur – Alla prima destinazione quei locali, che stabiliti per residenza dei Vescovi Religiosi e Religiose di diversi Ordini, ed alienati in tempo dal Governo Francese, non avevano sotto i nuovi possessori cangiati natura ed aspetto –, pertimiscens Andreolius, ne Ecclesias, quae adhuc veterem servabant statum, divino cultui restituere compelleretur, illarum formam delere constituit. Quamobrem autumnali tempore anni 1814 Fabris murariis summa festinatione accitis, eversa sunt in Ecclesia Capuccinorum altaria fornix et ligneum pavimentum. Nec multum post temporis etiam altaria S. Mariae Magdalenae Andreolius dirui iussit, et germanus Angeli frater Hyacinthus Andreoli pede proruit suisque manibus penitus convulsit. Haec cum ita se haberent, Promotor Fiscalis die 5 martii 1818 Andreolium in ius vocavit, ut, nisi de legitima destruendi altaria facultate exhiberet certa argumenta, censuris aliisque poenis a iure statutis plecteretur. Hinc supplex Andreolius Summum adiit Pontificem, ut absolutionem obtineret: sed die 14 aprilis 1818 Sacra Poenitentiaria rescripsit: – Rem conferat cum Episcopo –. Andreolius vero maluit potius devinciri censuris, quam rem amica conciliatione componere. Hinc Episcopus Marius Ancaianus in sacra visitatione anni 1824 mandavit, ut sumptibus Angeli Andreoli tum Capuccinorum, tum S. Mariae Magdalenae Ecclesia intra sex menses in pristinum reduceretur; quo elapso tempore, poenam scutorum decem singulis diebus contrahendam et ab Andreolio solvendam statuit. Hoc Decreto perterritus Andreoli, ad Sacram confugit Congregationem, et affirmans in licitatione Religiosarum aedium comprehensas fuisse contiguas Ecclesias, atque istas iure se possidere, quia Summus Pontifex Pius VII art. 225 Motus – Proprii anni 1816 caverat: – Le vendite dei così detti beni demaniali fatte dal passato Governo a termini delle leggi sono conservate –, humilibus eam precibus deprecabatur, ut Decretum Spoletini Archiepiscopi revocaretur, et Oratorem ab indictis eximeret mulctis.

74. Exploratum vero in primis censuit Mensae Episcopalis Defensor, cum interim mortem oppetiisset Praesul Ancaiani, eas,

quas Andreoli dirui iussit Ecclesias, non modo nunquam occupari, verum etiam neque numerata pecunia emi, neque iusto emptionis venditionis titulo possideri ullo unquam tempore potuisse. Nam anno 1812 praedicta domus et Conventus dumtaxat, non autem Ecclesiae licitationi positae fuerunt. Nec enim Gallicis occupatoribus eam insedisse mentem, ut, quae Deo dicata forent, Templa Praeconis voce venumdarentur, ex testimonio ipsius Periti evinciebatur apertissime. Quin imo, etsi Ecclesias Andreolius emisset, eas certe retinere non poterat, ex eo quod iam prodierat suprema lex, qua revocabantur – alla prima destinazione – illa pia loca, quae – alienati in tempo dal Governo Francese non avevano sotto i nuovi possessori cangiata natura ed aspetto –. At simul ac iussu s. m. Pii VII in vulgus edita est cunctisque innotuerat suprema memorata lex, illico sin de externa, certe tamen de interna Templorum evertenda forma cogitavit Andreolius, remque infauste perficere non erubuit. Id enim tum ex Testium depositione, tum ex ipsa Andreoli confessione certum exploratumque erat. Contra Andreolius Decretum Archiepiscopi omnino infirmandum esse acriter contendit. Sustinuit enim, Ecclesias quoque fuisse hastae subiectas, cum Ecclesiae adhaererent Religiosis aedibus, mutua inter easdem per scalam adesset communicatio, et Ecclesiae veluti aedium accessorium et pars censerentur. Porro Gallica administratio in constitutis auctionibus nihil censuit excipiendum, imo ex statu, in quem ipsas Ecclesias converterat, eas una cum aedibus vendere sibi constitutum ac deliberatum fuisse facile intelligebatur. Etenim utramque Ecclesiam, sacris vasibus sacraque supellectili prius expoliatam, profanis usibus addixit; Testes quippe ab Andreolio inducti narrabant, Ecclesiam S. Mariae Magdalenae redactam fuisse ad usum promptuarii, atque insuper nundinarum tempore factam esse domum negotiationis; in Ecclesia vero Sanctorum Petri et Pauli destructum fuisse chorum ac sub hasta venditum, antequam auctioni subiiceretur Capuccinorum Coenobium, in eoque, clausis ianuis, divinum siluisse cultum – dalla vendita dei Francesi in poi –. Frustra hinc Mensae Archiepiscopalis Patronum opponere dixit, Ecclesias tamquam res divino cultui dicatas venumdari non potuisse, cum Pius VII anno 1816 ex memorato Motu – Proprio ratas habuerit.

75. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit exequendum Decretum in sacra visitatione latum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta modum, nempe Angelo Andreoli praefiniendum esse novum terminum arbitrio Archiepiscopi ad Ecclesias in pristinum statum restituendas, quo elapso, Archiepiscopus iuris et facti adhibitis remediis curet, fieri instaurationem Ecclesiarum sumptibus eiusdem Andreoli, apposito super ipsius bonis sequestro, et loco mulctarum, quas hactenus contraxit, reficiat expensas praesentis iudicii, et consulat conscientiae suae; et amplius – *in Spoletana Ecclesiarum die 12 Septembris 1829.*

76. Unde quum Communitas loci et Beneficiatus renuerint instaurare Ecclesiam, ob tenues Beneficii reditus et aes alienum contractum, sed imo instarent, ut eam Episcopus propriis sumptibus reaedificare deberet, ex eo quod eadem clausa remanserat ex deficientia sacrorum supellectilium, Sacra Congregatio resolvit, haud teneri Episcopum propriis sumptibus praedictam Ecclesiam reaedificare *in Nolana Reaedificationis Ecclesiae die 5 Iunii 1700 lib. 50 Decretorum.*

77. Siquidem – aderat in Terra Summae Nolanae Diaecesis Ecclesia S. Sebastiani illius Titularis, in qua erectum reperiebatur tenue Beneficium. Occasione autem Visitationum, annis retro elapsis fuerunt inibi inventa supellectilia sacra penitus consumpta, ipsaque Ecclesia materialibus indecenter repleta ac minans ruinam. Unde modernus Episcopus Nolanus, ut ipse asserit, habita notitia, quod ultra praedicta Templum hoc fuerit criminibus atque flagitiis pollutum, praemonuit Beneficiatum et Communitatem loci, ut idem restaurarent, ac debito splendori restituerent; quibus tamen adimplere renuentibus, tum ob tenues reditus Beneficii, tum ob aes alienum contractum, mandavit proinde illud demoliri. Cum vero ad praesens Beneficiatus atque Communitas instent pro Ecclesiae reaedificatione sumptibus eiusdem Episcopi, ea innixi ratione, quod Ecclesia praedicta solummodo

clausa remanserit ex deficientia sacrorum supellectilium, nec opus habuerit notabili reaptatione, ut ex Testium depositionibus, ideo monito etiam Agente Episcopi ab EE. VV. responsum exposcitur: – An Episcopus Nolanus teneatur propriis sumptibus reaedificare Ecclesiam S. Sebastiani in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative *in Nolana Reaedificationis Ecclesiae die 5 Iunii 1700 lib. 50 Decretorum.*

78. Quum autem inter cetera pia legata, quae Antonius Silvagni reliquit, illud reaedificandi Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Gratiarum recenseretur, sed pecunia satis non esset ad opus perficiendum, Sacra Congregatio mandavit, ut sumptibus ad id necessariis consuleretur ex reditibus superextantibus ab anno 1791 inclusive; et Episcopus curaret omnino rectam administrationem, iniuncta ad hunc effectum Administratori redditione rationis, facienda quotannis Episcopo *in Ariminen. Subsidiorum dotalium et Fabricae Ecclesiae die 26 Septembris 1795* (1).

79. At punctus reparationis Ecclesiae et supellectilium, an videlicet onus reparandi et providendi pertineat ad Abbatem Commendatarium, vel ad Vicarium perpetuum, fuit varie in Sacra Congregatione resolutus, iuxta varias casuum contingentias; si enim Vicario perpetuo assignata fuit tantum sufficiens portio pro alimentis, dictum fuit, quod onus spectaret ad Commendatarium, et e contra quod spectaret ad ipsum Vicarium perpetuum, si Vicario fuit assignata congrua sufficiens tam pro alimentis, quam pro dictis expensis, et resolutiones impressae sunt apud Bertacchinum voto 100 *in Mantuana Reparationis Ecclesiae die 22 Novembris 1721* §. *Punctus.*

80. Hinc Sacra Congregatio, antequam resolvat, an onus reparandi Ecclesiam eamque sacris supellectilibus instruendi spectet Abbati Commendatario, vel eiusdem Vicario, plura scire merito satagit *in Mantuana Reparationis Ecclesiae die 22 Novembris 1721 et die 24 Maii 1732.*

81. Iamvero in obitu Card. Ioannis Baptistae Spinulae a Spoliorum Subcollectore inventum fuit, quod stabilia et aedificia pertinentia ad Abbatiam Ecclesiae Curatae S. Thomae Aquae Nigrae, a dicto Cardinali dum vivebat administratam, erant deteriorata, et quod Ecclesia indigebat reparatione, et quod demum sacra supellectilia deficiebant, et quae aderant, indigebant reparatione. Heredes memorati Card. Spinulae promptas manus admoverunt ad reparationem stabilium aedificiorum, sed orta est controversia, an ad ipsos, vel ad Vicarium Ecclesiae spectaret onus restaurandi Ecclesiam et sacra supellectilia providendi et restaurandi. Proposito interim dubio: – An onus reparandi Ecclesiam Abbatialem S. Thomae de Aqua Nigra eamque providendi de supellectilibus sacris spectet ad dominos Heredes cl. me. Cardinalis Ioannis Baptistae Spinulae, olim Abbatis dictae Abbatiae, vel potius ad Ricciardellium Vicarium eiusdem Eclesiae? –, Sacra Congsegatio responsum dedit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem (2), idemque Episcopus hoc interim cogat Vicarium ad facienda ea, quae necessaria sunt, ne labatur Ecclesia, et ut ipsa habeat supellectilia simpliciter necessaria, et hoc sine praeiudicio iurium eiusdem Vicarii, cui etiam reservetur ius se revalendi contra quos de iure – *in Mantuana Reparationis Ecclesiae die 22 Novembris 1721.*

82. Emus Cybo Abbas, videns longam liti moram interponi, et divini cultus studio flagrans ac diligens decorem Domus Dei, multum pecuniae contulit, tum ad restaurandam ornandamque Ecclesiam, tum ad eam sacra supellectili instruendam. Optavit tamen definiri, an istud onus esset subeundum ab Abbate Commendatario, vel potius a Vicario Curato. In medium proferebatur publicum

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Administrator*, §. VI, n. 188 ad 192, Tom. I.

(2) Nempe, ut instruat super quantitate impensae, quae erit necessaria pro reparanda debito modo Ecclesia, et pro eam providendo de congruis supellectilibus, nec non circa tempus, quo incepit detrimentum fabricae et supellectilium, ac ulterius referat, de quo tempore collata fuit Abbatia cl. me. Card. Spinulae, et de quo tempore Ricciardellius fuit ad Vicariatum admissus: interim vero Vicarium praedictum cogat atque compellat ad ea facienda, quae necessaria sunt, ne labatur Ecclesia, et ut ipsa habeat supellectilia sacra simpliciter necessaria, sine tamen praeiudicio iurium eiusdem Vicarii, reservatoque etiam ei iure se revalendi contra quos de iure, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 26 die 24 Novembris 1721.*

documentum, ex quo constabat, anno 1667 Apostolica Auctoritate institutam fuisse hanc Vicariam perpetuam, divulsis a mensa Monasterii certis fundis ac proventibus, eisque in perpetuum assignatis Vicario in haec verba: – pro sufficienti dictae Vicariae dote ad sustinenda onera infrascripta, ac Vicarii huiusmodi pro tempore existentis congrua et decenti substentatione –. Inter cetera autem onera diserte facta etiam fuit mentio reparationis Ecclesiae, et sacrae supellectilis, ad divinum cultum rite obeundum necessariae; eumdemque Vicarium subire debere onera per instrumentum fundationis ei imposita pronuntiavit anno 1683 Episcopus Brixiensis Visitator. Ceterum quaenam fuerit huius sententiae executio, non satis constabat. Aliud tamen extabat Decretum anno 1710 editum ab Episcopo Mantuano his verbis: – Mandavit, Ecclesiam praedictam in omnibus reparari de eleemosynis colligendis, et ad hunc effectum poni capsellam in Ecclesia cum inscriptione « elemosine per la fabbrica della Chiesa » –. Fructus vero bonorum in dotem Vicariae assignatorum asserebat Vicarius non excedere annuas libras Mantuanas 3790, ex quibus conflari aiebat scuta 139 monetae Romanae, ac proinde vix sufficere ad congruam substentationem ipsius Vicarii, ac stipendium duobus Capellanis adiutoribus curae et Clerico persolvendum. At pro Emo Abbate respondebatur, summam illam librarum 3790 monetae Mantuanae, quam reddebant in annuo fructu praedia dotalia Vicariae, constituere scuta 170 monetae Romanae; addebaturque, alia etiam emolumenta parochialia percipi quotannis a Vicario in summa scutorum 120 circiter eiusdem monetae; insuper rem esse de Vicario perpetuo, non temporaneo, idcirco ipsum ferre debere huiusmodi onus.

83. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) – *in Mantuana Reparationis Ecclesiae die 24 Maii 1732.*

84. Quando enim res est de Vicario non temporario aut amovibili, sed perpetuo, qui proinde habere dicitur vere titulum in ipsa Ecclesia parochiali, et curam animarum non tantum in exercitio, sed etiam in iure habituali, ipse subire debere videtur ea omnia onera, quae inhaerere solent Parocho et Rectori Ecclesiae, ac speciatim onus reparandi Ecclesiam, eamque supellectilibus instruendi, ut fuse demonstrat Bertacchinus in vot. decis. 100 *in Mantuana Reparationis Ecclesiae die 24 Maii 1732* §. *Enimvero.*

85. Siquidem – Sacra Congregatio secundum ea, quae proponuntur, censuit onus restaurationis Ecclesiae Parochialis S. Rufi, atque alia onera eidem Ecclesiae incumbentia, non ad Monasterium Cassinense, cui Ecclesia est unita, sed ad duos Vicarios de Vicariis perpetuis in ea provisos pertinere – *in Capuana die 16 Decembris 1634 lib. 15 Decretorum pag. 140.*

86. Vulgata hinc est in iure distinctio inter simplicem restaurationem et totalem reaedificationem Ecclesiae seu Capellae. Aut enim res est de restauranda Ecclesia, et eo casu ex Concilio Moguntino praescriptum habetur in cap. 1 de Eccles. aedif. Beneficiatum adiuvare debere ad Ecclesiam restaurandam vel emendandam: nam, ut ait Glossa, ubi est emolumentum, ibi debet esse onus; id etiam Doctores admittunt ex reditibus Beneficii, dummodo tamen quota pro Beneficiato supersit sufficiens ad sui congruam et honestam substentationem, ut videre est penes Barbosam ad Concil. Trid. sess. 21 cap. 7 n. 6, Bellett. disquisit. cleric. part. 1 de Clerico debitore §. 15 n. 1, et Sperell. decis. for. eccles. 67 n. 4. Aut quaestio vertitur super reaedificatione Ecclesiae seu Capellae, et in hoc altero casu, si deficiunt reditus destinati pro fabrica reaedificationis, onus pertinet ad Patronum, qui percipit a iurepatronatus emolumentum in honorantiis et in praesentatione consistens, Barbos. loc. cit. n. 8; eoque reaedificare recusante intra terminum ei ab Ordinario praefinitum, iuspatronatus amittit, quod acquirit alter, qui reaedificavit, etiamsi Patronus dedisset Beneficiato conspicuam do-

(1) Scilicet, quod firmaretur status fructuum certorum et incertorum, qui a Vicario percipiuntur, servatis servandis exprimendo valorem non solum in moneta Mantuana, sed etiam in Romana, referat de operibus ac impensis pro illis necessariis, quantitatem fructuum, quos Card. Abbas percipit, ac circa observantiam, quoad reparationem Ecclesiae et sacrarum supellectilium tempore praeterito, *ut in Reg. Litt. lib. 28 die 24 Maii 1732.*

tem, quia haec intelligitur data non pro reaedificatione Ecclesiae seu Capellae, sed quidem pro sustentatione Beneficiati ferendisque oneribus spiritualibus et temporalibus, quae simplicium reparationum limites non egrediuntur, iuxta distinctionem relatam a Pitonio de controv. patron. tom. 2 allegat. 100 n. 179, et Lambert. de iurepatr. lib. 1 part. 1 quaest. 3 art. 3 n. 14 *in Alatrina Reaedificationis Capellae die 8 Iulii 1775* §. *At* §. *Aut.*

87. Nam ubi ad reparationem Ecclesiae non suppetunt vires, ad illam ex ordine tenentur Patroni Beneficiati Populus, iuxta sacrum Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 7 de reformatione *in Pharaonen. Applicationis die 27 Augusti 1791* §. *Ubi.*

88. Idcirco si reditus Ecclesiae, pro illius manutentione assignati, satis non sint, Patronus adigendus esse videtur ad illius restaurationem: nam praecipit Sancta Synodus sess. 21 cap. 7 de reformatione: – qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt –; et ratio est, quia Patronum inter et Ecclesiam reciproca est obligatio *in Camerinen Restaurationis Ecclesiae die 30 Ianuarii 1779* §. *Ponderandum.*

Item *in Nucerina Manutentionis et Reparationis die 29 Aprilis 1854* §. *Sed.*

89. Quemadmodum enim Ecclesia Patrono praebet ius honorificum et praesentandi Rectorem, eidemque suppeditat alimenta, quatenus vergat ad inopiam; ita pariter Patronus, etiamsi nullos ex Ecclesia fructus percipiat, tenetur succurrere Ecclesiam pro eius reparatione, quoties eadem Ecclesia propter suam inopiam per se ipsam suis expensis reparari non possit, veluti firmat Amostaz de caus. piis lib. 5 cap. 6 a n. 50, et Rota coram Falconerio de iurepatronatus decis. 33 n. 10, cum aliis inibi cumulatis *in Bononien. Restaurationis Ecclesiae die 30 Ianuarii 1779* §. *Ponderandum.*

90. Indubium hinc est, quod id obtinet, etiamsi Patronus nullos ex patronatu fructus percipiat, ceu tradunt Fargna de iurepar. part. 5 can. 4 cas. 1 n. 1, Lambertinus de iurepatr. lib. 3 art. 2 q. 9 n. 5 et 7, Rota in Urbevetana Restaurationis Ecclesiae die 3 martii 1752 §. 5 coram Vicecomite, et in Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesiae 8 martii 1706 n. 21 coram Scotto *in Nucerina Manutentionis et Reparationis die 29 Aprilis 1854* §. *Sed.*

91. Patronus vero Ecclesiae parochialis haud tenentur reficere Ecclesiam, quae sit illius succursalis *in Portuen. Reparationis Ecclesiae die 26 Martii 1808.*

92. Siquidem in fundo *di Torre in Pietra,* praeter parochialem Ecclesiam S. Antonii Abbatis, erat altera sacra Aedes nuncupata S. Mariae Magdalenae in loco dicto *la Leprignana.* Constabat ex actis sacrae Visitationis, quas annis 1630 1667 et 1691 peregerunt cl. me. Cardinales Ginnasius Ginnettus et Chisius, in ea Ecclesiae S. Mariae Magdalenae Missam diebus Festis celebrari sumptibus Dominorum fundi, quem tunc possidebat gens Falconieri. Testes deponebant, quod fatiscentem illam Ecclesiam restauravit Marius Falconerius suo sumptu, et in ea celebratum fuisse Sacrum per triennium, a quo postea cessatum fuit, quia Ecclesia ruinosa facta erat. Quare cum Emus Cardinalis Antonelli eam visitaverit, monuit nobilem virum Alexandrum Falconieri, ut eam reficeret, et interea praestaret celebrationem secundae Missae in Ecclesia parochiali. Nihil tamen profecit, proptereaque ad Sacram Congregationem reclamavit, et oblato vadimonio in ius vocavit heredes defuncti Alexandri. Nam Falconerius patronus erat Ecclesiae, ideoque ad eius restaurationem teneri videbatur, qui de facto antea restauraverat. Contra Defensor Familiae Falconieri id negavit, cum Ecclesia illa non esset parochialis. Concilium enim Tridentinum in cap. 7 sess. 21 de reformatione ad reaedificandas seu reficiendas Ecclesias post Parochos cogit quidem Patronos, alias patronatum amittere debent; verum huiusmodi iuris dispositio locum habere non poterat quoad dictam Ecclesiam S. Mariae Magdalenae, quae parochialis non erat, sed succursalis, quam vocabant; ac proinde nemo cogi poterat ad illam restaurandam, cum ex dispositione Concili Tridentini, quatenus reparari non potuisset, prophananda esset. Neque domus Falconieri tenebatur ad reparandam Ecclesiam ex contractu: nulla enim ostendebatur ab ipsa suscepta obligatio, sed si quae unquam in eadem inerat obligatio, ea

certe erat cum in toto latifundio una extabat Ecclesia S. Mariae Magdalenae. At anno 1723 novam amplioremque ii de domo Falconieri aedificarunt Ecclesiam S. Antonii Abbatis, quae postmodum anno 1755 canonice erecta fuit in Paraeciam, ac propterea obligatio restringebatur ad manutentionem Ecclesiae parochialis. Nec acta Visitationis quidquam sibi obesse putavit Falconeriorum Defensor, cum respicerent illud tempus, quo non extabat Ecclesia parochialis.

93. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus praefixioni termini ad effectum cogendi Baronem Turris in Petra ad restaurationem Ecclesiae S. Mariae Magdalenae in fundo *della Leprignana* cum onere celebrationis Missae diebus Festis de praecepto in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An teneatur Baro alterum Presbiterum praeter Parochum destinare pro celebratione secundae Missae diebus Festis de praecepto in Ecclesia parochiali Turris in Petra ad formam Decreti Emi Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, dilata; et coadiuventur probationes super necessitate secundae Missae – *in Portuen. Reparationis Ecclesiae et celebrationis Missae die 26 Martii 1808.*

94. Explorati hinc iuris est, consuetudinem in primis, certis deficientibus reditibus fabricae Ecclesiae addictis, inspiciendam esse, ubi opus fuerit Ecclesiam reficere, vel dirutam rursus excitare, Benedictus XIV Inst. eccles. 100 n. 11, Engel lib. 3 Decret. tit. de aedif. Eccles. n. 8, Pignatell. consult. 60 n. 4 tom. 8, Fargna de iurepatr. part. 5 can. 4 cas. 1 n. 3, Surd. cons. 62 lib. 1 n. 16, Tondut. quaest. Benef. cap. 38 n. 9 et 39 *in Fanen. Manutentionis Fabricae Ecclesiae Cathedralis et Expensarum die 17 Maii 1828* §. *Ex.*

Item *in Ferentina Restaurationis Ecclesiae die 22 Novembris 1828* §. *Aliter; in Nucerina Manutentionis et Reparationis die 29 Aprilis 1854* §. *Hanc.*

95. Nam et consuetudo statis temporibus aliquid Ecclesiae offerendi obligationem parit, quamvis initio ex devotione inceperit, Reiffenstuel lib. 3 Decret. tit. 30 n. 185 *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Parochi.*

Item *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Si; in Ferentina Restaurationis Ecclesiae die 22 Novembris 1828* §. *Irrito.*

96. Nec obest, ex actibus facultativis per quodcumque temporis spatium exercitis nullam invehi posse obligationem in exercente: nam ubi ex rerum adiunctis animus sese obligandi eruitur, contrahitur obligatio, ac servanda est laudabilis consuetudo aliquid dandi, vel offerendi, Reiffenstuel lib. 3 Decret. tit. 30 a n. 185 *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Parochi.*

Item *in Reatina die 21 Iulii 1827* §. *Si; in Ferentina Restaurationis Ecclesiae die 22 Novembris 1828* §. *Aliter.*

97. Idcirco si quis patronatum Capellae ea acquisivisse videatur conditione, ut etiam ad Ecclesiae instaurationem quamdam pecuniae summam conferre deberet, et constans deinde consuetudo accesserit, is quippe etiam ad Ecclesiae restaurationem contribuere tenetur *in Ferentina Restaurationis Ecclesiae die 20 Decembris 1828* (1).

98. Hinc etiamsi Ecclesia antiquitus fuerit Cathedralis simul et Parochialis, sed cathedra inde cum animarum cura ad novam Ecclesiam translata, ibidem Capellanus Sacramenta administraret, Communitati loci incumbit onus eam reparandi et sacris supellectilibus instruendi, dum praesertim proprio aere illam construxerit atque de sacra providerit supellectili nec non extet antiquum Decretum in sacra visitatione editum, quo declaratum fuit, ad Communitatem, non autem ad Capitulum Cathedralis eius restaurationem spectare *in Tusculana Reparationis Ecclesiae die 11 Ianuarii et die 1 Martii 1738.*

99. Iamvero Emus Card. Corradinus Episcopus Tusculanus cum in pastorali visitatione conspexerit Ecclesiam olim S. Mariae de Vivario, tunc S. Rocho nuncupatam Civitatis Tusculi, undique fatiscentem sacraque supellectili destitutam, decrevit, ut eadem Ecclesia una cum campanili et sacrario, undecumque opus esset, repararetur et sacra instrueretur supellectili. Oborta hinc est inter Capitulum Cathedralis eiusque Archipre-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in verb. *Capella*, n. 123 ad 126, Tom. V.

sbiterum et Communitatem praefatae Civitatis controversia, cuius sumptibus ea omnia deberent adimpleri. Capitulum enim contendit, toto onere sumptuum gravandam esse Communitatem; primo, quod memorata Ecclesia antiquitus Cathedralis simul et Parochialis erat, quod licet Cathedra et animarum cura fuerit postmodum ab ea ad novam Ecclesiam S. Petri translata semper tamen ad illam usque diem consueverit in Beneficium et maiorem Populi commoditatem in illa retineri Capellanus, qui spirituali animarum saluti incumbens ibi Sacramenta administraret, ac alia, quae Parochialis sunt muneris, exerceret; secundo, quod Communitas eamdem Ecclesiam proprio aere construxerit, atque de sacra providerit supellectili, adeoque ratione patronatus honorifici inde acquisiti illam reaptare eiusque Sacrarium de necessariis utensilibus instruere teneretur; tertio, quod cl. me. Card. Alderanus Cybo olim Episcopus Tusculanus in Visitatione dictae Ecclesiae 11 aprilis 1680 decreverit, eius restaurationem ad praedictam Communitatem de iure communi ecclesiastico pluribus etiam aliis rationibus spectare; quarto, quod toties memorata Communitas in obsequium tam praemissi, quam aliorum plurium Decretorum, quae antea et postmodum occasione visitationis prodierunt, curavit eamdem Ecclesiam propriis sumptibus restaurare, quin imo non semel fassa fuerit, id oneris ad ipsam pertinere; et quinto, quod Capitulum adeo tenues perciperet reditus, ut Canonici vix necessariam inde obtinerent substentationem, ideoque in praesenti themate locum sibi vindicaret iuris censura, iuxta quam Populus seu Communitas, deficientibus reditibus Parochiae, tenetur Parochialem Ecclesiam propriis sumptibus reficere.

100. His itaque perpensis, propositis dubiis: –I. An reparatio Ecclesiae S. Mariae de Vivario sive S. Rochi Civitatis Tusculi ad formam Decreti S. Visitationis factae ab Emo Episcopo spectet ad Communitatem, sive potius ad Capitulum Cathedralis eiusdem Civitatis? *Et quatenus negative quoad utramque partem.* II. An pro dicta reparatione sit locus impositioni taxae solvendae a Parochianis et Populo dictae Civitatis in casu etc. V. An refectio et manutentio sacrorum supellectilium et utensilium in Sacristia dictae Ven. Ecclesiae spectet ad Capitulum et Archipresbiterum, sive potius ad Communitatem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, provisum in primo. Ad quintum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Tusculana Reparationis Ecclesiae die 11 Ianuarii 1738.*

101. Cum autem memorata Communitas obtinuerit, sibi fieri potestatem impugnandi praefata Rescripta in ea parte, qua sibi adversabantur, Capitulum et Canonici, a quibus urgebatur absoluta Causae definitio, instiserunt utique pro persistentia in decisis quoad primum dubium; quod vero attinebat ad onus sacras supellectiles reficiendi pro usu praefatae Ecclesiae, sustinuerunt, fore a decisis recedendum. Praemisso enim, quod praefata Communitas teneretur dictam Ecclesiam reparare, facile concludi posse arbitrati sunt, ipsam Communitatem ob eamdem rationem ad refectionem supellectilium teneri, ex iuris censura, qua communiter receptum esse videtur, Parochianos omnes eorumque Communitatem praesertim obligatam ad Parochialis Ecclesiae reparationem compelli, ac eamdem de sacra supellectili congruenter provideri, ad Textum in Cap. fin. de testam., et docent Genuensis in prax. Cur. Archiep. Neapolit. cap. 109 n. 13, Bellett. disquisit. cleric. tit. de Cleric. debit. §. 4 n. 4, Sperell. decis. 68 n. 9, et Panimoll. decis. 6 annot. 8 n. 32 tom. 1. His igitur perpensis, repropositis dubiis sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis. Ad quintum, praevio recessu a decisis, spectare ad Communitatem, – *in Tusculana Reparationis Ecclesiae die 1 Martii 1738.*

102. Is autem congruus videtur restaurationis modus, quem proponit Architectus; nam plurimum in id defertur Peritis in arte per Textum in L. 3 cod. de fin. reg., Rot. coram Olivatio decis. 283 n. 8 *in Ripana die 16 Iunii 1787* §. *Quantum.*

103. Quin imo licet Villici aere proprio Ecclesiam extruxissent, sed ex consuetudine satis constaret, Abbates seu Parochos onus

manutentionis sustulisse, Sacra Congregatio resolvit, sumptus pro reparatione et manutentione praedictae Ecclesiae nec non sacrorum supellectilium desumendos esse ex bonis Abbatiae, quae iam Seminario applicata et incorporata fuerant *in Nucerina Manutentionis et Reparationis die 29 Aprilis et die 16 Septembris 1854.*

104. Qui enim tenentur manutenere Ecclesiam, suppeditare etiam debent supellectiles, quia sunt Ecclesiae accessoria, ceu docent Surdus cons. 62 n. 4 lib. 1, et Sperellius decis. 68 a n. 11 *in Nucerina Manutentionis et Reparationis die 29 Aprilis 1854* §. *Hanc.*

105. Siquidem vetus extabat in Nucerina Diaecesi Abbatia a S. Donato nuncupata, cuius bona omnia ac iura a Summo Pontifice Pio VII anno 1814 Clericorum Seminario in dotem tributa et addicta fuerunt. Intra limites praedictae Abbatialis Ecclesiae prope Oppidum *Rigali* dictum ad radices montis eiusdem nominis constabat, a remotissima aetate extitisse Aediculam Apostolorum Principi dicatam, quam Oppidani a fundamentis erexerant in honorem, uti traditio ferebat, et grati animi sensum erga pium quemdam illius loci incolam, Petri nomine, qui de ipsis praeclare meritus, in sanctitatis odore supremum diem obierat. In commodum Regalensium Villicorum singulis diebus festis in praedicta Aedicula Sacrum perficiebatur. Anno 1629 Nucerinus Episcopus Florentius in sacra Visitatione compertum habens, accessum ad eamdem, utpote alpestri loco sitam, arduum nimis Senibus praesertim et Mulieribus contingere, Ecclesiam in medio Regalensis Oppidi construi mandavit, eodem S. Petri titulo nuncupandam, adhibitis in novum opus veteris Aediculae caementis, quam ad hunc effectum demoliri permisit. Ecclesiae construendae manutentioni in eodem Decreto prospiciens, haec habuit: – manutenendamque fore et perpetuo voluit dixit et mandavit praesenti visitationis Decreto, et omni alio meliori modo ab his omnibus, qui hactenus manutenere soliti fuerunt, et de praesenti teneatur, Ecclesiam S. Petri ut supra transferendam ad novam construendam Ecclesiam –. Novi Templi aedificatione absoluta, occasione alterius sacrae Visitationis ab eodem Episcopo Florentio habitae, Regalenses Villici conquesti sunt, quod per absentiam Rectoris a loco, et notabilem distantiam a parochiali Ecclesia S. Donati, haud pauci ex Fidelibus non receptis Sacramentis decederent. Hisce querelis permotus Episcopus, Decretum edidit, quo Abbati S. Donati iniunxit, ut Curatum in dicta Regalensi Ecclesia residentem ab ipso alendum constitueret. Hoc Episcopali Decreto Abbas se gravatum sentiens ad Sacram Congregationem provocavit, ac die 19 ianuarii 1641 Rescriptum obtinuit: – Non teneri Abbatem constituere Curatum in Ecclesia S. Petri Villae Regalis –. Progressu temporis in Parochiam Regalensis Ecclesia erecta est, reservato iure praesentandi Parochum favore Abbatis S. Donati. Saepius de huiusce Ecclesiae manutentione inter Abbatem S. Donati et Regalensem Populum disceptatum est. Ex inventario diei 21 februarii 1752 condito ab Horatio Mattioli Abbate S. Donati habebatur, quod in controversia, quam in Urbe sustinuit eius in Abbatia antecessor Franciscus Salvatori cum Regalensi Populo, sententia declaratum est, – teneri Abbatem ad manutentionem praedictae Ecclesiae, salva tamen congrua–. Constabat pariter, eumdem Horatium Mattioli reparationem dictae Ecclesiae a Praedecessore suo, dum in vivis agebat, neglectam, proprio aere exequendam suscepisse, et deinde in ius vocato Praedecessoris herede Antonio Salvatori pro expensarum refectione, secundum ipsi obtigisse iudicium; sententia siquidem A. C. diei 16 septembris 1755 declaratum est: – Pro omissa restauratione Ecclesiae S. Petri Villae Regalis condemnandum itidem esse (dictum Salvatori reum conventum) ad solvendum dicto Actori scuta decem et obulos sexaginta –. Ex quo tamen Abbatia S. Donati in Nucerinum Seminarium pertransiit, huiusce Rectores onus manutentionis Ecclesiae S. Petri semper declinarunt: exinde factum est, ut eo squaloris devenerit, ut divini cultus officia commode persolvi in eo non possent. Nihilominus Nucerinus Episcopus in actu S. Visitationis Decreto diei 8 maii 1841 statuit, Populum Regalensem praetendere nunquam posse, quod Ecclesia S. Petri ab Abbatia S. Donati manuteneretur.

106. At Populus Regalensis, recursu interposito ad Sacram Congregationem, sustinuit, Seminarium Nucerinum, utpote suffectum iuribus Abbatiae S. Donati, patronum esse parochialis Ecclesiae S. Petri Regalensium; adeoque cum deessent in Ecclesia reditus, quibus eiusdem reparationi provideretur, ad id ipsum teneri, etiamsi nullos perciperet fructus. Insuper observantia accedebat: nam anno 1751 Horatius Mattioli S. Donati Abbas, cum invenerit Regali Ecclesiam, tum terraemotu, tum praedecessoris Abbatis incuria, ferme collapsam, ad eam reparandam confestim manum admovit. Unde Antecessoris heredem in iudicium vocavit, pro obtinenda solutione pecuniae, quam in praedicta reficienda Ecclesia impenderat; ac favorabilem sententiam retulit, quae in rem iudicatam abiit. In Abbatia successor Copparius eamdem refectionem damnorum exposcebat ab herede Antecessoris Cherubino Mattioli, pro omissis reparationibus in Ecclesia S. Petri, qui potius quam Actoris ius impugnare, e sua re duxit hereditati nuncium mittere, uti constabat ex actu renunciationis diei 8 aprilis 1783 Procuratoris sui Horatii Mattioli ministerio coram Iudice subdelegato emissae. Pluries etiam ipsum Abbatem Copparium instaurationi et reparationi praedictae Ecclesiae operam dedisse ostendit ex epistola eiusdem fratris. Neque officere autumavit, quod Regalenses novam Ecclesiam sumptibus propriis extruxerint: absurdum enim esse dixit, eos manutentionis onere gravare, quia illud aedificationis, quod Patrono procul dubio incumbebat, aegro animo subierunt. Perperam autem in subsidium adduci Decretum S. Visitationis anni 1639, quia Decretum illud, nihil, asseruit, de manutentione in specie constituit. Quaecumque aliunde interpretatio illi Decreto appingeretur, certum erat, quod post sententiam et rem iudicatam anni 1751, quae novam respiciebat Ecclesiam et manutentionis onus in Abbate S. Donati firmabat, nullatenus Decretum illud officere poterat. Nullius demum momenti censuit, quae in suo privato codice, vel in descriptione bonorum Abbatiae Mattiolius Abbas adnotavit, quum nulla ipse iurisdictione et auctoritate polleret, qua aliud ex sua opinione constituerat ab eo, quod ex sacrorum Canonum praescriptum statutum manebat; eo vel magis quod haec pugnabant cum eiusdem Mattioli facto, et quidem iudicialiter professo ac re iudicata confirmato. Contra Promotor Fiscalis contendit, in facto esse, Regalenses proprio aere Aediculam in honorem Viri, qui apud ipsos maxima in veneratione erat, extruxisse; hinc et Regalenses eius conservationi providere debere. Nec ullum documentum exhiberi poterat, quod traderet, participem in manutentionis sumptibus Abbatem S. Donati fuisse. Quum autem in novae Ecclesiae aedificationis Decreto constituerit Episcopus, hanc esse manutenendam ab iis, qui antiquam manutenere soliti fuerant: si huiusmodi onus, ut patebat, quoad antiquam Abbati non incumbebat, ex ipsis Decreti verbis scatebat, neque eidem incumbere quoad novam. Hoc etiam aequitatem suadere dixit, cum Ecclesia in Regalensium commodum condita fuisset, idcirco et ipsi incommodum etiam pati debebat. Praeterea Episcopus Asculanus Camaiani Apostolicus Visitator anno 1573 huiusmodi obligationem haud imposuit Abbati S. Donati, licet plura praescripsisset. Quin imo Episcopus Florentius die 26 aprilis 1633 in sacra Visitatione mandavit – che fra tre mesi si aggricci il muro di detta chiesa e s' imbianchi per gli uomini di detta Villa –. Inde in sacris Visitationibus annorum 1717 1718 1719 Episcopus Borgia de manutentionis obligatione Ecclesiae Regalensis nullum fecit verbum. Ex inventario autem a Facundio Scaturri anno 1727 redacto verbis expressis scatebat, quod manutentio Ecclesiae S. Donati ad Abbatem Commendatarium, et manutentio Ecclesiae S. Petri Regali ad Villicos eiusdem loci spectaret: et in altero inventario anni 1752 ab Abbate Mattioli confecto legebatur, certum haud esse, quod Abbati S. Donati spectaret manutentio praefatae Ecclesiae; ex sententia autem Romae lata ad ipsum spectare dicebatur, salva tamen congrua, quae haud esse asserebatur. Neque obesse putavit sententiam A. C. supra relatam, cum in eodem inventario legeretur, rem fuisse per concordiam ad futuros litium eventus vitandos compositam; adeoque non in vim sententiae, sed in vim concordiae, quae contrahentes tantum, non vero Successores afficere poterat, sponte se

heres Abbatis Salvatori ad refectionem expensarum obligavit. Ad congruam autem quod spectabat, ex statu activo et passivo constitit, decennalem Abbatiae introitum esse scutorum 2908.75, exitum scutorum 2096.70; libera propterea Abbatiae superesse integro decennio 590, 5. Apparebat insuper pro congrua Parochorum S. Donati et S. Petri, pro honorario duorum Capellanorum, Aeditui, et organorum Modulatoris scuta 780 in decennium Abbatiam pensitare; emolumenta demum omnia stolae albae et nigrae in parochiali Ecclesia S. Petri toto decennio ad scuta 72 ascendere.

107. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et cuius sumptu sit locus reparationi et manutentioni Ecclesiae nec non sacrorum supellectilium in casu? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative in omnibus super bonis Abbatiae S. Donati - *in Nucerina Manutentionis die 29 Aprilis 1854.*

108. Contra huiusmodi resolutionem Defensor Abbatiae seu Seminarii negavit, Abbatiam frui iurepatronatus super Ecclesia S. Petri, cum Abbas S. Donati nec fundum nec aedificium perfecisset: unde Abbatia ius tantum matricitatis, uti in Ecclesiam intra suae limites existentem, habebat. Episcopale autem Decretum anni 1636, quo dicto Abbati imponebatur onus manutenendi Capellanum Curatum in Villa Regali, die 19 ianuarii 1641 fuerat revocatum a Sacra Congregatione, quae - censuit', ex deductis Abbatem S. Donati non teneri constituere Curatum in Ecclesia S. Petri Villae Regali, sed cogi debere, ut in Ecclesia eius Villae omnibus diebus festis celebrari faciat Missam per Sacerdotem idoneum et approbatum ad confessiones audiendas, qui eisdem diebus festis audire possit confessiones Parochianorum senium convalescentium et mulierum in eadem Villa commorantium -. Idcirco qualitas paraecialis prorsus excludebatur. Unde ex dispositione Concilii Tridentini, si ob inopiam Ecclesia S. Petri restaurari non posset, ad Matricem transferenda erat. Quod si Regalenses nollent ad Matricem redire, ipsi, qui commodum sentiebant, restaurationem perficere tenebantur. Ad consuetudinem autem quod spectabat, iterum in medium protulit, quae in prima Causae propositione Promotor Fiscalis deducere studuit. Reproposito vero dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis - *in Nucerina Manutentionis et Reparationis die 16 Septembris 1854.*

§. II.

ECCLESIA IN GENERE QUOAD DEMOLITIONEM CONCESSIONEM ET VENDITIONEM

1. Profanatio Ecclesiae a Sacris Canonibus vetita est, ut in Can. 4 caus. 19 quaest. 3 *in Anconitana Beneplaciti die 13 Martii 1762* §. *Praeter.*

2. Nam reparandae non destruendae sunt Ecclesiae, ex aperta dispositione Sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 7 de reformatione, eae praesertim, quae titulum praebent Beneficiis *in Camerinen. Demolitionis Ecclesiae die 18 Decembris 1790* §. *Ubi.*

3. Hinc multo minus Ecclesiam, invito Patrono, demoliri posse tradunt Pitonius de controv. patron. alleg. 43 n. 7, et Rota in Recent. decis. 220 n. 42 part. 7, et decis. 149 n. 12 part. 18 tom. 1 *in Anconitana Beneplaciti die 13 Martii 1762* §. *Exinde.*

4. Quin imo nec est locus demolitioni Ecclesiae ac respective translationi Altaris seu Beneficii, etiamsi consensum praestent interesse habentes, quando extent reditus, quibus ferri potest expensa pro eiusdem restaurationibus *in Balneoregien. Translationis die 17 Augusti 1805* (1).

5. Idcirco Episcopus non potest profanare

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Beneficia*, §. XXVI, n. 25 ad 31, Tom. III.

Ecclesiam et in usum profanum convertere, si non est diruta, vel potest reparari *in Andrien. die 14 Martii 1637 lib. 15 Decretorum pag. 501.*

6. Unde dirutam Ecclesiam dumtaxat, quin adsint media ad eam reaedificandam, profanare potest Episcopus, ex cap. 7 sess. 21 de reformatione, et in profanum non tamen sordidum usum convertere *in Thelesina die 13 Septembris 1631 lib. 18 Decretorum pag. 511.*

Item *in Neapolitana die 13 Ianuarii 1646 lib. 18 Decretorum.*

7. Qua de re quum Ecclesiae annexae Parochiali manuteneri non possent, proposito dubio:–LXXVI. An indulgeri possit ab Archiepiscopo devastatio vel profanatio Ecclesiae annexae minantis ruinam cunctaque onera transferenda, accedente consensu Paraeciae Incolarum eiusdem Ecclesiae devastandae? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quinquagesimum vigesimum sextum, servandam esse formam Concilii Cap. 7 sess. 21 de reformatione - *in Urbinaten. Visitationis sacrorum Liminum die 10 Martii 1663.*

8. Hinc Sacra Congregatio censuit, posse antiquam Ecclesiam demoliri, facto prius verbo cum Sanctissimo, ita tamen, ut situs caementa et ruinae eiusdem Ecclesiae in usus sordidos non convertantur, et transferantur corpora sepultorum una cum supellectili et legato olei pro lampade ad usum et commoditatem novae Ecclesiae conservandae *in Comen. die 1 Septembris 1646 lib. 18 Decretorum pag. 191.*

Item *in Regien. die 7 Augusti 1649 lib. 18 Decretorum pag. 661.*

9. Siquidem Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 7 de reformatione post demandatam Episcopis Ecclesiarum restaurationem, si ea expleri nequeat, mandat, ut, profanato non tamen ad sordidos usus loco, Episcopi tamquam Apostolicae Sedis transferre possint Beneficia simplicia etiam iurispatronatus ex praefatis Ecclesiis – in Matrices aut alias Ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum arbitrio suo; atque in iisdem Ecclesiis erigant Altaria vel Capellas sub iisdem invocationibus, vel in iam erecta Altaria vel Capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus Ecclesiis impositis – *in Terracinen. die 14 Aprilis 1764* §. *Concilium.*

Item *in Viterbien. Demolitionis Ecclesiae die 30 Martii 1833* §. *Decretum.*

10. Ubi enim pares non sint Ecclesiarum illarum reditus pro reparatione vel reaedificatione, Concilium Tridentinum demolitionem permittit - cum facultate Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi – *in Firmana Aediculae die 13 Martii 1762* §. *Et licet.*

Item *in Ravennaten. die 18 Iulii 1775* §. *Quamvis; in Nullius seu S. Laurentii in Campo Demolitionis Oratorii et Translationis onerum die 15 Maii 1802* §. *Concilium; in Aesina Permutationis die 6 Augusti 1808* §. *Nec.*

11. Unde permittitur Ecclesiae demolitio, ut praescribit Tridentinum, scilicet dummodo onera, si quae sunt transferantur, et Capella vel Altare sub iisdem invocationibus alio erigantur, vel saltem Icon S. Titularis in aliquo Sacello apponatur *in Fanen. Demolitionis Ecclesiae die 16 Augusti 1806* §. *Contra.*

12. Amplia, nedum Ecclesias vetustate collapsas profanari decernit sacrum Concilium Tridentinum in sess. 21 cap. 7 de reformatione, si neque ipsarum earumque Beneficiorum reditibus, neque Patroni, vel Populi sumptu reparari possint; sed imo id etiam procedit quoad Ecclesias indecoras, si prae nimia omnium, quibus imminet, egestate, nequeant ad decentiam restitui, ut firmat Card. De Luca ad Concil. Trid. disc. 17 n. 1 *in Firmana Aediculae die 13 Martii 1762* §. *Et.*

Item *in Viterbien. Demolitionis Ecclesiae die 30 Martii 1833* §. *Decretum.*

13. Idcirco quando Ecclesiae et Beneficiatorum reditus satis non sint ad reficiendam Ecclesiam fatiscentem, ac eius demolitio nullum afferat Populo incommodum, nec non posita extet in loco incommodo et clamoroso, in quo sacrae functiones cum dignitate celebrari nequeunt, Sacra Congregatio nedum permittit, accedente etiam Capituli assensu et voto Episcopi, ipsius demolitionem cum solitis clausulis; sed etiam attenta Praebendarum tenuitate et gravi Beneficiatorum labore, indulget, ut investimentum ex pretio caementorum applicetur in augmentum Praebendarum et distributiones quotidianas *in Fanen.*

Demolitionis Ecclesiae die 13 Septembris 1806 et die 19 Decembris 1807.

14. Siquidem in Ecclesia Cathedrali Fanensi duo erant Mansionarii, qui alternis hebdomadis chori servitium praestabant et in solemnioribus Missis et vesperis canere tenebantur: isti percipiebant fructus Beneficii erecti in Ecclesia nuncupata SS. Simonis et Iudae, quae multis ab illinc annis clausa erat, quippe fatiscens et sordida. Cum eam reparare non possent Mansionarii, postularunt, ut dirueretur omnino translata Icone ad Altare, quod eis in Cathedrali Canonici concedebant, et erogato pretio ex caementis retrahendo in investimentum, unde annui reditus augerentur. Episcopus Administrator affirmavit, ex fructibus Beneficii SS. Simonis et Iudae percipi scuta – octo super octoginta ac obulos 88, quae summa postea repartita ad scuta quadraginta quatuor obulosque 44 annuatim pro unoquoque pertingit. Obnoxii igitur esse non possunt Mansionarii sumptibus pro restauratione iam labentis Ecclesiae, quae multis ab hinc annis clausa remanet, pro qua scuta centum quinquaginta novem ac obulos duodecim impendi necesse esset, uti in peritia ex officio efformata evidenter describitur, in qua etiam eiusdem caementa ad valorem scutorum 409. 41½ pertingere demonstratur. Demolitio praeterea huius Ecclesiae nullum infert praeiudicium Populo, tum quia nulla in ea est Missarum obligatio (cum diebus festis Sacrum celebraretur antea sumptibus piae unionis SS. Cryspini ac Cryspiani, quae nunc prorsus abrogata est, nec ulla iam effulgeat spes, quod imposterum reviviscat), tum quia aliae viciniores adsunt Ecclesiae, in quibus cum frequentius Sacra celebrarentur, Populi commodis satis abunde inserviatur. Ipse locus, ubi sita est Ecclesia, de qua agimus, vix decet ipsius sanctitatem. Vici angustia, clamor, ac strepitus hominum infimae plebeculae vetant ecclesiastica munia cum dignitate frequentari. Hos interea audivi Canonicos, quos certiores feci super expositis in supplici Mansionariorum libello. Capitulariter ipsi congregati mihi responsum in scriptis dederunt consentiendo Oratorum instantiae, quam etiam utilem ipsi Capitulo ac servitio Ecclesiae existimant, ac meo sensui acquiescere omnino dixerunt circa informationem. Ex hisce hactenus enunciatis, mihi videtur, mereri Oratores, ut vos annuere dignemini eorum petitis –.

15. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus demolitioni Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 13 septembris 1806 responsum tulit: – Affirmative cum solitis clausulis, celebrato quotannis Festo SS. Titularium, et servata in profanatione censura Sacri Concilii Tridentini, et ad mentem; mens est, quod Episcopus incumbat investimento pretii caementorum, quo expleto, referat de annuo reditu ab eodem retrahendo, et tunc providebitur quoad applicationem –. Hinc Episcopus monuit, caementorum pretium pertingere summam scutorum 409. 41 $^1/_2$, et fructus annuatim persolvendos scuta quinque pro singulo centenario, adeoque Mansionarios magno Missarum onere gravari non posse, quum praesertim accederent quotidiani illorum labores, ut muneri suo in choro satisfacerent, nec non exigui reditus, et onus singulis annis festum diem Sanctorum Titularium devota pompa celebrandi. Idcirco ad excitandam etiam maiorem diligentiam in Ecclesiae servitio ita conclusit: – Providentissime propterea huic rei ac peropportune consultum iri puto, si iidem fructus Ecclesiae iam venditae ad instar distributionum pro diligentiori chori servitio a vobis in posterum constituantur –. Proposito hinc dubio: – An et quomodo applicandum sit investimentum ex pretio caementorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in augmentum Praebendarum et distributiones quotidianas, iuxta votum Episcopi, celebrata ab unoquoque Mansionario una Missa in menses singulos in Sacello Sanctorum Titularium, applicanda pro anima Fundatorum – *in Fanen. Demolitionis Ecclesiae die 19 Decembris 1807.*

16. Quum itaque Patronus haud valeret reaedificare parvam Ecclesiam, Sacra Congregatio permisit, ut caementa et solum eius cum adnexa domuncula cederent favore Paraeciae, et Parochus abdicaret omnia iura super altera Ecclesia exceptis parochialibus, ad effectum transferendi ad eam onera, apposita Icone S. Titularis in aliquo eiusdem Sacello *in Aesina Permutationis die 6 Augusti 1808* (1).

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Alienatio*, §. III, n. 183 ad 187 Tom. I.

17. Quapropter quum Ecclesia et maior pars domus Conventiculi suppressi inutiles nihil necessariae ac pene dirutae sint, quarum reditibus erecta fuit Praebenda Theologalis tenuis reditus, quin impensam pro restauratione ferre valeat, Sacra Congregatio declaravit, locum esse demolitioni et respective translationi Missarum, non vero distractioni supellectilium, apposita Icone Sancti Titularis in Altari ab Episcopo designando in Ecclesia Cathedrali *in Brictinorien. die 24 Novembris 1792 et die 17 Iunii 1797.*

18. Enimvero destituta erat Brictinoriensis Cathedralis Praebenda Theologali, cum ex Constitutione Innocentii X *Instaurandae* suppressum fuit in territorio et Paraecia Vallis Nucis Conventiculum Patrum Eremitarum S. Augustini nuncupatum *della Voltre*. Cum Beneplacito igitur Apostolico erecta est Praebenda illa ex bonis aedibus Ecclesia suppressi Conventiculi, eamque a biennio possidebat Canonicus Ioannes Milich. Annua ipsi erant scuta 47. 29,et haec, praeter servitium chori et lectiones Sacrae Scripturae, non levia onera; singulis diebus festis Sacrum sine applicatione in parochiali Ecclesia S. Bartholomaei Vallis Nucis, annuae diebus festis S. Augustini Purificationis Visitationis Cincturae omniumque Defunctorum Missae quinque in Ecclesia Conventiculi, annua scuta 4. 34 pro oneribus cameralibus, obuli 80 Sodalitiis Sanctissimi Sacramenti et Rosarii Vallis Nucis pro sacris utensilibus Missae, quae in parochiali illa Ecclesia celebrabatur, et manutentio tandem Ecclesiae S. Augustini, eique adnexi aedificii praefati Conventiculi, ac duplicis domus ruralis. Quum autem Ecclesia haec et Conventiculum, in quo habitabant Coloni, in pessimo essent statu, ac difficile illuc Sacerdotes celebratum accederent, idcirco supplicavit Canonicus Milich pro ipsius Ecclesiae demolitione, aedium Conventiculi contractione, et Missarum quinque translatione ad Brictinoriensem Cathedralem, nec non pro suppressione derelicti eiusdem Ecclesiae Sodalitii cum facultate erogandi eius reditus scutorum 6. 55 in celebrationem Missarum, nisi eadem transferri vellet Societas ad Parochialem Vallis Nucis, vel eius Sodalitiis Sanctissimi Sacramenti et Rosarii uniri, et pro alienatione demum supellectilium demoliendae Ecclesiae et Sodalitii S. Monicae in commodum Praebendae Theologalis, et compensationem utensilium, quae a praedictis Societatibus Sanctissimi Sacramenti et Rosarii praestanda forent. Retulit Episcopus, quod – duae vel tres ad summum Familiae sunt in viciniis Ecclesiae S. Augustini, et istis sive nullum, sive parvum infertur damnum,quatenus Ecclesia demoliatur, et ad aliam Ecclesiam onus, quod solum remanet quinque Missarum, transferatur –. Difficultatem confirmavit Sacerdotis, qui in ea celebraret Ecclesia: ac testatus est, Ecclesiam et Conventum proximam minari ruinam, vixque Peritorum iudicio ad eorum reparationem sufficere scuta 51. 03 1/2 ,quae a decoctis decessoris Theologi heredibus sperari non poterant; supellectilem – esse infimam, et vix ad Sacrificium celebrandum idoneam –; atque domum nuncupatam *il Conventino* eiusmodi esse, – ut nulli prorsus usui inservire possit, nisi ut paucos excipiat Colonos –. Idcirco censuit, – Ecclesiam S. Augustini et maiorem partem domus vulgo *il Conventino,* et inutilem esse, et nihil necessariam. Quare si Oratoris preces exaudiantur, et Ecclesia et portio domus (quae subsistere in parte debet ad Familiae commoditatem) demoliri concedatur, Praebenda Theologalis onere manutentionis in perpetuum liberabitur: et interim reliqua pars, quae remanere debet, in commodiorem ac firmiorem formam poterit reduci, ac etiam duae reliquae domus rurales ad eamdem Praebendam pertinentes restaurari, pro qua restauratione, iuxta Peritorum iudicio, scutorum sex circiter summa requiritur. Qua in hypothesi si quinque Missae in praedicta Ecclesia S. Augustini ex istius Sacrae Congregationis mandato hactenus celebratae, ad hanc Cathedralem Ecclesiam transferantur, hoc onus statutis diebus Theologus ipse per se facilius poterit implere –.

19. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus demolitioni Ecclesiae et Conventiculi, ac respective translationi Missarum in casu etc. III. An et quomodo sit locus distractioni Sacrae supellectilis in casu etc.–, Sacra Congregatio, postquam declaravit, Sodalitii S. Monicae reditus uniendos esse aliis Sodalitiis erectis in Ecclesia parochiali cum iisdem honoribus et

oneribus, die 24 novembris 1792 respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi, apposita Icone divi Augustini in Altari, ab eodem Episcopo designando in Ecclesia Cathedrali. Ad tertium, Negative; et supellectilia addicenda esse Sodalitiis in Ecclesia parochiali erectis –. Expleta subinde demolitione, sacrum tintinnabulum armata manu cum aliis abstulit Andreas Giorgini, qui deinde consentiente Canonico Milich absolutus per Episcopum fuit ab instituta inquisitione; renunciavitque cum Sociis criminis civili actioni, quam adversus Canonicum ipsum instituerat super reaedificatione Ecclesiae. At mutato consilio, nomine Incolarum loci auctoritatem Sacrae Congregationis imploravit pro restitutione iam eversae Ecclesiae, idque fieri posse dixit ex pretio lignorum caeduorum Beneficii, ac perpetuam pollicitus fuit ipsius Ecclesiae manutentionem, quatenus celebrari in ea faceret Canonicus singulis diebus festis Sacrum. Impense huiusmodi petitioni adversatus fuit Episcopus, singulasque confutavit petendi rationes. Repropositis hinc dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Brictinorien. die 17 Iunii 1797.*

20. Nemo enim impugnare amplius potest demolitionem Ecclesiae, quam semel per renunciationem litis omnes solemniter approbarunt, ut dixit Rota in Sabinen. Responsionum super reservatis 3 iunii 1768 §. fin. coram Riminaldo *in Brictinorien. die 17 Iunii 1797* §. *Testimonio.*

21. Amplia, etiam Ecclesiae, quae titulum praebet Beneficio, locus est demolitioni, extructo tamen in alia Ecclesia Altari in honorem Sancti Titularis per concessionem caementorum demoliendae Ecclesiae, cum haec iam diruta fere sit, in praerupto difficilique loco posita, adeoque incommoda habitantibus, qui aliam habent vicinam et magis accomodatam Ecclesiam, nec diuturna fortasse illius restauratio foret, ob proximam ripam, nec ullus extat, qui obsistat *in Camerinen. Demolitionis Ecclesiae die 18 Decembris 1790.*

22. Siquidem Rector erat Praesul Alexander Lacchini simplicium Beneficiorum quinque sub invocatione Sanctorum Petri Laurentii Nicolai Martini et Valentini, quae Abbatiae. nomine in Camerinensi existebant Diaecesi. Supplicavit itaque Sacrae Congregationi pro facultate alienandi praediolum unius Beneficii in utilitatem alterius, ac demoliendi fatiscentem Ecclesiam Beneficii S. Laurentii, prodiitque die 17 ianuarii 1789 Rescriptum: – Quoad alienationem, lectum ad instantiam; in reliquis Orator doceat, utrum Ecclesia, de qua agitur, sit titulus eiusdem Ecclesiae –. In exequutionem huiusce Rescripti titularem fassus est Ecclesiae qualitatem. Pro-Vicarius Generalis, absente Archiepiscopo, retulit: – Ecclesia, de cuius demolitione agitur, quaeque sita est in confinio duarum Paraeciarum S. Urbani et S. Angeli Terrae Apiri huius Diaecesis, nullo modo inservit commoditati Populi prope eam commorantis, quum alia existat vicina et magis accommodata Ecclesia sub titulo Sanctissimae Annunciationis, nec in illa ulla fuit imposita obligatio Missarum, neque Sacramentorum administrationis, uti testantur Parochi dicti loci in folio adnexo, ex quo habetur etiam eorum assensus circa eiusdem demolitionem –. Affigi ulterius fecisse testatus ad fores Ecclesiae notificationem, nullum compariuisse – ad contradicendum Oratoris petitioni –. Infelicissimum ipsius Ecclesiae statum ex transmissa ostendebat peritia. In deterius illam abire cepisse sub decessore Beneficiato, – attamen dictae fabricae ruina iam maxima iuste incuriae et culpae eiusdem praedecessoris adscribi non posse –. In casu autem locus fortasse esse poterat reparationi, quum annuus reditus Beneficiorum in Literis Apostolicis esset – septuaginta ducatorum auri de Camera et iuliorum trium – absque ullo onere, et impensa pro reparatione ascendebat ad scuta 220 tantum. Ceterum Orator advertit, tenuem esse reditum Beneficii, cui quatuor dumtaxat erant terreni rubra; incommodam habitantibus Ecclesiae positionem in praerupto difficilique loco; exemplum alterius Beneficii S. Valentini, quod nullam habebat Ecclesiam; homines praeterea Villae Casalinorum erigere pollicebantur Altare in honorem S. Laurentii in proxima eorum Ecclesia Sanctissimae Annunciatae, dummodo ad eam ampliandam demoliendae Ecclesiae caementa concederentur. Ad servandam insuper rei memoriam, Sacellum

cum Imagine S. Laurentii in loco demoliendae Ecclesiae construere pollicebatur Beneficiatus. Addenda quoque erat circumstantia loci, in quo ruens positum erat aedificium: fortasse enim ob proximam ripam diuturna non esset illius restauratio.

23. His itaque perpensis, proposito dubio:- An et quomodo sit locus demolitioni Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, extructo in Ecclesia Sanctissimae Annuntiatae Altari in honorem Sancti Laurentii per concessionem caementorum demoliendae Ecclesiae – *in Camerinen. Demolitionis Ecclesiae die 18 Decembris 1790.*

24. Quin imo cessantibus etiam causis expressis in Conciliari Decreto, ob alias etiam graves rationes, concedenda est demolitio Ecclesiae, etiamsi de Ecclesia agatur decenter constructa *in Parmen. Demolitionis Oratorii et Translationis Beneficii die 27 Augusti 1796* §. *Ad.*

25. Unde Card. De Luca ad Concil. Triden. disc. 17 n. 7 ad rem observabat, quod nimirum – quandoque cessantibus etiam causis in isto Conciliari Decreto consideratis, adhuc ex prudentibus provisionibus S. Congregationis Immunitatis, sive illius Episcoporum, aliquarum Ecclesiarum, quamvis alias bene ac decenter constructae sint, neque alia indigeant refectione, demolitio vel profanatio demandari solet – *in Ravennaten. die 8 Iulii 1755* §. *Et.*

Item *in Parmen. Demolitionis Oratorii et Translationis Beneficii die 27 Augusti 1796* §. *Ad; in Ariminen. die 20 Maii 1854* §. *Ad.*

26. Siquidem idem est, quod ad usus convertatur profanos Ecclesia, quae reparari nequit, vel quando iustae legitimaeque concurrant pro eiusdem profanatione causae, quamvis bene constructa fuerit ac nulla reparatione indigeat *in Ariminen. die 20 Maii 1854* §. *Ad.*

27. Idcirco Sacra Congregatio, pro casuum varietate ac maiori vel minori gravitate rationum, quamvis de Ecclesiis ageretur decenter extructis, aliquando earum profanationem ac translationem onerum permisit, ut in Leopolien. die 27 augusti 1763, et in Terracinen. die 2 iunii 1764, aliquando vero denegavit, ut in Parmen. Demolitionis Oratorii et Translationis Missarum die 17 septembris 1796 *in Ariminen. die 20 Maii 1854* §. *Ad.*

28. Hinc locus est profanationi parvae Ecclesiae ruralis, cum rite constet de abusu eiusdem nec non defectu mediorum ad consulendum illius decenti manutentioni, translatis sacris Imaginibus et supellectilibus ad aliam Ecclesiam *in Terracinen. die 2 Iunii 1764.*

29. Iamvero parva Ecclesia S. Nicolai Barensis in agro Somneni aderat, quae ad Moniales Cistercienses S. Mariae *delle Canne* pertinebat; asperrima situ ad rupem montis, qui Regnum Neapolitanum a ditione Pontificia dividit. Moniales anno 1761 Summo Pontifici supplicarunt, ut profanaretur, translatis Sacris aliisque oneribus ad propriam Ecclesiam Monasterii, quod quingentum tantum passus ad Oppidum enumerabat. Episcopus retulit: – Spectat Ecclesia quaedam parva ruralis ad usum Heremi sub titulo S. Nicolai Barensis, a dicta terra distans per spatium duorum milliariorum circiter; et hac de causa, ut plurimum pro refugio inservit Banditorum aliorumque hominum perditorum, qui maxima cum irreverentia utuntur eadem, pro parandis et coquendis cibis et pro aliis usibus sibi benevisis. Ad ipsam Ecclesiam solent Canonici aliique de Clero seculari Terrae praefatae in feria secunda festivitatis Pentecostes cuiuslibet anni processionaliter, ut aiunt, accedere, sed revera confuse absque ullo ordine et devotione, sedendo non sine scandalo plures eorum super Iumentis, et ibidem perventi tres Missas celebrant, unam videlicet cum cantu et duas alias lectas, et Monasterium solvit eisdem scuta quinque, quae inter praesentes distribuuntur loco prandii, quod prius subministrabat, et in singulis quoque diebus veneris mensis martii celebratur pariter alia Missa lecta cum eleemosyna iuliorum trium pro qualibet ab eodem Monasterio persoluta. Huiusmodi autem Ecclesia reperitur modo totaliter fere devastata, signanter in tecto et portis combustis a praedictis hominibus, causa quorum impossibilis profecto redditur eius manutentio cum suo debito et decenti decore, ac proinde expediens crederem profanatio eiusdem, praevia tamen translatione Imaginis divi Nicolai ad

Ecclesiam Monasterii, ad quam imposterum Clerus facilius et cum Populi aedificatione processionaliter accedere et celebrare Missas praefatas valeret, tanto magis quia ipse Clerus a me auditus nullam opposuit difficultatem, sed potius suum praestitit consensum –. Sed uti res secundum ordinem iuris cognosceretur, rescriptum fuit, – ut procederet, prout de iure, ad confectionem processus super abusu Ecclesiae, de qua agitur, et defectu mediorum ad consulendum illius decenti manutentioni –. Pervenerunt acta, quibus supra exposita probata existebant.

30. Propositis hinc dubiis: – I. An sit locus profanationi Ecclesiae ruralis S. Nicolai de Bario a Monialibus Cisterciensibus in territorio Oppidi Somneni possessae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sacrae Imagines supellectilia et onera quaecumque in eadem Ecclesia existentia transferri et respective adimpleri valeant in Ecclesia propria dictarum Monialium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative; et quoad onera scribatur Episcopo iuxta instructionem – *in Terracinen. die 2 Iunii 1764.*

31. Qua de re etiam Sacra Congregatio Immunitatis mandavit, ut profanarentur Aediculae praesertim in agris, quae plerumque perditis hominibus usui sunt *in Terracinen. die 14 Aprilis 1764* §. *Id.*

32. Imo Sacra Congregatio mandavit, ut parva dirueretur Ecclesia ad effectum perficiendi clausuram Monasterii Monialium, ac respective transferretur eadem Ecclesia in alium locum, etiamsi Episcopus enixe obsisteret *in Hieracen. Exemptionis die 6 Decembris 1760.*

33. Siquidem Monasterio Vallis Viridis ob terrae motum diruto, Moniales migrarunt ad Castrum vetus, novumque ibi Monasterium construxerunt. Hinc postularunt praefatae Moniales demolitionem parvae Ecclesiae Monasterio proximae, ut eius situs uniretur clausurae, ex vulgato privilegio Text. in L. *Si quis sepulcrum* Cod. de relig. et sumpt. fun., praesertim quia Ecclesia demolienda nimis erat depressa, et facile alioquin praeberet aditum ad clausuram; et ad hunc effectum Moniales obtulerunt vel pretium aedificii solvere Patronis Ecclesiae, vel aliam similem suis sumptibus aedificare in loco illis beneviso. Excepit autem Episcopus, neque privilegium dicti Textus extendi posse contra Ecclesiam praeexistentem, ut firmat Rota in Recent. decis. 337 n. 15 part. 10, nec sibi inferendum esse praeiudicium, exemptum reddendo locum tunc suae iurisdictioni subiectum, contra censuram Textus in Cap. *Nullus* 17 de iurepatronatus. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – II. An sit locus demolitioni Ecclesiae S. Felicis pro perficienda clausura Monasterii et respectivae translationi eiusdem Ecclesiae in alium locum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative; et pro exequutione ad Emum Praefectum ad mentem – *in Hieracen. Exemptionis die 6 Decembris 1760.*

34. Idcirco multo magis indulgetur facultas demoliendi Ecclesiam ad effectum aliam reaedificandi ampliorem *in Anconitana Beneplaciti die 27 Martii 1762.*

35. Enimvero cum Anconitana Ordinis Praedicatorum Familia veterem Conventus Ecclesiam temporum iniuria collabentem demoliri statuisset, novamque a fundamentis construere, illico Cives obstiterunt: nam Peritus in situ antiquae Ecclesiae Conventus delineabat domos locatitias, proponebatque in plateam redigi alteram Ecclesiam parochialem Beatae Mariae Virginis Incoronatae; quocirca arguerunt, eo minus indulgendum esse Beneplacitum Apostolicum directum ad indecoram profanationem duplicis Ecclesiae, quae a sacris Canonibus vetita est, inspecta potissimum praerogativa Parochialitatis, qua decorabatur illarum altera S. Mariae Incoronatae. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – IV. An liceat RR. PP. S. Dominici Anconae demoliri praefatam Ecclesiam in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam indulsit Beneplacitum Apostolicum pro valida emittenda obligatione adimplendi conditiones praescriptas a Sacra Congregatione Boni Regiminis ad effectum construendi novam Ecclesiam, responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative – *in Anconitana Beneplaciti die 27 Martii 1762.*

36. Si quis itaque illegitime obtinuerit Rescriptum pro demolitione Ecclesiae fati-

scentis et venditione caementorum, ac demolitionem de facto perpetraverit, licet Episcopus recusasset exequutioni illud committere tamquam subreptitium et obretiptium, locus tamen est sanationi quoad alienationem caementorum, ex eo quod haud interest Religioni, ut Ecclesia iam demolita a fundamentis restituatur, is vero supplicare tenetur pro absolutione *in Fabrianen. die 21 Novembris 1807.*

37. Siquidem apud maenia Oppidi Cerreti extabat parva ruralis Ecclesia divo Paterniano nuncupata, in qua sub eiusdem invocatione Beneficium erectum erat, cum onere trium tantum Missarum in die festo S. Titularis. Beneficium huiusmodi ab anno 1786 consequutus fuit Praesul Silvester Bargagnati. In Visitatione ab Episcopo Fabrianensi acta mense septembris anni 1788 latum est Decretum, ut repararentur parietes exteriores tectum et pavimentum; itidem iussum est in alia Visitatione anni 1797, in qua praeterea mandavit Visitator remotionem frumenti, quod in Ecclesia erat indecore repositum, et tandem in Visitatione anni 1804 postremus Episcopus Praesul Cappelletti Ecclesiam ipsam interdixit, atque Rectori graviora minitatus est, nisi intra congruum tempus eam repararet. Qua de re Rector Bargagnati imploravit a Sacra Congregatione, ut Ecclesiam demoliri posset, quae ex culpa Praedecessoris sacris erat destituta supellectilibus ac ruinam minabatur: se vero non posse agere exposuit contra eius heredes, cum ille inopia pressus obiisset, nec ipse ob tenuem Beneficii reditum eam restaurare posset. Preces itaque die 24 novembris anni 1804 remissae fuerunt Episcopo – pro informatione, auditis praesertim Parocho, transmissa fundatione, et referat de impensa vere necessaria per Peritum ex officio, et impotentia supplendi, de annuo reditu et oneribus, et peractis iudicialibus diligentiis contra heredes defuncti Rectoris, et utrum Populi commodo praeiudicium inferatur, et de Ecclesia designanda –. Antequam votum Episcopi super hisce precibus adveniret, Bargagnatus supplicavit Sacrae Congregationi super negociis Episcoporum et Regularium propositae, ut sibi fas esset bona ad Beneficium S. Paterniani spectantia vendere Sebastiano Mari, qui praeter cetera spondebat reparationem Ecclesiae suo sumptu facturum et sacras supellectiles comparaturum Missarumque oneribus satisfacturum. Die 23 iulii 1806 datum est Rescriptum, quo arbitrio Episcopi concessa est facultas – ineundi praefatum venditionis contractum, deletis emptorum bonorum oneribus manutenendi Ecclesiam Sacrarium et satisfaciendi Missas, quae onera spectent ad Beneficiatum, aucto proportionabiliter pretio bonorum ab ipso acquirendorum, ita tamen, ut per eumdem emptorem solvantur fructus compensativi ad rationem scutorum quinque pro quolibet centenario et anno, donec pretium in aliis stabilibus utilioribus investitum fuerit etc. –. Hinc facta venditio est pretio scutorum 923, unde Beneficiato redibant annua scuta 46, 25. Post haec die 12 augusti 1806 remissae sunt Literae informationis a Vicario tamen Generali signatae, ad preces Sacrae Congregationi porrectas, in quibus Literis vera affirmabantur omnia, quae Bargagnatus exposuit, et praeterea requiri pro reparatione Ecclesiae scuta sexaginta, nec non ex bonis iam venditis haberi annuum reditum quadraginta circiter scutorum. Iterum rogatus est Episcopus, ut referret – de pretio caementorum, de annuo reditu retrahendo ex eius investimento, de numero Missarum quotannis ex iisdem reditibus celebrandarum. – Quae omnia ubi explorata fuere, die 28 februarii rescriptum fuit: – Pro facultate iuxta petita, arbitrio et conscientiae Episcopi ad effectum alienandi solum et caementa, praevia edictorum affixione maioris et melioris oblatoris, et deponendi pretium nec non investiendi favore Beneficii cum solitis clausulis, indicata provenientia cum onere celebrandi ex reditu praedicti investimenti ad taxam perpetuae pro anima Fundatoris, translato titulo Beneficii cum adnexis oneribus ad Ecclesiam parochialem Castri Cerreti, erectaque ad aliquod Ecclesiae Altare Icone Sancti Titularis, et ponatur in tabella –. Quin Bargagnatus Rescriptum hoc moderno Episcopo Fabrianensi exhibuerit, edicta publicavit pro alienatione soli et caementorum. Cum vero Episcopus recusasset exequutioni Rescriptum committere tamquam subreptitium et obreptitium, Bargagnatus Ecclesiam evertit. Postulavit vero inde sanationem, si quod

vitium in praecedenti Rescripto subfuerit, ut solum et caementa alienare posset.

38. Episcopus plura quidem deduxit ad ostendendam subreptionem et obreptionem, cum Bargagnatus etiam fere per annos viginti reparationem Ecclesiae neglexisset, et falso exposuisset, expensas pro reparatione necessarias esse in scutis sexaginta, quas non pluris, quam scutatorum viginti aestimatas fuisse; nihilominus ipse Episcopus putavit non interesse Religioni, ut Ecclesia, cum iam eversa esset a fundamentis, restitueretur; proptereaque censuit, concedendam esse sanationem, iniuncto tamen Oratori onere manutenendi supellectiles sacras ad Altare, quo titulus et onera Beneficii transferebantur. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit concedenda sanatio in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative quoad alienationem caementorum in omnibus ad formam Rescripti 28 februarii 1804, et Orator supplicet pro absolutione – *in Fabrianen. die 21 Novembris 1807.*

39. Unde cum Clerici Regulares ministrantes infirmis Viterbii Ecclesiam S. Matthaei cum Beneplacito Apostolico et pluribus adiectis conditionibus cessissent Universitati Mercatorum, qua tamen extincta et praefata Ecclesia iam ruente, eiusdem demolitio peteretur, Sacra Congregatio, non obstante Episcopi relatione, qui dixit tantae rei causam fuisse culpabilem negligentiam Fratrum Infirmis ministrantium, unde pro restauratione enixe instabat, die 13 aprilis 1831 rescribendum censuit in ea verba: – Perpensa relatione Episcopi Viterbiensis, petitam facultatem demoliendi enunciatam ecclesiam S. Matthaei eamque convertendi in usus profanos, non tamen sordidos, erecta tamen ibi Cruce ad formam Sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 7 de reformatione, cum obligatione transferendi nedum legata, verum etiam S. Iconem et titulum ad Ecclesiam S. Mariae in Podio, quae deinceps sub invocatione et titulo S. Mariae in Podio et S. Matthaei nuncupabitur, benigne impertita est, et praesens Rescriptum eadem Sacra Congregatio notificari mandavit praefato Episcopo Viterbiensi –. Monita de edito Decreto Episcopali Curia Viterbiensi, dirui cepit Aedes turris plane eversa, Altaria adempta, ostium angustius factum, Crux in fronte imposita, murus inaedificatus. At graves illico de ea re querelae ab Episcopalis Curiae Promotore delatae fuerunt, eaeque in causa fuerunt, ut datis die trigesima eiusdem mensis Literis iussus fuerit Episcopus, – ut mandet suspendi executionem Rescripti diei 13 eiusdem mensis aprilis super demolitione Ecclesiae S. Matthaei, et praefigat partibus terminum ad deducenda iura sua in Sacra Congregatione ac de resultantibus certioret –. Paruerunt Ministrantes Infirmis, et a quacumque novatione post intimationem se abstinuit Pater Mansanti, et demolitio iam incepta suspensa est. Retulit Episcopus, – summa scandala murmurationesque Viterbii obortas, propter eversionem perinsignis illius Templi, quod est ex antiquioribus, quae a Civibus perenni cura observantur. Incredibile dictu est, quantum mali in Religionem, dedecorisque in universum Clericorum coetum ex tanta irrepserit profanatione. Universus siquidem Populus cuiuscumque Ordinis aversatus conclamavit; et tranquillitas Urbis, in qua ope divina aerumnosis temporibus consedebat, in hac equidem tempestate haud parum fuit exagitata. Neque defuerunt foedosae calumniae multiplicesque ac publicae censurae in memetipsum meamque Episcopalem Curiam: quippe quod aestimabatur, illo sacrilegio assensum praebuisse; nec facile ad credendum oppositum Plebs adduci potuit, nisi publicatis coram Clero et Magistratu Literis meis, quibus prae iustitia et veritate ante tribunal vestrum sapientissimum petitioni obreptitiae et subreptitiae obstiti Patri Ioanni Baptistae Mansanti, nisi pariter per Procuratorem meum Fiscalem nomine etiam Cleri, concepto vadimonio coram vobis eidem Mansanti, ut a demolitione formiter inhiberetur, quod factum est die 26 aprilis 1831, nisi demum intimato Rescripto suspensionis supremae Congregationis Vestrae –. Plura addidit Episcopus, quibus demonstrare censuit subreptionem et obreptionem et mala inde eventura, si praefatum Rescriptum in executione demandaretur. Quaestio hinc pugnaciter utrinque invaluit: componi amice rem in votis fuerat, diuque de concordia actum est; hinc conditiones propositae, at in examen deductae, haud arrisere, de controversia proinde

discutienda conventum est. Multa utrinque allata fuerunt; sed propositis dubiis: – I. An et quomodo Decretum Sacrae Congregationis diei 13 aprilis 1831 sit exequendum in casu etc. II. An et cuius sumptibus sit restituenda in pristinum Ecclesia S. Matthaei in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, ad D. Secretarium iuxta mentem – *in Viterbien. Demolitionis Ecclesiae die 30 Martii 1833.*

40. Itaque licet Canonici Regulares Sanctissimi Salvatoris conditiones et onera, quae ipsis imposita fuerunt in acceptione Ecclesiae et Monasterii Monachorum S. Benedicti cum respectivis reditibus, non adimpleverint, non propterea annuente etiam Protectore dictorum Canonicorum, locus est gratiosae concessioni praefatae Ecclesiae et bonorum favore Canonicorum Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei, qui causa terraemotus ob Ecclesiae ruinam non valebant ex propriis proventibus illam reparare *in Beneventana Concessionis die 18 Augusti 1703 lib. 53 Decretorum.*

41. Iamvero – ut regularem observantiam et monasticae vitae disciplinam Monachorum S. Benedicti Ecclesiae S. Sophiae, ob Religiosorum paucitatem fere collapsam, restitueret cl. me. Cardinalis Columna Abbas et Commendatarius perpetuus Abbatiae eiusdem Ecclesiae, provide statuit, Religiosos dicti Ordinis a Monasterio praedicto dimittere, et Canonicos Regulares Congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Augustini introducere, certis stabilitis pactis et conventionibus utrinque servandis, et signanter quod ibi retineri deberent Prior et sex Canonici Regulares Presbiteri dictae Congregationis, donec Beneficia a praedictis Monacis possessa vacarent ac dictae Ecclesiae unirentur, qua unione sequuta, augeri debuisset illorum numerus usque ad duodecim, qui Regularem institutum servantes confessiones audirent, ecclesiastica Sacramenta administrarent, omniaque alia divina officia Monasterio incumbentia persolverent. Et ulterius, quod iidem Canonici tenerentur propriis sumptibus ad reparationem fabricae Ecclesiae Monasterii aliorumque aedificiorum, et pro eis impendere annuos dicatos 300, assignatis pro praedictis, et congrua Canonicorum sustentatione omnibus reditibus et bonis, quae ad praefatos Monachos S. Benedicti spectabant, ascendentibus ad annuum valorem ducatorum 50, nec non proventibus Beneficiorum, prius ab iisdem Monacis possessorum annui valoris ducatorum 400, aliisque annuis ducatis auri 300 ex fructibus et reditibus Monasterii S. Ioannis in Gaudio de Mazzoccha, ut patet, tum ex ipsis conventionibus, tum ex Bulla Clementis VIII super confirmatione earumdem. Sequuta ad formam dictarum conventionum assignatione omnium dictorum reddituum, et effectuata tractu temporis Beneficiorum unione, Canonici praedicti nunquam, ut asseritur, praescripta onera adimplerunt, retinentes in Monasterio duos tantum Sacerdotes, et ad praesens unum dumtaxat cum uno laico, absque ulla Ecclesiae officiatura, Sacramentorum administratione, ac Monasterii et Ecclesiae refectione, adeo ut, ea diruta occasione terraemotus anni 1688 et novissime 1702, Emus Archiepiscopus propriis sumptibus illam reaedificaverit cum impensa plurium ducatorum. Cumque ob nonnullas bonorum deteriorationes ac distractiones a dictis Canonicis factas reditus praesentes ad parum, vel nihil sint redacti, Civitas Beneventana existimans propterea esse locum dimissioni dictorum Canonicorum, supplicavit Sanctissimo domino nostro, ut dignaretur concedere dictam Ecclesiam S. Sophiae cum suis paucis reditibus Canonicis S. Bartholomaei eiusdem Civitatis, qui causa novissimi terraemotus, ob Ecclesiae ruinam, non valent ex propriis proventibus illam reparare, ob maximas impensas, quas facere tenentur circa palatium Episcopale, et in constructionem totius Civitatis. Remissoque supplici libello ad EE. VV. pro voto, auditus extitit Emus Archiepiscopus eiusdem Ecclesiae S. Sophiae Commendatarius et Canonicorum Regularium Protector, qui ex pluribus rationibus, in sua relatione per manus circumferenda, instantiae annuendum existimat–.

42. Proposito tamen dubio: – An sit locus gratiosae concessioni Ecclesiae S. Sophiae ac bonorum et reddituum illius favore Canonicorum secularium Collegiatae S. Bartholomaei, amotis Canonicis Regularibus Sanctissimi Salvatoris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Beneventana Concessionis die 18 Augusti 1703 lib. 53 Decretorum.*

43. Qua de re quum Praesbiteri Oratorii Civitatis Mantuae haberent Ecclesiam adeo augustam, ut in ea exerceri nequirent pertinentia ad proprium Institutum, ac ea propter petierint a Summo Pontifice Ecclesiam parochialem Sanctorum Simonis et Iudae, translato iure parochialitatis in aliam Ecclesiam, proposito dubio: – I. An sit locus indulto pro concessione Ecclesiae parochialis Sanctorum Simonis et Iudae Mantuae Patribus Oratorii eiusdem Civitatis in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, audiatur novus Episcopus iuxta instructionem (1) – *in Mantuana Concessionis Ecclesiae die 17 Iunii 1719.*

44. Similiter quum Archiepiscopus Firmanus in Sacra Visitatione transtulisset ius parochiale Ecclesiae Sanctorum Laurentii et Hilarii ad aliam Ecclesiam Sanctorum Philippi et Iacobi, ac Ecclesiam illam concessisset Sodalitio Sanctissimi Sacramenti cum aliqua sacrae supellectilis parte, proposito dubio: – III. An praedicta Ecclesia Sanctorum Laurentii et Hilarii cum membris et pertinentiis et portione sacrae supellectilis potuerit concedi Confraternitati Sanctissimi Sacramenti in Oppido Montis Ulmi in locum prioris angustae Ecclesiae ad dictam Confraternitatem spectantis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, dilata; et scribatur Archiepiscopo pro meliori informatione, iuxta mentem–*in Firmana Translationis Parochialitatis die 27 Februarii 1734.*

45. Imo Sacra Congregatio censuit, agendum esse cum Ministris eiusdem Card. Legati, quomodo et qua auctoritate concesserit Legatus Ecclesiam parochialem de Phara in commendam cum reservatione pensionis *in Vasionen. Visitationis sacrorum Liminum die 25 Augusti 1637.*

46. Quum autem rite ac legitime obtentum fuerit Breve Apostolicum, quo in perpetuum concessa extitit Ecclesia Hospitalis Peregrinorum S. Antonii Abbatis Terrae Medicinae Confraternitati Beatae Mariae Salutis Humilitatis et Subsidii eiusdem Terrae Medicinae pro exercitio functionum ecclesiasticarum, Sacra Congregatio declaravit, illud esse sustinendum; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sustineatur Breve Apostolicum concessionis perpetuae Ecclesiae modo dicti Hospitalis pro exercitio functionum ecclesiasticarum Confraternitatis in casu etc. –, responsum tulit: – Ad secundum, Affirmative – *in Bononien. die 28 Iulii 1724.*

47. At cum Sacra Congregatio tribuisset facultatem, ut Ecclesia parva et derelicta alteri concederetur ad usum Ecclesiae et cum expressa conditione, ut restauraretur, nedum haud intelligitur, quod ipsa dederit potestatem eam vendendi, sed non obstantibus rationibus in medium prolatis nequaquam licentiam vendendi praedictam Ecclesiam impertiri voluit *in Bononien. die 24 Februarii 1720.*

48. Siquidem in Congregatione habita die 26 iunii 1655 editum fuit sequens Decretum favore Clericorum Regularium Minorum: – Sacra Congregatio etc. vigore Rescripti Sanctissimi Domini Nostri benigne impertita est Oratoribus facultatem, ut parvam Ecclesiam S. Prosperi derelictam et maxima restauratione indigentem concedere possint arbitrio Archiepiscopi Bononiensis ad usum Ecclesiae, et sub expressa conditione restaurationis faciendae –. In sequelam huius Decreti putarunt Clerici Regulares Minores, se obtinuisse facultatem praedictam Ecclesiam vendendi, ita tamen, ut eius usus non mutaretur, et ut semper continuare deberet in esse Ecclesiae; cumque tum emptorem non invenerint, qui ea uti vellet ad usum praedictum, et inde Confraternitas quaedam reperiretur, quae Ecclesiam emeret, et eadem uteretur pro usibus spiritualibus suique instituti exercitiis, preces idcirco renovarunt pro facultate vendendi, et Oratores putabant,

(1) Scilicet exquirendum esse censuit ab Episcopo, an Parochiae Incolae sanctorum Simonis et Iudae, quos audire potuerit et debebit, conquerantur de translatione Parochiae ad Ecclesiam S. Ambrosii; item an, facta accessione novorum Parochiae Incolarum et eorum subiectione Ecclesiae seu Parochiae S. Ambrosii, Parochus hic bene valeat omnibus Sacramenta administrare, et cetera alia peragere ad suum munus pertinentia, et tandem an Patres Congregationis Oratorii intendant acquirere gratis, vel solo pretio Ecclesiarum Sanctorum Simonis et Iudae domum parochialem et annexa, et si emere intendant, in cuius manus pretium devenire debeat, et in quam causam erogandum, referat et sententiam proferat, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 25 die 8 Iulii 1719.*

se esse posse voti compotes, tum quia existimabant, se facultatem vendendi obtinuisse usque de anno 1655, tum quia Ecclesia suum statum non mutaret, nec profanaretur, et tandem quia pecunia ex venditione retrahenda non modicam afferret utilitatem pro indigentiis eorumdem Oratorum, qui alium habebant in Civitate Bononiae Conventum seu Collegium, in quo habitabant, nec non aliam Ecclesiam Spiritui Sancto dicatam. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative in casu, de quo agitur; et amplius – *in Bononien. die 24 Februarii 1720.*

49. Nedum enim vetita est venditio Ecclesiae, dum ea sub hasta et instantibus creditoribus peragitur, sed etiam in venditione voluntaria, et quae fit sine horrida voce Praeconis *in Bononien. die 24 Februarii 1720.*

50. Iamvero Textus in Can. *Quis obiecerit* caus. 1 quaest. 3 et in cap. *Querelam* de simonia haec habet: – Sciturí, quod sicuti emi non potuit, ita nec redimi Ecclesia –. Unde iuris Canonici Interpretes in ea videntur esse opinione, quod Ecclesiae nullo modo nulloque praetextu vel colore emi et vendi possunt, ceu videre est apud Ursayam tom. 2 discept. 25 per totum, et signanter n. 100 et 114, et tom. 3 part. 2 discept. 25 per totum *in Bononien. die 24 Februarii 1720* §. *Adversus.*

51. Hinc celebris fuit anno 1719 Causa venditionis Ecclesiae S. Franciscae Romanae in via Felici Ordinis Redemptoris Captivorum, eademque proposita in Signatura gratiae habita coram Summo Pontifice, die 28 martii 1719 rescriptum fuit, – non esse deveniendum ad venditionem et subhastationem Ecclesiae et Conventus, instantibus creditoribus – *in Bononien die 24 Februarii 1720* §. *Celebris.*

52. Qua de re nulla renunciatur venditio Ecclesiarum cum hortis annexis ac praediolorum, dum Sacra Congregatio licentiam tribuerit adiecta clausula, – dummodo non adsit prohibitio vendendi –, sed eadem expleta est absque consensu Capituli Lateranensis, in cuius fundo reperiebantur fundatae *in Spoletana Capellae die 9 Septembris 1730 die 17 Novembris* 1731 *et die 12 Februarii 1735.*

53. Siquidem Seminarium Clericorum Spoleti anno 1712 cum Sacrae Congregationi exposuisset, se possidere sub iurisdictione Capituli Lateranensis aliquot praediola cum Ecclesia fere diruta ac Heremo S. Antonii, quae olim spectabant ad Monasterium Monialium S. Catharinae iam suppressum et praefato Seminario unitum, cumque ex iis praediolis perciperet annuum proventum in summa scutorum quatuor, postulavit facultatem ea vendendi, accepto pretio, quod offerebatur in scutis 440. Sacra Congregatio benigne licentiam vendendi concessit cum solitis clausulis et praecipue cum ea, – dummodo non adsit prohibitio vendendi –. Affixis subinde consuetis Edictis, in quibus specifice expressum fuit, quod in venditione bonorum concederentur emptori etiam Ecclesiae S. Catharinae et S. Antonii cum Heremo contiguo, vendita fuerunt praefata bona, uti singula enumerata una cum dictis Ecclesiis et Heremo aeque principaliter ac hortis eisdem respective annexis – cum omnibus et singulis dictorum bonorum iuribus iurisdictionibus introitibus – Laureto Santino tamquam maiori oblatori pro pretio scutorum 440, in qua venditione Administratores praefati Seminarii dixerunt, – dictas Ecclesias Heremum et bona, ut supra vendita, ad dictum Seminarium spectare et pertinere pleno iure utilis et directi dominii, esseque libera et exempta ab omni onere –, addita etiam amplissima promissione liberandi emptorem a quacumque molestia. At mox obstitit Communitas Castri Vallis adversus huiusmodi venditionem factam Santino praetendens, in ea non fuisse comprehensas Ecclesias S. Catharinae et S. Antonii, ex quo nec istae, nec horti iisdem annexi, non mediocris de cetero valoris, fuerint per Peritos aestimati, ac etiam quia aestimari et vendi non poterant sine consensu Capituli Lateranensis, in cuius solo reperiebantur fundatae, stante praecipue illa clausula in indulto Sacrae Congregationis, – dummodo non adsit prohibitio vendendi –. His autem perpensis, proposito dubio: – I. An venditio facta a Seminario Laureto Santini substineatur in casu etc. –, Sacra Congregato responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Spoletana die 9 Septembris 1730.*

54. Novam audientiam impetravit Com-

munitas: sed deinde exponens Capitulo Basilicae Lateranensis, venditionem Ecclesiae S. Catharinae et alterius Ecclesiae sive Heremi S. Antonii factam Seminario fuisse invalidam, utpote destitutam assensu eiusdem Capituli, obtinuit ab ipso Capitulo, illas tamquam devolutas ex causa huiusmodi alienationis, sibi de integro concedi, earumque etiam possessionem adivit, Santinis minime citatis. Itaque ab eisdem Santinis institutum fuit coram A. C. iudicium adversus Capitulum pro purgatione spolii et manutentione in possessione dictarum Ecclesiarum nec non adversus Seminarium venditorem pro liberatione a molestiis: sed R. P. D. Auditor Sanctissimi utramque Causam ab eo Tribunali avocavit, et ad Sacram Congregationem remisit. Propositis hinc dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis die 9 septembris 1730? *Et quatenus affirmative quoad secundam partem.* II. An sit locus liberationi a molestiis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 novembris 1731 respondit: – Ad primum, praevio recessu a decisis, venditionem non substineri. Ad secundum, satis provisum in primo –. In sequelam huius Rescripti Fratres de Santinis postularunt coram A. C., ut pretium ab Administratoribus Seminarii pro memoratis bonis et Ecclesiis solutum sibi restitueretur, quod statim habuerunt: at subinde, liquidatis per Iudicem subdelegatum expensis et meliorationibus in iisdem bonis factis, quorum refectio praetendebatur a Fratribus de Santinis, ad hanc evitandam dicti Administratores satius duxerunt instare pro facultate iterum de iure suo experiendi adversus resolutionem, a Sacra Congregatione praefata die 17 novembris 1731 editam. Propositis vero dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a primo, vel secundo loco decisis? II. An et a quibus damna sint reficienda? III. An et a quibus debeatur Canonicis solutio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in secundo loco decisis. Ad secundum et tertium, ad Iudices suos; et amplius – *in Spoletana Capellae die 12 Februarii 1735.*

55. Alias enim, si iustae adsint causae consensus interesse habentium et Beneplacitum Apostolicum, dubium non est, quin Ecclesia profanata vendi possit, quia tunc desinit esse Ecclesia, D. Thomas 2. 2. quaest. 106 art. 4 ad 2 *in Ariminen. die 20 Maii 1854* §. *Quibus.*

56. Pretium vero ex venditione retractum potius in utilitatem Ecclesiae, quam pro parte in utilitatem Patroni est convertendum, iuxta resolutionem Sacrae Congregationis in Mediolanen. 24 ianuarii 1573, Pignatelli consult. canon. tom. 8 consult. 60 n. 19 *in Ariminen. die 20 Maii 1854* §. *Quibus.*

57. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, pretium ex venditione situs, vel materialium Ecclesiarum dirutarum retractum, convertendum in utilitatem Ecclesiae, arbitrio Episcopi *in Tudertina lib. 1 Decretorum pag. 13.*

58. Idcirco quum Patres Doctrinae Christianae novam Ecclesiam parochialem alibi aedificare vellent, sed Parochianos contradictores invenerint, propugnantes, ipsis admodum incommodum esse noviter construendam Ecclesiam pro Sacramentorum receptione, ideoque vel esse restaurandam, vel e fundamentis aedificandam illam S. Michaelis Archangeli Civitatis Pontis Curvi in eodem situ, in quo tunc semidiruta existebat, Sacra Congregatio, postquam resolvit, reaedificandam esse alibi praefatam Ecclesiam S. Michaelis Archangeli, proposito dubio: – III. An liceat vendere situm antiquae Ecclesiae ad effectum erogandi pretium in constructionem novae Ecclesiae in casu etc. –, responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative cum solitis clausulis; et amplius – *in Pontis Curvi Reaedificationis et Translationis Ecclesiae parochialis die 6 Martii 1779.*

59. Unde caementa et materialia antiquae Parochialis possunt licite a Communitate adhiberi in constructione novae Ecclesiae, ad quam dicta antiqua Parochialis fuit legitime translata, nec non caementa Capellae, accedente Patroni consensu; his enim in terminis proposito dubio: – I. An liceat Communitati pro construenda nova Ecclesia uti caementis et materialibus antiquae Parochialis et Capellae S. Catarinae? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Amerina Translationis Parochialis die 31 Martii 1708 lib. 58 Decretorum* (1).

(1) Speciem Causae huius habes in verb. *Cadavera*, §. IV, n. 182 ad 184, Tom. IV.

60. Caementa enim Ecclesiarum dirutarum et profanatarum possunt converti ab Episcopo in usus profanos, dummodo non sordidos *in Tudertina lib. 1 Decretorum pag. 13.*

Item *in Comen. die 1 Septembris 1646 lib. 18 Decretorum pag. 191; in Regien. die 7 Augusti 1649 lib. 19 Decretorum pag. 661.*

61. Episcopus vero non potest, inconsulta Sede Apostolica, vendere situm Ecclesiarum dirutarum *in Asten. mense Iulii 1588 lib. 5 Decretorum pag. 75.*

62. Nec etiam caementa seu materialia Ecclesiarum dirutarum vendere potest, licet applicentur pro usu aliarum Ecclesiarum *in Asten. mense Iulii 1588 lib. 5 Decretorum pag. 75.*

§. III.

ECCLESIA IN GENERE QUOAD POLLUTIONEM

1. Ecclesia polluitur per illationem et sepulturam cadaverum Haereticorum *in Gnesnen. anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 12.*

2. Nec possunt in ea celebrari Missae, nisi prius reconcilietur, exhumatis Haereticorum cadaveribus, si ab iis Catholicorum secerni valeant *in Gnesnen. anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 12.*

3. Non polluitur vero Ecclesia per sepulturam cadaveris eius, qui seipsum occidit *in Dromoren. lib. 3 Decretorum pag. 31.*

4. Neque fuisse pollutam Ecclesiam declaravit Sacra Congregatio propter viginti quatuor circiter guttas sanguinis decisas a parvo vulnere, a quodam per baculum prope nasum illato in eadem Ecclesia *in Marsorum die 18 Decembris 1649 ad cap. 6 sess. 24 de reformatione Posit. 80 pag. 419.*

5. Qua de re cum Canonici sustinerent, Ecclesiam Collegiatam haudquaquam pollutione foedatam extitisse, ex eo quod e vulnere a Clerico in ea accepto cruor vix apparuerat neque in terram effluxerat, proindeque nec Sacramenta transferri, nec alteri Parocho committi potuisse, quin Vicarius Generalis aliique Ministri causa reconciliationis exigere potuerint, titulo viatici, summam quinque ducatorum, Sacra Congregatio mandavit, esse restituenda Sacramenta, et quia controvertebatur, ad quem spectaret in praefata Ecclesia exercitium curae animarum, edixit, ut sine praeiudicio iurium parochialium unus ex Canonicis per Archiepiscopum deputaretur Oeconomus pro cura animarum, cum assignatione congruae solvendae a quo de iure, nec non proponeretur dubium, cui incumberet onus curae *in Amalphitana Translationis Sacramentorum die 9 Iunii 1714 lib. 64 Decretorum.*

6. Siquidem – contentione exorta inter Clericos Lucam Ferinium et Blasium Venosium in Collegiata Ecclesia S. Mariae ad Mare Oppidi Maioris, cum vulnus sanguine manans excepisset iam dictus Ferinius, statim Ecclesia tamquam polluta habita fuit. Divina enim cessarunt, augustissimum Eucharistiae Sacramentum, sacraque Olea translata fuerunt, ac animarum cura, quae ibi exercebatur, Parocho S. Petri commissa fuit, auctoritate ordinaria. Iamvero reconciliata Ecclesia, eius Praepositus et Canonici plures super huiusmodi facto instaurant controversias adversus Promotorem Fiscalem Curiae Archiepiscopalis; quandoquidem autumant, Ecclesiam praedictam nequaquam pollutione foedatam extitisse, cum e vulnere cruor vix apparuerit, neque in terram effluxerat, proindeque contendunt, nec Sacramenta transferri, neque animarum curam alteri Parocho committi potuisse, qui parochialia emolumenta sibi vindicavit. Praeterea conqueruntur super exactione summae ducatorum quinque, quae numerata fuit Vicario Generali aliisque Ministris, causa saepedictae reconcilationis, ut perhibetur, pro expensis viatici.

7. Contra insurgit iam dictus Promotor Fiscalis, qui super pollutione Ecclesiae non esse ambigendum autumat, tum quia sat est, quod vulnus cruentum in Ecclesia sit illatum, et cum etiam quia iam reconciliata fuit ad enixas ipsorum Canonicorum, qui nunc contradicunt, preces. Ceterum translationem Sacra-

mentorum iussam fuisse asserit, interim quo disceptatum fuit, an dicta Ecclesia consecrata esset, vel tantum benedicta; cumque nullum desuper documentum exhiberi potuerit, rite Vicarius Generalis tamquam specialiter delegatus processit, cui alimenta et expensae viatici iure subministratae fuerunt. At si quid super huiusmodi exactione Canonici praetendant, contra eumdem Vicarium aliosve Ministros, ut inquit, procedere deberent. Postremo idem Promotor fiscalis subtexuit, semel iterumque post [reconciliationem Archiepiscopum demandasse Sacramentorum restitutionem, nihilominus cum Praepositus, cui animarum curam incumbere asseritur, in Urbe moram ducat, nullo relicto Sacerdote ab Ordinario approbato, qui Sacramenta ministret, iure recteque Parochus S. Petri curae onus adhuc exercet; neque exaudiendum Praepositum subdit, qui autumat, sibi tantum inesse habitualem curam, actualem vero Capitulo, adeo ut morari nequeat Sacramentorum restitutio, quousque ad propria ipse revertatur –.

8. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – An constet de pollutione Ecclesiae Collegiatae S. Mariae ad Mare in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Vicarius Archiepiscopi valuerit exigere ab illius Capitulo ducatos quinque aliasque expensas in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An teneatur ad illorum restitutionem in casu etc. IV. An translatio sanctissimae Eucharistiae Sacramenti et Olei Sancti a dicta Ecclesia Collegiata ad Parochialem S. Petri demandata per Archiepiscopum sustineatur in casu etc. V. An Parochus dictae Ecclesiae S. Petri valuerit eadem Sacramenta submistrare Parochianis dictae Ecclesiae, illorum Infantes baptizare, Matrimoniis interesse, ac assistere tumulationi cadaverum in eadem Ecclesia Collegiata cum stola sine consensu proprii Parochi in casu etc. *Et quatenus negative.* VI. An et in quibus poenis inciderit, et teneatur restituere emolumenta parochialia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum tertium quartum quintum et sextum, esse restituenda Sacramenta, ac deputari sine praeiudicio iurium parochialium Oeconomum pro cura animarum unum ex Canonicis per Archiepiscopum auctoritate Sacrae Congregationis, cum assignatione congruae, solvendae a quo de iure, et proponatur dubium, cui incumbat onus curae – *in Amalphitana Translationis Sacramentorum die 9 Iunii 1714 lib. 64 Decretorum.*

9. Unde Sacra Congregatio declaravit, ad solum Episcopum spectare reconciliationem Ecclesiae pollutae, si Ecclesia sit consecrata; si vero non fuerit consecrata, posse fieri a simplici Sacerdote cum aqua benedicta *in Gnesnen. anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 11.*

10. Hinc et Abbas benedictus vel habens privilegium faciendi omnia, quae possunt facere Abbates benedicti, de licentia tamen Episcopi Diaecesani, potest Ecclesiam consecratam et pollutam reconciliare *in Dubium ad Cap. 5 sess. 6 de reformatione Posit. 11.*

11. Non sufficit autem licentia Officialis sive Vicarii Generalis ad hoc, ut Missae possint celebrari in Ecclesia polluta, antequam reconcilietur *in Gnesnen. anno 1597 lib. 9 Decretorum pag. 11.*

12. Episcopus tamen cogere potest Canonicos ad celebrandum et divina officia peragenda in Ecclesia, donec Cathedralis polluta fuerit benedicta *in Savonen. die 4 Martii 1651 lib. 19 Decretorum pag. 115.*

§. IV.

ECCLESIA IN GENERE QUOAD SITUATIONEM ET SUBIECTIONEM

1. Omnes actus per Episcopum gesti legitimi renunciantur, si locus, ubi nova Ecclesia erecta fuit, sit intra fines suae Diaecesis *in Cusentina seu Bisinianen. Iurisdictionis die 28 Martii et die 28 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum* (1).

2. Idcirco quum Episcopus contra alium probaverit, Ecclesiam seu Oratorium situm esse intra fines suae Diaecesis, Sacra Congregatio nedum declaravit, Oratorium esse de sua iurisdictione, sed etiam actus gestos per ipsum sustineri, et censuratos adire debere eumdem Episcopum pro absolutione; sed inde ex noviter deductis ab moderno Archiepiscopo, qui audiri obtinuit, mandavit, ut coadiuverentur probationes iuxta instructionem Emi Praefecti *in Ianuen. seu Bobien. Iurisdictionis die 24 Septembris 1707 et die 5 Iulii 1710 lib. 57 et 60 Decretorum* (2).

3. Quando igitur constat de situatione Ecclesiae, Vicarius Generalis ad sustinendam super ea iurisdictionem valide fert censuras in alterum Vicarium Generalem, qui eam turbat, ac ea propter hic nulliter contra illum declaratoriam censurarum promulgat *in Melphien. Iurisdictionis et Censurarum die 16 Iulii 1712 lib. 62 Decretorum.*

4. Siquidem – acris exardescit iurisdictionis controversia inter Episcopalem Curiam Melphiensem et Rapollensem atque alterám Muranam, ea propter quod sub die 6 iulii praelapsi anni Claudius Albinus Vicarius Generalis Muranae Diaecesis quaedam assertae Visitationis Decreta divulsit, quae affixa tum pridem fuerunt in valvis Abbatialis Ecclesiae S. Mariae de Perno prope fines utramque Diaecesim dividentes sitae ex Vicarii Generalis Melphiensis iussu; atque autumans iam dictus Albinus sui Praesulis iurisdictionem nedum exinde laesam, sed praeterea cum eodem Melphiensi Vicario mandante, quoddam assertum epitaphium in eadem Ecclesia penitus fuit deletum, vim vi propulsando, ut asseruit, protinus mox dictum Vicarium denunciari mandavit poenis affectum, quae adversus ecclesiasticae iurisdictionis perturbatores comminantur in Sacra Tridentina Synodo sess. 22 cap. 11 de reformatione, Literis edictalibus subinde affixis. Id sane aegre ferens Promotor Fiscalis Melphiensis, exhibita in Episcopali Curia ad praemissorum verificationem quatuor Testium depositione aliisque documentis, quae in Summario exarantur, sub die 7 augusti subsequentis saepedictum Albinum personaliter moneri curavit, quatenus infra tres dies, quorum singuli pro primo secundo et ultimo respective termino computarentur, Iudicio sisteret ad dicendam causam, quare ob turbatam ecclesiasticam iurisdictionem excommunicari et censuris obnoxium declarari non deberet, subindeque die 8 11 et 12 praefati mensis semel iterum ac tertio accusata contumaciali absentia, postridie Vicarius Generalis Melphiensis et Rapollensis adversus praelibatum Albinum vices rependit, eum excommunicando atque anathemati subiectum declarando, affixis Edictis. Ita quidem ambobus hisce Vicariis censurae iaculo se mutuo perculsis, subinde conscientiae vulnus pertimescens Melphiensis, supplex ad huius supremi Senatus praesidium confugit, pro absolutione ad cautelam reportanda. Eorum vero quolibet adiudicante, intra limites propriae cuiusque Diaecesis controversam Ecclesiam, atque respective propugnante, merito alterum irrogata anathematis poena mulctatum esse, quemadmodum ex iuribus uberiori calamo in Summario exhibendis.

5. Hinc suspensis censuris hinc inde latis usque ad eiusdem controversiae exitum, ad enixas preces Promotoris Fiscalis Melphiensis proponuntur tria ultima dubia concordata una cum primo a Promotore Murano superaddito, minime assentiente altera Parte. Non

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Attentata*, n. 471 ad 475, Tom. II.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Attentata*, n. 116 ad 121, Tom. II.

graventur itaque EE. PP., qua pollent sapientia, definire: – I. An Ecclesia S. Mariae de Perno sit sita in et de Diaecesi Murana, vel potius Melphiensi seu Rapollensi? II. An visitatio dictae Ecclesiae S. Mariae de Perno spectet ad Episcopum Melphiensem seu Rapollensem, vel potius ad Episcopum Muranum? III. An censurae latae per Curiam Episcopalem Melphiensem seu Rapollensem contra Vicarium Generalem Muranum sustineantur in casu etc. IV. An declaratoria censurarum facta per Vicarium Generalem Muranum contra Vicarium Generalem Melphiensem seu Rapollensem sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit:– Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam quoad situationem in Diaecesi Melphiensi seu Rapollensi. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium, Affirmative; et pro absolutione arbitrio Metropolitani. Ad quartum, Negative – *in Melphien. Iurisdictionis et Censurarum die 16 Iulii 1712 lib. 62 Decretorum.*

6. Unde Sacra Congregatio primum mandavit, ut coadiuvarentur probationes hinc inde, cum non satis constaret, in quanam Diaecesi sita esset Ecclesia ad effectum exercendi in ea actus iurisdictionales, sed inde concordiam inter Partes initam approbavit *in Auximana seu Camerinen. Iurisdictionis et confirmationis concordiae die 12 Iulii 1721 et die 5 Decembris 1722.*

7. Enimvero Episcopus Camerinensis die 30 octobris 1720 se contulit ad tres Ecclesias S. Sergii S. Mariae *dell' Ospedaletto* et S. Angeli in Cryptis, easque visitavit et nonnulla occasione visitationis edidit Decreta. Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Auximi praetendit, haec fieri non potuisse, ex quo Ecclesiae S. Mariae *dell' Ospedaletto* et S. Sergii sitae erant in sua Diaecesi Auximana, et in eo quod attinebat ad situationem, eam probare contendit; primo, quia Parochia S. Helenae Villae Avenalis una cum toto suo territorio erat de Diaecesi Auximana, cumque Ecclesia S. Mariae *dell' Ospedaletto* et S. Sergii sitae dicerentur intra limites dictae Parochiae, arguit, has easdem Ecclesias esse de pertinentiis Episcopatus Auximani; secundo, quia tam una, quam alia Ecclesia fuerunt ab Episcopis Auximanis pluries visitatae, et hae visitationes dicebantur praeferri debere aliis visitationibus factis ab Episcopis Camerinensibus, cum illae et non hae haberent iuris assistentiam. Praetendit quoque idem Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Auximanae, quod Parochus Ecclesiae Parochialis S. Helenae Villae Avenalis functiones consuetas peragere posset in Ecclesia S. Angeli Cryptarum, et quod pro hisce peragendis functionibus non requireretur licentia Episcopi Camerinensis seu Parochi loci Paterni, qui erat subditus dicto Episcopo Camerinensi. Huiusce praetensionis fundamentum a dicto Promotore Fiscali constituebatur, tum in subiectione Ecclesiae S. Angeli Cryptarum erga Ecclesiam S. Helenae, ut ex pluribus actibus colligi dicebat, tum in observantia seu consuetudine, iuxta quam Parochi S. Helenae functiones exercuerunt in praedicta Ecclesia S. Angeli, et quidem a tempore, cuius initii non extabat memoria, quando ad rem, de qua agebatur, et etiam admissa subiectione Ecclesiae S. Angeli non Ecclesiae parochiali Avenali, sed Ecclesiae parochiali loci Paterni, quae erat in Diaecesi, sufficeret quadragenaria, ut in terminis Ecclesiarum inter se contendentium, aut super pertinentia decimarum, aut super finibus, probat Textus in cap. *Ad aures* de praescriptionibus, et confirmat Textus in cap. *Quia indicate* eodem titulo.

8. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An Ecclesia S. Mariae *dell' Ospedaletto* et S. Sergii sint in et de Diaecesi Auximana, seu potius in Diaecesi Camerinensi? II. An saltem Episcopus Camerinensis possit illas visitare, quatenus sint in Diaecesi Auximana, et quatenus sint in Diaecesi Camerinensi, possint illas visitare Episcopus Auximanus? III. An et quas functiones peragere possit Parochus Ecclesiae parochialis Avenalis in Ecclesia S. Angeli Cryptarum? IV. An pro dictis functionibus peragendis requiratur licentia Episcopi Camerinensis, seu Parochi loci Paterni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Coadiuventur probationes hinc inde, iuxta instructionem – *in Auximana seu Camerinen. Iurisdictionis die 12 Iulii 1721.*

9. Cum autem pro recipiendis probationibus hinc inde afferendis delegatus fuerit

Episcopus S. Severini, eius potissimum opera deventum fuit ad concordiam, reservato Beneplacito Apostolico, cuius tenor hic erat; scilicet quoad Ecclesiam S. Sergii conventum fuit, quod eadem teneretur sub libera et absoluta auctoritate Episcopi Auximani pro tempore, validiores enim urgebant rationes pro situatione huius Ecclesiae in Diaecesi Auximana, et plures erant actus iurisdictionales ab Episcopis Auximanis exerciti in eadem comparative ad alios factos ab Episcopis Camerinensibus; quoad Ecclesiam S. Mariae *dell' Ospedaletto,* cum pro huius situatione in Diaecesi Camerinensi validiores pugnarent rationes, et plures essent actus iurisdictionales exerciti ab Episcopis Camerinensibus comparative ad alios factos ab Episcopis Auximanis, conventum fuit, quod remaneret sub libera dispositione et Auctoritate Episcopi Camerinensis pro tempore. Addita declaratione, quod nihil innovatum censeretur, tum quoad administrationem Sacramentorum, tum quoad exactionem decimarum, et demum quoad omnes alios actus eo usque pacifice exercitos in domibus et familiis, quae sitae erant in viciniis dictarum Ecclesiarum, ita ut, sicuti ante concordiam Curia Auximana et Plebanus Avenalis nonnullos actus exercebant in domibus et familiis sitis, ut dictum est, in viciniis dictarum Ecclesiarum, et consimiles actus exercebantur a Curia Camerini et Parocho Paterni in aliis personis et domibus sitis in iisdem viciniis, sic in posterum iidem omnino actus fieri valerent, Partesque remanerent in eadem possessione, in qua de praesenti reperiebantur. Quoad Ecclesiam S. Angeli Cryptarum, cum eadem citra controversiam sita esset in Diaecesi Camerinensi, conventum fuit, quod omnino pertinere deberet ad iurisdictionem Episcopi Camerinensis pro tempore. Et quia Plebanus et Confraternitas Avenalis, etsi pertinentes ad Diaecesim Auximanam praetendebant, se vigore immemorabilis posse nonnullas functiones exercere in memorata Ecclesia S. Angeli Cryptarum absque necessitate petendi licentiam ab Episcopo Camerinensi, et in probatione dictae immemorabilis nonnullae aderant difficultates, conventum fuit; primo, quod sicuti Confraternitati liberum erat ab Ecclesia discedere, sic liberum esse deberet Episcopo Camerinensi eam a dicta Ecclesia dimittere; secundo, quod persistente Confraternitate in Ecclesia S. Angeli, nec ulla facta eius dimissione ab Episcopo Camerinensi, concederetur ab Ordinario Camerinensi pro temporo quolibet sexennio facultas Confraternitati et Parocho Avenalis seu alteri Capellano et Sacerdoti exercendi in Ecclesia S. Angeli omnes illas functiones, quae eousque adhuc exercitae erant in eadem, comprehensa etiam inter has functiones illa praedicationis de more faciendae Dominica Passionis, nec non facultate, tam quoad Plebanum Avenalis, quam quoad eius Capellanum, excipiendi confessiones sacramentales in dicta Ecclesia, praevia tamen approbatione Episcopi Auximani pro tempore; tertio, quod etiam durante sexennio permissum esse deberet Episcopo Camerinensi suo arbitrio Confraternitatem ab Ecclesia S. Angeli dimittere, sicuti durante sexennio ex suo arbitrio licitum erat Confraternitati a memorata Ecclesia discedere; ultimo, quod si occasione functionum a Confraternitate peragendarum in Ecclesia, ultra Parochum Avenalis et eius Capellanum, alii Sacerdotes a Confratribus invitarentur, ceteris praeferretur Parochus Paterni, cui Ecclesia subdita erat.

10. His mature perpensis, proposito dubio: – An concordia sit confirmanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Pro approbatione concordiae – *in Auximana et Camerinen. Confirmationis Concordiae die 5 Decembris 1722.*

11. Quod si Capitulum ius acquisiverit, ad ipsum, non vero Episcopum, pertinet Ecclesia ruralis cum Eremo et adnexis, nec non eiusdem Ecclesiae directio etiam oeconomica, ac receptio redditionis rationis ab Eremitis, salvo tamen iure Episcopi petendi redditionem rationis a Capitulo *in Hadrien. die 19 Ianuarii et die 16 Martii 1754.*

12. Siquidem Aedicula erat in districtu Civitatis Hadriae S. Mariae Gratiarum dedicata, quam vocabant *la Cona del Poggio.* Eiusdem custodiae et servitio Eremitas praeponere antiquitus solebant Episcopi, ut constabat ex monimentis ab anno 1651 ad annum 1703, ab hoc anno ad ea usque tempora non ab Episcopo, sed a Capitulo et Canoni-

cis Ecclesiae Cathedralis electi et praepositi fuerunt Eremitae. Eo quidem anno Dominicus Carosinus Eremita, cum partim ex propriis bonis, et partim ex collecta stipe, veteri Aedicula disiecta, novam longe ampliorem atque elegantiorem aedificasset, novisque accessionibus auxisset augustam illam veterem domum, in qua habitabant Eremitae, morte urgente, testamentum scripsit, herede instituta Aede, quam reaedificaverat, in eaque Sacrum qualibet hebdomada agi voluit, et metuens, – che per mancanza di assistenza e di custodia di detta Chiesa e di abitazione in questa non vadino in rovina la medesima Chiesa le Cappelle le case la fabbrica i supellettili i mobili i stabili –, deprecatus est – il Rmo Capitolo e Signori Canonici ad eleggere sempre per Cappellani per Priori per Procuraratori e per Eremita persone dabbene e discrete, che a loro pareranno più a proposito –. Capitulum igitur testamentariae huius dispositionis titulo ab anno illo 1703 ad ea usque tempora tum Capellanos aliosque Ministros, tum Eremitas elegit independenter ab Episcopis, qui in alia Civitate Pennensi degebant, solo in Civitate Hadriae existente Vicario Generali, qui unus semper fuit ex Canonicis Ecclesiae Cathedralis Hadriensis. At Episcopus in visitatione anni 1752 ius Capituli, evulgato edicto, in discrimen revocavit.

13. Proposito autem dubio: – I. An et ad quem pertineat Eremus et Ecclesia ruralis sub titulo S. Mariae Gratiarum nuncupata *la Cona del Poggio* cum suis adnexis posita in pertinentiis Civitatis Hadriae, eiusdemque Eremi et Ecclesiae directio etiam oeconomica ac receptio redditionis rationis ab Eremitis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 ianuarii 1754 responsum tulit: – Ad primum, spectare ad Episcopum –. At reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, praevio recessu a decisis, spectare ad Capitulum, salvo iure Episcopi petendi redditionem rationis a Capitulo – *in Hadrien. die 16 Martii 1754.*

14. Itaque dominium Ecclesiae ruralis cum adnexis ad Seminarium spectat, si satis constet de ipsius unione eidem facta, unde claves esse debent penes Custodem sumptibus Seminarii retinendum, et Parochus nonnisi functiones parochiales ibi peragere potest, nec non arbitrio Episcopi permittenda est intra eam eleemosynam collectio *in Feretrana die 9 Iulii 1796.*

15. Enimvero ruralis Ecclesia S. Antimi, in Beneficium simplex erecta, posita erat in territorio Civitatis S. Leonis, iuxta sacram Feretrani Episcopi visitationem anni 1644, sed intra fines Paraeciae S. Blasii Castri Maioli, secundum assertionem Sacerdotis Petri Camagli eiusdem Ecclesiae Archipresbiteri, per Testes comprobatam. Quae fuerit illius erectio, ignorabatur, ob corruptum ex passis ruinis archivium Maioli. Quantum vero antiquitatis tenebrae permittebant, ex nonnullis Feretrani Seminarii iuribus ac documentis arguere licebat, ei olim unitam fuisse. Si vero fides praestanda esset Testibus ab Archipresbitero Camagli productis, retinuit ipse post suos decessores claves Ecclesiae eique adnexae domunculae, et praeter parochiales functiones, celebrare ibi consuevit anniversarium festum S. Antimi, ac Sacramenta Poenitentiae et Sanctissimae Eucharistiae ministrare ad plenariam lucrandam indulgentiam, quae eadem ditata erat Ecclesia. Circa annum tandem 1790 ad se Rector Seminarii possessionem revocavit Ecclesiae, ecclesiasticas in ea expleri curavit functiones, locavitque adnexam domunculam. Atque hinc prohibuit Feretranus Episcopus eleemosynarum collectionem, quae sub Archipresbitero fieri solebat in Ecclesia. Laesa autem autumans Archipresbiter tum sua, cum populi iura, ob ademptam facultatem celebrandi in eadem Ecclesia sacras functiones, et colligendi in necessarios sumptus eleemosynas, praetensa gravamina Summo Pontifici exposuit. Episcopus Rectori Seminarii favit.

16. Propositis itaque dubiis: – I. An et ad quem pertineat dominium Ecclesiae S. Antimi adnexae domunculae et bonorum Beneficii in casu etc. II. An et quomodo liceat Parocho peragere in eadem Ecclesia sacras functiones in casu etc. III. An sit permittenda eleemosynarum collectio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative quoad functiones parochiales tan-

tum, traditis clavibus a Custode, sumptibus Seminarii retinendo. Ad tertium, arbitrio Episcopi – *in Feretrana die 9 Iulii 1796.*

17. Hinc Ecclesia ruralis quoad iura parochialia tantum subiecta est respectivo Parocho, cum potissimum adsit Populi necessitas nec non consuetudo immemorabilis *in Firmana die 8 Augusti 1772.*

18. Siquidem intra limites Parochiae, quae unica erat in Castro Massiniani, aderat ruralis Ecclesia in honorem Sanctorum Felicis et Adaucti splendide erecta. Adnexus erat eidem Ecclesiae titulus Beneficii simplicis, cuius Rector ad Ecclesiae cultum duos retinebat Capellanos, quarum alter ibi quotidie celebrabat, ac Sacramentum poenitentiae ministrabat, alter celebrabat et applicabat diebus tantum festivis. Parochus itaque contendit, sibi ius esse exercendi iura parochialia, tum praesertim ob Populorum necessitatem, qui hiberno tempore Parochialem adire nequibant, tum etiam vigore immemorabilis consuetudinis, de qua Testes sacrarum visitationum libri et parochiales codices fidem perhibebant. Proposito hinc dubio: – IV. An eadem Ecclesia Sanctorum Felicis et Adaucti sit subiecta Parocho Massiniani, ita ut dictus Parochus valeat in ea parochialia iura exercere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, Affirmative quoad iura parochialia tantum – *in Firmana die 8 Augusti 1772.*

§. I.

ECCLESIA CATHEDRALIS QUOAD AEDIFICATIONEM ET REPARATIONEM

1. Ecclesiae Cathedralis formam disponere potest Archiepiscopus ad decentiorem illius ornatum, etiam cum Altarium destructione, et remotione impedimentorum *in Leopolien. die 27 Augusti 1763* (1).

2. Nam et onus primarium reparandi Ecclesiam Cathedralem de iure est Episcopi, qui Ecclesiae suae ut sponsus consulere debet, Can. 10 caus. 10 quaest. 1, quem exornant Frances de eccles. cathedr. cap. 13 n. 31, Bellett. disquisit. cleric. tit. de cleric. debit. §. 13 n. 12, Barbos. de iur. eccles. cap. 4 n. 9, Albert. de sacr. utens. cap. 12 n. 57, Bened. XIV de synod. diaeces. lib. 7 cap. 2 n. 3 *in Ariminen. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 19 Septembris 1789* §. *Episcopo.*

Item *in Recineten. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 29 Iunii 1837* §. *Verumtamen.*

3. Siquidem in Congregatione particulari a Summo Pontifice deputata in Causa Alben. Sacrorum Rituum ac Regiminis Ecclesiae proposito dubio: – LIII. An Episcopus teneatur reparare Cathedralem? –, Sacra illa Congregatio die 19 septembris 1710 respondit: – Ad quinquagesimum tertium, Affirmative prout de iure, arbitrio et conscientiae Episcopi – *in Terracinen. et Setina die 23 Novembris 1771* §. *Ad.*

4. Hinc multo magis ad Episcopum pertinet onus reparandi Ecclesiam Cathedralem, si ei illud expresse fuerit iniunctum in Literis Apostolicis, licet ad alium Episcopatum sit translatus, vel Episcopatum dimiserit, cum ipse, non vero modernus Antistes, ad restaurationes, quas perficere neglexit, de iure teneatur *in Balneoregien. Ecclesiae Cathedralis die 17 Augusti 1776 die 28 Augusti 1779 die 18 Decembris 1790 et die 28 Maii 1791.*

5. Iamvero Innocentius XII Ecclesiam Cathedralem S. Donati et Ecclesiam Collegiatam S. Nicolai suppressit, exindeque in simplicem Parochialem convertit Ecclesiam S. Donati, et alteram S. Nicolai sub invocatione Sanctorum Donati et Nicolai in novam Cathedralem erexit; et Capitulares utriusque Ecclesiae in Canonicos novae Cathedralis Ecclesiae suis distinctis Praebendis constituit, onere tantum ipsis iniuncto manutenendi Sacristiam. Anno 1698 Balneoregiensi vacante

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Altare*, n. 68 ad 71, Tom. I.

Ecclesia, cum ad Episcopatum Uldericus Nardi fuerit evectus, in Literis Apostolicis expressum fuit onus eidem iniunctum, – quodque tenearis quotannis deponere in Monte Pietatis Civitatis Balneoregiensis scuta 300 monetae Romanae ad tui dispositionem una cum dilectis filiis Capitulo et Canonicis, qui invigilare debeant pro Ecclesiae Cathedralis et domus Episcopalis Balneoregiensis reparatione, donec et quousque fuerint reparatae, alias fructus tuos non facias –. Eo vita functo, Episcopo Elisei successori anno 1705 eadem lex in Literis Apostolicis fuit indicta. Successor autem cum fuerit anno 1722 Episcopus Pini, Capitulares Cathedralis Ecclesiae anno 1741 institerunt penes Sacram Congregationem pro neglecta Cathedralis Ecclesiae manutentione: sed quaestio siluit, cum idem Episcopus manutentioni Ecclesiae incubuerit. Sequuto postmodum eius obitu, promotus extitit Episcopus Baldassini, qui post decennium, cum ad Episcopatum Aesinum fuerit translatus, Balneoregiensis Ecclesia moderno Antistite Iosepho Aluffi provisa fuit. Is utilitati ac manutentioni suae Ecclesiae incumbens cum viderit, dispersa fuisse animalia pertinentia ad Mensam Episcopalem, iudicialiter institit pro deficientium animalium reintegratione, obtinuitque mandatum executivum adversus antecessorem Episcopum. Ulterius modernus ipse Balneoregiensis Antistes, cum Episcopium collapsum rurales domos pene dirutas eamdemque Cathedralem Ecclesiam adeo fatiscentem ac deturpatam invenerit, ut pro necessariis restaurationibus ingentem summam impendere deberet, id tantum culpae et negligentiae praedecessoris Antistitis tribuendo, eumdem in ius vocavit coram A. C. pro reintegratione damnorum. Electi hinc inde iudiciales Periti retulerunt, restaurationes Cathedralis Ecclesiae omnino necessarias ascendere ad summam scutorum 423 90, deteriorationes vero tam urbanarum, quam rusticarum domorum ascendere ad alteram summam scutorum 124 40. Quum Causa quoad restaurationem Cathedralis iam ab anno 1741 delata esset ad Sacram Congregationem, Iudex, reservato iure agendi pro summa scutorum 423 90, Episcopum Baldassini ad solutionem scutorum 124 40 damnavit.

6. Propositis itaque dubiis: – I. An et quae restaurationes et reparationes necessariae fuerint in Ecclesia Cathedrali in casu etc. II. An et ad quem illarum onus pertineat in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad formam peritiae. Ad secundum, spectare ad Episcopum Baldassini, dempto eo, quod exactum fuit ex gratia Sanctissimi, iuxta liquidationem faciendam coram D. Secretario – *in Balneoregien. Ecclesiae Cathedralis die 17 Augusti 1776.*

7. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis ad utrumque, et amplius – *in Balneoregien. Ecclesiae Cathedralis die 28 Augusti 1779.*

8. Hinc Praesul Aluffi novum fere in decentiorem formam designavit aedificium, pro quo haec habuit subsidia: remissionem annuae pensionis scutorum centum super eius Mensa, scuta 60 ex redundantibus fidelium largitionibus pro celebratione festivitatis S. Bonaventurae, scuta 1565 80 ex eleemosynis dimidiis annatis mulctisque, seu iuxta calculum Aluffi scuta 1422 70, arbores ex bonis Mensae per rescriptum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, gratuitam Civium operam, nonnullas Capituli domunculas, cuiusque Capellae sumptum a Patronis, ac sub assertione tantum, quod scuta in opus impendere deberet circiter 5000, indultum a s. m. Clemente XIV obtinuit testandi. Sive substructionum vitio, sive fragilitate materiae, sive Architecti errore, fatisci ceperunt novae Ecclesiae fornices et tecta. Idcirco Sacrae Congregationi supplicavit Balneoregiense Capitulum, ut Episcopum compelleret ad Ecclesiae reparationem. Emus Cardinalis Antamorus Visitator Apostolicus Balneoregiensis Ecclesiae ex ore fabri murarii dixit, – imminens non esse periculum, nisi in casu terrae motus, vel copiosae nivis super tecto, ceterum reparationi locum esse, ne ruina (Ecclesiae) non longe metuenda contingat –; expensam vero ascendere. – non ad scuta 1425, ut aiunt Periti a Capitulo exhibiti, sed ad scuta 578, 30 –. Hinc Sacra Congregatio iussit praefigi terminum – arbitrio Emi Visitatoris tam Episcopo, quam Capitulo ad dedu-

cenda iura sua in Sacra Congregatione –, addita clausula, – et in casu necessitatis Emus Visitator provideat, prout de iure –. Dimisso interim per Praesulem Aluffi Episcopatu, reparationum necessitatem per Architectum Iosephum Antolini novit successor Episcopus Cordella; ipsoque propterea urgente, die tandem 29 augusti 1789 rescripsit Sacra Congregatio, – reparationem, de qua in precibus, conficiendam esse pro nunc et per modum provisionis sumptibus Mensae Episcopalis, etiam per creationem et impositionem census, reservato iure contra quem seu quos de iure –. Vigore igitur huiusce Rescripti sub foenore accepit Episcopus scuta 800, operique admotae sunt manus. Ut de confectis vero conficiendisque constaret reparationibus, aedificium describi mandavit Sacrae Congregationis Secretarius ad instantiam Capituli, et ita in contumaciam Praesulis Aluffi, praesente tamen eius Architecto Iosepho Viscardi, factum est constititque ex relatione Peritorum Episcopi et Capituli de reparationum necessitate et qualitate.

9. Ad probandam itaque reparationum necessitatem, relationes urserunt Promotor Fiscalis Curiae Balneoregiensis et Capitulum fabri murarii ab Emo Cardinali Antamoro deputati Architecti Antolini et Peritorum iudicialium, qui singula etiam in fornice et tecto ex deteriori structura fragilique materia notarunt vitia. Sub fide contra Architecti Ceccarelli, qui fabricae praefuit, ac unius et alterius fabri murarii, qui operam in ea praestiterunt, suadere contendit Praesul Aluffi firmitatem operis, suamque solicitudinem pro recta illius confectione. At huiusmodi extraiudiciales relationes praeferri non poterant iudicialibus, ex L. *Si irruptione* ff. de fin. regun. Sustinuit insuper Praesul Aluffi, se ab onere reparationum solutum per dimissionem Episcopatus, fructuarii instar, qui rem post dimissum usumfructum reficere non debet. Eoque minus ad reparandum aedificium damnari posse censuit, quia optimum ipse per Deputatos Architectum Peritosque murarios curavit onus, omnique vacavit culpa, quae in refectione damni requiritur. Contra vero advertebatur, Praesulem Aluffi ad Ecclesiam Cathedralem reparandam teneri, quia fatiscere cepit ante dimissionem Episcopatus, isque fuit causa, cur prae nimia parsimonia materiaeque fragilitate in praeceps iverit aedificium. Nam vix operis pretium in scutis constituebatur 5000, quot Praesul ipse ad impetrandum indultum testandi impendere debere dixit, et ex relatis subsidiis fortasse collegit. Erronea vero affirmabatur peritia Ceccarelli de maiori impensa scutorum 13048 62, et cum Emo Antamoro notabatur, – quod quanta fuerit expensa ab eodem Rmo Episcopo de proprio erogata, sive quanta in aedificatione erogata sit, nunquam scire possibile fuit, utpote per peritias sui arbitrio factas ingentem summam erogasse vocitavit et vocitat –. Impossibilis immo dicebatur huiusmodi summa reditibus Balneoregiensis Episcopatus, de quorum tenuitate questus semper fuit Aluffius, qui indultum de cetero impetravit, ut de illis testamento disponeret. Maximi tandem momenti erant resolutiones annorum 1776 et 1779, ut eodem ipse iure ad reparationis sumptum damnaretur, quo adversus heredes eius decessoris Baldassini obtinuit, ad Textum expressum in L. 1 ff. quod quisq. iur. in alter. stat.

10. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et de quarum restaurationum ac reparationum tam factarum, quam faciendarum in Ecclesia Cathedrali necessitate constet in casu etc. II. An et ad quem illarum onus pertineat in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad formam peritiae Termini deputati ab Emo Visitatore. Ad secundum, spectare ad R. P. D. Aluffi pro summa contenta in peritia Termini – *in Balneoregien. Ecclesiae Cathedralis die 18 Decembris 1790.*

11. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius – *in Balneoregien. Ecclesiae Cathedralis die 28 Maii 1791.*

12. Idcirco si Episcopus plures habeat Cathedrales Ecclesias simul unitas, et quarum altera restaurationibus indigeat, cuius tamen reditus vix ad congruam eius sustentationem sufficiat, quin autem dignoscatur quantitas redituum aliarum Ecclesiarum, ante omnia firmandus est status totius Mensae Episcopalis, ut resolvatur, an ad restauratio-

nem teneatur *in Terracinen. et Setina die 14 Decembris 1771.*

13. Siquidem Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis dixit, reditus Mensae Episcopalis Setinae sufficere ad congruam Episcopi sustentationem, qui proinde ad restaurationem Ecclesiae Cathedralis non tenebatur. Ceterum sustinuit, Episcopum, non obstante redituum tenuitate, plures sumptus in eam causam erogasse, Canonicos vero onus agnovisse ipsis inhaerens restaurationis Ecclesiae, dum organa ex veteri loco ad alium commodiorem paullo ante propriis expensis transtulerant. Advertebatur tamen, eumdem Episcopum praeesse simul Ecclesiis Terracinen. Privernen. et Setinae, et ex singulis fructus ad sui sustentationem retrahere, neque ullam urgere necessitatem, ut ex reditibus tantum Mensae Episcopalis Setinae sustentaretur: at de quantitate redituum Mensae non constabat. Proposito hinc dubio: – V. An et qui teneantur restaurare Ecclesiam Cathedralem resarcire organa aliaque facere ad Ecclesiae fabricam pertinentia in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quintum, dilata; et firmetur status redituum Mensae Terracinen. Privernen. et Setinae, iuxta instructionem – *in Terracinen. et Setina die 14 Decembris 1771.*

14. Nam ad reparationem Ecclesiae Cathedralis indubia res est, teneri Episcopum, dummodo mensae Episcopalis reditus suppetant, et ipsa Ecclesia specialibus pro fabrica reditibus sit destituta, neque contraria adsit legitima consuetudo, vel statutum *in Terracinen. et Setina die 23 Novembris 1771* §. *Ad.*

Item *in Balneoregien. Ecclesiae Cathedralis die 27 Iunii 1776* §. *Sustinet.*

15. Quapropter ad Capitulum spectat onus reparationis Ecclesiae Cathedralis, si distinctos pro fabrica Ecclesiae habeat reditus, si ad eam reparandam teneatur ex statuto, et si reparare consueverit, Benedict. XIV art. 100 a n. 19, Schmalzgrueber in ius can. lib. 3 tit. 48 §. 2, Kirm. in lib. 5 Decret. quaest. 30 n. 263, Engel. in lib. 3 Decret. tit. 48 n. 8, Amostaz de caus. piis de eccles. aedif. cap. 6 n. 17, Frances de eccles. cathedr. cap. 13 a n. 2 *in Ariminen. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 19 Septembris 1789* §. *Episcopo.*

16. Enimvero Episcopus Ariminensis contendit, Capitulum reficere debere Ecclesiam Cathedralem ex reditibus Mensae Capitularis, cum distincti essent reditus fabricae. Plura enim anno 1070 Capitulari Mensae donavit bona decessor Episcopus Opitius, priusquam laberetur in schisma. Inductae fuerunt anno 1329 primae Canonicorum annatae – pro fabrica et ornamentis Ecclesiae Cathedralis –. Alia Capitulo accesserunt bona anno 1366, ex donatione Episcopi Giraldi; aliaque plura decimo quinto et decimo sexto seculo, ex munificentia Summorum Pontificum Callisti III Pii Pauli et Iulii II. Haud tenue ei legatum reliquit anno 1544 Hieronymus de Utilibus – pro fabrica Ecclesiae –. Laudemiorum medietas destinata fuit anno 1585 – pro paramentorum et aliarum rerum ecclesiasticarum necessitate et fabrica –. Et in manutentionem fabricae medias a Constitutione Benedicti XIII exigebat annatas. Quae omnia annuum ultra Praebendas constituebant reditum scutorum circiter 1000. Ad confirmandam huiusce reditus destinationem in fabricam Ecclesiae nonnullas Episcopus protulit ipsius Capituli confessiones. Nam anno 1337 locarunt Canonici bona, – propter reparationem Ecclesiae maioris –. Ex hoc impugnarunt anno 1662 coram Sacra Congregatione augmentum emolumenti Mansionariis, quod redundantes eorum Mensae reditus – sono ipotecati per Decreto di codesta Sagra Congregazione in riparazione della Chiesa –. Et anno tandem 1680 vindicarunt coram Tribunali R. Fabricae legatum scutorum bis centum in ornamentum Baptisterii Ecclesiae. Idemque onus fassi videbantur in supplici libello, quem ante hanc motam litem Summo Pontifici dederunt. Praeter distinctos fabricae reditus, adesse dixit Episcopus Statuta Constitutiones resque iudicatas, quae eius manutentionis onus – in Capitulum reiiciebant. In antiquis Ariminensis Ecclesiae Constitutionibus anni 1520 quotidianas ex additis reditibus auxerunt Canonici distributiones, – supportatis prius et deductis et factis aliis expensis congruis opportunis et necessariis pro conservatione et manutentione Ecclesiae nostrae et aliorum nostrorum Beneficiorum –. Posterioribus quoque Constitutionibus anni 1651 sancitum fuit, pecuniam solvi solitum in ingressu a Praeposito erogari debere – per ornatum

Sacristiae et Altarium nec non pro reparatione Ecclesiae et organorum –. Visitationum accedebant Decreta. Sub poena scutorum viginti quinque fabricae Ecclesiae reparationem Canonicis demandavit anno 1571 Feretranus Episcopus Apostolicus Visitator. Hoc ipsum paullo post iussit Ariminensis Episcopus Parisanus, deindeque annis 1637 1650 et 1659 successores eius Episcopi Caesius Sfortia et Gallus, quin unquam Canonici reclamaverint. Occasione demum Visitationis sacrorum Liminum rescripsit Sacra Congregatio anno 1633 ad Episcopum Caesium, superextantes Mensae Capitularis reditus erogandos esse – in necessitates Ecclesiae et Ecclesiarum eidem adnexarum earumque fabricae nec non in manutentionem praediorum –. Idque in novissimis etiam sacrorum Liminum Visitatione anni 1785 confirmavit. Hinc et observantia concurrebat. Nam Ecclesiae Sacrarium perficere velle declaravit Capitulum anno 1282. Subministrationem anno 1294 impetravit a Generali Caelestini V Vicario in reparationem Ecclesiae. Tintinnabulum construi fecit anno 1494. Dum iussu Clementis VIII activum et passivum exhibuit Capitularis Mensae statum, inter expensas retulit scuta 80 – per la riparazione della Chiesa Cattedrale – Iterum et tertio annis 1639 1640 1641 in passivo statu retulit expensas, – per riparazione di detta Chiesa Cattedrale –. Contractum iniit anno 1695 super huiusmodi reparatione cum Fabro murario. Et si credendum erat Testibus de auditu etiam a maioribus, unum semper Capitulum Ecclesiam reparavit. Nunquam contra Episcopi onus hoc subierunt, ut moderni Antistitis Oeconomus domusque Praefectus, et qui Ariminensi Sede vacante spolia collegit ex perquisitis libris deponebant. Pervetusta quidem erant facta Episcoporum Castelli et Sforza: sed modernus notavit Antistes, alterum ex illis nonnullas Capellas chorumque simpliciter ornasse, alterum Ecclesiam liberalitatis causa post dimissum Episcopatum reparasse.

17. Canonici contra affirmarunt, universa quaesiisse bona ex largitionibus Episcoporum et Summorum Pontificum absque obligatione conservandi fabricam Ecclesiae. Donavit Episcopus Opitius, ut eorum consuleret – victui –. Alia Episcopus Geraldus anno 1366 cessit bona – in plenum ius et dominium Capituli –. Providas eorum aliorumque Antistitum largitiones confirmarunt Innocentius Alexander Lucius Clemens Caelestinus III, ut bona conservarentur integra – pro vestris (Canonicorum) usibus –, vel – pro sustentatione –. Plures Capitulo accesserunt Ecclesiae Beneficia Prioratus ex munificentia Eugenii IV Callisti III Pauli et Iulii II, sed ad augendas quotidianas distributiones divinumque cultum, atque ut – Canonici commodius sustentari, et Capellanis pro eorum manutentione de necessariis provideri possent –, nullo iniuncto onere fabricae. Qua de re inductam affirmarunt Canonici per Constitutionem anni 1540 partitionem redundantium redituum seu – divisibilium –. Abrogatam censuerunt Constitutionem anni 1329 circa primam annatam ex posterioribus Constitutionibus anni 1414, in quibus nulla huiusce annatae fiebat mentio. Legatum de Utilibus librarum 3100 seu scutorum 561, quod in proprios usus impenderat Capitulum, erogari mandavit Sacra Poenitentiaria – in necessitates dictae Ecclesiae nec non emptionem aliquorum bonorum –, ita ut tenues esse possent huiusce investimenti fructus. Quod ex laudemiis in causam etiam fabricae destinatum apparebat anno 1585, de paramentis dumtaxat intelligi debere contenderunt Canonici. Adverterunt insuper, semiannatas exigere non posse Cathedrales, – in quibus reperitur onus seu particulare patrimonium fabricae sufficienter instructum –, ut ex celebri Constitutione Benedicti XIII: eas autem exigebat Capitulum, et in fabricam impendebat Ecclesiae; ergo nullum habebat particulare patrimonium, ex quo illius onus subiret. Nec fabricae verbum in antiquissimis Constitutionibus anni 1414 reperiri dixerunt; et posteriores anni 1520 intelligendas de simplici manutentione divini cultus et Ministrorum Ecclesiae, ac revocatas per eas fuisse anteriores Constitutiones in haec verba: – Revocamus cassamus et annullamus in totum et in qualibet sui parte ultimam et novissimam Constitutionem factam per b. m. Episcopum Bonadies anno Christi 1514 –. Ac novissimae Constitutiones anni 1561, quibus consultum etiam fuerat – reparationi Ecclesiae et organorum –, eam ad simplicem restrinxerunt – ornatum Sa-

cristiae et Altarium –, iuxta antiquiores illas anni 1414. Decreta praeterierunt Visitationum: et rei iudicatae vires non habere putarunt Sacrae Congregationis Rescripta annorum 1633 et 1785, quum ad postulationem prodierint Episcoporum, inaudito Capitulo. Quoad autem consuetudinem dixerunt, quod consuetudo, ubi est – adversativa iuris dispositioni, exigit probationem in contradictorio iudicio stabilitam –, de qua his verbis Rota in Anconitana Reintegrationis et Reductionis in pristinum 16 aprilis 1754 coram Vicecomite. Talem non esse affirmarunt, quae ex minimis desumebatur reparationibus, vel ex distincto legati de Utilibus et semiannatarum deposito, vel ex mera suorum Decessorum liberalitate expletis, ob quam Episcopus Bonadies dixit: – Non cessant pro restauratione Ecclesiae et reductione in meliorem formam et magis ornatam manus nobis porrigere adiutrices –; nec satis probari ex Testibus, sive Episcopi servitio addictis, sive de rebus levissimis deponentibus, vel ex passivo Capituli statu anni 1594, quem inter informes Episcopalis Cancellariae chartulas reiiciebant. Contrariam immo probarunt consuetudinem ex insignibus Ecclesiae reparationibus, quas Ariminenses fecerunt Episcopi Ubertini Bonadies Castelli Sforza Galli Corsi.

18. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An a quo et ex quibus bonis sit facienda reparatio Ecclesiae Cathedralis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, reparationem Ecclesiae Cathedralis esse faciendam a Capitulo, ex reditibus Mensae Capitularis – *in Ariminen. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 19 Septembris 1789.*

19. Quum itaque Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Asculanae urgeret exequutionem Decretorum Episcoporum Monti et Gambi, qui in sacra Visitatione Canonicis interdixerunt, ne fabricae reditus in proprios eorumque Feudi Maltineani usus converterent, proposito dubio: – IV. An sint servanda et exequenda Decreta sacrae Visitationis Episcoporum Philippi Monti de anno 1673 et Gambi de anno 1714 quoad expensas respicientes Castrum Maltineani in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 iulii 1788 respondit: – Ad quartum, Affirmative –. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis a quarto dubio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quartum, dilata; et proponatur particulariter sub congruo dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 30 novembris 1673 quoad expensas Castri Maltineani? – *in Asculana die 7 Februarii 1789.*

20. Unde quoad reparationem Cathedralium etiam consuetudinem attendendam esse docent Frances in cap. 13 de reparat. seu renovat. Cathedr. n. 9 et 13, Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3 allegat. 64 n. 5 *in Reatina Mediae Annatae die 16 Maii 1789* §. *Prae.*

21. Idcirco licet Universitas a fundamentis Cathedralem Ecclesiam terraemotum eversam reaedificaverit, cum tamen subinde non satis constaret de consuetudine et reditibus Mensae Episcopalis et Cleri, Sacra Congregatio mandavit, ut coadiuvarentur probationes super praefata consuetudine et praedictis reditibus, sed interim per modum provisionis reparari deberet sine praeiudicio iurium Partium, sumptibus communibus Episcopi et Universitatis *in Aliphana Reparationis Cathedralis Ecclesiae die 21 Augusti 1717 lib. 67 Decretorum.*

22. Siquidem – Universitas Cathedralem Ecclesiam funditus per terraemotum anni 1688 eversam in ampliorem melioremque formam a fundamentis reaedificavit, et ad instantiam dictae Universitatis Sacra haec Congregatio die 15 martii 1692 mandavit, ut Canonici denuo officia divina in dicta Cathedrali persolverent: dilata tamen exequutione dictae resolutionis, eadem Universitas ex Decreto Concilii Provincialis Beneventani, annuente Episcopo, obtinuit, ut Emus Card. Ursinus nomine Concilii Cathedralem visitaret, et subinde super expositis provideret. Emus Visitator plura per Universitatem perfici ad necessitatem et congruum Ecclesiae ornatum decrevit, et cum ea omnia Universitas exequutioni demandaverit, tria in hac Sacra Congregatione dubia proposuit die 24 ianuarii 1705: « I. An Canonici Cathedralis Ecclesiae Aliphanae teneantur redire et quotidie officiare in eadem Ecclesia Cathedrali? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo

cogendi? III. An et quis teneatur ad reparationem dictae Ecclesiae Cathedralis? ». Ad primum haec Sacra Congregatio rescripsit: « Affirmative, et amplius. Ad secundum, Affirmative ad formam Concilii; et Ordinarius certioret de executione. Ad tertium, providebitur suis loco et tempore ». Quare cum Canonici divina officia in Cathedrali celebrent, eiusque tectum cooperiri, et fenestrae vitreis specularibus muniri indigeant, controversia, urgente necessitate, reproponitur. Episcopus tenuitatem redituum suae Mensae non excedentium ducata sex centum probat pluribus Testium fidibus, et relatione Emi Ursini a die 16 ianuarii 1707 ad hanc Sacram Congregagantionem transmissa confirmat: reditus Canonicorum, iuxta statum firmatum ab Emo Ursino in dicta Visitatione, auditis etiam Decurionalibus Universitatis, in tumulis triginta quatuor frumenti consistunt, ita ut vix summam ducatorum viginti quinque attingant. Quare monito Procuratore Universitatis, Episcopus et Canonici supplicant declarari: – An et quis teneatur ad reparationem Cathedralis Ecclesiae? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Coadiuventur probationes super consuetudine et reditibus Mensae Episcopalis et Cleri, et interim per modum provisionis sine praeiudicio iurium Partium, reparetur Ecclesia sumptibus communibus Episcopi et Universitatis – *in Aliphana Reparationis Cathedralis Ecclesiae die 21 Augusti 1717 lib. 67 Decretorum.*

23. Nam ubi aliqua intercedat fundationis lex statutum aut consuetudo, ut alicui personae immineat Ecclesiarum reparatio, eidem legi aut consuetudini parendum est, Engel lib. 3 de eccles. aedif. n. 8, Ferrar. Biblioth. can. verb. Ecclesia n. 68 *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Verum.*

Item *in Fanen. Manutentionis Fabricae Ecclesiae Cathedralis et expensarum die 17 Maii 1828* §. *Ex.*

24. Qua de re antequam Sacra Congregatio resolvat, quis teneatur reficere Ecclesiam Cathedralem, mandat, ut citentur omnes interesse habentes *in Pisauren. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 8 Maii 1762.*

25. Enimvero Statuto Civitatis Pisauri cautum erat, quod processionibus, quae fiebant anniversaria die Assumptionis Beatae Mariae Virginis et in festo S. Terentii, omnes interessent Civitatis et Comitatus ordines, quilibet ad manus deferens candelam, quodque pretium candelarum aliarumque oblationum erogarentur in conservationem et reparationem Ecclesiae Cathedralis. Hanc statutariam sanctionem Decreto suo confirmarunt olim Principes Pisaurenses anno 1511 et anno 1531. Et quaecumqne retroactis temporibus necessariae visae sunt reparationes in Cathedrali faciendae, omnes expletae fuerunt ope dictarum oblationum, quarum curam et administrationem gerebat ipsa Communitas Pisauri. Cum tamen oblationes candelarum, deinceps in exactionem pecuniariam commutatae, aliquando impares essent reparationibus explendis, pecuniam suam in eam causam erogavit Communitas, speciali tamen emissa protestatione consequendi reintegrationem super futuris oblationibus, nullumque assumendi earumdem reparationum onus, ultra modum dictarum oblationum. Orta anno 1737 inter Communitatem et Episcopum controversia, res composita est transactione ad vitam eiusdem Episcopi duratura, qua Communitas, suscepta suo periculo oblationum exactione, certam pollicita est annuam quantitatem scutorum quadraginta monetae Urbini: et Episcopus citra ullam suae Mensae suorumque Successorum praeiudicium onus assumpsit ex dictis annuis quadraginta scutis manutenendi et conservandi Ecclesiam Cathedralem. Antecessoris exemplum haud sequutus modernus Episcopus supplicavit Benedicto XIV, ut vetus controversia decidenda committeretur Emo Cardinali Oddi tunc Urbini legato, unde die 11 februarii 1746 Rescriptum prodiit ex audientia Sanctissimi, quo – Sanctitas Sua remisit benigne preces ad Emum Legatum Urbini, qui officia et auctoritatem suam interponat pro congrua et honesta concordia, ad quem effectum ipsi iniunxit omnes facultates necessarias et opportunas –. Vigore itaque praecitati Rescripti nova inita est transactio die 7 aprilis 1747. Legem initae transactionis servavit Communitas; annuosque proventus erogavit in reparationes ab Episcopo designatas: sed renuens, ob deficientiam pecuniarum, postremae Visitationis Decreto obtemperare, quo Episcopus iusserat nova instrumenta lignea pro sustinendis campanis aptari in turri campa-

naria, imperio Praesidis Provinciae coacta fuit, hos etiam sumptus obire ex pecunia mutuo acceptis. Quare Comes Vattielli nomine totius Civitatis supplicavit Sacrae Congregationi, ut, abrogato Decreto Visitationis, Episcopus damnaretur Communitati restituere pecunias ultra modum oblationum erogatas in reparationem Cathedralis, cum earumdem reparationum onus de iure immineret Episcopo, neque translatum videri posset in Communitatem vigore statuti aut transactionis, quibus gravabantur dumtaxat oblationum proventus. Episcopus vero contendit, antecessores Epicopos nil unquam ex immemorabili consuetudine contulisse, sed Communitatem reparationes explevisse semper ex proventibus oblationum, vel illis deficientibus, aere proprio, sub protestatione consequendi reintegrationem super futuris oblationibus.

26. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Decretum sacrae Visitationis sit moderandum? *Et quatenus affirmative.* II. An Episcopus Pisaurensis teneatur ad restitutionem expensarum per Communitatem factarum pro reparatione Ecclesiae Cathedralis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et dentur nova dubia, ad mentem; citatis omnibus interesse habentibus – *in Pisauren. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 8 Maii 1762.*

27. Post haec, ubi alias congrua non habeantur media, aut minus paria deprehendantur, ac de emendanda Cathedrali Ecclesia agatur, Episcopus quartam partem redituum Mensae Episcopalis, qua praesentium, qua futurorum, in reparationem Ecclesiae impendere, illamque pro tam pio usu servare obstringitur, Can. *Quatuor* 12 quaest. 2, Benedictus XIII in Constit. *Pius et misericors,* Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3 allegat. 64 n. 5, Frances de eccles. cathedr. cap. 13 a n. 16, Ventrigl. in prax. tom. 2 art. 18 n. 7, Rota in Acheruntina Pecuniaria 24 aprilis 1750 §. 3 coram Cortada *in Tolentinaten. Commutationis Voluntatis die 26 Aprilis 1826* §. *Tandem.*

Item *in Fanen. Manutentionis Fabricae Ecclesiae Cathedralis et expensarum die 17 Maii 1828* §. *Ex; in Montis Alti Visitationis sacrorum Liminum die 24 Novembris 1838* §. *Ad.*

28. Quod si huiusmodi quarta non sufficiat, aut illam ob redituum tenuitatem suppeditare nequeat Episcopus, ad Ecclesiam reaedificandam et sarciendam cogendi sunt Canonici et alii, qui in Ecclesia possident Beneficia, Antonell. de regim. Eccles. lib. 1 cap. 2 n. 14 et 15, Sperell. decis. 68 n. 20 *in Fanen. Manutentionis Fabricae Ecclesiae Cathedralis et expensarum die 17 Maii 1828* §. *Ex.*

29. Hinc ex sacrorum Canonum censura ac dudum recepta Ecclesiae disciplina, Doctores ordinem seu quosdam gradus constituunt, quos servari oportet, in reficiendis instaurandisque sacris Aedibus. Si enim Ecclesiae certos designatosque habeat proventus fabricae usui designatos, tunc iidem ad Templum reparandum primo conferendi sunt, Benedict. XIV Inst. eccles. 100 n. 9 *in Terracinen. et Setina die 17 Martii 1781* §. *Quoad.*

Item *in Fanen. Manutentionis Fabricae Ecclesiae Cathedralis et expensarum die 17 Maii 1828* §. *Ex.*

30. Siquidem cautum habetur, quod, non sufficientibus reditibus Fabricae Ecclesiae Cathedralis addictis, primum Episcopus, dein Canonici, deducto ne egeant, ad reaedificandam Ecclesiam contribuere tenentur, postea fabricae applicantur reditus vacantium Beneficiorum, ac tandem totus Clerus, et in subsidium etiam Populus symbolam conferre obstringitur, Barbosa ius eccles. cap. 4 n. 10, Frances de eccles. cathedr. Cap. 12 n. 13 *in Terracinen. et Setina die 17 Martii 1781* §. *Quoad.*

Item *in Tolentinaten. Commutationis voluntatis die 22 Aprilis 1826* §. *Tandem; in Ripana Restaurationis Ecclesiae Cathedralis die 18 Iulii 1835* §. *Verum; in Montis Alti Visitationis sacrorum Liminum die 24 Novembris 1838* §. *Ad.*

31. Unde quoad restaurationem Ecclesiae Cathedralis celebris est Sperellii decisio 68 n. 20, ubi haec habentur: – Si agatur de instauranda Ecclesia Cathedrali, latior distinctio seu graduatio facienda est; nam et hoc casu prius ad portionem pro fabrica destinatam, deinde recurrendum est ad consuetudinem, quibus cessantibus, Episcopus tenetur quartam partem fructuum suae Mensae tam praesentium, quam praeteritorum impendere,

qua non sufficiente, pro fabrica necessaria, non tamen ad ornatum, tenentur Canonici de Praebendis, deducto ne egeant, contribuere, et illis quoque non sufficientibus, possunt ceteri in dicta Ecclesia Beneficiati iuxta vires, et deinde etiam totus Clerus ab Episcopo cum consensu maioris partis Capituli ad contribuendum cogi, et denique in subsidium tenetur contribuere Populus, ita latissime varias antiquorum reassumens opiniones consuluit Boerus cons. 3 per totum, Barbosa cons. 25 vol. 3. Manutentio autem seu reaedificatio Ecclesiae, Aediumque illi adnexarum eodem iure definitur, iuxta Can. *Boni Principis* dist. 96, et firmavit Rota in Constantien. Reaedificationis Ecclesiae 3 martii 1758 §. 7 coram Ratto – *in Terracinen. et Setina die 17 Martii 1781* §. *Quoad.*

32. Qua de re Sacra Congregatio permisit quidem, ut quarta pars redituum applicaretur ad effectum reparandi Palatium Episcopale; sed simul mandavit, ut Nuncius Apostolicus cogeret Episcopum ad illius restaurationem etiam cum bonis propriis *in Bitecten. Reparationis Palatii Episcopalis die 15 Decembris 1703 lib. 53 Decretorum* (1).

33. Si vero propria desint bona, Sacra Congregatio declaravit, reditus fabricae Cathedralis coalescentes ex pretio tertiae partis piscium, qui diebus festis capiebantur in littore Civitatis, posse ab Episcopo applicari in restaurationem Palatii Episcopalis ruinam minitantis, attenta tenuitate redituum Episcopatus, vix excedentium medietatem congruae, a Sacro Concilio Tridentino praescriptae pro Episcopo *in Naulen. die 14 Martii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 458.*

34. Nam si reditus Mensae Episcopalis vix sufficiant ad congruam Episcopi sustentationem, ad Ecclesiae Cathedralis restaurationem non tenetur, Card. De Luca in adnot. ad Concil. Trid. disc. 17 n. 8, Hostien. et Panorm. in Cap. 1 de ecclesiis aedificandis, Barbos. in cap. *Quicumque* de eccles. aedif. n. 5, Bellett. disquisit. cleric. part. 3 de cler. debit. §. 13 n. 12, Piringh. lib. 3 Decret. tit. 48 n. 19, Reiffenst. ibid. n. 28 *in Terracinen. et Setina die 23 Novembris 1771* §. *De.*

Item *in Montis Alti Visitationis sacrorum Liminum die 24 Novembris 1838* §. *Ad.*

35. Unde admonent commendantque vehementer Piringh. lib. 3 tit. 48 n. 15. et Hostien. in Cap. ult. de his, quae a maiori, ne iniquum Episcopali Mensae gravamen inferatur, ac ne suis necessitatibus aliquid subtrahere adigatur Episcopus *in Recineten. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 29 Iulii 1837* §. *Animadvertit.*

36. Idcirco si reditus Mensae Episcopalis deficiant, certum est, compelli posse Canonicos aliosque inferiores Clericos ad Ecclesiae Cathedralis restaurationem *in Terracinen. et Setina die 23 Novembris 1771* §. *Ad.*

37. Hinc Sacra Congregatio, attenta Episcopatus Cleri et Populi paupertate, approbavit et ad viginti quinque annos confirmavit Statutum ab Episcopo et Canonicis Cathedralis editum, quo se iuramento interposito obligarunt ad solvendam certam quotam pecuniae pro una vice tantum, et successive aliam futuris temporibus minorem fabricae Ecclesiae Cathedralis applicandam *in Lucen. Confirmationis Statuti die 27 Maii 1702 lib. 52 Decretorum.*

38. Siquidem – ad subveniendum necessitatibus, quibus praecipue laborat Cathedralis Ecclesia Lucensis, ita ut in maiori sui parte sit proxime collapsura, desit eiusdem Cathedralis claustrum, deficiant ornamenta et necessaria supellectilia ex longitudine temporis consumpta, ac decentia luminaria pro asservatione Sanctissimi Sacramenti, quod ab antiquo noctu diuque publice colitur, aliaque plenius per Episcopum in sua informatione relata, idem Episcopus et Canonici capitulariter congregati de anno 1696 sequens Statutum ediderunt: primo scilicet, quod dictus Episcopus pro principio dictae fabricae construendae ex propriis reditibus et pro una vice erogare debeat, prout se offert, ducatos 4000, et Capitulum 20000 regalia; secundo, quod ex reditibus Episcopatus beneficio dictae fabricae perpetuo debeant remanere applicati ducati 200, solvendi videlicet centum in actu capiendae possessionis, et altera medietas in actu visitationis eiusdem quocumque modo, nec non ex reditibus cuiuscumque Canonica-

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Applicatio*, n. 211 ad 214, Tom. II.

tus et Praebendae ducati 20, ex reditibus vero Canonicatus et Dignitatis insimul unitae ducati 40, et demum ex reditu Praebendae cuiuscumque Rationarii titularis ducati 10, solvendi pariter pro medietate in actu capiendae possessionis, et pro alia medietate in actu vacationis quocumque modo; tertio, quod eidem fabricae solvi debeant annui ducati 25, qui repartiri solent inter Canonicos occasione celebrationis Festi Sancti Froilani; et quarto denique, quod simili modo applicata remanere debeat beneficio fabricae Ecclesiae alia quarta pars fructuum omnium et quorumcumque Beneficiorum totius Episcopatus et Abbatiae Samos pro secundo anno vacationis eorumdem, (cum pro primo anno iam applicata fuerit in perpetuum ex concessione facta per s. m. Clementem VII usque de anno 1525) quod quidem Statutum, ut supra ab Episcopo conditum una cum Capitularibus, fuit postmodum ab eisdem iuratum, reservato tamen Beneplacito Apostolico, quatenus opus sit.

39. Verum cum applicatio redituum, de quibus agitur in secundo et quarto capite editi Statuti, fuerit iam concessa per Summos Pontifices Gregorium XV ad annos quinquaginta, ac postmodum per Clementem IX prorogata ad annos quinque, et per s. m. Innocentium XII ad alios tres annos, quae ultima prorogatio iam expiravit usque de anno 1698, praefati Episcopus et Capitulum preces porrexerunt eidem s. m. Innocentio XII ad effectum obtinendi perpetuam confirmationem praedicti Statuti, illisque ad Sacram Congregationem pro voto remissis, datae fuerunt solitae Literae pro informatione Nuncio Apostolico, per quem commissa praedictorum omnium recognitione Ordinario Astoricensi Viciniori, iste formiter examinari curavit septem Testes, ex quorum depositionibus habetur; primo vere in fabricae beneficium usque adhuc erogatos fuisse reditus supradictos; secundo constare de evidentibus Ecclesiae necessitatibus per Oratores expositis; tertio fabricam nimis insufficientes habere reditus, cum sit debitis maxime gravata; et quarto denique Canonicos Dignitates et Praebendatos quoscumque cogi non posse ad contribuendum aliquam portionem ex propriis reditibus, cum illi vix congruam attingant. Visitataque successive praedicta Ecclesia Cathedrali, ac recognitis iuribus pro parte Capituli exhibitis, tandem dictus Episcopus Astoricensis retulit, vera esse omnia superius recensita, et praecipue circa necessitatem Ecclesiae, ita ut opus sit eam destruere et denuo aedificare, ideoque censet, Oratorum instantiam esse iustitiae consonam. Nuncius autem Apostolicus praedictas Testium depositiones et informationem transmittens inquit, quod per sacros Canones et Sacrum Concilium Tridentinum satis pro manutentione et restauratione fabricae Ecclesiarum Cathedralium provisum esse videtur, nisi in praesenti casu aliquam exceptionem praebeat paupertas Episcopatus Cleri et Incolarum Civitatis Lucensis. His igitur in facto praehabitis, EE. VV. erit decernere: – An Statutum, de quo agitur, sit confirmandum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Firma et exequuta obligatione, pro confirmatione ad annos viginti quinque – *in Lucen. Confirmationis Statuti die 27 Maii 1702 lib. 52 Decretorum.*

40. Nec dubium inesse videtur quod, qui sartam tectam Ecclesiam servare tenentur, illi etiam sumptus necessarios facere debent pro iis omnibus, quibus Templum praeditum sit oportet, nedum ad tuendam conservandamque fabricam, verum etiam ad ornandam Ecclesiam, et ad cetera comparanda, ut in illa sacrae functiones decore peragi queant, Panimol. decis. 6 adnot. 8 n. 9, Bellet. disquisit. cleric. de cleric. debit. §. 13 n. 13, Frances de eccles. cathedr. cap. 20 n. 40, Rota in Lucana Restaurationum 21 iunii 1765 §. 4 coram Herreros, et in Leodien. Reparationis Turris 18 februarii 1778 §. 4 coram Azedo *in Fanen. Manutentionis Fabricae Ecclesiae Cathedralis et expensarum die 17 Maii 1828 §. Ex.*

41. Quum autem plures exortae fuerint controversiae circa Ecclesiae Cathedralis Ripanae restaurationem, propositis dubiis: – I. An et quomodo Episcopi Ugolinius Monacellius et Canestrarium ad Ripani Cathedralis Templi instaurationem conferre debeant summas a Ripano Magistratu expetitas in casu etc. II. An R. P. D. Ugolinius adigendus sit ad rationum redditionem in casu etc. III. An Episcopus Monacellius praeterea te-

neatur rependere favore Ecclesiae Ripanae scutata 136, quibus deterior eius conditio facta dicitur in casu etc. IV. An nomine reparationis demandatae in Brevi Apostolico unionis Abbatiae Sanctorum Felicis et Adaucti veniat etiam ornatus Ecclesiae, adeo ut ad ornatum Cathedralis procurandum adigendi sint Ripani Episcopi in casu etc. *Quatenus vero ad priora dubia negative.* V. An a quo et quomodo sit restauranda Ecclesia Cathedralis Ripana in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata ad primam post aquas, et interim sumptibus Communitatis removeantur aquae in parietes Ecclesiae profluentes, et notificetur Domino Praesuli Provinciae, et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo ad mentem – *in Ripana Restaurationis Ecclesiae Cathedralis die 22 Augusti 1835.*

42. Hinc Sacra Congregatio quandoque mandavit, ut servaretur concordia, quam Congregatio particularis proposuit et Summus Pontifex probavit, ut omnes quaestiones inter Capitulum et Episcopum exortas quoad sumptus pro restauratione et manutentione Ecclesiae Cathedralis e medio prorsus tollerentur *in Fanen. Manutentionis Ecclesiae Cathedralis et expensarum die 17 Maii et die 20 Septembris 1828.*

43. Enimvero exorta inter Fanensem Antistitem et Capitulum Cathedralis Ecclesiae controversia super expensis pro instauranda eiusdem Ecclesiae fabrica ac pro comparandis tuendisque rebus, quibus Ecclesiam instructam esse oportet, ut divinus in ea cultus exerceretur ac merito domus Dei refulgeret nitore, Summus Pontifex Leo XII, flagitante Episcopo et annuente Capitulo, ad eam dirimendam peculiarem Congregationem tribus S. R. Ecclesiae Cardinalibus e gremio Sacrae Congregationis compositam delegavit. Unde eiusdem Congregationis iudicio die 16 ianuarii 1826 subiecta fuerunt duodecim dubia a Partibus concinnata. Verum S.Congregatio rescribendum censuit: – Dilata, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo ad mentem: mens est, ut delegetur Emus D. Cardinalis Testaferrata Episcopus Senogalliensis cum facultatibus Apostolicis ad effectum verificandi reditus Mensae Episcopalis Fanensis Sacrarii et Canonicorum, tum quoad massam Capitularem, tum quoad Praebendas et distributiones, nec non curandi amicabilem transactionem, qua in futurum quaestiones omnes penitus eliminentur, et idem Emus in quocumque eventu referat ac sententiam suam aperiat. Interea incunctanter verificet et expleri iubeat reparationes urgentes, quibus fabricam Ecclesiae Cathedralis indigere compererit, ac mandet per modum provisionis et absque praeiudicio iurium utriusque Partis sumptus suppleri pro duabus partibus a Mensa Episcopali, ac pro alia tertia parte a Capitulo et Sacrario, facta eidem Emo potestate creandi debitum pro summa necessaria, si opus fuerit, illudque pro rata, ut supra, bonis respective imponendi –. Emus Card. Testaferrata concreditum munus libenter gerendum suscepit, ac omni solicitudine Partes ad optatam transactionem adducere studuit. Cum vero concordiae conditiones tum ab Episcopo, tum a Capitulo prolatae longe dissiderent, retulit idem Emus, nihil inter Partes fuisse statutum, et praefatas conditiones ad Sacram misit Congregationem. Quamobrem denuo coacta peculiari Congregatione, eademque rursus proposita controversia, die 27 novembris 1826 Rescriptum prodiit: – Sacra Congregatio particularis, re mature discussa, censuit consulendum Sanctissimo pro approbatione concordiae, iuxta sequentes articulos: I. Integrum maneat Episcopo onus persolvendi stipendium Concionatori tam in Adventu, quam in Quadragesima, ac supplendi expensas pro lotione pedum feria V in Coena Domini, etiam absente Episcopo; item pro festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis aliisque extraordinariis functionibus ab Episcopo indicendis, iis tantummodo exceptis, quae pro publica necessitate praecipiantur; 2. Nova organa Episcopi sumptu, attenta etiam spontanea eius oblatione, comparentur; et cum primum fieri possit, perficiantur, onere tamen imposito Sacrario eadem in posterum manutenendi; 3. Pro reliquis vero expensis, de quibus actum est in duodecim dubiis a Partibus concinnatis et coram Sacra Congregatione propositis, Episcopus scuta sexaginta in singulos annos fabricae et Sacrario Cathedralis persolvet; ac vicissim Capitulum omnibus in iisdem dubiis contentis praesertim ordinariae tuitioni Ecclesiae et annexorum pro-

spicere tenebitur; 4. Capitulum de erogatione redituum Sacrarii et Fabricae rationem quotannis reddat Episcopo. Quo vero de oneribus ad Sacristiam et fabricam spectantibus decerni possit atque ab iis distinguatur, quae Capitulo incumbunt, accuratiores tabulae ad Sacram Congregationem transmittantur, in quibus reditus, comprehensis dimidiis annatis, eorumque erogatio, distincte etiam enunciatis singulis stipendiis, clare diligenterque adnotentur; 5. Quae ad quaestiones omnes inter Episcopum et Capitulum eliminandas praesenti Decreto sancita sunt futuros quoque Episcopos afficiant, atque ab utraque Parte perpetuo inviolabiliterque serventur –. Factaque Summo Pontifici relatione, Sanctissimus die 29 novembris eiusdem anni 1826 resolutionem Sacrae Congregationis in omnibus benigne approbavit et confirmavit.

44. Post haec omnis quaestio penitus absoluta videbatur; et revera Episcopus ea, quae ab ipso erant perferenda, exequi cepit. At Canonici, resolutionem peculiaris Congregationis aegre ferentes, a Summo Pontifice impetrarunt, ut, reiecta concordia, rem prout de iure Sacra Congregatio generalis definiret. Patronus hinc Episcopi sustinuit, in Sacrarium et Capitulum obligationem reparandi ornandique Ecclesiam Cathedralem refundendam, cum in ea adesset Sacrarium amplis auctum reditibus, uti luculenter evincebatur ex actis sacrae Visitationis anni 1574, ex libris administrationis bonorum ad Sacrarium pertinentium ab anno 1636 ad annum 1654 exaratis. Capitulo autem huiusmodi onus imminere affirmavit, ex effusis donationibus iam a vetusto tempore in Capitulum collatis per Antistites pientissimos, qui iure percipiendi oblationes vivorum et mortuorum sese expoliarunt, ut illud in Canonicos transferrent, cum de iure, deficiente fundo ad Ecclesiae reparationem constituto, ii tenentur, qui oblationes et decimas percipiunt, Caus. 10 quaest. 3 can. 3. Hisce grave pondus addebant Decreta ab Episcopis in sacra obeunda visitatione edita, ut, quae in Ecclesia instauratione indigebant, quam cito sarcirentur. Et quamvis in memoratis Decretis nulla fieret Sacrarii aut Canonicorum mentio, Capitulo tamen restaurationes illas praescriptas fuisse dicendum erat, cum nemo sibi imperet; unde si quid Episcopi impenderunt, id donandi animo expleverunt. Insuper advertit, ex tabulis accepti et expensi apparere, annuos fructus Mensae Episcopalis, subductis oneribus, vix congruam Episcopo debitam attingere; ac propterea nullo modo sinerent onus instaurandi ac tuendi Ecclesiam. At Capituli Defensor contendit, nullos in Ecclesia Fanensi extare reditus Fabricae et Ecclesiae cultui assignatos. Sua quidem Sacrarium habebat bona; verum haud in alios eroganda erant usus, quam in sacram supellectilem in candelabra in cereos et in alias Sacristiae necessitates, uti eruebatur ex cap. 22 Capitularium Constitutionum, quas Iulius II die 26 iunii 1506 probavit. Sacrarium itaque in Ecclesia Fanensi aliud erat, quam patrimonium Fabricae, ex eo etiam quod mediae annatae ad formam Constitutionis Benenedicti XIII *Pius et misericors* exigebantur pro Cathedralis Ecclesiae tuitione. Vetustam et centenariam etiam consuetudinem protulit ac probare censuit dictus Capituli Defensor, ex epistola Cardinalis de Mantua anni 1558, ex transactione anni 1765. Protulit etiam codices Sacrarii et Mensae Episcopalis, acta capitularia, plura hominum testimonia, ex quibus liquido apparere putavit, sumptibus Mensae Episcopalis, non autem Sacrarii ex vetustissimo tempore fabricam Ecclesiae fuisse instauratam, et quae opus erant pro divino cultu exercendo fuisse comparata. Hisce accedebat, quod reditus Canonicorum valde tenues essent, quodque nihil unquam impenderint in Ecclesiae manutentionem; dum e contra ex ipso statu activo et passivo ab Episcopi Defensore exhibito liquebat, annuum censum, cunctis detractis impendiis atque etiam scutis 400 – per spese di Chiesa –, congruam Episcopo a sacris Canonibus statutam excedere.

45. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit exequenda resolutio Sacrae Congregationis particularis, seu potius sint disputanda sequentia dubia in casu etc. *Et quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad secundam.* II. An et ad quem spectet manutentio Fabricae Capellarum nullius iuripatronatus subiectarum Altarium et turris campanariae cum campanis tintinnabuli cum funiculo ante fores Sacrarii et adnexorum Ecclesiae Cathe-

dralis in casu etc. III. An et cuius sumptibus comparari et manuteneri debeant ianuae cancelli fenestrae cum velariis chorus pulpitum baptisterium organum et exedrae pro excipiendis confessionibus in casu etc. IV. An et cuius sumptibus comparari et manuteneri debeant Icon Altaris maioris genuflexorium pro Episcopo ante Capellam Sanctissimi Sacramenti palmatoria solia Episcopalia umbella faldistoria scamna pro Canonicis et abacus una cum eorum respective tapetibus pulvinaribus mantilibus ceterisque necessariis, quae hactenus a Sacrario suppeditata non fuere pro pontificalibus in casu etc. V. An et cuius sumptibus comparari et manuteneri debeant vasa oleum abacus ceteraque necessaria pro sanctorum Oleorum confectione sive in Cathedrali, sive in alia Ecclesia exequenda in casu etc. VI. An et ad quem spectet sumptus pro festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis in casu etc. VII. An et ad quem spectent sumptus cerae pro palmatoria Episcopi ac pro collatione Sacramentorum Confirmationis et Ordinis in casu etc. VIII. An et ad quem spectent sumptus cerae ante Cruces in Anniversario dedicationis Ecclesiae et ceteris omnibus sacris functionibus sive ordinariis, sive extraordinariis in casu etc. IX. An et ad quem spectet onus stipendii pro Cantoribus ac Fidicinibus in maioribus Ecclesiae solemnitatibus et in diebus Pontificalium, sive ab Episcopo, sive ab alio celebrentur in casu etc. X. An et ad quem spectet onus stipendii pro campanarum pulsatione in casu etc. XI. An et cuius sumptibus comparari et manuteneri debeant tabulatum velaria ac tapetia pro quadragesimali praedicatione et spiritualibus exercitiis in casu etc. XII. An et cuius sumptibus sint comparanda necessaria pro lotione pedum feria V in Coena Domini sive praesente, sive absente Episcopo in casu etc. XIII. An et ad quem spectent sumptus pro dealbandis et mundandis parietibus ac interiori lacunare Ecclesiae nec non pro lustranda platea ac via circum Ecclesiam occasione sacrarum processionum aut tempore decidentis nivis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 maii 1828 respondit: - Ad primum, Affirmative in omnibus ad primam partem, Negative ad secundam; et quoad executionem articuli quarti exhibeantur etiam tituli provenientiae bonorum Sacrarii. Ad secundum et reliqua, provisum in primo – Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Fanen. Manutentionis Fabricae Ecclesiae Cathedralis et expensarum die 20 Septembris 1828.*

46. Quod si Summus Pontifex in erectione Ecclesiae Receptitiae Ceriniolensis in Cathedralem modum constituerit, quo esset novae Cathedralis reditus suo cuique officio assignandus, praeter distributiones quotidianas, is omnino servari debet; his enim in terminis, postquam resolvit, quod distributiones quotidianae taxandae non essent pro tertia parte singularum Praebendarum, sed potius pro universis reditibus superextantibus, post impleta onera in Bulla praescripta, propositis dubiis: – II. An et quomodo reliqui reditus sint erogandi pro Ecclesiae ampliatione in casu? III. An et quomodo sint eroganda pro eadem ampliatione ducata 500, quae designat Episcopus in casu? IV. An et quae summa taxanda sit pro fabricae Ecclesiae et sacrarum supellectilium manutentione in casu? –, Sacra Congregatio die 11 iulii 1840 respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes hinc inde –; sed mox repropositis dubiis sub eadem formula respondit: – ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, Negative. Ad quartum, Negative; et serventur Literae Apostolicae – *in Asculana et Ceriniolen. Literarum Apostolicarum die 22 Augusti 1840.*

47. Praeterea vulgatissima est Constitutio s. m. Benedicti XIII, cuius initium *Pius et misericors,* pro tutiori asservatione Cathedralium Ecclesiarum exarata, qua statuitur – per totam Italiam et Insulas adiacentes, ut in posterum provisi de Parochialibus et de Canonicatibus et Beneficiis tam residentialibus, quam non residentialibus, et simplicibus sitis in Ecclesiis Collegiatis, vel ad illas translatis, cuiuscumque valoris existant, teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica Ecclesiae Cathedralis, sive Beneficia praedicta liberae collationis, sive iurispatronatus mixti ac etiam laicalis fuerint, et ad quemcumque electio collatio institutio et provisio pertineat,

sive nimirum ad Metropolitanum vel Ordinarium, sive ad Capitulum, sive ad alium quemcumque inferiorem, dummodo collationis institutionis provisionis S. Sedis minime existant – *in Recineten. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 29 Iulii 1837* §. *Profecto.*

Item *in Montis Alti Visitationis sacrorum Liminum die 24 Novembris 1838* §. *Quibus.*

48. Ceterum Praefatus Pontifex cavit expresse. – Quoniam nostrae mentis non est per hanc nostram Constitutionem sacrorum Canonum statuta et praesidia minuere; sed, quantum in Domino possumus, augere favore Ecclesiarum, declaramus et expresse volumus, firmissimum nihilominus remanere onus reparandi restaurandi et manutenendi Ecclesias Cathedrales Episcopis a iure iniunctum, ita ut in restaurandis reparandis et conservandis Ecclesiis Cathedralibus, antequam tangantur fructus seu capitalia favore fabricae, vigore huius Constitutionis conficienda, teneantur Episcopi et ad normam sacrorum Canonum exquirantur de eorum obligatione – *in Reatina Mediae Annatae die 12 Maii 1770* §. *Noluit.*

Item *in Recineten. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 29 Iulii 1837* §. *Urget.*

49. Hinc dum omnes decessores Episcopi ex consuetudine Cathedralem Ecclesiam sumptibus Mensae Episcopalis reparaverint et manutenuerint, quin unquam mediam annatam pro fabrica imposuerint, et modernus Antistes ab eiusmodi onere exemptionem postulaverit, facta eidem facultate eam ad formam Constitutionis Benedicti XIII *Pius et misericors* imponendi, Sacra Congregatio respondit, servandam esse praedictam Constitutionem Benedicti XIII *in Recineten. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 29 Iulii 1837.*

50. Siquidem quum nulli ad Cathedralis Aedis Recinetensis fabricam sartam tectamque servandam praesto unquam fuerint peculiares reditus illius Sacrario, Recinetenses Episcopi pro tempore illius asservationi Episcopalis Mensae sumptibus per anteacta tempora consuluerunt. Verum modernus Episcopus exposuit, Ecclesiae Cathedralis Sacristiam perpetua recenti applicatione trium simplicium Beneficiorum satis amplis reditibus a Pio VIII, a Leone XII, atque a Gregorio XVI, fuisse ditatam. Postulavit itaque ut Episcopus pro tempore ab obligatione materialem Ecclesiam Cathedralem manutenendi liber iudicaretur, eamdemque manutentionem ad eiusdem Ecclesiae Sacristiam spectare, facta tamen ipsi Episcopo lege et facultate imponendi et exigendi taxam mediae annatae, iuxta mentem relativae Bullae Benedicti XIII favore eiusdem Sacristiae super quolibet Beneficio per Bullas Episcopales conferendo. Universi Canonici libenter mediae annatae persolvendae oneri se subiicere promiserunt: sed cur eousque exacta non fuerit media annata favore fabricae ad formam Constitutionis Benedicti XIII, incompertum omnino erat. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo concedenda sit Recinetensi Episcopo facultas imponendi medias annatas pro Cathedralis Ecclesiae asservatione et reparatione in casu etc. II. An et quomodo declarandus sit Recinetensis Episcopus immunis ab onere asservationis et reparationis Ecclesiae Cathedralis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, provisum per Constitutionem *Pius et misericors* s. m. Benedicti XIII – *in Recineten. Reparationis Ecclesiae Cathedralis die 29 Iulii 1837.*

51. Quin imo etiamsi contraria extet consuetudo centenaria, reparationi Ecclesiae Cathedralis occurrendum est per impositionem mediae annatae ad formam Constitutionis Benedicti XIII *Pius et misericors* editae anno 1725 *in Montis Alti Visitationis Sacrorum Liminum die 24 Novembris 1838.*

52. Iamvero dum Visitationis sacrorum Liminum divorum Petri et Pauli anno 1836 Episcopus Montis Alti expleret, exposuit, – deesse in Ecclesia Cathedrali laudatae Civitatis reditus ad fabricae conservationem, hoc est Templi, quod externum vocant, et dignitati Cathedralis respondens. Cumque Templi moles magna sit, et reditus pro tutela exigui, idest quinque vix scutorum circiter, et pro hoc in more minime induci posse videatur remedium dimidiae annatae, prout in Concilio Romano statuitur, quia Beneficia fere omnia et Canonicatus huius Diaecesis sunt vel de iurepatronatus laicorum maxime Communitatum vel Farfensis, et nonnulla de iu-

repatronatus Rmi Capituli Lateranensis, efflagitabat ab auctoritate vestra, ut pro enunciati Templi custodia, vel aliqua canonica pensitatio concedatur, vel peculiaris congruens fundus Beatissimi Summi Pontificis benignitate tradatur –. Retulit inde praefatus Episcopus, Communitates aliosque Patronos contendere, nulla se teneri obligatione restaurandi Templum, cum particularium Beneficiorum, non Ecclesiae Patroni essent; omnes tamen impositioni mediae annatae, quam exinde rependere deberent aliquo Beneficio donati, ultro libenterque assentiri se fassi sunt, sed antea exigi fortassis haud contigit, ob praetensam Constitutionis Benedictinae desuetudinem, vel non obtemperationem. Advertebatur vero, Constitutionem Benedictinam fuisse munitam clausula – sublata –, et – Decreto irritanti –: adeoque obstare eidem non posse contrariam consuetudinem, etiamsi centenariam; nec non omnia Beneficia, etiam iurispatronatus laicalis vel mixti oneri mediae annatae subiecisse Pontificem Benedictum XIII. Retulit etiam Episcopus, reditus Canonicorum haud pingues esse, nec extare Beneficium, vel Praebendam, quae commode usui fabricae foret unienda.

53. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo occurrendum sit reparationi Ecclesiae Cathedralis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative per impositionem mediae annatae ad formam Constitutionis s. m. Benedicti XIII *Pius et misericors* anni 1725 – *in Montis Alti Visitationis sacrorum Liminum die 24 Novembris 1838* (1).

54. Quum itaque Clericus Petrus Grimaldi Archidiaconatum obtinuerit in Ecclesia Cathedrali Mindoniensi, quin unquam in ea resederit ac sacros Ordines susceperit nec fidei professionem emiserit, servitium tamen per substitutum praestiterit, et Administrator fabricae Ecclesiae Cathedralis institerit, ut fructus percepti ac percipiendi, iuxta Constitutiones praefatae Ecclesiae, praedictae fabricae applicarentur, propositis dubiis: – I. An fructus Archidiaconatus de Montenegro hucusque percepti ab Archidiacono Petro Grimaldi sint restituendi fabricae Cathedralis in casu etc. II. An eidem fabricae sint applicandi fructus in posterum percipiendi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 24 martii 1753 respondit: – Affirmative ad utrumque –. Hanc definitionem exequi iussit, lata sententia, Tribunal A. C., et mandatum relaxavit. Verum quia definitio illa data fuerat, contumace Archidiacono, postulavit hic et obtinuit novam audientiam. Repropositis hinc dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 iunii 1756 respondit: – Praevio recessu a decisis, Negative ad primum dubium –. Obiit interim Archidiaconus diem supremum: sed Francisca Herrera mater et heres defuncti Archidiaconi, ut vicem rependeret serramque reciprocaret, petiit restitutionem eorum fructuum, quos fabrica Ecclesiae Mindoniensis exegerat ex re iudicata Sacrae Congregationis et ex mandato A. C. Proposito tamen dubio: – An fabricae Ecclesiae Mindoniensis sint applicandi fructus decursi usque ad obitum Archidiaconi Grimaldi in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 februarii 1757 responsum dedit: – Dilata, et ad D. Secretarium pro reformatione dubii –. Propositis itaque dubiis: – I. An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in secundo loco decisis; et amplius. Ad secundum, dilata; et scribatur Episcopo, ut curet componere partes – *in Mindonien. Fructuum die 18 Iunii 1757* (2).

55. Quod si satis constet ex consuetudine, quod Archidiaconus teneatur quidem ad residentiam praecisam, sed ut fructus suos facere possit, quin applicari debeant fabricae ecclesiae Cathedralis, asserat se habere indulta abessendi e loco residentiae, Sacra Congregatio, antequam rem dirimat, mandat, ut exhibeantur asserta indulta; his quippe in terminis propositis dubiis: – II. An et a qua die idem Archidiaconus teneatur restituere fructus perceptos? III. An fructus tam percepti, quam a die sequestri applicandi sint fabricae Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum et tertium, dilata, et exhibeantur indulta una cum libel-

(1) Reliqua habebis in Verb. *Media annata.*

(2) Species Causae huius prostat in Verb. *Archidiaconus*, §. II, n. 80 ad 83, Tom. II.

lo – *in Tuden. Residentiae die 24 Novembris 1759* (1).

56. Ubi vero comunia remedia vel desint omnino, vel imparia dignoscantur, extraordinariis, pro locorum personarumque ratione, auxiliis occurrendum: hinc et Beneficiorum uniones decernuntur, Pyrrus Corrad. in prax. Benef. lib. 2 cap. 8 n. 13, Garcias part. ult. de Benef. n. 4, et Sacra Congregatio in Brictinorien. Unionis 25 maii 1833, et Beneficiorum Praebendarumque Canonicalium, in Senogallien. fabricae Ecclesiae 20 februarii 1796, in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae 25 maii 1805, et Missarum reductio in Veliterna Suspensionis Missarum 18 septembris 1790, et Census impositio super bonis Ecclesiae, in Forolivien. 13 iunii 1789, et in Senogallien. Fabricae Ecclesiae 20 februarii 1796; postremo etiam ipsius Ecclesiae bona mancipandi aliquando facultas concessa est, uti ex Auximana 18 maii 1765 23 iunii 1789 *in Montis Alti Visitationis sacrorum Liminum die 24 Novembris 1838* §. *Demum.*

57. Hinc si alia desint media, etiam Missarum celebrationem intermittendam esse, ut reditus erogentur in reparationem Ecclesiae docent Amostaz de caus. piis lib. 1 cap. 14 n. 36, et Episcop. Braschi de libert. eccles. tom. 3 cap. 24 n. 20 et 26 *in Terracinen. et Setina die 17 Martii 1781* §. *Ceterum.*

58. Imo Sacra Congregatio, attentis Capituli Cathedralis Ecclesiae necessitatibus et praesumpta Testatoris voluntate, permisit, ut reditus pro celebratione Missarum ab eo relicti, etiam in restaurationem domus praefati Capituli erogarentur *in Forolivien. die 24 Martii 1787.*

59. Siquidem Thomas Ugolinus Forolivensis Cathedralis Ecclesiae Canonicus suam anno 1763 heredem instituit animam; mandavitque, ut ex universis hereditatis fructibus octo quotannis in eadem Cathedrali celebrarentur Anniversaria, et quidquid superesset in tot Missas erogaretur, cum eleemosyna duodecim obulorum pro unaquaque. Anno 1781 quum reparare non possent Canonici ex tenuissima capitulari massa potissimum Capituli domum terraemotu concussam, Sacrae Congregationi supplicarunt, ut praedictae hereditatis fructibus eam in rem uti liceret; auditoque Ordinario ac testamentario Exequutore, rescriptum fuit: – Constito de impotentia Oratorum, pro gratia arbitrio et conscientiae Episcopi, pro summa vero necessaria tantum arbitrio Peritorum, celebratis tamen decem Missis pro quolibet centenario earum, quae celebrari deberent ex dispositione Testatoris, et Anniversario uno quolibet anno, quod indultum necessario ex causa expressa in precibus perdurare debebit, et docto coram Episcopo de fideli erogatione pecuniae –. Omnia Episcopus exequutus est, tradique mandavit Capitulo per Administratorem hereditatis scuta 1800, quae in expressam reparandae domus causam reipsa soluta fuerunt. Incepto tamen opere, graviora apparuerunt domus vitia: unde Canonici petierunt, ut, salvis octo Anniversariis a Testatore praescriptis ac centum Sacris a singulis Canonicis celebrandis, hereditariorum fructuum residuum, quod testamentarius ipse exequutor ad annua scuta centum efferri retulit, benigne sibi concederetur, quousque summam attingeret scutorum 1498 64, ad quae perficiendae domus impensa Periti iudicio ascendebat. Novis hisce precibus deferendum censuerunt Episcopus et Administrator hereditatis. Agebatur enim de Testatore, qui, attenta Capituli paupertate, Anniversaria in Cathedrali et Missas a Canonicis celebrari voluit, ideoque nedum animae suae expiationem, sed Cathedralis etiam Ecclesiae et Canonicorum utilitatem considerasse videbatur. Proposito hinc dubio: – An et quomodo Capituli Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, docto de celebratione Missarum et fideli erogatione pecuniae – *in Forolivien. die 24 Martii 1787.*

60. Quod si non alius suppetat modus occurrendi reparationi Ecclesiae Cathedralis, indulgetur etiam suspensio duarum vocum musicalium, quas pius Fundator constituit, nec non facultas contrahendi census, quorum usurae solvantur reditibus praefati Institutoris, qui alias duobus Musicis praestari deberent *in*

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Archidiaconus*, §. III, n. 31 et 32, Tom. II.

Camerinen. Reparationis Ecclesiae die 18 Aprilis 1744.

61. Enimvero terraemotu concussa anno 1741 Cathedralis Ecclesia Camerini ruinam in fornice fronteque Templi fecisset, nisi circulis ferreis vis murorum, qui ventrem faciebant, fuisset repulsa. At ne hi quidem satis erant, nec impetum inclinatorum parietum amplius sufferre poterant. Igitur de reparanda Ecclesia cogitatum est a Capitulo, aditoque Architecto, censuit hic, opus esse scutis 1500. Cum pecunia deesset, Summo Pontifici exposuit, Ansovinum Cambium hereditatem omnem suam in Capitulum contulisse dato onere, ut illius reditus integre erogarentur in stipendium Musicorum, qui servitium Ecclesiae praestarent; cum autem Canonicorum reditus tenues essent, impetravit Capitulum a Benedicto XIII, ut fructus illius hereditatis massae capitulari unirentur, impleto onere a Testatore dato. Postulabant igitur, ut, quando nullae erant ad reparandam Ecclesiam pecuniae, duae e quatuor musicis vocibus, quae in illa erant, suspenderentur auctoritate Pontificia, atque venia indulgeretur tot census contrahendi, quibus impleri opus posset, quorumque usurae singulis annis solverentur reditibus illis hereditariis Ansovini Cambii, qui duobus Musicis praestabantur, qui faciebant annuam summam scutorum 126. Capitulum itaque contra Cives quosdam Camerinenses sustinuit, id esse indulgendum ex L. unica Cod. de expens. publicor. ludor. lib. 11, cum non alius praesertim suppeteret modus occurrendae impensae huic necessariae; nam, ut referebat Episcopus, Mensa Episcopalis tot reditus non habebat, Populus pecuniis carebat, Canonici vero etiam post unionem hereditatis Ansovini Cambii cum massa Capitulari ita tenues habebant reditus, ut non satis essent implendae summae, a lege conciliari Diaecesana simplicibus Sacerdotibus statutae in annuis scutis 36. Censuit autem Episcopus, ut, si quid, solutis censuum usuris, supererit ex annuis scutis 126, quae in Musicos erogari deberent, in aede sacra deponeretur, ut ex iis sors multiplicatione constitui posset, qua census redimerentur.

62. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus suspensioni duarum vocum musicalium, de quibus in precibus, ad effectum reparandi Ecclesiam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, collatis etiam reditibus hereditatis Ansovini Cambii, et Episcopus incumbat firmationi status eiusdem hereditatis, eumque transmittat ad Sacram Congregationem, non retardata interim impositione census – *in Camerinen. Reparationis Ecclesiae die 18 Aprilis 1744.*

63. Quin imo ad restaurandam Cathedralem Ecclesiam applicantur etiam oblationes fidelium, quae in festivitatem S. Protectoris alias impendi deberent; quandoquidem Ecclesia Cathedralis Tipherni S. Florido dicata anno 1789 terraemotu ita concussa extitit, ut damna aestimata fuerint in scutatis 12556. Unde Capitulum in iis reparandis impendit scuta 8000, aliaque scuta circiter bis mille fidelium pietas et Patronorum supplevit contributio. Adhuc tamen, Episcopo teste, exterius tantum perfectus est tholus, – interius ligneis sustentaculis etiam nunc fulcitur ac proinde, ut perficiatur etiam ineleganter, aliorum scutorum mille impensam adhuc [exquirit exigitque –. Postulavit itaque Capitulum applicationem cumuli in scutis 1027, ex oblationibus fidelium collectis ad celebrandam centesimi instar festivitatem S. Floridi Civitatis Protectoris; eiusque instantiae adhaerebant dicti cumuli institutores Buratti et Scarafoni, dummodo remanerent in deposito scuta 300, suo tempore eroganda in celebrationem festivitatis, et non alias. Proposito hinc dubio: – An cui et quomodo sit applicandus cumulus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative favore fabricae Cathedralis, relictis in deposito scutis tercentum, pro celebratione festivitatis S. Floridi – *in Civitatis Castelli die 24 Ianuarii 1795.*

64. Nam fatiscentium Ecclesiarum restaurationes, aliis a iure statutis deficientibus mediis, etiam et aliquando necessariam suppeditare causam commutandi supremas defunctorum voluntates, docent exempla in Lisbonen. Applicationis 18 decembris 1790, in Senogallien. Fabricae Ecclesiae 20 februarii 1796, et in Camerinen. Suspensionis 20 Novembris 1802: idque tum praecipue sibi locum vindicare debet, cum agitur de raedificatione Ecclesiae Cathedralis, quae totius Diaecesis

respicit bonum, Barbosa ius eccles. lib. 2 cap. 4 n. 8, Frances de eccles. cathedr. cap. 12 n. 26 *in Tolentinaten. Commutationis voluntatis die 22 Aprilis 1826* §. *Urgente.*

65. Antequam autem ad commutationem voluntatis, aut Missarum suspensionem, deveniatur, media a iure praescripta pro reparandis Ecclesiis adhibeantur oportet *in Terracinen. et Setina die 17 Martii 1781* §. *Ceterum.*

Item *in Camerinen. Supensionis die 20 Novembris 1802* §. *Post; in Tolentinaten. Commutationis voluntatis die 22 Aprilis 1826* §. *Tandem.*

66. Idcirco Sacra Congregatio nedum nullam declaravit applicationem redituum pro vestiariis pauperum a pio Testatore relictorum, in reparationem frontispitii Cathedralis, sed et mandavit restitutionem summae in id impensae, ac Episcopo iniunxit, ut in posterum curaret adimplementum legati *in Gerunden. Commutationis Voluntatis die 25 Septembris 1700 lib. 50 Decretorum* (1).

67. Hinc multo minus locus est commutationi voluntatis Testatoris, qui mandavit omnino aedificari Ecclesiam, ut bona pro eius dote et celebratione Missarum constituta applicentur pro fabrica Ecclesiae Cathedralis, cum praesertim media ad Cathedrale Templum absolvendum assignata satis esse videantur *in Tolentinaten. Commutationis voluntatis die 27 Maii 1826.*

68. Siquidem ultimo suo voluntatis elogio anno 1824 Aloisius Gullinelli mandavit erigi Ecclesiam in designato loco ac institui Capellanum, ut in ea tres Missas unaquaque hebdomada celebraret, fundis pro dote relictis, cum prohibitione, ne Missae ad aliam Ecclesiam transferrentur, ex eo quod firmiter voluit, ut Ecclesia aedificaretur. Quum Tolentinates viginti circiter ab illinc annis carerent Ecclesia Cathedrali, et ad novum Templum anno 1819 inceptum perficiendum deficerent media, nam Episcopalis Mensa Tolentini, subductis oneribus, vix annua scuta 400 suppeditabat, quae si adderentur reditibus Mensae Maceratensis, deductis expensis, summam constituebant scutorum 1215. 10, Canonicales autem Praebendae Capituli Tolentini erant adeo tenues, ut quaedam solummodo annuum fructum redderent scutorum 80, reliquae vero ne ad annua quidem scuta 50 pertingerent; hinc Deputati fabricae Ecclesiae Cathedralis postularunt, ut caementa pretium frumenti ac sumptus tam in aedificationem Ecclesiae, quam in lampadum manutentionem ad formam testamenti Aloisii Gullinelli insumenda applicarentur Templo Cathedralis Ecclesiae Tolentini, atque insuper, ut post obitum Capellani Nicolai *della Grave* unum dumtaxat Sacrum in nova Cathedrali Ecclesia diebus festis ad Populi commoditatem celebraretur, reliquum vero legati Missarum in fabricam eiusdem Cathedralis erogaretur. Episcopus inutilem dixit Ecclesiam, iuxta Testatoris voluntatem aedificandam. Canonicus Franciscus Gullinelli Aloisii Gullinelli frater affirmavit, Aloisium cl. me. Episcopo Strambi suum pandidisse votum ruralem aedificandi Ecclesiam, responsumque semel atque iterum ab eodem Antistite accepisse, se nunquam daturum assensum ad Ecclesiam aedificandum, quae prorsus inutilis foret. Insuper praedicti Deputati, si impertiretur voluntatis commutatio, se heredi demortui Gullinelli donaturos spondebant iuspatronatus super duabus Capellis, cum facultate apponendi ibidem stemmata gentilitia. At heres Vincentius Amedeus firmiter obstitit affirmans, media ad Cathedrale Templum absolvendum assignata satis superque esse, cum faber murarius onus suscepisset extollendi Templum pro summa scutorum 5000, ex eaque detrahenda foret scuta 700 – valore dei materiali già preparati e lavori in parte eseguiti. – Ad hanc conventam pecuniae vim dissolvendam praesto esse subdidit scutata 2000 a Communitate Tolentinatensi Deputatis fabricae intra quinque annorum spatium repraesentanda. Hisce addendi fructus quorumdam Beneficiorum vacantium et praedium a Thesaurario Generali traditum, cuius pretium summam attingebat scutorum 1500, tum bona ad Sodalitium Sanctissimi Sacramenti pertinentia, quae summam scutorum 600 constituebant, tandem legatum scutorum 500 a cl. me. Card. Spinucci Sacrario eiusdem Cathedralis Ecclesiae relictum.

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Applicatio*, n. 185 ad 192, Tom. II.

69. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Tolentinaten. Commutationis voluntatis die 27 Maii 1826.*

70. Quum autem Canonici Ecclesiae Cathedralis Setinae postulaverint applicari Sacrario restaurando iisque omnibus comparandis, quae pro illius ornatu et usu requirebantur, summam quingentorum quinquaginta scutorum in Pauperes distribuendorum, iuxta piam distributionem Canonici Iacobi Fasci, qui ipsum Capitulum eiusdem Cathedralis Setinae heredem ex asse scripserat, proposito dubio: - An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: – Reformentur preces, et ad D. Secretarium ad mentem – *in Terracinen. et Setina die 17 Martii 1781*

71. Hinc nisi evidenter probetur necessitas, haud indulgetur abolitio legati et reductio Missarum ex causa reaedificationis Ecclesiae Cathedralis, quando necessitas non subsistit *in Camerinen. Abolitionis et Reductionis die 18 Februarii 1832.*

72. Enimvero in reaedificatione Ecclesiae Metropolitanae Camerinensis nonnullas etiam domos ad aream Templi amplificandam demoliri oportuit, atque eas praesertim, quae ad valorem scutorum 335 pertingentes dotem pro annuo legato Missarum 189 constituebant. Sed huiusmodi tamen legati onus ad annum usque 1830 constabat, ab Archidiacono et Praeposito una cum Canonicis accurate fuisse impletum, quin suetas amplius eleemosynas a die 15 novembris 1817 perceperint. Postea igitur dum iis nulla eousque spes fuit alium ex fabricae reditibus ad id recuperandi fundum, nullaque iisdem suppetebat aliter supplendi ratio, postularunt absolutionem celebrandi in posterum Missas 189 pro enunciato legato, nec non diminutionem annuarum Missarum 190 super ceteris legatis a Capitulo adimplendis, ut acquam habere possent compensationem pro Missis 2443 praedicti legati, absque eleemosyna celebratis. Nam Metropolitanae Ecclesiae fabricae nulli alii erant reditus praeter eos, qui ex temporanea taxa super omnem Diaecesim imposita, et iam extincta in modica summa, stante debitorum mora, adhuc solvendi erant, quique ad perficiendum ipsius Metropolitanae Templum impares noscebantur. Metropolitanae Ecclesiae Capitulo, attenta redituum tenuitate, ex quibus annua etiam deposita erant detrahenda, ut Capitularis massa aere alieno exoneraretur, vires ad ea redintegranda non suppetebant, quae pro Ecclesiae reaedificatione periere; quem in finem non modicam pecuniae vim ipsi Canonici inpenderunt. Unde Archiepiscopus eisdem favit: huic tamen rei obstabat sacrorum Canonum censura et Sacrae Congregationis disciplina, quae suprema fundatorum voluntates sanctissime servandas iubent.

73. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro abolitione Missarum 189 in casu etc. II. An et quomodo sit concedenda Missarum reductio super ceteris legatis a Capitulo adimplendis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative in omnibus - *in Camerinen. Abolitionis et Reductionis die 18 Februarii 1832.*

74. Idcirco cum haud constaret de necessitate, Sacra Congregatio non permisit, ut applicarentur reditus duorum Beneficiorum pro restauratione Cathedralis Ecclesiae, etiamsi Praesides fabricae ius ad ea nominandi possidentes applicationem petierint, et Episcopus eisdem faveret; his enim in terminis proposito dubio: - An sit consulendum Sanctissimo pro gratia petitae applicationis? –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative – *in Papien. die 18 Aprilis 1733.*

§. II.

ECCLESIA CATHEDRALIS QUOAD TRANSLATIONEM ET UNIONEM

1. Cathetralium translationes cum consensu Episcopi et Cleri omniumque interesse habentium, ac iustis necessitatis vel utilitatis Ecclesiae vigentibus causis, fieri debere constat ex Textu in Can. *Si quis vult* 16 quaest. 7, in Can. *Mutationes in principio* 7 quaest. 1, Card. Tuschi litt. C. conclus. 362 n. 1 et 2, Barbosa de univ. iure eccles. lib. 1 cap. 19 n. 33 et 34 *in Casertana Translationis Ecclesiae Cathedralis die 27 Aprilis 1839.*

2. Varias autem necessitatis aut utilitatis causas recenset fuse Frances de eccles. cathedr. cap. 7 de caus. translat. cathedr. per totum. Has inter videre est difficultatem locorum ex aeris intemperie, ad Can. *Si quis etiam* de consecrat. dist. 1, et cap. *Ad audientiam* de ecclesiis aedificandis, quare melioritionis gratia Ecclesiam mutari permittitur, ut scilicet clementius sibi caelum reperiant eius servitio mancipati, vel mansionem commodiorem, si soli sterilitas adeo magna sit, ut ibi commode habitari non possit, Can. *Ecclesia* quaest. 7, Can. *Mutatis,* Can. *Episcopus*, Can. *Scias* 7 quaest. 1, Azor. Inst. moral. 2 part. lib. 6 cap. 30 quaest. 3 *in Casertana Translationis Ecclesiae Cathedralis die 27 Aprilis 1839* §. *Haec.*

3. Legitima etiam causa est, si Civitas fuerit a suo Populo destituta, cap. 2 de religiosis domibus, Cap. *Quia* eodem titulo, habita tamen ratione prioris temporis, Campegius tract. de union. n. 8; decet scilicet, ut, ubi frequentior Populus regioque florentior, Matrix Cathedralisque Ecclesia excitetur *in Casertana Translationis Ecclesiae Cathedralis die 27 Aprilis 1839* §. *Legitima.*

4. Ubi vero alia ratione incommodis, quae in medium proferuntur, succurri possit, Cathedram transferi non debere monet Rota in novissim. part. 2 decis. 542, Frances de eccles cathedr. Cap. 7 de caus. translat. eccles. cathedr. n. 22 32 et 39: probe scilicet curandum his in rebus est, ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria absolescant, et ex hominum memoria excidant, uti totidem verbis commendat Tridentinum sess. 21 cap. 7 de reformatione *in Casertana Translationis Ecclesiae Cathedralis die 27 Aprilis 1839* §. *Iamvero.*

5. Quum autem omnia concurrere viderentur requisita, quae necessaria sunt ad Ecclesiam Cathedralem transferendam, Sacra Congregatio respondit, ad mentem *in Casertana Translationis Ecclesiae Cathedralis die 27 Aprilis 1839.*

6. Siquidem veteris Casertae in Campania magnae olim ac Incolis frequentissimae Civitatis, ob montanae inclementisque regionis, in qua posita erat, difficultatem, splendor ita decrevit, ut nihil in praesens praeter rara hinc illic mapalia superessent, ubi rudes homines aratro, ut plurimum addicti, quater centi numero degebant. Universa eius Incolarum maxime ditiorum frequentia, quae ut Saracenorum, Galatia eversa, furentium immanitatem effugeret, eo convenerat, mox pace restituta, ad planitiem descendit seseque in Casertam novam recepit, quae, ubi utriusque Siciliae Reges magnificentissimum Palatium spectabiliaque in ea excitaverint monumenta, brevi ita floruit, ut plena Populo ac insignis Civitas evaserit. Caput itaque totius Campaniae Provinciae Regis Decreto conclamata fuit; quumque Regia Sedes esset, praeter Provinciae Praefectum primasque Auctoritates, quae rem publicam gerebant, praeter Ducem, qui imperabat Provinciae militibus, excipiebat tria millia Militum, praeterea Cives fere decem mille, ac advenas in diem increbrescentes, qui sive ex rerum publicarum gestione, sive Regias Aedes deliciasque, quas ibi Neapolitani Reges posuerunt, invisendi causa, adveniebant atque abibant. Ast quantum mundano fulgebat decore, tantum ecclesiastico squallebat Civitas apparatu. Una enim Paraecia Cives continebantur, ac unico Parocho regebantur; quique vero erant Presbiteri perpauci sane, Palatinae Capellae ut

plurimum mancipati, Sacramentorum administrationi incumbere non poterant. Una aderat domus Coenobitarum, quibus titulus a Sanctissimo Redemptore: at hi, missionum causa, hyberno tempore huc illuc vagabantur: aestivo autem fessi, ad vires veluti recuperandas quiescebant. E contra accidebat in veteri illa Caserta: ibi adhuc extabat Cathedralis Ecclesia Deo in honorem S. Michaelis Archangeli, cui sane frequentes Capitulares inserviebant: quamvis Episcopale Palatium sedesque Falciani prope Casertam novam tribus fere ab illinc seculis posita fuerit, adeoque fiebat, ut paucissimi ad plures, quae inibi per Canonicos litabantur piaculares hostias praesentiam exhiberent diebus festis: sacra solemnia plerumque sine spectantibus absolverentur; et Capitulares cryptas potius, quam domus inibi incolentes, omnium fere alimentorum inopiam, etiam aquae aestivo tempore perferre cogerentur, et hyberno saevientibus aquilonibus morbis subiicerentur quamplurimis. Haec omnia perincommoda perpetuo visa sunt nedum chorali servitio absolvendo, quare iam indultum decimo quoque anno prorogatum recitandi ante meridiem Vesperas, ei alternativae hebdomadae quadragesimali tempore a Sacra Congregatione die 16 maii 1801 Capitulares obtinuerunt; sed etiam animarum saluti, fiebat enim, ut ubi messis multa Operarii essent pauci, et vicissim, et Episcopus a Canonicis divisus, nonnisi cum magno labore Senatum suum cogere ad res Diaecesanas discutiendas valeret.

7. Quapropter decessores Antistites Cathedralem Ecclesiam ad novam transferre Casertam animo pensare ceperunt. Hinc autem Augustissimo Regi Ferdinando I necessitatem primum Templi in nova Caserta excitandi exhibuerunt; illeque pientissimus nedum erigendum mandavit, sed et aeris sui summam ducatorum 300 quolibet mense solvendam ad hoc opus iussit, ceteris expensis Communitatis Civitatis reservatis. Eoque tandem anno 1832 non sine magnificentia absoluto et consecrato, primum quidem collatis cum Regio Status Ministerio consiliis de ratione translationis Ecclesiae Cathedralis, de veteri in novam Casertam apud nuperum Templum ineunda modernus Episcopus pertractavit, audito etiam Capitulo, cuius Collegae nonnullis exceptis, montem in solitudine assuetis habitare, morum et antiquae consuetudinis tenacibus, ceteri Casertanorum omnium hac in re vota obsecundantes, suffragium omnino favorabile protulerunt. Mox S. Sedem adiit supplex, ut quod Regio consilio statutum ac Populi voto optatum erat, confirmare dignaretur. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus translationi Cathedralis ab antiqua ad novam Casertam in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad mentem – *in Casertana Translationis Ecclesiae Cathedralis die 27 Aprilis 1839.*

8. Itaque nisi legitima exhibeantur documenta, translatio Cathedralis nequaquam admitti debet *in Satrianen. Cathedralis die 17 Novembris 1731.*

9. Iamvero incendio absumpta circa annum 1430 Civitate Satrianensi, immunis a deflagratione fuit sola Cathedralis Ecclesia Protomartyri Stephano sacra. Sub annum 1525 S. M. Clemens VII Oppidum Campaniae titulo Civitatis auctum decoravit etiam honore ac dignitate Sedis Episcopalis, Cathedralem quippe instituit Ecclesiam Collegiatam, quae Beatissimae Virgini Mariae de Pace dedicata erat. Hinc Ecclesiarum Satrianensis et Campaniensis, quas invicem univit et annexit, unum eumdemque voluit esse Antistitem. Episcopi autem, qui deinde utrique Ecclesiae praefuerunt, non assidue certo in loco residere consueverunt; sed ut maior caeli salubritas, vel aliae rationes postulabant, modo Campaniae, modo in Oppido Caggiani, sed tamen diutius in Castello S. Angeli de Fractis, quod itidem, qui ad Satrianensem Diaecesim pertinebat, commorati sunt. Post Civitatis Satrianensis excidium, vix ulla superfuit species vel umbra Capituli Cathedralis, quod ex quatuor Dignitatibus et duodecim Canonicis constabat, donec Episcopus Caramuel anno 1668 de eo instaurando cogitavit, annuitque Clemens IX Pontifex maximus, ut conferri possent iidem tituli Dignitatum et Canonicatuum, licet proventibus carentium, quemadmodum iam inde ab eo tempore factum eo usque fuit. Idem quoque Episcopus Caramuel eo anno 1668 potestatem fecit, ut Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Satrianensis divina officia, quae in ea celebrare

poterant, deinceps in maiori Ecclesia Oppidi S. Angeli de Fractis persolverent, simulque eidem Capitulo plura Beneficia simplicia annexit. Hinc cum anno 1673 orta fuerit quaestio, an Capitulo Satrianensi ius esset eligendi Vicarium Capitularem, proposito dubio: – An hodie Capitulo Satrianensi, ut supra restituto, competat ius eligendi Vicarium Sede vacante? –, Sacra Congregatio die 22 iulii dicti anni 1673 respondit: – Affirmative –, ut in lib. 38 Decretorum pag. 139.

10. Longe tamen gravior subinde exarsit dissidium inter Clerum et Populum Caggiani, et Clerum Populumque S. Angeli de Fractis. Ab hoc enim contendebatur, Capitulum Ecclesiae Cathedralis Satrianensis iam rite fuisse translatum ad maiorem Ecclesiam dicti Oppidi S. Angeli de Fractis, eamque fungi vice ipsius priscae Cathedralis Satrianensis. Nullum tamen proferebatur legitimum documentum, a quo traheret originem huiusmodi translatio Capituli, ac subrogatio Ecclesiae; sed potissimum insistebatur argumentis deductis, ex quo Episcopi recenter creati possessionem inire pluries consueverint in ea Ecclesia S. Angeli de Fractis; idemque factum non raro fuerit ab iis, qui Dignitates vel Canonicatus Capituli Satrianensis obtinuerint; ibi quoque posita esset Sedes Episcopalis in choro, ibi plures Episcopi tumulati fuerint, ibi saepius facta Vicarii Capitularis electio. At Clerus et Cives Caggiani infirma et ambigua esse haec indicia responderunt, eisque etiam plures actus haud leviter refragari. In primis vero animadvertendum dixerunt, ideo pleraque eorum, quae commemorata sunt, gesta fuisse in Ecclesia maiori Castelli S. Angeli de Fractis, quia Episcopi non alibi aeque commodas aedes habebat, et plures Canonici Satrianenses, utpote non obstricti lege residendi certo in loco, sponte morabantur in eo Castello, in quo multi ortum habuerant, et cuius Ecclesiae inserviebant non tamquam Canonici Satrianenses, sed tamquam Sacerdotes eidem Ecclesiae parochiali adscripti. Itaque deinde certarunt haec duo Oppida, ut Ecclesiarum in iis existentium esset Apostolica Auctoritate tribuendus honor ac praerogativa Cathedralis in locum antiquae Ecclesiae divo Stephano dicatae, constituta ibi etiam in posterum Sede Capituli Satrianensis, ut functiones ei congruentes obire posset. Episcopus transmisit relationem, quae veterem statum progressumque rerum ac utriusque Oppidi ambarumque Ecclesiarum conditiones exponebat.

11. Rebus sic stantibus, propositis dubiis: – I. An constet de translatione Capituli Cathedralis Satrianensis ad Ecclesiam maiorem S. Angeli de Fractis? *Et quatenus negative.* II. An et ad quam Ecclesiam sit facienda translatio dicti Capituli et Cathedralis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, dilata – *in Satrianen. Cathedralitatis die 17 Novembris 1731.*

12. Unde Cathedralis haud probata censetur, nisi concurrat continuata possessio vel saltem retentio nominis Cathedralitatis cum distinctione limitum antiquae Diaecesis; nequaquam enim attendendas esse vagas traditiones et signa aequivoca atque recentium Scriptorum enunciativas obiter emissas firmant Barbosa de iur. eccles. lib. 3 cap. 16 a n.60, Frances de eccles. cathedr. cap.8 a n.211, et Card. De Luca de praeemin. disc.3 n.9 *in Consentina Declarationis die 20 Decembris 1760* §. *Huiusmodi.*

13. Idcirco pro adstruenda antiqua Ecclesiae Cathedralitate frustra in medio profertur aliquorum Scriptorum opinio, cum nulla afferantur antiqua monumenta, neque Episcoporum subscriptiones antiquis Conciliis *in Consentina Declarationis die 20 Decembris 1760* §. *Huiusmodi.*

14. Quin imo licet Summus Pontifex de motu proprio Cathedralitatem Ecclesiae transtulerit, si tamen de subreptione et obreptione constet, translatio revocatur *in Feretrana Cathedralitatis die 13 Ianuarii et die 28 Iulii 1731* (1).

15. Unio vero Ecclesiarum Cathedralium vel subiective, vel aeque principaliliter esse potest *in Viterbien. seu Tuscanen. die 14 Septembris 1782* §. *Verum.*

16. Ceterum Cathedralium unio aeque principaliter praesumenda est, deficiente unionis monumento, ad tradita per Card. De Luca

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Aperitio oris* n. 495 ad 500, Tom. II.

de praeem. disc. 7 n. 10, et Rot. coram Coccino decis. 2138 n. 6 *in Tuscanen. Concursus die 16 Martii 1771* §. *Ad.*

17. Hinc duarum Cathedralium unio aeque principaliter facta non mutat statum cuiuslibet Ecclesiae respectu sui, sed unaquaeque ex illis eadem iura qualitates praerogativas et privilegia etiam post unionem conservat, quibus antea pollebat, Fagnan. in Cap. *Cum certum* de maiorit. et obed. n. 30, Gratian. discept. 892 n. 5, Frances de eccles. cath. cap. 8 n. 136, Gonzalez ad Regul. 8 Cancell. gloss. 5 §. 7 a n. 118 *in Privernen. Aperitionis Seminarii die 16 Martii 1771* §. *Animadvertendum.*

18. Respectu tamen Episcopi, cuius gubernio duae vel plures Cathedrales commissae sunt, pro unica Ecclesia habentur, Garz. de Benef. part. 12 cap. 2 n. 37, Gonzalez ad Regul. 8 cancell. a n. 112, Gratian. discept. foren. cap. 655 n. 6, Rot. in decis. 418 n. 3 coram Cavalerio *in Privernen. Aperitionis Seminarii diei 16 Martii 1771* §. *Animadvertendum.*

19. Idcirco quoad Episcopum plures Ecclesiae Cathedrales aeque principaliter unitae habentur tamquam unica Cathedralis, Card. Petra cum aliis Doctoribus ab eo allegatis in comment. ad Constit. quintam Innocentii IV sect. unic. n. 12 *in Viterbien. seu Tuscanen. die 14 Septembris 1782* §. *Verum.*

20. Nam Ecclesiae Cathedrales sub uno eodemque Episcopo unitae, respectu Episcopi unum corpus constituunt et unam Diaecesim, Rot. in decis. 487 coram Remboldo *in Terracinen. Setina et Privernen. die 1 Martii 1766* §. *De.*

21. Quum itaque agatur de unione duarum Ecclesiarum, quae suos Episcopos actu ante unionem habebant, Sacra Congregatio declaravit: - Quemadmodum Episcopus in Civitate Castellana vel eius Diaecesi existens, Civitatis Castellanae et Hortanae est appellandus Episcopus; ita e converso dum in Civitate vel Diaecesi Hortana moram trahit Hortanae et Civitatis Castellanae Episcopum nuncupari eum atque inscribi debere: quod si extra Diaecesim resideat, in negotiis ad Civitatem vel Hortanam pertinentibus, Hortanae et Civitatis Castellanae, in spectantibus vero ad Civitatem Castellanam et illius Diaecesim, Civitatis Castellanae et Hortanae Episcopum esse denominandum - *in Civitatis Castellanae et Hortanae die 18 Iunii 1624 lib. 12 Decretorum pag. 173.*

22. Iniquum enim videri potuit, ut ex unione vel una, vel altera, quod habebat, amitteret *in Terracinen. Setina et Privernen. die 1 Martii 1766* §. *Sacra.*

23. Illarum enim Ecclesiarum neutra dignior probabatur *in Terracinen. Setina et Privernen. die 1 Martii 1766* §. *De Calaguritana.*

24. Alias quoad praenominationem tum in actibus communibus, tum in actibus alteram ex Ecclesiis respicientibus, observat Pitonius in discept. eccles. 9 n. 11, in Bullis Apostolicis provisionis Episcopatus duarum Ecclesiarum, quae invicem aeque principaliter sint unitae praenominationem deberi digniori, secus autem in actibus ab Episcopo in Diaecesi exercendis; tunc enim prosequitur idem Auctor citato loco n. 16, praenominandam esse Ecclesiam, ad quam actus diriguntur, et testatur, ita praecise servatum fuisse in Ecclesiis Viterbiensi et Tuscanensi *in Viterbien. seu Tuscanen. die 14 Septembris 1782* §. *Agitur.*

25. Propositis hinc dubiis: - XI. An in actibus privative respicientibus Ecclesiam Tuscanensem Episcopus semper et ubique denominari debeat Episcopus Tuscanensis et Viterbiensis in casu etc. XII. An in actibus communibus respicientibus utramque Ecclesiam Viterbiensem scilicet et Tuscanensem, cui ex eisdem Ecclesiis competat praenominatio in casu etc. *Et quatenus affirmative quoad Ecclesiam Viterbiensem.* XIII. An dicta praenominatio eidem Ecclesiae Viterbiensi competat etiam in iis actibus communibus, qui ab Episcopo conficiuntur et evulgantur in Ecclesia Tuscanensi in casu etc. XIV. An exequendum sit Rescriptum Episcopi sub die 4 ianuarii 1779 super separata impressione kalendarii pro Ecclesia Tuscanensi, seu potius servanda sit impressio unius kalendarii utramque Ecclesiam, Viterbiensem scilicet et Tuscanensem complectentis? *Et quatenus affirmative ad primam partem.* XV. An et cuius Ecclesiae praenominatio servanda sit in impressione dicti separati kalendarii, seu

potius quomodo sit providendum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: – Ad undecimum, Affirmative et amplius. Ad duodecimum, praenominationem competere Ecclesiae, in qua residet Episcopus; si vero extra utramque, competere Ecclesiae Viterbiensi. Ad decimum tertium, provisum in antecedenti. Ad decimum quartum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundum, salvo iure et potestate Episcopi; et amplius. Ad decimum quintum, praenominationem competere utrique Ecclesiae in suo kalendario; et amplius – *in Viterbien. seu Tuscanen. die 11 Ianuarii 1783.*

26. Quamvis Capitulum Tuscanense acquieverit libentique animo ratam habuerit priorem partem resolutionis tribuentis praenominationem Ecclesiae, in qua Episcopus resideret, acquiescere tamen nescivit posteriori eiusdem resolutionis parti, quae praenominationem tribuit Ecclesiae Viterbiensi, quando Episcopus extra utramque Diaecesim resideret. Idirco institit pro recessu a resolutione praeseferente favore Ecclesiae Viterbiensis praenominationem in casu, quo contigerit, Episcopum extra utramque Ecclesiam commorari. Repropositis tamen dubiis sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad XII et XIII dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Viterbien. seu Tuscanen. die 27 Martii 1784.*

27. Quin imo verum quippe est, de Ecclesiis aeque et principaliter unitis eam rationem habendam, ut nulla maior considerari valeat, Card. De Luca de praeem. disc. 7 n. 6, Rota decis. 1445 coram Seraphino; sed si ante unionem alia aliis longe dignior sit, tunc semper ad eam pertinet praenominatio *in Terracinen. Setina et Privernèn. die 1 Martii 1766.*

28. Siquidem Capitulum Terracinense contendit, Episcopum semper Terracinensem praenominari debere, cum Terracinensis Ecclesia religionem et Episcopum a divo Petro se accepisse extolleret, Setina ex iudicio Rotae coram Molin. decis. 784 nunquam fuisset Cathedralis, et Privernensis nonnisi quinque Episcopos in tota antiquitate habuisset. Id enim cognitum perspectumque ac iudicatum fuisse dixit ex decisione coram Molin. 785. Proposito hinc dubio: - IV. An Episcopus in quibuscumque Diaeceseum negotiis semper sit praenominandus Episcopus Terracinensis, licet moretur in Civitate Privernensi vel Setina? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad quartum, Affimative; et amplius - *in Terracinen. Setina et Privernen. die 1 Martii 1766.*

29. Hinc et in Fabrianen. Cathedralitatis, approbante s. m. Clemente XII, die 18 martii 1732 Sacra Congregatio rebus consistorialibus praeposita censuit, - quod denominatio Ecclesiae Camerinensis praeficiatur semper et in omnibus actibus etiam respicientibus Ecclesiam Fabrianensem – *in Terracinen. Setina et Privernen. die 1 Martii 1766* §. *Sacra.*

30. Compertum enim est, de iure antiquiori reverentiam honoris deberi, Pitonius discept. eccles. 9 n. 8, Frances de eccles. cathedr. cap. 33 n. 109, Rota coram Molines decis. 822 a n. 1 *in Terracinen. Setina et Privernen. die 1 Martii 1766* §. *Ipsum.*

31. Concessa autem fuit a Summo Pontifice ex sententia S. Congregationis secularizatio Ecclesiae Cathedralis de Regulari statu, invalidata prius secularizatione facta ab Episcopo cum conditionibus, quod non sit locus optioni, nisi cessantibus reservationibus apostolicis non possint retineri privilegia Regularium, quae statui Ecclesiae secularis adversentur et dispositioni eorum, qui bona reliquerunt vel dederunt, non concedantur privilegia aliarum Cathedralium, nisi expressa in supplicatione, Dignitates Canonici et Beneficiati subiaceant Decretis Sacri Concilii Tridentini, nec possint condere statuta praesertim super celebratione Missarum, absque Sedis Apostolicae approbatione *in Pacten. die 19 Decembris 1648 lib. 18 Decretorum pag. 558.*

§. I.

ECCLESIA COLLEGIATA QUOAD AEDIFICATIONEM ET REPARATIONEM

1. Ad Capitulum et Canonicos pertinet restauratio Ecclesiae, quando Praebendae satis superque sunt ad illud onus ferendum, Can. *Decernimus* 10 quaest. 1, Can. *Unio* 3 caus. 10 quaest. 9, Cap. 1 et 4 de ecclesiis aedificandis, Concil. Trid. sess.21 cap. 8 de reformatione *in Praenestina Reparationis Ecclesiae Collegiatae die 18 Septembris 1817* §. *Ulterius.*

2. Canonici enim, quorum Praebendae amplissimis auctae sunt reditibus, in restaurationem Ecclesiae quidquid eorum superest vitae tutioni conferre debent, Barbosa de offic. et potest. Paroch. part. 1 cap. 13 n. 3 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771* §. *Neque.*

Item *in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 9 Iulii 1825* §. *Ubi.*

3. Siquidem a Parochis et Beneficiatis in suarum Ecclesiarum reparationem id solum est erogandum, quod sufficienti eorum superest sustentationi, Bellett. disquisit. cleric. part. 1 de cleric. debit. §. 14, Reiffenst. ius can. lib. 3 tit. 48 §. 1 n. 24 *in Pontis Curvi Reaedificationis Ecclesiae die 3 Decembris 1831* §. *Attamen.*

Item *in Maceraten. Restaurationis Ecclesiae die 19 Aprilis 1834* §. *Iamvero.*

4. Nam ipsi compelli nequeunt suis necessitatibus subtrahere, quod in pias causas erogent, Piringh lib. 3 tit. 48 n. 15, Hostien. in cap. ult. de his, quae a maiori *in Maceraten. Restaurationis Ecclesiae die 19 Aprilis 1834* §. *Iamvero.*

5. Idcirco si Capitulum proventus satis pingues possideat, ad restaurationem tenetur: pluribus enim exortis controversiis inter Praepositum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Pedonis, inter alia proposito dubio: – XIX. An et cui immineat onus reparandi Ecclesiam? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad decimum nonum, spectare ad Capitulum, comprehenso Praeposito – *in Mediolanen. die 26 Aprilis 1732.*

6. Unde attentis legibus fundationis consuetudine ceterisque huiusmodi, Sacra Congregatio mandavit, ut onus reparandi et manutenendi fabricam et campanas Collegiatae et Parochialis Ecclesiae S. Petri Montis Martini pro tertia parte ad Capitulum, pro reliquis duabus partibus ad Archipresbiterum *in Senogallien. die 13 Iunii 1789* (1).

7. Hinc etiam Capellani, qui in Ecclesia Collegiata possident Capellanias de iurepatronatus et de libera collatione Episcopi, si deficiant reditus, iuris remediis obstringendi sunt ad contribuendum pro Ecclesiae fabrica per impositionem census et suspensionem Missarum *in Viterbien. Census die 30 Maii 1767.*

8. Siquidem ad perficiendam fabricam Ecclesiae Collegiatae et Parochialis Sanctorum Faustini et Iovitae Civitatis Viterbiensis, quae de consensu Emi Episcopi funditus reaedificari debuit, Capitulum eiusdem Ecclesiae, post grave aes alienum super Ecclesia et propriis bonis contractum, preces dedit, ut saltem pro scutis 1000 super decem Capellaniis, quae in eadem Ecclesia partim de iurepatronatus, partim de libera Episcopi collatione erectae erant, census imponeretur, hac tamen lege, ut, suspensis respectivis eorumdem oneribus, ex harum eleemosyna fructus census solverentur, ac residuum pro eiusdem census reintegratione deponeretur. Hisce precibus annuit Sacra Congregatio, ac die 21 novembris 1761 – commisit Emo Episcopo, ut, veris existentibus narratis et accedente consensu omnium Rectorum et Patronorum Capellaniarum, de quibus agitur, petitam facultatem accipiendi ad censum in una seu pluribus vicibus seu partitis in totum summam scutorum 1000 tantum super fructibus earumdem Capellaniarum, pro rata tamen,

(1) Resolutio Causae huius prostat in Verb. *Archipresbiter*, §. VI, n. 74 et 75, Tom. II.

per contributum cuilibet Capellaniae assignandum ad rationem minoris, quo poterit, interusurii, pro suo arbitrio et prudentia Oratoribus gratis impertiatur, qui, iniuncta singulis Capellanis obligatione celebrandi aliquem Missarum numerum, proportionabiliter ad uniuscuiusque Capellaniae reditus et onera, ab eodem Emo Episcopo praefiniendum, aliarum Missarum celebrationem et adimplementum usque ad integram census extinctionem, infra terminum ab eodem Episcopo statuendum omnino faciendam, pro suo itidem arbitrio et prudentia gratis suspendat, ita tamen, ut eadem summa ad censum sumenda penes Aedem sacram deponatur, exindeque non amoveatur, nisi ad effectum illam in superius Ecclesiae fabricae expositam causam erogandi, et fructus Capellaniarum, post deductas expensas administrationis bonorum, superextantes, praestita cuilibet Capellano eleemosyna pro Missis interim, ut supra celebrandis, ad rationem eleemosynae manualis, nec non solutis fructibus census pro rata unicuique Capellaniae contingente, in summa residuali in Aede sacra deponatur, pro eiusdem census extinctione, qua secuta, Capellani praedicti dictarum Missarum onus reassumere et Missas in fundatione cuiuslibet Capellaniae praescriptas integre celebrare teneantur –. Huic Rescripto, licet maior Patronorum et Capellanorum pars libenter consenserit, sex tamen ex Patronis et Capellanis consensum denegarunt. Capitulum itaque contendit, praefatum Rescriptum executioni, spreto horum dissensu, mandari debere, cum illud maxime consonum esset iuris dispositioni, quae eos praecipue cogit ad contributionem pro fabrica Ecclesiae, qui ex reditibus et proventibus eiusdem quomodocumque participant. Hinc advertit, nullos Capellanos earumdem titulo ad sacros Ordines promotos fuisse, nullos curam animarum, nec onus residentiae habere; nullo ideo iure cautum esse, ut congrua alimentaria eisdem servaretur, quae tantum Beneficiatis curam animarum habentibus reservanda est. Quin imo nihil inde damni Capellanis obvenire posse dixit, qui abunde in aliis Civitatis Ecclesiis poterant Sacrorum eleemosynas consequi. Nec insuper de necessitate perficiendi Aedificii dubitabatur: hinc modo extraordinario huiusmodi necessitati occurri debebat, cum ordinarius deficeret.

9. His mature perpensis, proposito dubio: – An Capellani dissentientes iuris remediis obstringendi sint ad impositionem census pro fabrica Ecclesiae super fundis Capellaniarum, ita ut Rescriptum Sacrae Congregationis diei 21 novembris 1761 sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative – *in Viterbien. Census die 30 Maii 1767.*

10. Qua de re Canonici Collegiatae Ecclesiae solvere tenentur debitum cum Fabro murario contractum, iuxta concordiam ab eius heredibus oblatam, licet iidem eam omnino respuant *in Assisien. Beneplaciti die 17 Decembris 1825.*

11. Enimvero Collegiatam Ecclesiam S. Mariae maioris Oppidi Bictonii, quae proximam ruinam minabatur, instaurare cupientes eiusdem Collegiatae Canonici, anno 1803 operam conduxerunt Iosephi Cerrini Fabri murarii Perusini, et publicis obsignatis tabulis, eidem se quotannis numeraturos promiserunt scuta bis centum, hisce inter alias adiectis conditionibus, ut scilicet fabrica perfici deberet intra quadriennium, a Canonicis subministranda forent caementa ac alia huiusmodi, et, aedificio expleto, pro sorte solvi ab eisdem deberent fructus scutorum quatuor in singula centum et annos. Contigit autem, ut Canonici neque subministrare caementa, neque annua scuta bis centum suppeditare possent Fabro murario Cerrini; ideoque Ecclesiae fabrica quadriennio ad finem perfici nequiverit. Igitur mense novembris anni 1809 communi Partium placito, duo Fabri murarii metiti sunt opus peractum a Cerrinio, qui die 22 iunii 1810 renunciatus fuit liquidus creditor pro summa scutorum 4156. Obiit deinde anno 1812 Iosephus Cerrini, pluribus relictis filiis, qui post restitutam anno 1815 in pristinum statum Collegiatam, cum neque sortem, neque fructuum solutionem a Canonicis obtinerent, die 13 aprilis eiusdem anni coram A. C. requisita castrensia praedictis Canonicis nuncianda curarunt, tam pro sorte scutorum 4156, quam pro fructibus scutorum quatuor in singula centum et annos, ut nomine damnorum et interesse annos fructus scutorum octo pro quolibet centenario super integra quan-

titate sortis et decursorum fructuum assequerentur; eamdemque requisitorum castrensium nunciationem die 1 septembris 1820 in Assisiensi Curia Episcopali renovarunt. Supplices demum Sacram Congregationem adierunt, ut approbare dignaretur concordiam, qua crediti sortem ad scuta 4000 cohibebant, fructuum decursorum annos a die praefatae nunciationis requisitorum castrensium numerabant, eorumdem fructuum mensuram ad scuta octo coram A. C. evectam, in praesens ad mitissimam rationem scutorum quatuor in singula centum et annos limitabant, novam dilationem ad novennium indulgebant Capitulo ad dissolvendum nomen, quod iamdiu dimittere debuissent, denique in extinctionem sortis annua scuta bis centum essent accepturi. Ipsi enim sustinuerunt, contractum pro nova aedificanda Ecclesia fuisse a Canonicis etiam quoad fructuum praestationem rite initum, cum a die 10 decembris 1802 Sacra Congregatio Canonicis pro Ecclesiae fabrica concesserat suspensionem collationis Paraeciae, – contributis per Oratores ex massa communi in praefatam reaedificationis causam scutis centum quinquaginta usque ad integram fabricae perfectionem –. Idcirco auctos eosdem fuisse dixerunt necessariis facultatibus, ut assignatos reditus, quo modo ipsi magis expedire iudicarent, in Ecclesiae aedificationem insumerent. Nec obesse addiderunt, quod quadriennio fabrica ad finem perducta non fuerit, cum in tabulis instrumenti huiusmodi tempus praefinitum quidem haberetur, dummodo tamen caementa necessaria haud deficerent, quae Canonici nequaquam subministrarunt ad formam conventionis. Contra Archipresbiter contendit, Canonicos deputatos quavis caruisse facultate paciscendi cum Iosepho Cerrini fructuum pensitationem; neque potuisse absque Apostolico Indulto iniri pactionem, quae detrimentum et quidem gravissimum Ecclesiae erat illatura. Damnum autem enorme sensit Ecclesia, quoniam Collegiata ad duos tantum Canonicos redacta, quorum alter apoplexiae – morbo correptus, alter animarum cura oneratus, impar evasit non modo ferendis gravissimis fabricae sumptibus, sed etiam sustinendis quotidianis ac omnino necessariis divini cultus expensis –. Respuit oblatam a fratribus Cerrini concordiam, quae ipsis tantum utilis esset, et Ecclesiae omnino damnosa. Imo nec ullius momenti habendam esse rationum dispunctionem et crediti liquidationem dixerunt, cum intra quadriennium fabricam eorum Auctor haud perfecisset.

12. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur fructuum conventio in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et ad quam rationem a die primae nunciationis requisitorum castrensium debeantur fructus in casu etc. *Et quatenus negative.* III. An fructus debeantur a die secundae nunciationis requisitorum castrensium in casu etc. IV. An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro approbatione concordiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, providebitur in quarto. Ad quartum, Affirmative iuxta preces a Cerriniis porrectas, et ad mentem: mens est, quod Episcopus redditionem exigat a Canonicis, et quatenus fieri possit, curet solutionem etiam citius, quam in concordia fuerit statutum – *in Assisien. Beneplaciti die 17 Decembris 1825.*

13. Similiter plures fuerunt excitatae controversiae inter Archipresbiterum et Canonicos Collegiatae S. Euphemiae Insulae ex una, et Communitatem Ussutii et Spurani ex altera partibus. Unde inter cetera proposito dubio: – VI. An et sub quibus poenis praefati Archipresbiter et Canonici teneantur reparare Ecclesiam Collegiatam et de praesenti tectum pavimentum ac Baptisterium nec non eorum domus Archipresbiteralem et Canonicales? –, Sacra Congregatio die 3 decembris 1712 responsum tulit: – Ad sextum, Affirmative quoad reparationem domorum Archipresbiteri et Canonicorum, et concedatur remissoria super praetensa consuetudine, ad quos spectet onus reparandi Ecclesiam, non retardata tamen eiusdem reparatione facienda per Canonicos, quos Episcopus cogat iuris remediis, salvo iure repetendi –. Reproposito dein dubio sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis sub die 3 decembris 1712 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 1 aprilis 1713 respondit: – Ad sextum, in decisis; et concedendam esse remissoriam etiam quoad probandam tenuitatem redituum –. Confectus hinc fuit processus remissorialis;

sed proposito dubio: – An Archipresbiter et Canonici teneantur reparare Ecclesiam Collegiatam in casu etc. –, Sacra Congregatio die 7 septembris 1720 respondit: – Dilata, et proponatur in prima novembris –. Nemine tamen urgente pro repropositione, dilata fuit eius repropositio; sed instantibus exinde Communitatibus, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et concordetur factum coram Emo Praefecto – *in Comen. Reparationis Ecclesiae Collegiatae die 10 Iunii 1724.*

14. Si enim antiqua extet consuetudo, reaedificatio Ecclesiae Collegiatae pro tertia parte ad Capitulum, et pro duabus tertiis partibus ad Communitatem spectat *in Ripana Reaedificationis Ecclesiae die 10 Martii 1804.*

15. Iamvero cum in Oppido Montis Prandonis Collegiata Ecclesia S. Nicolai esset loco angusta, ornatu sordida, et temporis iniuria fatiscens, conspirarunt publici Repraesentantes uno cum Capitulo, ut illam ampliorem ornatioremque reaedificarent. Peritus Carolus Maggi plantam delineavit, calculavitque expensas ad summam scutorum 5987, 80. Cum vero ex antiqua consuetudine inolevisset, ut sumptus pro Ecclesia fierent pro tertia parte a Capitulo, pro reliquis duabus tertiis partibus a Communitate, hinc Capitulum ut suae obligationi faceret satis, nonnullas emit domunculas, quae circumstabant Ecclesiam, ut haec ampliari posset. Renuit vero Communitas: sed re delata ad Sacram Congregationem Boni Regiminis, haec dedit in mandatis Gubernatori Asculi die 20 iunii 1795, ut adigeret Communitatem Montis Prandonis ad praestandam contributionem pro dictis duabus tertiis partibus, iuxta antiquam observantiam. Unde Communitas supplicavit Sacrae Congregationi, ut compelleret Capitulum ad reparationem Ecclesiae, ex eo quod divitiis abundaret, et fundum haberet pro fabrica Ecclesiae, dum e contra universae opes publicae penes Cameram Apostolicam translatae erant. Episcopus autem retulit, Canonicos non habere, nisi octoginta scuta annua; et fundum Ecclesiae coaluisse ex bonis a Praebendis excerptis, quae Canonici in massam posuerunt, ut ex hoc suppeterent sumptus pro sacris utensilibus. Nec hereditas Antonii Corazza, quae Ecclesiae relicta erat, quippe legatis gravata, sufficere poterat expensis reparationis Ecclesiae. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et pro qua rata Capitulum et Communitas Montis Prandonis teneantur ad expensas reparationis Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative pro tertia parte a Capitulo, et pro duabus tertiis partibus a Communitate ad formam consuetudinis – *in Ripana Reaedificationis Ecclesiae die 10 Martii 1804.*

16. Siquidem quamquam ex Tridentino sess. 21 cap. 7 de reformatione sumptus pro reparatione Ecclesiarum primum accipiendi sint ex proventibus Ecclesiae, deinde a Patronis et Beneficiatis, tandem a Parochianis, attamen secus se res habet, si ex inveterata consuetudine ab aliis Ecclesia refici soleat *in Ripana Reaedificationi Ecclesiae die 10 Martii 1804* §. *Quamquam.*

17. Nam ea est communis Doctorum et Tribunalium sententia, suspendi sacrorum Canonum sanctiones et Tridentini Decretum quoad eos, qui tenentur Ecclesias fatiscentes reparare, si qua adsit particularis consuetudo, ita ut, qui in praeteritum Ecclesiam instauraverint, ii et in posterum ad id cogantur, vi consuetudinis; ita sane Frances de eccles. cathedr. cap. 13 n. 9, Kloch de contrib. cap. 10 n. 15 et 16, Cambanil. divers. iur. can. rubr. 12 cap. 3 n. 94, Leuorex dissert. can. 16 n. 4, Benedict. XIV Inst. eccles. 100 §. Doctores, Sperell. decis. 67 n. 3, Rota in Recent. decis. 184 a n. 2 part. 17, et decis. 7 n. 9 coram Crispo *in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 6 Maii 1820* §. *Totus.*

18. Haec autem consuetudo, cum non sit contra ius, sed tantum praeter ius, ut legitima dicatur, sufficiunt decem et ad summum quadraginta anni; ita Panimoll. decis. 6 annot. 8 n. 43, Rota in Recent. decis. 184 n. 7 part. 17 *in Praenestina Reparationis die 6 Maii 1820* §. *Haec.*

19. Centenaria vero consuetudo suppeditat meliorem titulum, ut aiunt, de mundo, ita ut nihil sint contra eam exceptiones facultatis liberalitatis et pietatis, Rota in Firmana Executionis Apocae 4 februarii 1795

coram Priolo *in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 6 Maii 1820 §. Haec.*

20. Alias quippe actus facultativi, ex religione et pietate exerciti, nequeunt inducere obligationem in exercente, dum praesertim agitur de restauratione Ecclesiae, quae liberalitati est tribuenda, nisi a Canonicis coactiva ac legitima consuetudo luculentissime probetur, Clericat. de Benef. dec. 99 n. 20, Rota coram Riminaldo decis. 314 n. 13 et 14, et in Lucana Reparationum 21 iunii 1763 §. 8 coram Herreros *in Praenestina Reparationis Ecclesiae Collegiatae die 18 Septembris 1819 §. Anno.*

21. Quamquam enim consuetudo centenaria et immemorabilis praesumptionem suppeditet transactionis pacti omnisque melioris ac validioris tituli, attamen si pateat titulus, unde processerit consuetudo, ad praesumptiones haud confugiendum est, Rota coram Rezzonico decis. 293 n. 13, in Romana Salviani 21 aprilis 1755 §. 17 coram Vicecomite, et in Terracinen. Iuris pascendi 8 aprilis 1785 §. 12 coram Soderino; sed unice perpendendum, an titulus ille par sit et idoneus ad obligationem inducendam *in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 9 Iulii 1825 §. Patrimonii.*

22. Quum itaque lis esset inter Canonicos et assertum Patronum, qui antea Collegiatam Ecclesiam semper reparaverat, Sacra Congregatio, urgente citissima reparationis necessitate, mandavit interim, ut assertus Patronus eam repararet, ac dein praefigendum etiam esse terminum edixit Capitulo ad exhibendum statum activum et passivum Praebendarum et Beneficiorum in Ecclesia existentium *in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 18 Septembris 1819 die 27 Maii 1820 et die 9 Iulii 1825.*

23. Enimvero cum nonnullis indigeret reparationibus Collegiata Ecclesia sub titulo S. Andreae in Oppido Paleani, Canonici putarunt, hoc onus ad patrimonium spectare defuncti Connestabilis Philippi Columna, cuius tamen Administratores hoc idem onus tamquam indebitum assumere detrectarunt. Nam anno 1531 iterum, veteribus ex incendio deperditis, conditae fuerunt statutariae leges, probante ac confirmante Ascanio Columna, duplex constituerunt datium, super transitu videlicet animalium, ac super venditione mobilium et semoventium. Paleanensis Communitas dein in manutentionem fabricae Collegiatae noviter tunc erectae assignavit utriusque datii reditus, a duobus Sanctesiis administrandos; sed anno 1619 eiusmodi administratio concredita fuit Connestabilibus Columna, qui insignes impensas fecerunt in manutentionem Ecclesiae, ceu pandebant acta Visitationum annorum 1627, 1630, 1637, 1669, 1674; quodque ex Capite 4 capitularium Constitutionum confirmabatur. Anno vero 1778, aboleta per Summum Pontificem Pium VI gabella transitus, solemnem in actis Episcopalis Curiae emisit protestationem Laurentius Connestabilis Columna, qua ob suppressum datium non amplius se teneri dixit ad fabricae Ecclesiae manutentionem, atque ex pia dumtaxat liberalitate se promptum praebuit pro ea vice tantum ad explendas nonnullas urgentiores reparationes, quae protestatio repetita est annis 1791, 1812, 1815, dum pientissimi Columnenses alias peregerunt restaurationes. Sublata enim correspectivitate, illico evanuit quaevis illorum correspectiva obligatio. Nec obesse videbatur qualitas Patroni, qua fruebatur Gens Columnensis, cum Patronus teneatur ad reficiendam Ecclesiam, dum deficiunt Ecclesiae et Capituli reditus. Idcirco Canonici ante omnes ad huiusmodi onus tenebantur. Contra Capitulum contendit, ad Columnensem Gentem pertinere onus restaurationis, cum ea nedum Patroni iura, sed verum dominium exercuisset in praefata Ecclesia S. Andreae. Vicarius Praenestinus retulit, Ecclesiam citissima egere reparatione. Proposito itaque dubio: – An et cuius sumptibus consulendum sit reparationi Ecclesiae in casu? –. Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, non retardata interim sumptibus Patrimonii Columna reparatione Ecclesiae nunc necessaria – *in Praenestina Restaurationis Ecclesiae Collegiatae die 18 Septembris 1819.*

24. Capitulum hinc enixe sustinuit, familiam Columnam onus reparationis ferre debere, cum ipsa per tria secula insignes quoque impensas in praefatae Ecclesiae restaurationem peregisset. Haec enim consuetudo, cum non esset contra ius, sed praeter ius, ut legitima diceretur, sufficiebant decem et ad summum quadraginta anni. Nec obesse pot-

erant obiectiones deductae ex memoratis vectigalibus, cum nunquam a Capitulo Genti Columnensi cedi poterant, illorum dominio carente, quo tantum fruebatur Familia Columna, quaeque illa primum cessit in dotem Ecclesiae, ut iuspatronatus acquirere posset, ac deinde rursus ad se administrationis titulo revocavit, et quorum postremum vectigal *del contratto* possedit ac locavit usque ad annum 1817. Nullius roboris esse affirmavit protestationes emissas usque ab anno 1778, utpote pugnantes cum bis centenaria et implicite revocatas subsequentibus reparationibus, ac deserto iudicio coram Congregatione Boni Regiminis, coram qua non amplius Capitulo, sed Communitati Paleanensi attribuit cessionem vectigalium, et consequens onus reparationis Ecclesiae. Reproposito autem dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 27 maii 1820 respondit: – Dilata, et firma remanente provisionali resolutione diei 18 septembris 1819, exhibeatur status activus et passivus omnium Praebendarum et Beneficiorum in Ecclesia S. Andreae erectorum, nec non conficiatur et transmittatur peritia expensae necessariae pro omnibus reparationibus, et Causa reproponatur, citatis omnibus interesse habentibus –. Architectus retulit, pro reparationibus – di prima urgenza – quantitatem scutorum 276, pro reparationibus – di seconda urgenza – summam scutorum 1000 fore insumendam, pro Ecclesiae manutentione annuis opus esse scutis 120. Cum autem patrimonium Columna die 7 ianuarii 1820, inita transactione, divisum fuisset inter Principem Asprenum Columna, heredem fideicommissarium, ac Principissas heredes liberas et filias Connestabilis Philippi Columna, atque R. P. D. Auditor Sanctissimi die 23 septembris 1821 decrevisset, instaurationes esse explendas sumptibus – pro nunc communibus, scilicet tam patrimonii fideicommissarii praenobilis familiae, quam liberi, et dein cui de iure –; heredes patrimonii liberi Columnae summam scutorum 487 persolverunt, absque tamen praeiudicio Causae, de qua agebatur, penes Sacram Congregationem. Hinc Defensor patrimonii liberi contendit, argumenta, ex consuetudine ac iurepatronatus desumpta, esse ineptissima. Nam titulus consuetudinis aperte adnitebatur gabellis transitus et contractus; adeoque eo deficiente resoluta extitit obligatio restaurationis Ecclesiae, cum praesertim anno 1778 solemnis emissa ac inde repetita saepius fuerit protestatio. Idcirco licet Principes Columnenses ad iuspatronatus adipiscendum vectigalia illa in dotem et manutentionem Ecclesiae dedissent, ad novam dotationem, quum absque eorum culpa vel facto perierint, praestandam cogi non poterant. Quin imo comperti iuris esse dixit, ubi nulla suppetunt bona pro reficiendis Ecclesiis assignata, eas, etiamsi iurispatronatus sint, in primis instaurare cogi Beneficiorum Rectores, dein Patronos, et alios, qui fructus aliquos, ex Ecclesiae reditibus provenientes, percipiunt, et in illorum defectum Parochianos.

25. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et in executionem praecedentis Decreti diei 27 maii 1820 Emus Episcopus dignetur praefigere terminum unius mensis Capitulo ad exhibendum statum activum et passivum Praebendarum et Beneficiorum in Ecclesia existentium, nec non ad docendum de erogatione scutorum 487 in reparationibus Ecclesiae – *in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 9 Iulii 1825.*

26. Compertum enim in iure est, Patronum teneri ad reficiendam Ecclesiam dumtaxat, dum deficiunt Ecclesiae et Capituli reditus, iuxta S. Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 7 de reformatione, Reiffenst. lib. 3 tit. 48 §. 1 a n. 25 *in Feretrana die 19 Septembris 1818* §. *At enim.*

Item *in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 18 Septembris 1819* §. *Ulterius; in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 9 Iulii 1825* §. *Ubi.*

27. Quin imo explorati iuris est, Patronum post expletam dotationem nunquam ad illius supplementum in casu imminutionis, vel peremptionis compelli posse, sed damnum periculo Ecclesiae cedere, Rota in Recent. part. 11 decis. 62 n. 8, coram Lancetta decis. 280 n. 5 *in Praenestina Reparationis Ecclesiae die 9 Iulii 1825* §. *Quoad.*

28. Ceterum Sacra Congregatio, attentis peculiaribus circumstantiis, quandoque mandavit, placere de concordia inter Baronem et Communitatem loci nec non Canonicos Ecclesiae Collegiatae et Parochialis etiam ex

officio ineunda, ad effectum reparandi praefatam Ecclesiam, cum omnes huiusmodi onus in alios vicissim refundere arbitrarentur *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771 die 27 Iunii 1772 et die 18 Septembris 1773.*

29. Siquidem Collegiata et Parochialis Ecclesia S. Stephani Oppidi Fiani, quod iure feudi spectabat ad Ducem Alexandrum Buoncompagni Ottoboni illius Baronem, reparatione indigebat in pavimento et in tecto, pluribus pastoralium Visitationum Decretis demandata fuerat huiusmodi necessaria reparatio etiam sub poena Interdicti perficienda intra certum tempus, quod saepius fuit postea prorogatum. At implementum non curantibus neque Archipresbitero, neque duobus Canonicis eidem Collegiatae inservientibus, neque Communitate dicti loci, neque aliis, ad quos illud pertinere potuisset, eo tandem perducta res est, ut, collapsa turri campanaria collapsisque Aedibus parochialibus, ipsius quoque Ecclesiae pars ruinam subierit, et ad obeundum divinum cultum indecora atque informis evaserit. Citatis itaque omnibus, Archipresbiter et Canonici non renuebant expensis contribuere, pro rata tamen fructuum, quos ab Ecclesia percipiebant, et salva congrua sustentatione. Asseruerunt, ex Peritorum iudicio impensam requiri scutorum trium circiter millium et centum, et ad hanc impares se esse, cum ducto calculo per quinquennium unicuique scuta 60, et Archipresbitero scuta 120 obvenirent. Compellendos proinde ad contributionem existimarunt omnes alios, qui fructus ab Ecclesia percipiebant, scilicet pensionarios et possessores Capellaniarum ac simplicium Beneficiorum, ac in primis Ducem Ottoboni Baronem, quem dicebant Ecclesiae Patronum, quique praeter honorificentias, quibus gaudebat in Ecclesia, habebat ius praesentandi ad Archipresbiteratum et Canonicatus, et reservandi sub Apostolico Beneplacito pensiones, easque in eventuali casu vacationis favore aliorum prorogandi. Adigendam quoque sustinuerunt Communitatem sive universum Populum, qui Sacramenta percipiebat; nec non eos, quoad reparationem pavimenti, qui habebant sepulchra gentilitia, iuxta proportionem situs, quem eadem sepulchra occupabant. Tandem pro celeri Ecclesiae reparatione supplicarunt, ut praefiniretur taxa contributionis summae ab unoquoque conferendae, habita ratione redituum commodi et utilitatis, qua quisque particeps evadebat. Ex parte vero Baronis contendebatur, onus reparandae Ecclesiae, deficientibus reditibus pro fabrica praecise destinatis, primario inesse Parocho praesertim quoad reaedificationem domus parochialis ac turris campanariae, quin admitti posset redituum tenuitas, cum Archipresbiter Praebendam haberet, quae ad scuta 300 pertingebat. Hinc deducta congrua in scutis centum, Archipresbiterum cogendum esse contendit ad erogandos in fabricam non solum reliquos fructus post ruinam Ecclesiae et adnexorum acceptos, sed alios etiam, quos antea percepit et consumpsit, cum Ecclesia triginta ab illinc annis reparatione indigere ceperit, et ipse eam neglexerit, maxime quia idem ruinae causam dederit facto suo; nam prope domum et turrim campanariam extruxerat hortum pensilem, ex quo factum fuit, ut pluviales aquae ibidem stagnantes penetraverint adhaerentium aedificiorum muros, qui paulatim enerves effecti corruere tandem debuerunt, maximo cum damno contermini Sacrarii et Ecclesiae parochialis, prout Testes deponebant. Deinde teneri ad Ecclesiae reparationem dixit duos Canonicos, quorum Praebendas ad scuta 150 ascendere affirmavit. Quod si haec non sufficerent, cogendam subsidiarie putavit Communitatem, ad quam patronatus spectabat: patronatus enim adnexus haud erat feudo, nisi probaretur, quin ille ex iure praesentandi ad Beneficia desumi posset, cum utrumque distinctum esset. Denique stemma Baronis in fronte Ecclesiae et in organo insculptum nequaquam conferre censuit ad patronatum suadendum, tum quia iisdem in locis etiam stemma Communitatis inspiciebatur, tum quia huiusmodi signa fallacia erant, et referri poterant ad meliorationem ad restaurationem et ad piam largitionem.

30. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quis teneatur ad reparationem Ecclesiae Collegiatae et Parochialis Terrae Fiani et domus Archipresbiteralis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 31 augusti 1771 responsum tulit: – Dilata, scribatur Episcopo iuxta instructionem, et ad mentem –;

scilicet demandatum fuit, ut de reditibus tum Archipresbiteratus, tum duorum Canonicorum nec non de aliis quibuscumque fructibus, ex eadem Ecclesia provenientibus, diligenter ab Episcopo inquireretur. Ex Literis Episcopi et ex adiecto Mensae Capitularis statu colligebatur, annuos Capituli reditus ascendere ad scuta 481.03, expensas vero pertingere ad scuta 258.36 1/2; proindeque singulis annis obvenire Archipresbitero scuta 111.33 1/2, unicuique vero ex Canonicis scuta 55.66 1/2. Non inficiebatur Episcopus, maiorem aliquando fructum ex praediis capitularibus ab aliquo Canonico retrahi, id tamen peculiari uniuscuiusque industriae tribuendum existimavit. Quo vero ad eos, qui Beneficia et Capellanias possidebant, retulit Episcopus, aut parum, aut nihil ab iis percipi, vel id solum, quod oneribus responderet. Idcirco arguit, nil fere ex Beneficiis in Ecclesia erectis detrahi posse pro fabrica, sed in Communitatem, vel in eos, qui patronatum habebant, vel in Populum reparationis onus refundi oportere. Ex alia parte Baronis Defensores plura cumularunt, ut maiorem reditum comprobarent. Reproposito autem dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 27 iunii 1772 respondit: – Dilata, et reproponatur Causa cum alio dubio super pertinentia patronatus, et interim per modum provisionis et sine praeiudicio iurium Partium solvantur scuta 300 ab Ecclesiasticis, totidem a Barone, totidemque a Communitate: et ad Emum Praefectum pro exequutione et directione operis, facto verbo cum Sanctissimo –. Exequuta itaque depositi lege, iuxta modum a Sacra Congregatione praefinitum, et suprema Summi Pontificis auctoritate probatum, cum iamdiu opus inceptum fuerit et vigili directione prosequutum, Causa instante Barone, reproposita est addito etiam altero dubio super pertinentia patronatus. Rursus hinc primum in eo institit, ut ostenderet, haud exiguos esse Ecclesiae reditus, quibus eadem refici deberet: ac dein pro viribus sustinuit, Ecclesiae patronatum ad Communitatem pertinere, ex eo etiam quod Episcopi anno 1593 Communitatem coegerant ad reparanda Ecclesiae tecta, anno 1617 ad mansiones Canonicales restaurandas, anno 1695 ad reficiendum pergamum et huius generis alia. Propositis itaque dubiis: – I. An et quis teneatur ad restaurationem Ecclesiae Collegiatae et Parochialis Terrae Fiani et domus Archipresbiteralis in casu etc. II. An et ad quem spectet patronatus eiusdem Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Attentis particularibus circumstantiis in casu, de quo agitur, placere de concordia, et fiat etiam ex officio per Emum Praefectum iuxta instructionem, facto verbo cum Sanctissimo – *in Nepesina Reparationis Ecclesiae die 18 Septembris 1773.*

31. Alias enim Sacra Congregatio mandavit, ut Episcopus curaret instaurationem Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi, quam *di Petra Fonte* vocabant, ab iis, ad quos de iure pertinebat, faciendam, nec non in ea divinorum officiorum celebrationem ab eiusdem Ecclesiae Canonicis praestandam restitueret *in Suessionen. die 16 Septembris 1662*

32. Quando autem reditus fabricae deficerent Patroni impares essent et Canonici tenues haberent reditus, Sacra Congregatio ad reparandam Ecclesiam Collegiatam nedum facultatem concessit creandi census et collationem duarum Praebendarum ad longum tempus suspendit, sed et bis ac tertio prorogationem suspensionis plurium etiam Praebendarum cum reductione servitii choralis et Missarum, nec non absolutionem seu condonationem quoad praeteritas omissiones indulsit *in Senogallien. Fabricae Ecclesiae die 20 Februarii 1796 die 20 Martii 1824 et die 28 Augusti 1841.*

33. Enimvero Canonici et Sodales Misericordiae Patroni Oppidi Belviderii primum die 10 februarii 1770 ad reficiendam Collegiatam Ecclesiam in solo Lateranensi positam obtinuerunt suspensionem duorum Canonicatuum ad annos 20 nec non facultatem sumendi ad censum summam scutorum mille, atque suspensionem omnium expensarum, quae a Societate fieri solebant, praeterquam expensas requisitas ad celebrationem Missarum. Sed haec haud satis fuerunt: idcirco Sodales Patroni supplicarunt pro indefinita eorumdem Canonicatuum suspensione, donec contrahendum extingueretur alienum aes scutorum mille, et pro absolutione ob erogatum reditum Canonicatus Ubertini in causam diversam a praescripto in Rescripto anni 1770. Hinc eorum petitioni indulsit Sacra Congre-

gatio die 16 iunii 1787 in omnibus iuxta votum Emi Archipresbiteri Lateranensis, ad aliud nempe vicennium, nullo in calculo habitis decem praeterlapsis annis, et ad formam Rescripti anni 1770, consuluitque Sanctissimo pro absolutione, quam Sanctitas Sua benigne concessit. Hinc creati fuerunt census in sorte scutorum mille, quin ullatenus sufficerent; adeoque Capitulum Lateranense, cui directio et executio reparationis fabricae commissa fuit, supplicavit pro creatione alterius census scutorum 2500, et suspensione tertii Canonicatus iam vacati per obitum Iesualdi Tosi. Nam deficiebant reditus fabricae, impar erat operi Societas patrona, tenues Canonicorum proventus, Oppidani nedum pauperes, sed et Concilium Tridentinum de Ecclesiis tantum loquitur parochialibus. His itaque perpensis, Archipresbiter Lateranensis eorum favit instantiae. Unde propositis dubiis: – I. An et quomodo sit providendum reparationi Collegiatae Ecclesiae Belviderii in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit locus suspensioni tertii Canonicatus Tosi et prorogationi alterius iam concessae Canonicatuum Ubertini et Mei in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 februarii 1796 respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Emi Archipresbiteri. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Emi Archipresbiteri etiam quoad Canonicatus Urbertini et Mei –. Emus autem Archipresbiter ita suam aperuerat sententiam: Non minus, quam pro 27 annis harum Praebendarum suspensionem demandandam esse –. Indulta itaque suspensio ad exitum iam properabat, nec operi suprema imponi manus potuerat, ob luctuosissimas temporum vicissitudines: hinc Sodales et Canonici exorarunt novam suspensionis prorogationem nec non suspensionem Praebendae Montileo iam vacantis atque Mansionariae Gianfranchi pariter vacantis. Cum autem ob id sex tantum Canonici remanerent ad servitium chorale, alternis hebdomadis implendum, implorarunt gratiam reducendi praedictum servitium chorale ad dies festos. Favit instantiae Capitulum et Archipresbiter Lateranensis nec non Emus Senogalliensis Episcopus, cum quaevis alia deessent media. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo sit locus suspensioni Praebendae Montileo et Mansionariae Gianfranchi et prorogationi quoad alias iam suspensas in casu etc. II. An et et quomodo sit reducendum servitium chori in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Archipresbiteri, et notificetur Ministris Datariae Apostolicae. Ad secundum, Affirmative ad septennium, exceptis omnibus diebus festis etiam reductis tempore adventus quadragesimae octavis privilegiatis et festis Titularis, cum obligatione celebrandi omnibus diebus reductis Missam lectam pro Benefactoribus, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo quoad omnia – *in Senogallien. Fabricae die 20 Martii 1824.*

34. Praebendae autem, quae possidebantur ab Ubertini et Grassi, expleto sub anno 1830 suspensionis septennio, suis redditae fuerunt possessoribus. Binae aliae ad quatuordecim annos suspensae, quarum prior a S. Lucia, altera a Montileo est appellata, exhausto suspensionis tempore ad finem anni 1837 non collatae manserunt, erogatis subinde sine ullo Apostolico Beneplacito earumdem reditibus in praedictam Ecclesiae fabricam, iis non exceptis, quae in Missarum onera converti debuissent: idipsum factum fere erat quoad Mansionariam Gianfranchi, eadem Sacrae Congregationis resolutione suspensam. Accidit praeterea, ut die 26 martii 1832 vacaverit altera Canonicalis Praebenda, quae audiebat a Maria Virgine *della Stella,* atque haec etiam applicata extitit per modum facti fabricae Ecclesiae, ne quidem satisfactis oneribus. Cumque et altera Mansionaria Gianfranchi interea temporis suum amiserit Rectorem labente anno 1828, haec etiam in idem opus applicata fuit, sine onerum satisfactione. Denique eamdem ipsam sortem passa est Praebenda Canonicalis *Fontanella* seu *Castagna,* quae vidua extitit anno 1839. Hinc porro factum est, ut plures habitae fuerint Missarum omissiones. Res cum ita se haberent, Syndicus Sodalitii una cum Archipresbitero ipsius Ecclesiae perpendentes ex peritia, quae exhibebatur, adhuc necessaria esse ad complementum fabricae, quae iam suo tecto cooperta erat, alia scuta 2300. 43, exorarunt ad sex annos suspensionem Praebendarum Canonicalium iam vacantium cum Missis eisdem adnexis, scilicet S. Luciae, Montileo, et S. Martini, ac etiam suspen-

sionem utriusque Mansionariae Gianfranchi cum Missis pariter adnexis, nec non absolutionem quoad praeteritas omissiones caducitatem ac censuras forsan incursas. Emus Archipresbiter Lateranensis Ecclesiae et Capitulum ipsius Basilicae votis Oratorum libentissime annuere non dubitarunt, eosque dignos esse censuerunt, qui exaudiantur, – cum declaratione, videlicet quod suspensionis tempus debeat imminui, quoties aliunde aliquid pium opus obtineant –. His igitur perpensis, propositis dubiis. – I. An et quomodo annuendum sit precibus Oratorum pro absolutione quoad praeteritas omissiones in casu? II. An et quomodo annuendum sit petitae suspensioni in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative tam pro absolutione etiam a caducitate, quam pro condonatione, celebrata unica Missa cum cantu et interventu totius Capituli. Ad secundum, Affirmative ad sexennium, firma remanente celebratione annua sexaginta Missarum collective applicandarum pro Fundatoribus, et quoad Praebendas in specie suspendendas, ad Emum Archipresbiterum Lateranensem cum facultatibus eas praefiniendi, docto coram Emo Archipresbitero per Administratorem ab eo deputandum, audito Capitulo Lateranensi, de fideli erogatione redituum et Missarum adimplemento, facto verbo cum Sanctissimo; et notificetur Ministris Datariae Apostolicae – *in Senogallien. Fabricae Ecclesiae die 28 Augusti 1841.*

35. Quin imo Sacra Congregatio concessit indultum reaptandi Ecclesiam Collegiatam de iurepatronatus Regio, cum applicatione fructuum Abbatialis dignitatis nec non Canonicatuum eiusdem Ecclesiae *in Burgen. Indulti die 11 Februarii 1696 lib. 46 Decretorum.*

36. Hinc ubi defuit modus ordinarius reparandi Ecclesiam, Sacra Congregatio aliquando fructus duorum annorum cuiuslibet Canonicatus et Praebendae, quae per obitum vacarent applicavit, ut in Leodien. Prorogationis indulti die 9 februarii 1765 *in Viterbien. Census die 4 Aprilis 1767* §. *De necessitate.*

37. Qua de re si ordinaria desint media et urgeat necessitas perficiendi fabricam Ecclesiae Collegiatae, nedum applicatur pecunia ex venditione stabilium retracta, adiecta tamen conditione eadem redintegrandi, expleta fabrica, sed conceditur etiam suspensio collationis plurium Canonicatuum et alterius Praebendae prorogatio *in Assisien. Reaedificationis die 22 Ianuarii 1820.*

38. Siquidem fatiscentem Collegiatam ac unicam Parochialem Ecclesiam S. Mariae Oppidi Bictonii reaedificare cupiens illius Capitulum postulavit a Summo Pontifice, ut suspenderetur vacantis Archipresbiteralis Praebendae collatio, annui reditus scutorum bis centum; ac spopondit, ex capitulari massa aliquod pro viribus afferre subsidium ad operis implementum, cuius necessaria expensa a Perito ab Episcopo deputato evehebatur ad scuta 6548. Ex Summi Pontificis Rescripto die 13 novembris 1802 concessa est petita suspensio ad sexennium, et constitutum ex massa communi contributum in annuis scutis 150, utque unus ex Canonicis ab Episcopo adprobandus animarum curam tamquam oeconomus exerceret, cum annuo emolumento scutorum 40. Iam fervebat opus, cum statim innotuit, imparia omnino esse superius exposita media, cumque aliter suppleri nequiret, Sacra Congregatio die 2 iunii 1804 facultatem indulsit erogandi in fabricam scuta 880, quae ex exemptorum aemulatione habuerat Capitulum ex fundo *Venturelle* de licentia Sacrae Congregationis vendito, quorum tamen ab Oratoribus pollicita redintegratio praescripta fuit in annuis scutis 50, post expletam fabricam investiendis in bonis stabilibus. Verum fabricae moles cum ad fornicem usque perducta tegi nequiret ex pecuniae defectu, rursus petiit Capitulum, ut sibi erogare liceret alia scuta 620, retracta ex venditione super enunciata bonorum stabilium ad Collegiatam spectantium, cuius summae redintegrationem, expleta fabrica, pollicebatur. Sacra Congregatio vero, ne Capitulum ulterius alieno gravaretur aere, id potius non expedire rescripsit die 18 iunii 1807: Sed novis instauratis precibus, petitam facultatem concessit die 21 novembris eiusdem anni apposita conditione, ut, expleta fabrica, non amplius scuta 50 deponerentur, sed septuaginta in erogatarum summarum redintegrationem. Dum fere ad fastigium surrexerat aedificium, tot curas, tot dispendia, unico veluti ictu, obruit hostilis Pontificiae ditionis

invasio. Nedum enim dirempta est pecunia, quam Canonici in Ecclesiae fabricam cumulaverant, sed praeterea Archipresbiteratus ceterosque Ecclesiae bona sibi Demanium usurpavit; atque hinc fabrica per plures annos imperfecta iacuit. Restitutis tamen rebus,iterum Canonici efflagitarunt, ut vacantis Archipresbiteratus Praebendae nedum prorogaretur suspensio, sed praeterea ne quinque vacantes Canonicatus conferrentur, quorum reditus, annuentibus Patronis, iam erogati fuerant ad fabricam perficiendam.

39. Episcopus retulit, quatuor tantum esse in praesentiarum Canonicos, qui, cum carerent propria Ecclesia, in Ecclesia Patrum Conventualium horas canonicas aliasque functiones persolvebant vera concordia una cum tribus Religiosis Sacerdotibus; et sex, ultra Aschipresbiterum, esse Canonicales Praebendas vacantes, quas ob tenues reditus triginta scutorum ad obtinendas nemo comparuit, et cum Collegiata constaret massa communi, neque Praebendas distinctas haberent Canonici et Archipresbiter, idcirco vacantibus Praebendis iam massae communi incorporatis seu commixtis usos esse Canonicos pro expensis fabricae. Unde idem Episcopus postulavit sanationem quoad praeteritum et facultatem erogandi fructus Praebendarum vacantium in prosecutione fabricae, cum necessitas perficiendi aedificium urgeret, quin alia extarent, quibus occurri poterat. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo et ad quod tempus sit locus suspensioni quinque vacantium Canonicatuum et prorogationi alterius iam concessae Archipresbiteralis congruae in casu? II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et sanatione quoad praeteritum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad decennium iuxta votum Episcopi, docto, facto verbo cum Sanctissimo; et notificetur Ministris Datariae. Ad secundum, Affirmative – *in Assisien. Reaedificationis die 22 Ianuarii 1820.*

40. Quum autem extiterint media ordinaria pro restauratione Ecclesiae Collegiatae et Parochialis, Sacra Congregatio haud concessit suspensionem collationis Praepositurae, cui inerat onus curae animarum et praefatam Ecclesiam manutenendi; adeoque praeter media illa imposuit pensionem temporaneam super eiusdem Praebenda, facta etiam facultate Episcopo contrahendi aes alienum super bonis Praepositurae, dimittendum quoad sortem et fructus iisdem praefatis mediis *in Maceraten. Restaurationis Ecclesiae die 7 Iunii 1834.*

41. Iamvero extabat Maceratae Collegium Canonicorum Sanctissimi Salvatoris ad S. Ioannis Evangelistae, quo post dissolutam Societatem Iesu translatum fuit. Duodecim Canonici ipsi erant, praeter Praepositum Parochum, statisque diebus festis ad sacra conveniebant. Census ipsorum haud amplius, cum scuta sexaginta vix acciperent, qui Praebendis ditioribus potiebantur: at annuus Praepositi proventus scutatis plus minus septingentis aestimabatur, e quo tamen demenda erant scutata fere ducenta quinquaginta, in necessarios sumptus impendenda. Ii porro praecipue in Ecclesiae cultum tuitionemque erogabantur, quae omnia e Praepositi penu curanda erant. Cum vero iam inde ab anno 1831, labes in Aede ac praesertim in fornicibus factas, plumbeumque tholi tectorium vetustate exesum, nec non pavimentum tractum maleque materiatum, conspexissent Canonici, cumque subsellario carerent, mortuo Praeposito, postularunt suspensionem Praepositurae, constituto Oeconomo pro exercitio curae animarum, quem et iidem absque mercede coadiuvarent. Episcopus iudicium Architecti municipalis remisit, qui scutatis dumtaxat quadraginta sex satis consultum iri testabatur restaurationibus necessariis, dum Canonici, ex descriptione ab alio perito Architecto facta, retulerunt, sumptus pro interioris Aedis instauratione necessarios scutatis octingentis viginti septem aestimari, scutatis vero plus minus ducentis pro operibus ceteris, praeter grandiores impensas, quibus in Ecclesiae eiusdem supellectilia sacrorumque cultum opus plane erat. At inde Episcopus retulit, ex nova per binos alios peritos Architectos confecta loci descriptione, scutata insuper ducenta impendenda esse, ut eo, quo par erat, cultu sacra illa Aedes restauraretur. Hinc censuit Episcopus, impensam sustineri a Collegio illo posse, quin Populus diutius suo careret Pastore. Nam exigi debebant mediae annatae, quae Episcopis frustra reclamantibus ab huius seculi initio persolutae non erant. Annuum deinde scutorum quinquaginta vectigal

in fabricae tuitionem Praeposito attributum impendi voluisset propositis operibus perficiendis. Insuper existebat summa scutorum 800, quorum fructus in Ecclesiae beneficium erogandi poterant. Haec Episcopus Canonicis proposuit, ut deinceps, ubi maiori summa opus foret, pensio aliudque oneris ex Sacrae Congregationis placito imponeretur Praeposito. Nam onus restaurationis Ecclesiae, teste Episcopo, ad Praepositum dumtaxat pertinebat. Conquerebantur autem Civitatis Decuriones, quod, licet Praeposito incumberet onus manutenendi Ecclesiam, restaurationes tamen neglexit; idcirco si quid ex reditibus Praepositurae superesset, in restaurationes impendi deberet.

42. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo consulendum sit instaurationi Ecclesiae Collegiatae Sanctissimi Salvatoris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, non retardata collatione Praeposituae, imposita super Praebenda pensione scutorum quinquaginta ad sexennium tantum, et adhibitis aliis mediis ab Episcopo propositis, reservato novo Praeposito iure agendi contra quos de iure pro omissis reparationibus, facta eidem Episcopo facultate contrahendi aes alienum super bonis Praepositurae, dimittendum quoad sortem et fructus iisdem propositis mediis, facto verbo cum Sanctissimo – *in Maceraten. Restaurationis Ecclesiae die 7 Iunii 1834.*

43. Alias Sacra Congregatio indulsit pro fabrica Collegiatae Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis Villae de Portimao etiam applicationem ad decennium eleemosynae Missarum, quarum perpetuo onere ex diversis legatis gravabatur praedicta Ecclesia cum annuo reditu scutorum circiter 43, cum Episcopus aequissimam censeret instantiam propter dictae Ecclesiae paupertatem; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo sit locus applicationi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi ad decennium, quatenus non inveniantur alia media a Sacro Concilio Tridentino praescripta; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Pharaonen. Applicationis die 17 Septembris 1791.*

44. Unde Sacra Congregatio, attenta necessitate reaedificationis Ecclesiae Collegiatae et Parochialis nec non Capituli inopia, nedum ad duodecim annos suspendit Missas legata pia ac cetera onera communi massae distributionum et Capellae Sanctissimi Sacramenti peculiaribus instructae reditibus inhaerentia et a Capitulo adimplenda, atque taxam annuorum ducatorum quadringentum Parochianis et bonorum Possessoribus imponendam mandavit; sed et ad quinquennium subinde prorogationem indulsit, licet Episcopus censuerit, dictam prorogationem esse omnino respuendam *in Pontis Curvi Reaedificationis Ecclesiae die 3 Decembris 1831 et die 5 Iulii 1856.*

45. Siquidem Collegiata et Parochialis Ecclesia S. Nicolao in Civitate Pontis Curvi nuncupata, cui septem inserviebant Canonici, quorum primus Abbatiali praeeminebat dignitate et animarum cura fungebatur, nedum quatuor mille continendis Parochianis omnino impar erat, sed etiam ex vetustate ruinam minitabatur, adeo ut Episcopus anno 1830 in sacra peragenda Visitatione eam solo aequari praeceperit, ne forte in praeceps ruens Populum opprimeret. Quocirca Canonici animo et cogitatione se converterunt ad viam ineundam, qua novum Templum sacra Turri et aliis praeditum commoditatibus, quibus fatiscens destituebatur, extolli posset: et facile senserunt, mediis tantummodo a iure statutis opus perfici non posse. Nulla enim extabant bona fabricae Ecclesiae destinata, Canonicales vero Praebendae tam exiguis donatae erant reditibus, ut excepta Abbatis Praebenda, quae vix ad annua scuta centum pertingebat, ceterae aut quadraginta, aut triginta, ac etiam viginti scutatorum quotannis afferebant fructum. Praesto quidem erat communis massa distributionum, cuius annuus valor scutatis centum viginti octo aestimabatur, sed totus fere consumebatur in Missarum aliorumque legatorum implementum ac in alia obeunda Ecclesiae et Capituli impendia. Tandem aderat Capella Sanctissimi Sacramenti peculiaribus instructa reditibus ad annuam vim scutatorum quinquaginta supra bis centum ascendentibus, quorum tamen scutata ducenta ac viginti quinque in Missarum eleemosynas, in sacras peragendas functiones, et in alias subeundas impensas erogabantur. Quae cum ita essent, id

unum ad novum construendum Templum ex sacrorum Canonum iure superesse intellexerunt, ut Parochiani bonorumque possessores, per aes et libram ad ducata duodecim millia, quot nimirum ex Architecti testimonio necessarii erant, suppeditanda compellerentur. Cumque si hoc unum iuris remedium adhiberetur, Templi aedificationem diu protrahi, et Parochianis plus aequo tributum imponi necesse foret, idcirco Canonici Sacrae Congregationi supplicavit, ut dignaretur concedere ad duodecim saltem annos suspensionem cum Missarum, tum aliorum onerum Capitulo et Capellae Sanctissimi Sacramenti imminentium, quo eorum fructus una cum annuis ducatis quadringentis ex Parochianorum indictione cogendis in aedificationem Ecclesiae conferrentur. Hisce autem precibus ut libentius EE. PP. suffragarentur, spondebant Canonici, se pro expiandis Testatorum animabus quolibet anno, donec perduraverit suspensio, Anniversarium celebraturos, ac etiam singulos eadem die Sacrum facturos. Episcopus exposita confirmavit, ac testatus est, nedum de Ecclesiae reaedificationis necessitate, sed et omnes interesse habentes una voce et unanimiter optare, ut cito, quoad fieri posset, novum opus inchoaretur ad maiorem Dei cultum et gloriam et Populi utilitatem ac devotionem. Idcirco libentissime Canonicorum votis in omnibus favit: sed censuit, satis esse ducata circiter decem millia.

46. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus reaedificationi Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 decembris 1831 responsum tulit: – Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo –. Ecclesiae itaque reaedificata est, ac divino cultui et Canonicorum officiis restituta: nonnulla tamen ad operis perfectionem deesse subinde exponebatur a Canonicis. Complenda nimirum erant opera muraria, providenda suppellex, extruendus chorus, unum iterum fundendum tintinnabulum pluribus ab illinc annis confractum, restituenda tot bona massae communi, quot in fabricae usum alienata erant; comparandae demum sex tabulae pictae in Capellis et Altari maiori collocandae, pro quibus omnibus requirebatur summa ducatorum 2977 90, iuxta redactas et exhibitas peritias. Idcirco postularunt Canonici, cum iam vis decem millium ducatorum in Ecclesiae aedificationem impensa fuerit, ut indultum suspensionis onerum ad alios duodecim annos prorogaretur; nam Ecclesiae conditio, ob distracta legitime bona, deterior, quam antea erat, nec congrua suppetebant media in expositam causam eroganda. Episcopus vero censuit, novas expensas a Capitulo faciendas, valde imminui posse; et plura in medium protulit, ut preces Capituli respuerentur, nec aequitati enim consonum erat, ut sumptus omnes a Populo perferrentur, cum et ipsi Canonici plures sumptus perferre possent. Proposito tamen dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus quoad prorogationem Indulti suspensionis onerum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad aliud quinquennium, facto verbo cum Sanctissimo – *in Pontis Curvi Reaedificationis Ecclesiae die 5 Iulii 1856.*

47. Nam Ecclesia Collegiata reputari debet inter loca pia ad effectum etiam consequendi applicationem mulctarum, si reparatione indiget, nec aliunde habeat, quo indigentiae subveniat *in Dubium Applicationis Mulctarum die 17 Februarii 1680 lib. 31 Decretorum pag. 42 a tergo.*

48. Unde multo magis, attenta Capituli paupertate, Sacra Congregatio indulsit, ut legatum a Canonico Nicolao Quirini relictum, ter centum scutorum, cuius fructus perpetuo erogari debebant in interiorem Collegiatae Ecclesiae S. Nicolai Fabriani, applicaretur pro impensa novi organi; his enim in terminis proposito dubio: – An et quomodo permitti debeat applicatio capitalis Quirini in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta preces – *in Fabrianen. Legati die 14 Martii 1795.*

49. Imo Sacra Congregatio, attenta necessitate fabricae Ecclesiae Collegiatae, permisit, ut eidem unirentur bona Sodalitii dissoluti cum respectivo onere Missae hebdomadalis lectae, licet antea cum cantu celebraretur *in Pharaonen. Unionis die 16 Iulii 1791.*

50. Enimvero in Collegiata et Parochiali Ecclesia Sanctissimae Conceptionis Villae de Portimao sub eadem erat Beatae Virginis invocatione Sodalitium. Hoc tandem sive ob languidiorem fidelium charitatem, sive prae

tenui reditu scutorum sexdecim dissoluto, supplicavit Collegiatae Prior pro applicatione reditus fabricae Ecclesiae, cui annua tantum erant scuta quindecim; petiitque, ut hebdomadale Sacrum, quod singulis Sabbatis canere consueverant Sodales, in totidem lectas commutaretur Missas; eiusque instantiae favit Episcopus, qui de necessitate testabatur fabricae, quae ob terraemotum anni 1755 in humili erat statu. Inducta autem fuerat hebdomadalis Missa ex mera Sodalium devotione, cum pinguiores erant Sodalitii reditus; ac eleemosyna pro Missa requirebatur ducati auri de Camera, pro Missa vero lecta obulorum viginti. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus unioni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta preces – *in Pharaonen. Unionis die 16 Iulii 1791.*

51. Non est vero locus commutationi voluntatis, si Testator heredem instituerit Collegiatam Ecclesiam ad effectum complendi opus eiusdem fabricae, sed quatenus illud compleri non posset, iuxta formam substantialem ab ipso praescriptam, aliam Ecclesiam substituerit *in Eystetten. seu Bambergen. die 4 Aprilis 1767.*

52. Siquidem Ioannes Pancratius Veeber oriundus a Civitate Schesliz Diaecesis Bambergensis et Canonicus Collegiatae Sanctorum Nicolai et Emerani Spaltae Diaecesis Eystettensis in suo extremo elogio diei 10 decembris 1736 heredem in suis bonis quasi castrensibus instituit dictam Ecclesiam Collegiatam Spaltae, – cum intentione et conditione, sine qua non, ut ex illis assumpta notabili summa ex fabricae ratiociniis, quae ex principali clementia suae Celsitutinis Francisci Ludovici piissimae memoriae notabiliter, Deo adiuvante, augebitur, haec, ab origine, interventu morte Serenissimorum Fundatorum nondum penitus extructa Ecclesia Collegiata, tandem in statu completa una cum lapideo, non ligneo et gypso tectorio inducto fornice (qui eiusmodi fornix impossibiliter, uti lapideus, durare potest) ponatur –. Certam inde dedit formam implendo operi; ac demum voluit: – Sin autem ad huiusmodi structuram, ut Ecclesia tali methodo honorifica et duratura in statu ponatur, prae primis ad fornicem lapideum formandum animus non adiiciatur, aut intractabilis haec structura agnoscatur, quod tamen sperare nolo, tunc meus heres universalis supramemoratorum bonorum quasi castrensium est paupercula Ecclesia parochialis Civitatis Schesliz Diaecesis Bambergensis, in qua baptizatus fui –. Vita functo Canonico Veeber anno 1748, valor eius hereditatis repertus fuit in florenis 6301, qui ope multiplici pervenerant anno 1764 ad florenos 10840. Accessit quidem anno 1763 alia summa florenorum 12171 ex pia dispositione Urbani Lehembaur Canonici eiusdem Collegiatae, sed ex Peritorum iudicio necessaria erat summa florenorum 30000 ad complendum opus, iuxta formam a Canonico Veeber praescriptam, dum et reditus fabricae Ecclesiae vix ad florenos 1349 ascendebant. Qua de re Capitulum supplicavit, ut ope commutationis voluntatis Canonici Veeber – structura novi aedificii fiat cum fornice ligneo et gypso, omissis (quae iuxta formam testamenti Veeberiani requirebantur) in choro cuppula, fornice lapideo per totam Ecclesiam, atque requisitis ad hanc firmandam duodecim vel quatuordecim firmis pilis, nec non altera turri ad unius altitudinem evehenda, ceteris vero iuxta praedictam voluntatem Decani Veeber servatis –. Plura hinc deduxit Capitulum, ut ostenderet necessitatem ac utilitatem commutandi praedictam voluntatem: sed Ecclesia parochialis in Schesliz advertit, Canonicum Veeber expresse fornicem ligneum et ex gypso prohibuisse, ac lapideum praescripsisse; sub hac expressa conditione Collegiatam heredem instituisse, eadem conditione quomodocumque sive casu, sive impotentia non impleta, substituisse parochialem Ecclesiam in Schesliz. Claram esse proinde dixit suam substitutionem: ius non eventuale, sed certum ex eadem habere; immo sibi ius iam quaesitum esse et institutionem Collegiatae evanuisse, quia per duo de viginti annos Testatoris voluntas et iniuncta conditio impleta non fuerat.

53. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia commutationis voluntatis Pancratii Veeber in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Eystetten. seu Bambergen. die 4 Aprilis 1767.*

54. Hinc dum quaeritur, an descriptus modus vel forma per aequipollens impleri possit, communis distinctio est inter formam substantialem et effectualem. Si substantialis est, nequit aliter, quam scriptum est impleri, Altogr. cons. 46 n. 21, De Comit. de fideic. decis. 38 n. 9, Rota in Romana Immissionis 20 februarii 1736 §. Itaque coram Calcagnino. Si vero effectualis, potest alio modo impleri, dummodo idem sequatur effectus, Palma Nep. alleg. 342 n. 12, allegat. 343 n. 14, Card. De Luca de fideic. disc. 45 n. 4, Rota in Romana seu Forolivien. Fideicommissi 20 maii 1720 §. Cum coram Foscaro *in Eystetten. seu Bambergen. die 14 Martii 1767* §. *Canonicus*.

55. Substantialis dicitur, cum Testator speciali ex causa illam elegit, Balducc. ad Ramen. cons. 28 n. 9, De Comit. decis. 16 n. 31, vel praecise et circumscriptis verbis illam servari iussit, Altogr. cons. 46 n. 9, Rota decis. 36 Recent. part. 16 n. 6, et in Verulana Successionis 12 februarii 1748 §. 5 coram Caprara: maxime si clausulis usus est – non alias aliter ac alio modo –, Fusar. de substit. quaest. 460 n. 14, Rota coram Molines decis. 1007 n. 2, et in Romana Immissionis 7 maii 1737 §. Hic coram Vais. Effectualis vero, quae ideo a Testatore apposita est, ut sequatur effectus, quem voluit, L. *Mulier* 22 ff. ad Senat. Trebell. *in Eystetten. seu Bambergen. die 14 Martii 1767* §. *Substantialis*.

56. Reditus autem a Capitulari cessi favore fabricae suae Ecclesiae Collegiatae, sed postquam haec translata et unita fuerit cum suis bonis alteri Ecclesiae Collegiatae, huius favore revocata ab eodem fuit dicta cessio redituum, applicandi sunt iuxta secundam cessionem pro ampliatione praefatae Collegiatae Ecclesiae, cui altera unita extat *in Firmana die 16 Martii 1793*.

57. Iamvero Felix Paschalius Archipresbiter Collegiatae Ecclesiae S. Donati Montis Ulmi anno 1774 plures cessit reditus illius fabricae. Pius VI anno 1778 ad conciliandas controversias inter huius Collegiatae Canonicos et Capitulum alterius Collegiatae Sanctorum Petri et Pauli eiusdem Oppidi concordiam ab eisdem initam approbavit, curamque animarum iura onera parochialia et Collegiatam S. Donati cum universis illius bonis rebus et proprietatibus perpetuo ad Ecclesiam transtulit Sanctorum Petri et Pauli, eique aeque principaliter univit. At plerique ex Canonicis S. Donati cum Praeposito institerunt pro ampliatione Ecclesiae S. Donati: unde Archiepiscopus per Decretum sacrae Visitationis anni 1781 parochiales in Ecclesia S. Donati interdixit functiones, inhibuitque illius ampliationem. Mandatis non paruit Praepositus: sed inde die 11 iunii 1782 inita fuit concordia, qua is permisit, ut ipsius reditus favore fabricae Ecclesiae S. Donati cessi, pro ampliatione fabricae Ecclesiae Sanctorum Petri et Pauli applicarentur. Concordiam hanc probavit Archiepiscopus, et cum plenaria absolutione et dispensatione Praepositi confirmavit Summus Pontifex die 25 septembris eiusdem anni per organum Secretarii Sacrae Congregationis, iuxta votum Emi Salviati Relatoris. Vita functo Praeposito transigente Paschalio, Capitulares agere ceperunt pro ampliatione praefatae Ecclesiae Sanctorum Petri et Pauli: sed Iacobus Costa et Aloisius Pampinonius adierunt Sacram Congregationem, ut coacta pecunia et caementa adhiberentur potius pro fabrica Ecclesiae S. Donati, pro qua ab initio destinata erant; ipsi enim non de mandato Canonicorum, qui a suis erant partibus, sed populari actione contenderunt, exequendam esse primam defuncti Praepositi Paschalii cessionem, quin is revocare potuisset cessionem illam, utpote factam Ecclesiae, per posteriorem alteram anni 1782, eoque magis quia imperfectum ac deforme erat aedificium S. Donati, in quo plures adhuc ex Bulla unionis fiebant sacrae functiones, et unio expleta fuerat aeque principaliter, non subiective, ita ut sarta tectaque servata essent privilegia iura et bona, quae inter dos fabricae. Urserunt altera ex parte dissentientes Canonici finalem primae cessionis causam, nempe – di vedere decentemente compita questa mia Chiesa –. Dum enim sua per unionem esse desiit Ecclesia S. Donati, resoluta ob defectum causae fuit cessio, ac valida idcirco dici poterat illius revocatio favore Ecclesiae per transactionem anni 1782, quam Archiepiscopus et Summus Pontifex approbarunt. Utiliorem praeterea dixerunt ampliationem Ecclesiae Sanctorum Petri et Pauli,

dum divina in ea celebrabantur officia, omnesque exercebantur parochiales functiones, quin frequentem capere valeret Populum. Partium hinc studio agere ipsorum Collegas, qui negligendam censuerunt Ecclesiam propriae residentiae, alteramque curarunt, a qua translata est Parochia et Collegiata; exprobaruntque Costam et Pampinonium, quod ad privatum amenioris prospectus commodum zelum ostenderent pro Ecclesia S. Donati. Nam ex Bulla unionis dicti reditus praefatae Ecclesiae SS. Petri et Pauli applicari deberent, dum unio facta erat - cum universis illius (Ecclesiae S. Donati) bonis rebus et proprietatibus –, quae sane etiam fabricae translationem includebant, quin obesset clausula – aeque principaliter –, cum haec ad aequalitatem referretur Canonicorum, qui in unum coacti erant Collegium, non ad materiales Ecclesias, quarum una per unionem effecta erat Collegii sedes, quaedam tantum in altera explebantur functiones.

58. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quae cessio sit exequenda et cui Ecclesiae sint applicandi reditus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Exequendam esse secundam cessionem, et applicandos reditus Ecclesiae SS. Petri et Pauli, et Archiepiscopus incumbat ampliationi; et amplius – *in Firmana die 16 Martii 1793.*

§. II.

ECCLESIA COLLEGIATA QUOAD ERECTIONEM

1. Ante seculum XVII communis erat Doctorum opinio etiam in Tribunalibus recepta, Episcopum posse erigere Ecclesiam in Collegiatam, teste Rota in decis. 1084 coram Emerix iuniore, in qua legitur: – Anno 1623 communiter erat opinio inter Doctores, quod licitum esset Ordinariis laicorum Ecclesias in Collegiatas erigere, secundum quam opinionem iudicari debet de eius temporis erectione, licet deinceps ex superventis declarationibus Sacrae Congregationis Concilii contraria invaluerit opinio – *in Cremonen. Erectionis Collegiatae die 7 Septembris 1720* §. *Absque.*

Item *in Montisfalisci Collegiatae die 13 Septembris 1856* §. *Fateor.*

2. Quidquid vero olim senserint Canonistae, dudum tamen communis invaluit opinio, Episcopos facultate non pollere erigendi Collegiatas, sed necessariam omnino esse Summi Pontificis auctoritatem, Corrad. in prax. Benef. lib. 2 cap. 92 n. 73, Card. Petra ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 n. 8 tom. 3, Rota in Recent. decis. 99 n. 9 part. 7, et decis. 125 n. 3 part. 17 *in Sancti Miniatis Absolutionis Reductionis et Translationis die 20 Decembris 1828* §. *Initio.*

3. Huic Doctorum sententiae accedit diuturna ac perennis observantia, scilicet Collegiatarum erectiones fieri a Romanis Pontificibus, Rota coram Emerix iuniore decis. 1084 n. 5, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 14 n. 43 *in Terracinen. et Setina Servitii chori et Missae conventualis die 14 Septembris 1782* §. *Videndum.*

Item *in Collen. Applicationis Missae conventualis die 8 Februarii 1783* §. *Advertit; in Sancti Miniatis Absolutionis Reductionis et Translationis die 20 Decembris 1828* §. *Initio; in Ferentina Residentiae die 8 Augusti 1829* §. *Ecclesiam; in Neapolitana Statutorum die 31 Iulii 1852* §. *Deterius; in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Hisce.*

4. Idcirco nulla esse potest Collegiata Ecclesia sine Apostolico Beneplacito, Rebuff. prax. Benef. tit. de erectione in Collegiatam, Pignatell. consult. 90 n. 1 tom. 2, et consult. 109 a n. 1 tom. 9, Card. De Luca de Benef. disc. 14 n. 12, quia Collegia nonnisi Potestate Principis Supremi erigenda sunt, L. 3 §. In summa ff. de Collegiis illicitis *in Nullius Trium Fontium Missae Conventualis die 14 Martii 1772* §. *Ab hoc.*

Item *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826* §. *At; in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Hisce.*

5. Potissimum post Motum – Proprium Clementis VIII prohibentis Episcopis erigere Parochiales in Collegiatas; de quo fidem facit Rebuffius in prax. tit. de erect. in Collegiatam: uti enim animadvertit Ferrarius in Biblioth. verb. Collegium n. 21 sola auctoritate Episcopi Collegiata nunquam potest erigi, sed semper debet recurri ad Papam, qui erectionem concedit, dummodo votum Sacrae Congregationis Concilii, ad quam remittuntur preces, sit favorabile *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Hisce.*

Item *in Viterbien. Iurium et Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Hisce.*

6. Unde erectio Collegiatae Ecclesiae auctoritate Episcopi expleta nullius roboris est *in Sancti Miniatis Absolutionis Reductionis et Translationis die 20 Decembris 1828* §. *Initio.*

Item *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Hisce; in Sancti Miniatis Erectionis Praebendae celebrationis Missarum et Praeeminentiarum die 14 Ianuarii 1860* §. *Ex altera.*

7. Nam Sacra Congregatio declaravit, Episcopum erigere non posse Ecclesiam simplicem in Collegiatam, nec facultatem concedere Canonicis Collegiatae ab eo erectae gestandi cucullam canonicalem auctoritate ordinaria, neque asservandi in ipsa Ecclesia Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum *in Syracusana die 13 Novembris 1638 lib. 16 Decretorum pag. 106.*

Item *die 22 Septembris 1640 lib. 16 Decretorum pag. 419.*

8. Imo extra omnem dubitationis aleam compertum est, quod quaevis Ecclesia licet Parochialis ad Collegiatae dignitatem evehi nequeat sola Episcopi auctoritate, sed omnino requiratur Apostolicae Sedis Beneplacitum, maxime post motum proprium Clementis VIII, ut est communiter recepta sententia in Rebuff. in prax. Benef. tit. de erect. Collegiat., Lotter. de re Benef. part. 1 quaest. 14 a n. 38, Rot. in Recent. decis. 99 n. 9 part. 7 et decis. 125 n. 3 part. 17 Sacra Congregatio *in Viterbien. Iurium ac Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Hisce.*

9. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, – Episcopum non posse Ecclesiam Parochialem in Collegiatam erigere – *in Conversana die 27 Iunii 1626 lib. 13 Decretorum pag. 27.*

10. Hinc rursus Sacra Congregatio statuit, Episcopum non posse erigere auctoritate ordinaria Ecclesiam Parochialem in Collegiatam *in Fulginaten. die 26 Februarii 1639 lib. 16 Decretorum pag. 150.*

11. Amplia, Episcopus nec in actu sacrae Visitationis valide erigere potest Collegiatam *in Cremonen. Collegiatae die 7 Septembris 1720* §. *Cremonen.*

Item *in Collen. Applicationis Missae Conventualis die 8 Februarii 1783* §. *Advertit; in Sancti Miniatis Absolutionis die 20 Decembris 1828* §. *Initio.*

12. Siquidem proposito dubio: – An erectio Collegiatae facta per Episcopum in actu Visitationis in Ecclesia S. Antonii Oppidi S. Philippi de Argiro sustineatur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Catanen. Erectionis Collegiatae die 1 Septembris 1691 lib. 41 Decretorum pag. 133.*

13. Idcirco Sacra Congregatio ex integro concessit gratiam novae erectionis Ecclesiae in Collegiatam insignem ab Episcopo antea titulo Collegiatae decoratae, cum indulto iurisdictionis privative quoad Causas civiles in prima instantia et criminales pro excessibus levibus commissis in choro Ecclesia et functionibus ecclesiasticis, in quibus procedendum sit extraiudicialiter, et in poena levi privative, Episcopo absente, et eo praesente cumulative et cum illius praelatione *in Antuerpien. Erectionis Collegiatae die 28 Iulii 1702 lib. 52 Decretorum.*

14. Enimvero – usque de anno 1656, Ordinario tantum auctorizante, Collegiatae praerogativa decorata fuit Ecclesia S. Iacobi Civitatis Antuerpiensis, in qua institutae fuerunt diversis temporibus Dignitates Decanatus et Vice–Decanatus nec non viginti duo Praebendae Canonicales. Exoptans autem in praesenti Civitas praedicta illam in insignem Collegiatam secularem erigi facere, praevia fundatione tertiae Dignitatis Cantoratus aliorumque octo Canonicatuum, cum Praebenda annuorum ducatorum 212 pro quolibet, preces ad hunc effectum Sanctissimo porrexit, supplicans quoque pro indulto exercendi iu-

risdictionem in prima instantia in suos Subditos privative in Causis civilibus et criminalibus, nempe in delictis levioribus eo modo, quo perfruuntur aliae insignes Collegiatae illarum partium: quibus precibus ad hanc Sacram Congregationem pro voto remissis, placuit EE. VV. exquirere informationem Episcopi, qui refert, praefatam Ecclesiam satis esse praeclaram quoad structuram, cuius Decanus a Capitulo electus, ab Episcopo postea confirmatur, et quoad petitam iurisdictionem concludit, eam posse supradicto Capitulo saltem ex gratia concedi in civilibus et levioribus delictis privative, nisi Episcopus pro tempore iudicaret ob eorum gravitatem praevenire, et in casu sententiae immediate appellationem interponi debere coram eodem Ordinario; quibus omnibus ad Datariam transmissis, et per Emum Pro-Datarium remissa ad EE. VV. supplicatione pro voto, sequens dubium decidendum proponitur: - An sit concedenda erectio Collegiatae, de qua agitur, una cum indulto petitae iurisdictionis in civilibus et levioribus delictis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Pro gratia novae erectionis ex integro in Collegiatam insignem cum indulto iurisdictionis privative quoad Causas civiles in prima instantia, et criminales pro excessibus levibus commissis in choro Ecclesia et functionibus ecclesiasticis, in quibus procedendum sit extraiudicialiter, et in poena levi privative, Episcopo absente, et eo praesente cumulative et cum illius praelatione - *in Antuerpien. Erectionis Collegiatae die 28 Iulii 1702 lib. 52 Decretorum.*

15. Quin imo erectio Collegiatae facta ab Episcopo mediante unione duarum Parochiarum absque Sedis Apostolicae Beneplacito nedum uti nulla habetur, sed nec locum esse erectioni Collegiatae edicitur, simulque mandatur, ut fiat concursus coram Episcopo quoad Parochialem vacantem *in Syracusana Collegiatae die 8 Iulii 1713 et die 13 Aprilis 1715 lib. 63 et 65 Decretorum.*

16. Siquidem - iam ab anno 1705 supplex confugit ad Sanctissimum Dominum Nostrum Clerus et Populus Oppidi Militelli pro unione Parochialis Ecclesiae S. Nicolai magni tum pridem vacantis cum altera S. Mariae de Stellis, praesertim attenta diminutione numeri animarum atque confusione iurisdictionis utriusque Ecclesiae, reiectisque precibus ad Sacram hanc Congregationem, Episcopo subinde pro informatione remissis, idem ipse, mandatis, ut par est, obsequendo, prae ceteris retulit, quod plerique ex hominibus praelibati Oppidi desiderio flagrantes, quod eorum Patria Collegiatae Ecclesiae decore cohonestaretur, votique compotes fieri nequire opinantes, nisi ex unione earumdem Parochialium, recensitas preces exposuerunt: at vero partem alteram Civium adeo a praefata unione dissentire asseruit, ut potius congruam pro Collegiata erigenda opportunam exhiberet. Tandem praelibatus Relator desuper votum proferens censuit, nullimode annuendum esse expetitae unioni, rationibus late recensitis in relatione exhibenda. Hinc obsistente ulterius Laurentio de Interlandis, qui collationem primodictae Parochialis iam, expeditis Apostolicis Literis, reportaverat, in Congregatione diei 17 aprilis 1706, Oratores minus propitium Oraculum reportarunt. Nuper vero de mense augusti Apostolicae Sedi reservato anni 1610 ab humanis sublato ultimo possessore alterius parochialis Ecclesiae S. Mariae de Stellis, Episcopus, praevia eius unione, ordinariam auctoritatem interposuit pro Collegiatae erectione octo Canonicorum cum quatuor Dignitatibus in Ecclesia praememorata S. Nicolai Magni, reportato consensu dicti Laurentii de Interlandis eiusdem Rectoris, cui Archidiaconalem Dignitatem contulit. Porro sub his animadvertens Ioseph Malacria, irrito conatu huiusmodi assertam Collegiatam erectam fuisse, inconsulta Apostolica Sede, supplicationem in Dataria exposuit pro impetratione dictae Ecclesiae parochialis S. Mariae de Stellis; at sese interponentibus assertis Canonicis, sub die 26 ianuarii praeterlapsi anni Emus Pro - Datarius, praevia revocatione omnium gestorum in Curia Syracusana, Causam ex integro reiecit ad hunc Sacrum Consessum pro voto -.

17. His itaque perpensis, proposito dubio: - An sit locus erectioni Collegiatae, seu potius sit relaxanda supplicatio in casu etc. -, Sacra Congregatio die 8 iulii 1713 responsum dedit: - Negative ad primam partem iuxta modum petitum, Negative ad secundam, et fiat concursus coram Episcopo -. Repro-

posito dein dubio sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 8 iulii 1713 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis in omnibus, et amplius – *in Syracusana Collegiatae die 13 Aprilis 1715 lib. 63 et 65 Decretorum.*

18. Unde non modo locus haud est confirmationi erectionis Collegiatae ab Episcopo factae, ex bonis a pio Testatore dispositis et obnoxiis multiplico ad effectum illa erogandi in subsidia dotalia, sed attento lapsu septuaginta annorum nec non praerogativa insignitatis atque Cappa magna violacei coloris cum Rocchetto a Summo Pontifice obtentis nova erectio facienda est, iuxta modum et ad mentem *in Syracusana Collegiatae die 18 Februarii 1713 lib. 63 Decretorum.*

19. Enimvero Petrus de Laurentio Terrae Sicli anno 1565 heredem suam nominavit Confraternitatem laicalem sub invocatione *S. Maria la Nova,* cui prae ceteris piis legatis iniunxit, quod annuatim quinque dotalia subsidia unciarum 20 pro quolibet distribueret totidem Puellis aut Viduis Siclensibus cum praelatione earum, quae Testatori essent sanguine coniunctae, quibus deficientibus, admitterentur oriundae ex Comitatu Motucae, subindeque pius ipse Testator subtexuit: – Item voluit, quod deductis prius omnibus legatis et dispositionibus per eum factis totum id, quod supererit, medietas scilicet, implicari deberet in maritagio tot Puellarum, ultra tamen supradictas quinque Puellas, prout supra expressarum, vel ad electionem dictorum Rectorum cum medietate praedicta dictum legatum unciarum 20 accrescere, et illud facere uncias 25 pro qualibet ex dictis Puellis, et altera medietas quolibet anno depositari deberet in tabula H. V. ad effectum emendi tot reditus, qui semper stent et stare debeant dedicati pro effectibus supra expressis –. Praefatum tamen multiplicum ita neglectum fuit, ut anno 1646 aut inexacta, aut nullatenus investita assereretur summa scutorum quinquaginta millium: quapropter Officiales dictae Confraternitatis animo menteque volventes, quod medietas redituum, quae adimpletis oneribus supererat, perpetuo infructuosa iacebat, quin etiam negligebatur, supplices adierunt Episcopum Syracusanum, ut commutare et applicare dignaretur portionem redituum hereditariorum, qui inexacti reperiebantur, pro erigenda Collegiata quatuor Dignitatum et duodecim Canonicorum ad praesentationem Officialium pro tempore eiusdem Confraternitatis; unde Episcopus, praevia reservatione Beneplaciti Apostolici, quatenus opus fuisset, anno 1646 Collegiatam erexit, quae anno 1672 insignitatis praerogativam promeruit, eiusque Canonici et Dignitates condecorati fuerunt Cappa magna violacei coloris cum Rocchetto, expeditis Literis Apostolicis. Quoniam vero in dubium subinde revocari cepit eiusdem erectio redituumque legitima applicatio, praedicti Confratres efflagitarunt novam praefatae Collegiatae erectionem, cum reservatione iuris praesentandi Canonicos et Dignitates, excepta dumtaxat Praepositura, nec non cum indulto habitus tituli insignitatis alias impetrato. Episcopus Syracusanus favorabile Oratoribus votum protulit. Emus de Abdua Relator censuit, precibus indulgeri posse quoad Collegiatae confirmationem sive erectionem, dummodo tamen pro assignatione redituum ultimo exposita obnoxia dumtaxat essent bona et reditus provenientes ex ea medietate, quae ex praecepto Testatoris erat multiplicanda, ne eius voluntas vulneraretur super reliquis reditibus dotium distributioni addictis. Hinc etiam ius praesentandi concedi posse videbatur, quod a septuaginta fere annis obtinere asserebant, tum quia loco iuris nominandi Puellas sibi ipsis id merito competere autumabant, tum quoque attenta tenuitate redituum Canonicalium, qui ad congruam alimoniam non sufficiebant, adeoque nullus foret, qui pro tenui Praebenda Datariam adire vellet, pro expeditione Bullarum Apostolicarum.

20. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus confirmationi erectionis Collegiatae et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, sed esse concedendam novam erectionem, iuxta modum et ad mentem – *in Syracusana Collegiatae die 18 Februarii 1713 lib. 63 Decretorum.*

21. Validam tamen Sacra Congregatio declaravit erectionem Collegiatae factam ab Episcopo, sub reservatione Beneplaciti Apostolici absolute obtinendi, quod iam obtentum

fuisse legitime praesumitur *in Cremonen. Collegiatae die 7 Septembris 1720.*

22. Siquidem quatuor Portionarii Parochi Ecclesiae SS. Firmi et Rustici Oppidi Caravaggi Diaecesis Cremonensis contenderunt, erectionem Ecclesiae Parochialis SS. Firmi et Rustici in Collegiatam nullatenus sustineri, cum facta fuerit auctoritate Ordinaria, quae ad dictum effectum non sufficit, cum Apostolica requiratur. Absque eo quod urgere valeret, quod iuxta antiquam opinionem poterant Ordinarii devenire ad erectionem Ecclesiarum Collegiatarum, et quod ab hac opinione non est recedendum, quando agitur de Collegiatis erectis tempore, quo praedicta opinio vigebat, iuxta decisionem 1084 coram Emerix iuniore; quandoquidem Ordinarius Cremonensis devenit ad erectionem Collegiatae die 19 decembris 1617, reservato expresse Beneplacito Apostolico, et cum clausula - nec alias aliter nec alio modo -, quae reservatio cessare facit propositam exceptionem. Minusque refragante praesumptione obtenti deinde Apostolici Beneplaciti, quia Cardinalis Camporeus Episcopus Cremonae anno 1637 terminum praefixit ad reportandum Apostolicum Beneplacitum, et praesumptio, quae de iure communi pro Apostolico Beneplacito derivabat ex lapsu triginta aut sexaginta annorum, sublata dicebatur ex Constitutione Urbani VIII edita anno 1641, ut in Bullar. ex ordine 56 tom. 4, et quam per compendium refert Fagnanus in Cap. *Consuetudine* a n. 60 de consuetudinibus, in qua Constitutione centenaria tantummodo praeservatur, uti habetur apud Adden. ad Pamphil. decis. 153 n. 14. Et quia Emus Imperialis, dum Legati de latere munere fungebatur apud Caesaream maiestatem, insignem declaravit dictam Collegiatam, respondebatur a Portionariis, id non officere, ex quo non poterat dici insignis Collegiata, quae non fuerat legitime erecta. His tamen non obstantibus, proposito dubio: - An sustineatur erectio Collegiatae SS. Firmi et Rustici in Oppido Caravaggi Cremonensis Diaecesis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative - *in Cremonen. Collegiatae die 7 Septembris 1720.*

23. Quum itaque necessaria omnia concurrerent requisita, quibus indulgetur gratia erectionis Collegiatae et Episcopus testaretur, se a Summo Pontifice vivae vocis oraculo confirmationem erectionis Collegiatae a praedecessoribus expletae obtinuisse, Sacra Congregatio sanationem, quatenus opus esset, indulsit *in Sancti Miniatis Absolutionis Reductionis et Absolutionis die 24 Ianuarii 1829.*

24. Iamvero anno 1771 Episcopus Poltri Presbiteros Ecclesiae parochialis S. Ioannis Baptistae Oppidi Ficicli Canonicorum titulo decoravit, et anno 1780 eius successor Bruno Fazzi eamdem Ecclesiam in Collegiatam erexit, auctoritate propria ac etiam delegata et omni alio meliori modo. Praeterea modernus Episcopus, quum dubius haereret super canonica erectione huius Collegiatae, s. m. Pio VII rem enarrandam censuit, ab eoque vivae vocis oraculo confirmationem obtinuisse testabatur. Iusta etiam causa subesse videbatur pro impetranda sanatione, quum necessaria concurrerent requisita, quibus gratia erectionis Collegiatae indulgetur. Proposito hinc dubio: - I. An constet, Ecclesiam S. Ioannis Baptistae esse Collegiatam in casu? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad primum, Consulendum Sanctissimo pro sanatione, quatenus opus sit, adiecta lege, ut intra sex menses conficiantur Constitutiones ad formam Concilii Romani - *in Sancti Miniatis Absolutionis Reductionis Translationis et Absolutionis die 24 Ianuarii 1829.*

25. Sacra Congregatio autem, ceu Ferrarius in Biblioth. can. verb. *Collegium* post Monacellium tom. 2 tit. 13 form. 6 n. 8 adnotat, regulariter pro concessione erectionis Collegiatae solet inclinare, quoties concurrant sequentia: primo qualitas loci nota digni; secundo docilitas civilitas et numerositas Populi et Clericorum; tertio structura decora et capacitas Ecclesiae in Collegiatam erigendae; quarto abundantia decentia et pretiositas sacrarum supellectilium; quinto dos congrua pro Praebenda Canonicorum et distributionibus, quae metienda ex qualitate loci et consuetudine aliarum Collegiatarum illius Provinciae; sexto si conditiones fundationis et erectionis non sint exorbitantes a iure; septimo si augeatur divinus cultus, et concessio nemini inferat praeiudicium; octavo si Episcopus approbet et laudet erectionem *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853 §. Haec.*

26. Idcirco haud indulgetur gratia erectionis Collegiatae, si requisita ad huiusmodi erectionem peragendam deficere videantur, tum ratione situs, tum ex tenuitate redituum, atque Ecclesiae servitium parum augeatur, nec non plures interesse habentes adversentur *in Litteren. Erectionis Collegiatae die 7 Decembris 1715 lib. 65 Decretorum.*

27. Siquidem – vacante Ecclesia Archipresbiterali Curata S. Mariae Oppidi Gragnani per obitum ultimi possessoris, iampridem mox dicti Oppidi Communitas supplex egit pro gratia erectionis dictae Ecclesiae in Collegiatam insignem undecim Canonicorum cum Archipresbitero, qui curam animarum obire debeat. Remissa huiusmodi instantia ad sacrum EE. PP. Consessum, datae fuerunt Literae pro informatione, citatis interesse habentibus, Vicario Capitulari, qui, ea qua par est obedientia, munere suo fungens, processiculum compilari curavit, ac Sacrae Congregationi cum luculenta relatione transmisit. Primum quidem in iisdem actis inseritur reclamatio Parochianorum ac Incolarum iam dicti Oppidi adversus intentatam erectionem, tamquam sibimetipsis et potissimum Pauperibus praeiudicialem, cum divisis inter Canonicos proventibus Archipresbiter nequiret eleemosynas distribuere, ut nunc solet; praeterea ipsi Oratores addiderunt, quod Ecclesiae cultui satis modo insistunt Archipresbiter ac undecim Parochi, qui divina officia ibi celebrant pluribus anni mensibus continuo, et deinde in quibuscumque solemnioribus festis diebus; autumarunt quoque, requisita minus concurrere ad erectionem Collegiatae, tum ratione situs, cum etiam ex tenuitate redituum. His accesserunt reclamationes Presbiterorum, qui in concursu habito ad dictam Parochialem Ecclesiam approbati fuerunt. Parochi vero reliquarum Ecclesiarum Oppidi consensum pro erectione praestiterunt, pluribus tamen reservatis conditionibus et praeeminentiis ob cessionem redituum, quos modo percipiunt pro celebratione divinorum officiorum, ut praefertur, in saepe dicta Ecclesia. Postremo in dicto processiculo inseritur particula quaedam pervetusti libri compilati de anno 1587, ubi notatur, proventus Archipresbiterales Ecclesiae S. Mariae summam pertingere ducatorum 300, describuntur quoque stabilia, quae modo habet mox dicta Ecclesia. Vicarius Capitularis, his praecognitis, inquit, quod situs dictae Ecclesiae minus idoneus videtur Collegiatae erigendae, cum in monte positus comperiatur, nemoribus sit circumdatus et longe a frequentibus habitationibus dissitus, cum viis incommodis praecipue hyemali tempore. Non inficiatur tamen aeris salubritatem et structuram Ecclesiae aptissimam, excepta nimis angusta Sacristia; animarum vero totius Oppidi numerum computat trium millium. Quoad redituum quantitatem praelaudatus Relator prosequitur, eam non esse opulentiam, quam exprimit Communitas; etenim si attendatur antiqua descriptio, eiusmodi proventus computantur in ducatis 300, quae itidem summa liquidata fuit de anno 1701 in exequutione Bullarum Apostolicarum. Ceteroquin, ut asserit, quid certi statui nequit, cum agatur de reditibus non minus decremento, quam augmento subiectis: in praesenti vero sibi constare, inquit, ex Peritorum relatione, hos proventus computari posse in summa ducatorum 466 circiter, e quibus demendi essent ducati 113 pro debitis et oneribus Archipresbiteratus, aliaeque impensae pro Ecclesiae et Sacristiae reparatione et sacrorum supellectilium; neque sane ex cessione redituum, quos Parochi modo percipiunt ratione servitii chori, sufficiens augmentum haberi posse subdit Relator, nam deductis proventibus, quos ipsi Parochi sibi reservant, vix augmenti summa comprobatur in ducatis centum, praetereaque dubium excitat, num cessio huiusmodi effectum habere possit, absque consensu Patronorum Ecclesiarum parochialium.

28. Contra haec deducta enixe exclamat Communitas oratrix, quae autumat, compilationem processus praepropere conclusam fuisse, proindeque Relatorem minus perspecta habuisse documenta pro eius parte adducenda, quibus omnia requisita ad erectionem Collegiatae satis comprobari asserit, videlicet Collegiatae erigendae situm universo Populo obvium, Ecclesiae structuram valde decoram, eiusque proventus pinguem summam pertingere ducatorum 870, Oppidum Gragnani amenissimi aeris, et numeroso Populo refertum, cum erudito Clero. Verum Emus de Abdua, qui super exposita instantia requisitus fuit,

omnibus consueta sedulitate perpensis, non dubitat contra petitam erectionem votum proferre: et si enim aliqua facti dubietas considerari posset ex utrinque adductis, nihilominus Emus praelaudatus Relator insufficientiam redituum proponit, licet proventus calculentur in summa ducatorum 870, ut asserit Oratrix, nam his divisis in tot capita, tenuis Praebenda constituitur; praeterea animadvertit, quod Ecclesiae servitium parum augeretur, aliaque adducit rationum momenta, quemadmodum latius in relatione. Dignentur itaque EE. PP. his praelibatis, ex latius adducendis, sapienter definire: – An et quomodo Oratricis precibus sit indulgendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Litteren. Erectionis Collegiatae die 7 Decembris 1715 lib. 65 Decretorum.*

29. Unde antequam Sacra Congregatio indulgeat gratiam erectionis Collegiatae cum usu Rochetti et Mozzettae quoad Canonicos et Dignitates, id etiam omni cura rescire studet, quod status materialis Ecclesiae sit decens capax stabilis et duraturus *in Syracusana Erectionis Collegiatae die 5 Septembris 1716 die 27 Novembris 1717 lib. 66 et 67 Decretorum die 29 Ianuarii 1718 die 7 Iulii die 2 Decembris 1719 et die 24 Februarii 1720.*

30. Enimvero – consultus Emus Barberinus super precibus Parochialis et Matricis Ecclesiae S. Georgii Civitatis Ragusinae petentis, in ampliorem Collegiatae insignis statum immutari, doctissimum edidit votum, EE. VV. exhibendum, in quo duo ante gratiae concessionem examinanda proponuntur. Primum, an praesens gratia potius ex aemulatione cum altera Parochia S. Ioannis Baptistae ratione litium enunciatarum, quam ex zelo domus Dei postuletur; maxime quia in provisione Dignitatum et Canonicatuum praeferri supplicant Baptizatos in dicta Matrice Ecclesia, vel in eius filiali S. Nicolai, aut etiam in S. Thomae Apostoli parochiali Ecclesia, nulla facta mentione Parochiae S. Ioannis Baptistae. Alterum, an obstet qualitas materialis Ecclesiae per terraemotum ab anno 1693 pene dirutae et eversae, neque adhuc reaedificatae, sed parum Templum in situ proximo tumultuario opere et ad tempus constructum reperitur. Supplicationis conditiones, quae in dicto voto ex praescripto sacrorum Canonum et in maius Ecclesiae bonum et Populi aedificationem vel reformantur, vel abolentur, superfluum est recensere. Oratores autem inter cetera, quae in supplicatione cumulant, praetendunt, fructus vacantium Canonicatuum deponendos esse penes Capituli Camerarium, ut pro Sacrarii supellectilibus et ornamentis erogentur; omnes praerogativas et indulgentias pro vivis vel defunctis exorant, quibus aliae Collegiatae insignes in Diaecesi Syracusana erectae de iure usu consuetudine et privilegio potiuntur; facultatem sibi attribuunt condendi statuta, illaque ad libitum reformandi alterandi et immutandi, nulla facta mentione consensus Episcopi, et ea addita conditione, ut, « postquam condita et reformata fuerint, eo ipso Apostolica Auctoritate confirmata censeantur »; demum sequentibus amplissimis clausulis gratias omnes, quas exorant, constabiliendas esse proponunt, ut «illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus suspensionibus limitationibus aliisque contrariis dispositionibus pro tempore factis, vel faciendis, nunquam comprehendi aut comprehensas censeri, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, ac de novo sub quacumque posteriori data quomodolibet et quomodocumque eligenda concessas fore et esse». Super quibus sapientissime de more EE. PP. definient: – An et quomodo Oratorum precibus sit indulgendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 5 septembris 1716 respondit: – Supplicent post reaedificatam Ecclesiam et restitutum eiusdem decorem –. Inde – pluribus Peritorum aliorumque Testium fidibus in Summario EE. VV. exibendis Ecclesiam, ut supra, reaedificatam pro Collegiata sufficientem et decentem esse praetendunt. Quare, cum impossibis sit antiquae Ecclesiae restauratio ob ingentem pecuniarum summam, quae esset necessaria, Ragusiae Magistratus eiusdemque quamplurimi Ecclesiastici supplices dubium pro gratia reproponunt: – An et quomodo Oratorum precibus sit indulgendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et Episcopo pro informatione, iuxta instructionem – *in Syracusana die 27 Novembris 1717 lib. 67 Decretorum.*

31. Instructio fuit, ut Episcopus distincte et plene referret circa statum materialem Ecclesiae post terraemotum reaedificatae; et an aedificium stabile esset et duraturum, et capacis decentisque structurae. Quum Episcopus recusaret informationem transmittere, Oratores petierunt, ut Sacra Congregatio Literas dare dignaretur Metropolitano; et Sacra Congregatio die 29 ianuarii 1718 rescripsit: – Ad mentem –, quae fuit, quod Secretarius Sacrae Congregationis Episcopum Mazzariensem alloqueretur tunc in Urbe commorantem; sed Antistite Mazzariensi se excusante propter magnam distantiam inter Diaecesim Mazzariensem et Syracusanam, Sacra Congregatio mandavit, ut scriberetur Archiepiscopo Messanensi pro informatione et voto, qui die 7 iulii 1719 haec habuit: – De Ecclesia noviter aedificata, pro divinis tamen officiis rite obeundis in eo loco Aedes aedificata est ad laevam veteri eiusdem muro adhaerens, qua ex parte non infirmior est, aut brevi casura, sed fortasse validior perpetuoque duratura videtur. Reliqui tres parietes solidi etiam sunt, nec veluti tumultuario excitati. Tota structura non adeo contemnenda est, quin peragi in ea possint sacrae caeremoniae cum debita decentia, quae Canonicorum Collegio conveniret. Adeo capax est, ut septem Altaria in ea existant, et chorus subsellia multa habet, in quo Presbiteri et Clerici plures divinas quotidie laudes persolvunt a Populo seiuncti. Pavimentum lapide subornatum, tectumque more patrio coopertum, omnis vero ornatus temporum calamitate nihil amisit. Ideo censeo Canonicorum Collegium posse decorari –. Reproposito autem dubio sub eadem formula Sacra Congregatio die 2 Decembris 1719 respondit: – Reproponatur, et circumferatur votum Emi Barberini –. His itaque adimpletis, reproposito praefato dubio, Sacra Congregatio responsum tulit: – Pro erectione Collegiatae, iuxta numerum petitum Canonicorum et Dignitatum et cum concessione usus Rocchetti et Mozzettae, expedien. per Datariam; et in reliquis iuxta votum Emi Barberini, et quoad facultatem condendi statuta, addatur clausula, quatenus iuri Canonico et Sacro Concilio Tridentino non adversentur, et ad mentem – *in Syracusana Erectionis Collegiatae die 24 Februarii 1720.*

32. Quando enim necessaria concurrunt requisita, Sacra Congregatio indulget gratiam erectionis Ecclesiae plebanae in Collegiatam, licet Episcopus difficultates, quae tamen non subsistunt, proponat ac urgeat *in Marianen. Erectionis Collegiatae die 13 Februarii 1751.*

33. Siquidem Praefecti Terrae Lurii, quos Patres Patriae nuncupabant, et Clerus eiusdem Terrae postularuut, ut plebana Ecclesia S. Petri praedictae Terrae Lurii vacans morte Plebani Auctoritate Apostolica in Collegiatam erigeretur, quae constaret unica Dignitate, nomine Archipresbiteri honestanda, cuique animarum curam incumberet, sex Canonicis, Aedituo seu Sacrista, et duobus Subcuratis, qui Archipresbiterum in cura animarum coadiuvare tenerentur. Nam plebana Ecclesia erat splendide exstructa, chorum habebat amplum, pluribus constabat Capellis et Altaribus, eaque erat latitudine, ut universos Terrae illius Incolas recipere posset: necessariis instructa erat sacris supellectilibus, et ut augeri et conservari posset sacra supellex annua scuta 20 Sacrario tribuebantur. Terra Lurii non erat ignobilis, componebaturque numeroso Populo animarum 1078; nova Collegiata congruo Canonicorum aliorumque Ministrorum numero constaret, quo divina officia sacraeque functiones rite peragi possent; dos, quae Dignitati sex Canonicis subcuratis et Aedituo constituebatur ex annuis plebanae Ecclesiae reditibus, excedebat quotannis scuta 500. Insubsistentes esse monstrarunt Praefecti et Clerus difficultates ab Episcopo obiectas. Proposito hinc dubio: – I. An locus sit erectioni plebanae Ecclesiae S. Petri Terrae Lurii in simplicem Collegiatam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Marianen. Erectionis Collegiatae die 13 Februarii 1751.*

34. Hinc Sacra Congregatio censuit, Collegiatam esse erigendam in Oppido a tribus Testatoribus primum designato, non obstante contraria opinione duorum Episcoporum pro informatione requisitorum, cum illud revera non esset rusticanum, sed satis numero Incolarum, atque Ecclesiae amplitudine ac splendore refertum *in Cremonen. Erectionis Collegiatae die 30 Aprilis die 11 Iunii 1712*

die 1 Aprilis 1713 die 8 Iulii 1719 et die 7 Septembris 1720 lib. 62 63 69 et 70 Decretorum.

35. Iamvero – Marchio Caesar Vidonus testamento facto de anno 1694 duobus suis filiis heredibus, Petro videlicet tunc Episcopo Laudensi ac deinde S. M. E. Cardinali et Marchioni Ioanni Paulo, demandavit erectionem Collegiatae de iurepatronatus suae familiae in Ecclesia parochiali Oppidi S. Ioannis de Cruce, assignatis reditibus percipi solitis ex Portu Picceleonis, qui tunc ascendebant ad annuam summam ducatorum 200, pro quatuor Canonicis, comprehenso Praeposito seu Archipresbitero, qui ibidem residere et officia divina recitare deberent una cum quibusdam orationibus in dicto testamento recensitis. Quatenus vero erectio Collegiatae fieri non posset in Ecclesia S. Ioannis de Cruce voluit, quod erigeretur in Ecclesia S. Caeciliae Civitatis Cremonae, et si nullo modo erectio ad finem perduci posset, legavit memorato Petro Episcopo Laudensi reditus Portus Picceleonis pro erectione Collegiatae assignatos, qui animadvertens, reditus esse insufficientes pro explenda erectione Collegiatae petiit et obtinuit a R. Fabrica dilationem, unde in ultimis suis tabulis ad eam erigendam reliquit scuta 3000 monetae Romanae, superaddendo tamen, quod si Collegiata erigi non posset, non obstante praedicto augmento, summa relicta converteretur in Missarum celebrationem. Franciscus Sorresinius heres praefati Episcopi, qui Caesaris iunioris Vidoni nomen et cognomen assumpsit, plura peregit, ut compleret erectionem Collegiatae, sed immatura morte praereptus in suo ultimo testamento anni 1700 enixe filio heredi Iosepho Antonio commendavit Collegiatae erectionem, qui propterea, ut eam facilius assequi posset, disposuit etiam de praedio S.Gervasii a praedicto Caesare seniore pro erectione Conventus relicto, quum omnes Religiones invitatae ad huiusmodi legatum illud acceptare noluerant, cum onere tamen augendi proportionabiliter numerum Canonicorum. Hinc Ioseph Antonius supplicavit pro erectione Collegiatae: sed reassumptis informationibus Ordinariorum Cremonensium, quae diversis vicibus fuerunt exquisitae, altera videlicet de anno 1694, et altera de anno 1703, et altera de anno 1710, earum tenor erat uniformis in excludenda erectione Collegiatae in Oppido S. Ioannis de Cruce sub obtentu, quod Oppidum illud tempore piorum disponentium erat nobile, et sic Collegiatae capax, antiqua tamen forma amissa, rusticanum evaserat, ita ut indecens videretur, ut in illo adesset Ecclesia Collegiata. Qua de re Emus D. Paracianus super precibus referre et votum suum pandere requisitus consultissime animadvertit, satis supra esse ad Collegiatae erectionem numerum 700 Incolarum eiusdem Oppidi, Ecclesiaeque parochialis structuram mille circiter hominibus capiendis idoneam, quae septem Altaribus insignitur, chorum habet viginti Clericorum capacem, organo decoratur, cui tandem nihil deest ad cultum divinum. Censet proinde idem Emus Relator, his qualitatibus et dotibus attentis, saepedictam Collegiatam instituendam esse in eadem Terra S. Ioannis, in obsequium trium disponentium voluntatis, qui enixe eamdem exoptarunt erectionem in proprio Feudo, eo ulterius attento, quod primo dictus Testator hanc Collegiatam erigi demandavit etiam pro eiusdem Populi commoditate et spirituali progressu, ut facilius Clerici sacris Ordinibus initiari possint, ut tandem animam agentes sacrorum eorumdem Ministrorum assistentia non destituerentur –. Proposito interim dubio: –An et quomodo sit erigenda Collegiata, vel Canonicatus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 aprilis 1712 respondit: – Dilata –. Nam Causae Patronus inter informantes dixit, quod pro erectione dictae Collegiatae nedum attribuenda erant capitalia ad id relicta, sed forte eorum fructus, qui longo temporis intervallo percepti fuerunt, dum ineffectuata iacuit piorum disponentium voluntas; interea huiusmodi difficultati occurrere studuit, in medium adductis binis Tribunalis R. Fabricae compositionibus, quarum una inita fuit anno 1706, altera anno 1710, tam pro huiusmodi fructibus usque tum decursis, quam pro praedio S. Gervasii. Reproposito itaque dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Collegiatam erigendam in loco S. Ioannis de Cruce; et quoad modum et numerum, dilata et ad mentem – *in Cremonen. Erectionis Collegiatae die 11 Iunii 1712 lib. 62 Decretorum.*

36. Mens autem fuit, ut ab P. Auditore Sanctissimi impetraretur remissio Causae super assertis compositionibus. Sed Marchione Iosepho Antonio iterum ad Sacram Congregationem recurrente pro obtinenda erectione Collegiatae in loco S. Ioannis de Cruce, cum R. Fabricae privilegia in his terminis locum sibi vindicarent, proptereaque eius placitum in quaestionem revocandum non esset in Sacra Congregatione. Proposito vero dubio: – An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 1 aprilis 1713 respondit: – Dilata, et ad mentem –. Mens fuit, ut procuraretur deputatio Congregationis particularis, ad effectum recognoscendi, an iurisdictio iudicandi super dictis compositionibus spectaret ad Congregationem R. Fabricae, vel potius ad Sacram Congregationem Concilii. Cohaerenter ad hanc expedita fuit commissio et directa RR. PP. DD. Ansaldo Cerro Ansideo; cumque particularis haec Congregatio nunquam coacta fuerit, et opus pium per consequens ineffectuatum adhuc permaneret, dictus Iosephus Antonius supplicavit, ut erectio fieret Collegiatae in loco S. Ioannis de Cruce, et cum ex reditibus capitalium relictorum a Marchione Caesare seniore et a Petro Vidone Episcopo Laudensi scuta 191 perciperentur, annua Praebenda Archipresbiteri esset in scutis 50, illa trium Canonicorum in scutis 45 pro quolibet, et illa duorum Clericorum in scutis 8 pro unoquoque eorum. Nam quoad praedium S. Gervasii, Marchio Caesar iunior condemnatus fuerat ad eiusdem relaxationem et ad deponendos omnes fructus perceptos, licet compositionem et cessionem iurium reportasset a R. Fabrica, cum repudiationes illius legati factae Beneplacito Apostolico carerent. Quoad autem complementum aedificii Collegiatae, in compositione inita cum R. Fabrica super fructibus decursis et non applicatis in erectionem Collegiatae impositum fuit onus construendi dictum aedificium et in eodem implicandi scuta 5000, absque eo quod ulla quaestio excitari valeat super validitate compositionum initarum cum R. Fabrica. Voluisset tamen Marchio, quod ex capitali scutorum 5000 deducerentur annua scuta decem pro complemento Praebendarum, et quod facta praedicta deductione aedificium perficeretur. Proposito itaque dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 8 iulii 1719 respondit: – Pro gratia erectionis, iuxta modum –. Modus fuit, quod transmitteretur planta aedificii faciendi una cum relatione Peritorum in ordine ad expensam, et quod etiam transmitteretur nota expensarum factarum pro comparandis caementis, et in emptione domus facta a Caesare iuniore de Vidonis, et tandem quod fructus percepti ex reditibus Portus Picceleonis post compositiones initas cum R. Fabrica deponerentur et implicarentur pro augmento numeri Canonicorum. Et cum etiam domus canonicales iuxta mandatum pii Testatoris construi deberent, quae tamen inutiles forent, quia futuri Canonici probabiliter futuri erant praedicti Oppidi, petiit Orator facultatem construendi loco earum prope Ecclesiam magnum cubiculum, in quod Canonici tempore hiberno se recipere possent, una cum quadam alia mansione, in qua se induere et spoliare valerent. His adamussim impletis, Episcopus censuit, consultius videri, quod pecuniae retrahendae ex omissione fabricae domorum canonicalium implicarentur in augmentum numeri Canonicorum, quia S. Carolus Borromaeus suppresserat Collegiatas locorum Ripaltae et Sulpicii, ex eo quod numerus Canonicorum non erat sufficiens pro sacris functionibus, et Canonici in parvis Oppidis degentes vitam ducebant in ludis et venationibus.

37. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Augendum esse numerum Canonicorum ad ratam redituum, et onera Missarum esse repartienda inter antiquos et novos Canonicos – *in Cremonen. Erectionis Collegiatae die 7 Decembris 1720.*

38. Idcirco Sacra Congregatio reiecit Collegiatae erectionem extra locum a Testatore designatum, non obstante attestatione Episcopi, praedictum locum esse rusticum et minus aptum, Ecclesiamque pauperem et sine choro *in Cremonen. Erectionis Collegiatae die 26 Martii 1695 lib. 45 Decretorum.*

39. Nec igitur indulgetur erectio Collegiatae in alia Ecclesia a Testatore non praescripta, quin etiam dos Canonicatuum ope multiplici ad summam ab eodem constitutam pervenerit *in Ariminen. Erectionis Collegiatae die 26 Septembris 1739.*

40. Siquidem exoptans Fabritius Amati post obitum suum institui Collegiatam canonicam seu Congregationem, in qua Clerus Oppidi Sabiniani divina officia unitim recitare valeret, mandavit heredi plures tradi ac fieri census activos, qui necessarii forent ad Collegiatam erigendam. In executionem huius testamentariae dispositionis factae anno 1666 Andreas heres plures assignavit Clero Sabiniani hereditarios census, quorum annui reditus cum ex eorum multiplico per eumdem Clerum eousque administrato ad scuta bis centum et quinquaginta excreverint, maior Cleri pars statuit Collegiatam a Testatore praescriptam instituere in Parochiali seu Archipresbiterali Ecclesia S. Luciae, utque voti compos fieri posset Sacrae Congregationi exposuit, Collegiatam erigi non posse in Ecclesia S. Iosephi a Testatore designata, ob illius angustiam et contradictionem Patronorum; iampridem Sacram Congregationem indulsisse, ut eadem Collegiata ad Archipresbiteralem Ecclesiam S. Luciae longe ampliorem et recens e fundamentis in elegantiori forma extructam transferri posset. Postulavit itaque, ut ex enunciato annuo reditu scutorum 250 erigerentur quinque Canonicatus, ultra alios duos, quorum alterum iam fundavitPetrus Franciscus Perticari, alterum vero fundari meditabatur Familia Berloni, nec non ipse Archipresbiteratus S. Luciae erigeretur in primam Dignitatem. At votis praefati Cleri eiusque petitioni obstiterunt Michael Angelus Alocatelli Rector parochialis Ecclesiae S. Mariae Castriveteris, et nonnulli alii Parochi eiusdem Oppidi Sabiniani, nedum autumantes, omnia, quae ad validam legitimamque Collegiatae erectionem requiruntur, adhuc desiderari, sed contendentes etiam, plurimum immutari Testatoris voluntatem, si Collegiata erigeretur in Ecclesia S. Luciae, quadraginta dumtaxat scutorum dote cuique ex Canonicalibus Praebendis constituta et Archipresbiteratu dictae Ecclesiae S. Luciae in primam Dignitatem erecto, cum Testator in Ecclesia S. Iosephi Collegiatam institui et annua scuta quinquaginta cuilibet ex Canonicis assignari praeceperit, districte praeterea disponens, ut semper excluderentur Rectores et Archipresbiteri praefati loci, scilicet S. Ioannis, S. Luciae, et Rectoris S. Mariae Castriveteris, qui forent pro tempore.

41. Propositis hinc dubiis: – I. An et quomodo sit erigenda Collegiata, de qua agitur? *Et quatenus affirmative.* II. An illa sit erigenda in Ecclesia Archipresbiterali S.Luciae, iuxta translationem auctoritate Sacrae Congregationis ab Ordinario decretam sub die 19 februarii 1735, vel potius in Ecclesia S. Iosephi iuxta mentem Testatoris? III. An inter Canonicos Collegiatae sit admittendus Archipresbiter in primam Dignitatem? *Et quatenus affirmative.* IV. An sit locus deputationi alterius capitis Plebanatus seu Vicariatus Terrae Sabiniani? V. An et penes quem debeat remanere administratio multiplici a Testatore demandati? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et servetur dispositio Testatoris. Ad reliqua, provisum in primo; et amplius – *in Arimínen. Erectionis Collegiatae die 26 Septembris 1739.*

42. Quod si Testatores demandaverint erectionem Collegiatae cum onere Canonicis imposito inserviendi choro alternatim, Sacra Congregatio, attento parvo numero novem Canonicorum et unius Rectoris, permisit quidem erectionem Collegiatae in Ecclesia parochiali, sed simul statuit, ut Canonici tenerentur ad quotidianum chori servitium, et iuspatronatus Capitulo relictum foret ecclesiasticum, non vero laicale, nec non tertia tantum redituum pars converteretur in massam distributionum, quin subinde permittere censuerit separationem Canonicatus a cura animarum *in Anagnina Erectionis Collegiatae die 3 Octobris 1711 lib. 61 Decretorum et die 13 Septembris 1834.*

43. Enimvero Mathia Raoli mulier et Ioannes Baptista Raoli patrueles nobiles Anagniae, ad occurrendum indigentiae Clericorum dictae Civitatis et ad maiorem eorum patriae honorificentiam, anno 1701 coniunctim testamentum condiderunt, in quo sese invicem alternatim ac reciproce heredes instituerunt, et post utriusque obitum heredes substituerunt Sacerdotes Hieronymum de Cocchis et Ioannem Baptistam de Raolis, eis interdicta quacumque detractatione, eisque demandando, ut in domo eorum propriae habitationis construi curarent Ecclesiam sub invocatione S. Angeli Custodis erigendam in Collegiatam pro novem Canonicis ac una Dignitate, Rectoria nun-

cupanda; mandaruntque, ut fructus hereditarii pertingentes summam annuam scutorum 950, deductis prius oneribus, aequaliter dividerentur inter Canonicos, ex iisque assignata summa scutorum decem Rectori plus quam aliis, qui omnes Collegiatae praedictae deservire tenerentur alternatim et modo et forma, quo Canonici Cathedralis Ecclesiae Anagninae, Iuspatronatus activum et praesentandi Clericos cives Anagninos sive illius Diaecesis oriundos reliquerunt eidem Capitulo et Canonicis dictae Collegiatae capitulariter congregandis. Pro prima vero vice ipsi Testatores Rectorem et Canonicos nominarunt, et circa approbationem Collegiatae remiserunt se dispositioni Sacrae Congregationi Concilii. Praedefuncto Ioanne Baptista, mulier Mathia superstes considerans, graves expensas fore erogandas in fabricam Ecclesiae construendae in supra designata domo, dispositionem praedictam in hac parte immutando sancivit et declaravit, iuxta facultates sibi in praedicto testamento reservatas, Collegiatam Ecclesiam praedictam fore erigendam in parochiali Ecclesia S. Andreae Civitatis praedictae, accedente consensu eiusdem Archipresbiteri Rectoris, cum diversis conditionibus et pactis initis cum eodem Archipresbitero, inter quae illud dispositum et conventum est, ut quomodocumque prima Praebenda et Canonicatus vacavisset, tunc ea assignaretur Archipresbitero pro tempore dictae parochialis Ecclesiae, qui una cum dicta Parochiali retineret Praebendam et Canonicatum, et Canonicus Curatus nuncuparetur ad instar Canonici Curati Ecclesiae Cathedralis Anagninae cum exemptione a choro, quoties impeditus foret ratione curae animarum, primumque locum inter Canonicos, post tamen Rectorem Collegiatae, obtineret. Ac insuper iuspatronatus praedictum declaravit esse laicale, nec non renovavit nominationes Canonicorum. Defuncta Mathia, Rector et Canonici supplicarunt pro erectione novae Collegiatae erigendae ac illius approbatione. Nedum Episcopus Anagninus, sed et cl. me. Card. Caprara informare requisitus, votum suum pro Collegiatae praedictae approbatione protulit, cum his tamen moderationibus, – quod Canonici teneantur ad quotidianum chori servitium, quod iuspatronatus sit ecclesiasticus, non laicale ad formam testamenti, non attenta declaratione Mathiae post obitum Ioannis Baptistae, quod sit admittenda Canonici Curati nominatio, iuxta conventiones initas inter Mathiam et Archipresbiterum, quod tertia dumtaxat redituum pars convertatur in massam distributionum, quod bonorum administratio reguletur ad instar Cathedralis, et quoad delationem insignium adhaeret voto Episcopi, ac ut in omnibus utendum sit arbitrio huius Sacrae Congregationis, quod voluere Testatores –. Episcopus vero censuit, quod – forma insignium Canonicorum sit designanda arbitrio ipsius Ordinarii –.

44. His igitur perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo Collegiata sit erigenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum cl. me. Card. Caprara, addita Collegiatae denominatione S. Angeli Custodis – *in Anagnina Erectionis Collegiatae die 3 Octobris 1711 lib. 61 Decretorum.*

45. Gravia post saeculi spatium et ultra Canonici apud sacram Congregationem retulerunt, ex Curionatus Canonicatus consociatione incommoda obvenire, et tum animarum curam, tum choralia officia haud parum detrimenti inde caperé; rogaruntque idcirco separationem Canonicatus a cura animarum, quin ulla Parochus iacturam honoris vel redituum faceret. Proposito vero dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Canonicorum S. Angeli Custodis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative in omnibus – *in Anagnina Dismembrationis die 13 Septembris 1834.*

46. Indulgetur autem gratia revalidationis erectionis Collegiatae, dum eadem subreptitia censetur; quandoquidem quum ad evitandam attentatorum purgationem, quae maximum Capellanis Ecclesiae S. Iacobi Oppidi de Castellar, Canonicali nedum titulo, sed et Dignitate atque habitu honestatis conspicuis, dedecus irrogaret, ex eo quod suam Ecclesiam in Collegiatam erigi obtinuerat a s. m. Innocentio XII reticendo, Fundatorem praefatae Ecclesiae commutationem voluntatis suae etiam a Summo Pontifice derogari prohibuisse, super observantia Constitutionum in limine fundationis conditarum iuramentum a moderno Patrono interpositum fuisse, duode-

cim ex Capellaniis per concursum ab Universitate ipsorum Capellanorum conferri debere, quae si Papae narrata fuissent, ad gratiam conferendam eum difficiliorem reddidissent, satius censuerint pro gratia revalidationis dictae erectionis Sanctissimo supplicare, qui preces ad Sacram Congregationem remisit cum opportuna supersessoria, donec de ea cognosceretur, proposito dubio: – An sit locus revalidationi erectionis Collegiatae insignis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Pro gratia revalidationis, iuxta modum – *in Giennen. Revalidationis Erectionis die 18 Iulii 1705 lib. 55 Decretorum.*

47. Idcirco licet erectio Ecclesiae in Collegiatam insignem ad extinguendas controversias praeeminentiarum iampridem vertentes in sacrorum Rituum Congregatione, cum altera Ecclesia eiusdem Civitatis, denegata merito fuerit a Sacra Congregatione, quae tamen a Summo Pontifice subinde, reticita praedicta denegatione, obtenta approbata fuit ab eadem Sacra Congregatione ope sanationis iuxta votum Emi Praefecti *in Teatina Erectionis in Collegiatam die 27 Iunii 1688 et in Theatina die 1 Septembris 1725 die 12 Ianuarii 1726 die 15 Martii 1727 die 1 Decembris 1731 et die 27 Februarii 1734.*

48. Siquidem – relato in antecedenti Congregatione libello per Sanctissimum remisso, cuius vigore Presbiteri Ecclesiae Receptitiae S. Mariae maioris Terrae Vasti instabant, dictam Ecclesiam erigi in Collegiatam ad effectum, ut hoc modo extinguantur controversiae praeeminentiarum iampridem vertentes in sacrorum Rituum Congregatione inter dictam Ecclesiam et alteram S. Petri eiusdem Terrae iussum fuit, causam describi in folio, quocirca utraque parte informante, decernendum superest: – An petitae erectioni Ecclesiae S. Mariae maioris in Collegiatam sit annuendum? –, Sacra Congregatio die 27 iunii 1688 responsum dedit: – Negative in statu praesenti –. Nam R. P. D. Altoviti Secretarius Sacrae Congregationis haec animadverterat: – Erectio Ecclesiae S. Mariae maioris in Collegiatam nunc primum petita, postquam Ecclesia S. Petri, repertis tandem controversis capitulis originalibus, obtinuit novam audientiam adversus Decreta contra eam edita a sacrorum Rituum Congregatione, videtur excogitata ad supplantanda iura ipsius Ecclesiae S. Petri, quae in repropositione Causae forsan obtinere poterit recessum a decisis, unde ex hoc solo capite reiicienda videtur instantia, et relinquenda utrique Parti facultas experiendi iura pro absolutione litis inceptae. Sed quatenus aequitas suaderet, imponi denique finem praefatae diuturnae liti, mediante erectionem in Collegiatam, nulla hactenus subest ratio, propter quam potius illa S. Mariae maioris, quam altera S. Petri sit erigenda, sed ad effectum, ut neutri fiat iniuria, inquirendum prius esse, quaenam ex illis dignior sit praerogativa Collegialitatis, inspectis qualitatibus antiquitatis, redituum, et aliis huiusmodi. Praeterea quando etiam, postposita Ecclesia S. Petri, erigenda esset in Collegiatam Ecclesia S. Mariae maioris, attamen cum ista hactenus fuerit et in praesenti sit Receptitia, audiendi essent omnes Presbiteri, qui nunc sunt in Terra Vasti pro iure et interesse aliorum Presbiterorum, qui deinceps adesse poterunt –. Post haec Innocentius XIII anno 1723 ad preces Marchionis Vasti erexit in Collegiatam insignem Ecclesiam S. Mariae, et suas Literas direxit Archiepiscopo Theatino, qui processit ad Bullae executionem. Reclamavit Ecclesia S. Petri contendens, Literas Apostolicas fuisse subreptitias, easdem nulliter fuisse executioni mandatas, ex eo praesertim quod s. m. Innocentio XIII non fuerat expositum, petitionem erectionis Ecclesiae S. Mariae fuisse propositam in Sacra Congregatione, et favorabile responsum non obtinuisse. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An erectio in Collegiatam insignem Ecclesiae S. Mariae Vasti facta ab Ordinario Theatino uti Delegato Apostolico vigore Literarum Apostolicarum sustineatur, sive potius sit confirmanda et approbanda. II. An constet de attentatis, et quomodo sint purganda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et ad mentem – *in Theatina die 1 Septembris 1725.*

49. Mens fuit, ut stricte scriberetur super iurepatronatus et assignamentis: nam Summus Pontifex tribuit Marchioni Vasti et Presbiteris novae Collegiatae ius praesentandi, sub conditione probationis iurispatronatus ex

fundatione et dotatione, nec non praescripsit impinguationem redituum Archipresbiteratus ac integram dotem pro tribus Canonicatibus erigendis, sed dubitabatur, an sufficienter a Marchione Vasti fuisset satisfactum per assignationem Fiscalium Civitatis Lanciani. Informantes scripserunt, tum super iurepatronatus, tum super assignamentis. Reproposito tamen primo dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 12 ianuarii 1726 respondit: – Eño Card. Praefecto, qui dignetur rem perpendere, et votum suum Sacrae Congregationi aperire –, ac dixit, – quod dubio discutiendo super subsistentia erectionis adderetur particula sanationem erectionis respiciens, et quod demum impetraretur, ut Causa super praeeminentiis delata ad sacrorum Rituum Congregationem evocaretur, et ad hanc remitteretur –, ut unico videlicet contextu finis imponeretur litibus, quae a tanto tempore vigebant inter has Ecclesias Vasti. Emus Praefectus hoc edidit votum: – I. Ad novam Collegiatam S. Mariae spectare priorem pulsationem aeris campani die Sabbati Sancti, tametsi, priusquam haec Ecclesia aucta fuisset honore Collegialitatis, ea praerogativa per alternas vices competere soleret eidem Ecclesiae et alteri S. Petri, tum ex Decreto Archiepiscopi, tum etiam ex Rescriptis sacrorum Rituum Congregationis. II. In omnibus processionibus anteire debere Presbiteros Ecclesiae S. Petri, deinde vero sequi Capitulum Collegiatae S. Mariae, iuxta praescriptum in Caeremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 32, sublato nimirum veteri more, ex quo utriusque Ecclesiae Presbiteri non separatim, sed simul incedebant bini bini; potiorem tamen locum sibi vindicante Presbitero S. Mariae. III. In eisdem processionibus Crucem Ecclesiae S. Petri non esse, ut antea asservabatur, gestandam simul cum Cruce novae Collegiatae S. Mariae in eadem linea, sed seorsum, praeeunte nimirum Cruce Ecclesiae S. Petri eius Presbiteris, itidemque Cruce Collegiatae Ecclesiae S. Mariae praecedente eius Capitulum. IV. Processionum initium ducendum esse ab Ecclesia S. Mariae, quippe quae praestantior est; posse tamen prius Confraternitates et Regulares domicilium habentes intra Parochiam S. Petri congregari in eadem Ecclesia, ut deinde se conferant ad Collegiatam S. Mariae, non tamen voce magna per viam canendo sacras preces, sed eas voce inclinata recitando, iuxta decisionem 469 in Recent. part. 19 n. 61 tom. 1. V. Pulsandas esse campanas Ecclesiae S. Petri, quotiescumque occasione processionum ad eam accedit Capitulum Collegiatae S. Mariae; itidemque esse adhibendam pulsationem campanarum Ecclesiae S. Mariae, quando ad eam venit Clerus dictae Ecclesiae S. Petri cum Regularibus et Sodalitiis, ut ab illa initium fiat processionum. VI. In processione, quae habetur die S. Marco sacra, Presbiteros Ecclesiae S. Petri, in qua finem habet processio, non debere ab ea discedere, sed extra fores subsistere, ut honorifice excipiant Clerum Collegiatae Ecclesiae S. Mariae, aliosque in ea solemni supplicatione consociatos: intra vero eamdem Ecclesiam S. Petri praestantiorem locum esse tribuendum Capitulo memoratae Ecclesiae S. Mariae, itemque ab eius Archipresbitero, vel si hic abfuerit, a Canonico solemne Sacrificium Missae esse faciendum, normam scilicet ad id praebente, tum Caeremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 32, tum etiam instructione, quae habetur penes acta Ecclesiae Mediolanensis tom. 1 pag. 127 tit. de processionibus. VII. In ceteris processionibus Rogationum atque etiam in illa, quae in Civitate Vasti peragi solet die ipsa, qua celebratur Ascensio Domini, anteire debere Presbiteros Ecclesiae S. Petri, et subsequi Capitulum Collegiatae S. Mariae. Praeterea initium processionum esse faciendum ab Ecclesia S. Mariae cum reditu ad ipsam: hoc tamen concesso, ut processio illa, quae habetur ultima Rogationum die, initium suscipiat ab Ecclesia S. Petri et in ea itidem terminetur, ideoque ea die reliquum Clerum tam secularem, quam Regularem, exceptis Presbiteris S. Petri, congregari debere in Ecclesia S. Mariae, indeque cum submisso cantu progredi ad illam S. Petri; atque etiam facta potestate tam Archipresbitero S. Mariae, quam Praeposito Ecclesiae S. Petri, ut in processione agenda in celebritate Dominicae Ascensionis utérque seorsum incedens cum suo Clero adhibeat pluviale cum binis Ministris dalmatica ornatis. VIII. In deferendis hastilibus umbellae in processione Sanctissimi Corporis Christi servandum esse praescriptum Caeremonialis

lib. 2 cap. 33, adeoque ad ianuam Collegiatae Ecclesiae S. Mariae hastilia esse gestanda ab eiusdem Ecclesiae Mansionariis sive Beneficiatis sacra veste amictis, non tamen a Presbiteris Ecclesiae S. Petri; per ambitum vero Civitatis substentanda esse a nobilibus laicis. IX. In primo solemni ingressu Archiepiscopi in Civitatem Vasti Clerum Ecclesiae S. Petri pergere debere ad Collegiatam Ecclesiam S. Mariae, atque inde instructa processione occurrendum esse Archiepiscopo adventanti, et in eadem Ecclesia S. Mariae, utpote nunc primaria, excipiendum esse ab Archiepiscopo universum Clerum ad obedientiam, iuxta ritum Caeremonialis Episcoporum lib. 1 cap. 2 et Pontificalis Romani ad titulum de ordine ad visitandas Parochias. Quoties tamen deinde Archiepiscopus eo veniret, in ipsius arbitrio positum fore, a quanam Ecctesia Visitationis initium faceret, et in qua Clerum ad obedientiam exciperet. X. Tandem retinendam esse in funeribus priscam consuetudinem, addito solum, quod si ad funus aliquod invitati communiter fuerint tam Canonici Ecclesiae S. Mariae, quam Presbiteri Ecclesiae S. Petri, praecedere omnes debeat una tantum Crux, videlicet illa S. Mariae –.

50. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An erectio in Collegiatam insignem S. Mariae maioris Vasti facta ab Ordinario Theatino uti Delegato Apostolico virtute Literarum Apostolicarum s. m. Innocentii XIII sustineatur, seu potius sit confirmanda et approbanda, vel ad minus sit locus eius sanationi? II. Quaenam providentia sumenda sit circa praeeminentias hinc inde praetensas in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 martii 1727 respondit: - Ad primum, consulendum esse Sanctissimo pro sanatione, iuxta votum Emi Praefecti. Ad secundum, sumendam esse iuxta votum Emi Praefecti –. Huiusmodi resolutiones approbatae etiam fuerunt eodem anno per Literas Apostolicas a s. m. Benedicti XIII, et per sententiam Tribunalis A. C. pronuntiatum fuit, constare de executione praemissorum Decretorum, atque itidem in posterum esse servanda. At nihilominus Presbiteri Ecclesiae S. Petri supplicarunt, ut sibi liceret, iterum de suo iure experiri. Repropositis tamen dubiis sub formula: – An praevia aperitione oris sit standum, vel recedendum a decisis die 15 martii 1727? –, Sacra Congregatio die 1 decembris 1731 responsum dedit: – In decisis, et ad mentem –, quae tamen mens versata fuit circa rem alienam ab iis, quae in disputationem venerant. Unde Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris, ut diuturnae liti finis tandem imponeretur, non solum confirmari rogavit decisionem iam editam, sed etiam addi opportunam declarationem, tum circa processionem die S. Marci atque aliam die ultima Rogationum habenda, tum circa alias processiones extraordinarias, quas ob publicam aliquam causam indicendas censuerit Archiepiscopus. Repropositis hinc dubiis sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis die 15 martii 1727 et die 1 decembris 1731 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, cum declarationibus dandis ab Emo Praefecto - *in Theatina die 27 Februarii 1734.*

51. Quin imo Sacra Congregatio etiam alteri Ecclesiae, cuius Presbiteri erectionem alterius Collegiatae impugnarunt, gratiam erectionis in Collegiatam ad lites et contentiones avertendas indulsit, sed separationem quoad processiones omnesque alias functiones omnino denegavit, quum ex petita separatione maiora litium pericula acrioraque iurgia minitarentur *in Theatina Erectionis Collegiatae die 6 Iulii 1737 et die 19 Aprilis 1738.*

52. Iamvero dum Presbiteri Ecclesiae S. Petri Civitatis Vasti contendebant, erectionem Ecclesiae S. Mariae Maioris in Collegiatam insignem minime sustineri, petierunt et ipsi gratiam erectionis respectivae Ecclesiae in Collegiatam; sed Sacra Congregatio, proposito dubio: – An praevia oris aperitione sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, die 1 decembris 1731 responsum dedit: – In decisis, et ad mentem –, quae in eo versata est, ut Secretarius Emum Pro-Datarium alloqueretur, eique exponeret causas, ob quas tunc videbatur, non expedire, memoratam Ecclesiam S. Petri in Collegiatam erigi –. At subinde ad avertendas graves assiduasque molestias et amaritudines, quibus ipsi, ob novam Collegiatam S. Mariae Maioris, continuo agebantur, denuo postularunt

gratiam erectionis Ecclesiae S. Petri in Collegiatam, nec non separationem eiusdem Ecclesiae S. Petri ab Ecclesia parochiali et Collegiata S. Mariae Maioris, quoad processiones omnesque alias functiones ecclesiasticas, cum omnia requisita subessent. Propositis interim dubiis: - I. An sit locus erectioni in Collegiatam Ven. Ecclesiae parochialis S. Petri Civitatis Vasti? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus separationi dictae Ecclesiae S. Petri ab Ecclesia parochiali et Collegiata Sanctae Mariae Maioris dictae Civitatis, quoad processiones omnesque alias functiones ecclesiasticas, ita ut quaelibet Ecclesia illas exercere debeat in suo proprio territorio in casu etc. -, Sacra Congregatio die 6 iulii 1737 respondit: – Dilata, et scribatur novo Archiepiscopo iuxta instructionem –, in eo versantem, ut scilicet – idem Archiepiscopus distincte referret super reditibus Ecclesiae S. Petri, et an ex petita eius erectione in Collegiatam, nec non ex petita divisione Ecclesiarum quoad functiones, speranda esset extinctio litium, vel potius timeri possint iurgia, utque sensum suum super utraque instantia aperiret –. Archiepiscopus retulit, annuos reditus praefatae Ecclesiae S. Petri summam conficere ducatorum septingentorum, deductis necessariis expensis quolibet anno consuetis, aliisque oneribus, uno tamen excepto Missarum videlicet bis mille et amplius, cui a Presbiteris dictae Ecctesiae quolibet anno satisfieret. Et quoad separationem dixit, eidem adversari potentiam nonnullorum Ecclesiae S. Mariae Maioris pugnantium, qui maiora litium pericula acrioraque iurgia minitabantur. His accedebat, Capitulares S. Mariae maioris omnem moturos esse lapidem, ut praefatam divisionem novarum litium et iurgiorum principium efficerent. Idcirco Archiepiscopus erectioni Collegiatae non dissentiebat, relictis primaevae insigni Collegiatae iis praeeminentiis, quae de iure eidem ut antiquiori competebant, sed censuit, expetitam separationem ad litium extinctionem nullo pacto conducere.

53. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, esse locum erectioni iuxta modum exprimendum ab Emo Praefecto. Ad secundum, Negative; et amplius - *in Theatina Erectionis Collegiatae die 19 Aprilis 1738.*

54. Nam erectionem Ecclesiarum Colletarum nec non illarum dotationem publicae utilitatis causam praeseferre, desumi posse videtur ex Can. 14 dist. 96, et in suffragium animae Testatorum vergere affirmat Pitonius discept. eccles. 69 a n. 5, quia Canonici Missas conventuales pro Benefactoribus applicare tenentur, et choro interesse ad divinas laudes persolvendas, quod in eorum cedit utilitatem atque expiationem *in Syracusana Reductionis Missarum die 4 Aprilis 1772* §. *Erectionem.*

55. Hinc pro erigendis Collegiatis constituendisque Canonicorum Praebendis, ultimas decedentium voluntates commutari, uniones concedi, Beneficia tam parochialia, quam liberae collationis, aut etiam iurispatronatus supprimi posse, fuit concessum, ut reditus in eam causam erogarentur, quemadmodum testatur Corrad. in prax. Benef. lib. 2 cap. 15 n. 15 et 16; et rationem allegat Pitonius in discept. eccles. 69 n. 13, quia scilicet - in erectione Collegiatae urget causa publicae utilitatis, quae respicit animam Fundatoris, ob quam publicam causam concedi solet commutatio ultimarum voluntatum per unionem et suppressionem legatorum piorum et Capellaniarum Beneficiorum et Parochialium, non obstante lege eorum fundationis – *in Syracusana Reductionis Missarum die 4 Aprilis 1772* §. *Hinc.*

56. Siquidem anno 1515 s. m. Leo X erectionem Collegiatae factam ab Episcopo Nuscano de Ecclesia S. Mariae *del Piano* cum unione octo Parochialium Beneficiorum septemque non Parochialium, Apostolica Auctoritate confirmavit *in Syracusana Reductionis Missarum die 4 Aprilis 1772* §. *Anno.*

57. Idcirco quum Clerus et Municipes Oppidi Crustumeriae vulgo *Palombara* Populi frequentia spectabilis die 21 aprilis 1851 postulaverint erectionem Ecclesiae Archipresbiteralis S. Blasii in Collegiatam, et Municipes vim argenteorum viginti millium impendendam decreverint ad hoc, ut dicta Ecclesia in ampliorem ac venustiorem formam redigeretur, reditus tamen Praebendarum Canonicalium conflari deberent ex pluribus Be-

neficiis Capellaniis ac legatis, quorum Potroni assensum praestabant, Sacra Congregatio nedum, concurrentibus omnibus requisitis necessariis, applicationem dictorum Beneficiorum Capellaniarum et legatorum, sed et reductionem Missarum, quibus eadem gravabatur, indulsit, ad effectum erigendi cum congrua dote praefatam Ecclesiam in Collegiatam; propositis enim dubiis: – I. An et quomodo sit locus erectioni Archipresbiteralis Ecclesiae S. Blasii in Collegiatam in casu? II. An et quomodo sit approbanda proposita Missarum reductio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative in omnibus, reductis tamen Missis ad numerum 1680 tantum, ita ut quilibet Canonicus teneatur quotannis celebrare Missas 140; nec non celebratis quolibet anno sex Anniversariis, integro adstante Capitulo, facto verbo cum Sanctissimo – *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853.*

58. Quin imo licet Emus Relator censuisset, indulgendam quidem esse erectionem Ecclesiae in Collegiatam, non tamen insignem, cum insignitatis requisita non concurrere viderentur, nihilominus Sacra Congregatio permisit unionem redituum duarum Parochialium nec non erectionem in Collegiatam insignem, ac indulsit pro prima Dignitate Rocchettum et Cappam magnam atque pro Canonicis Almutiam, conversis omnibus fructibus in distributionibus, et assignata Vicario perpetuo alterius Ecclesiae summa annua scutorum centum *in Regien. Erectionis Collegiatae die 15 Septembris 1703 lib. 58 Decretorum.*

59. Iamvero – ex binis liberae collationis Parochialibus, quas habet Oppidum Herberiae in temporalibus subiectum Serenissimo Mutinae et Regii Duci, altera nempe Matrice SS. Faustini et Iovitae annui reditus scutorum 700 circiter monetae Romanae, 400 animarum numero referta, Archipresbiterali titulo insignita, ac per obitum Archipresbiteri de mense septembris proxime praeteriti adhuc vacante, altera vero sub titulo SS. Donnini et Blasii ab illa dependente, annui reditus scutorum 60 circiter, proprio Rectore organo sacra supellectili decentique structura decorata, nec non Collegio sive Consortio septem Presbiterorum de quadam communi massa participantium, et choro divinisque officiis inservientium; eiusdem Oppidi Universitas, et pro ea idem Serenissimus Dux una cum Rectore dictae Ecclesiae SS. Donnini et Blasii nonnullisque aliis Presbiteris supplicationem Sanctissimo Domino Nostro porrexerunt, ut, praevia suppressione et extinctione tituli Archipresbiteri et Rectoris dictarum respective Parochialium, dignaretur animarum curam ab illa SS. Faustini et Iovitae perpetuo abdicare et separare, eamque ad Ecclesiam SS. Donnini et Blasii in Collegiatam insignem erigendam transferre, cum assignatione omnium et singulorum dictae Ecclesiae redituum tam certorum, quam incertorum, de quibus Archipresbiter SS. Donnini et Blasii ultra proprios, quibus modo gaudet, reditus provenientes ex administratione Sacramentorum dumtaxat percipere valeat, et de residuo, solutis prius duabus pensionibus annuorum scutorum 50 pro qualibet super fructibus Ecclesiae SS. Faustini et Iovitae reservatis (qui, defunctis reservatariis, pro correspondente rata, Capitulo accrescant) et scutis duodecim pro sacra supellectili, septem fiant portiones aequales, quarum una, ultra alios reditus, Archipresbitero assignetur, et reliquae sex inter Canonicos dividantur partim in Praebendam, et partim in distributiones quotidianas, quas Archipresbiter non amittat, quando in Sacramentorum administratione fuerit occupatus. Ulterius, ut dignaretur indulgere Archipresbitero Rocchettum cum Cappa magna de pellibus zibellinis, et Canonicis gestationem Almutiae de eisdem super sinistrum humerum, Archipresbiteratum in dicta Ecclesia erigere in primam Dignitatem Apostolicae Sedi reservatam, et sex Canonicatus, quorum tres sint Presbiterales, Cancellariae regulis subiicere; chorum Capitulum sigillum et arcam communem aliasque praerogativas signa et privilegia ad instar aliarum Collegiatarum insignium concedere una cum praeeminentia super Presbiteros Consortii, qui inservire teneantur pro eodem stipendio eisdemque modo et forma, quibus ante erectionem consueverant, Magistro chori obtemperare, sub Cruce Capituli incedere, aliaque praestare servitia, insignibus Collegiatis ab huiusmodi Consortiis fieri solita. Ac demum Archipresbiterum Mauritium Baroz-

zium, ad praesens Rectorem dictae Ecclesiae SS. Donnini et Blasii in sexagesimo sexto aetatis anno constitutum dispensare ab obligatione obtinendi gradum aliquem Doctoralem; ipsique et Successoribus cum Canonicis capitulariter congregati statuta quaecumque, sacris Canonibus Concilio Tridentino et Constitutionibus Apostolicis non contraria ab Ordinario approbanda, condendi reformandi et mutandi facultatem elargiri, iuxta temporum rerumque exigentiam.

60. Remissa igitur supplicatione praedicta ad hanc Sacram Congregationem pro voto, exquisita desuper extitit consueta Ordinarii relatio, qui praedicta recensendo annuendum putat pro petita erectione ad tenorem dictae supplicationis, duabus tamen additis conditionibus; prima nempe, ut, suppresso Archipresbiteratus titulo in dicta Ecclesia SS. Faustini et Iovitae, ibidem erigatur perpetua et liberae collationis Vicaria, de qua praevio examine in concursu, iuxta dispositionem Conciliarem provideri debeat Presbiter secularis, cum obligatione personaliter in illa residendi, Sacramenta administrandi, cum dote, ultra habitationem aedium canonicalium et emolumenta quaecumque incerta, scutorum centum monetae Romanae, semestratim percipiendorum ab ipsa Collegiata; secunda vero, ut de reditibus vacantis Ecclesiae SS. Faustini et Iovitae non erigantur certae et stabiles Praebendae, sed iidem, detracta dote Vicariae assignanda et scutis duodecim pro Sacristia, omnes redigantur in massam communem, et deinde de semestri in semestri iis, qui choro interfuerint, iuxta diurnam servitii mensuram distribuantur, quae distributiones cedant loco Praebendarum. Quoad Consortium, credit, illius Presbiteros magis, quam antea et ultra eiusdem Constitutiones in servitio praestando non esse gravandos; denique Sacerdotem Barozzium ab obtinendo gradu quocumque dispensandum existimat, attenta eius gravi aetate cum laudabili servitio Ecclesiae praestito. His stantibus, placuit EE. VV. maturiorem negocii discussionem remittere Emo Francisco Barberino, qui doctissime votum suum aperiens, praemissa facti narratione, inclinare ait pro gratia erectionis in Collegiatam, non tamen insignem, et concessionis Rocchetti et Cappae magnae Archipresbitero, de pellibus dumtaxat dossinis, non autem armellinis, ac similiter gestationis Almutiae Canonicis, dum insignitatis requisita non concurrant; Vicario perpetuo cum congrua scutorum 80 ultra aedium canonicalium habitationem et non comprehensis incertis, sufficienter provisum autumat, iuxta Constitutiones Beati Pii V 47 et 139. In reliquis convenit cum voto Ordinarii, addendo tamen, nisi EE. VV. congruentius existimarent, loco assignationis omnium redituum Archipresbiteratus supprimendi, detractis ultra dotem Vicariae scutis duodecim pro sacra supellectili, in distributiones quotidianas tertiam tantum partem redituum reservari. Quibus praehabitis ad iteratas preces tam Serenissimi Ducis, quam Communitatis aliorumque supradictorum, grave non erit EE. VV. sapientissime de more definire: – An et quomodo sit annuendum instantiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, conversis omnibus fructibus in distributionibus, et assignata Vicario perpetuo summa annua scutorum centum – *in Regien. Erectionis Collegiatae die 15 Septembris 1703 lib. 58 Decretorum.*

61. Hinc et in Oppido Pratensi circa seculum undecimum iam erecta fuit insignis Ecclesia Collegiata, cui praeerat Praepositus et huiusce Collegiatae Dignitas tanta fuit apud veteres Canonistas, ut, quoties afferre deberent exemplum alicuius insignis Collegiatae, Pratensem commemorare consueverint, ut videri potest apud Ioannem Andream in Cap. *Quamvis* de praebendis in sexto, et apud Felinum in Cap. *Nostra* a n. 4, et in Cap. *Significante* n. 1 de Rescriptis, et in Cap. *Cum accessissent* de Constitutionibus *in Pistorien. et Praten. die 2 Augusti 1721* §. *In.*

62. Postulantibus itaque Clero et Populo loci, Sacra Congregatio respondit, locum esse erectioni plebanae Ecclesiae, suppressa alia Parochiali, in Collegiatam iuxta modum ab Emo Praefecto declarandum, etiamsi Episcopus enixe adversaretur *in Marianen. Erectionis Collegiatae die 6 Decembris 1749.*

63. Siquidem Clerus et Populus Speluncati postulavit, ut plebana Ecclesia illius Oppidi, quae divo Michaeli Archangelo dicata erat, quaeque ampla satis et aedificio decora, suppressa etiam altera eiusdem Oppidi parochiali Ecclesia inscripta S. Catharinae, in Colle-

giatam erigeretur, in qua essent duae Dignitates, octo Canonicatus, et quatuor Beneficia seu Mansionariae, idque ex bonis utriusque praefatae Ecclesiae. Ipsa Oppidi Universitas sacra supellectili novam Collegiatam instruere, si opus esset, et impensas Literarum erectionis sua pecunia exequi parata erat: Sacerdotes ii, qui Canonicatus et Beneficia erigenda sibi dari postulabant, chori et Ecclesiae servitium promittebant, donec Parochi superstites essent, annuosque reditus novae Collegiatae applicandos perciperent; neve interim servitium negligeretur, conferebant scuta 200, ut, exacto anno, ratione praestiti servitii distribuerentur loco distributionum quotidianarum. Reditus utriusque Parochialis satis esse dixerunt Collegiatae erigendae; nam summam annuam scutorum 850 50 eos constituere Periti retulerunt. At obstitit Episcopus contendens, quod Oppidum non esset illustre, tenuis esset terrigenarum numerus, utriusque Parochialis reditus non ii essent, quos Clerus et Populus asserebant, et ideo tenuem esse dotem futurae Collegiatae, nec non tenue esse stipendium in scutis 25 pro Subcurato et in scutis 111 98 pro Archipresbitero assignatum dixit. Addidit, a iure deviam esse conditionem, ut solis Clericis Speluncato oriundis Dignitates Canonicatus Beneficia darentur: hinc esset, ut Sacerdotes vicini loci, quem dicebant *le Ville,* huic erectioni resisterent, ne vetitus iis esset concursus ad eas Parochiales in casu vacationis. Clerus autem et Populus monstrarunt septem, quae ad erectionem Collegiatae necessaria sunt, requisita, adesse in hac specie; ac iis responderunt, quae congesta erant ab Episcopo. Proposito hinc dubio: - An sit locus erectioni plebanae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Terrae Speluncanti in Collegiatam in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit:-Affirmative iuxta modum ab Emo Praefecto declarandum - (1) *in Marianen. Erectionis Collegiatae die 6 Decembris 1749.*

64. Qua de re licet Episcopus et Emus Relator censuissent, non esse locum erectioni parochialis Ecclesiae in Collegiatam, ex eo praesertim quod parochialis seu Archipresbilis Praebenda dismembrari deberet, ac unienda essent Beneficia in aliis Ecclesiis existentia, nec dos in praesens congrua censeretur, Sacra Congregatio tamen erectionem Collegiatae iuxta modum ab Emo Praefectum propositum demandavit *in Cremonen. Erectionis Collegiatae die 23 Augusti 1721 die 9 Februarii 1726 et in Cremonen. Erectionis Praebendae Theologalis die 2 Iulii 1729.*

65. Enimvero Consilium generale Oppidi Casalis maioris nec non universus Populus totius districtus et Executores testamentarii nobilis matronae Claudiae Elisabeth Maltraversi, quae suum legavit patrimonium pro erectione Collegiatae, quin tempus determinaverit, petierunt, ut Ecclesia parochialis sub titulo S. Stephani post obitum Archipresbiteri, qui tunc in ea exercebat curam animarum, erigeretur in Collegiatam, componendam ex uno Archipresbitero, qui deberet esse caput et prima Dignitas, et ex decem Canonicis, quorum unus deberet esse Theologus et secunda Dignitas, et insuper ex duobus Mansionariis seu Capellanis Magistro chori duobus Clericis et Campanario. Episcopus censuit, non esse annuendum petitis; et Emus Zenzadri Relator sententiae Episcopi adhaesit. Nam admisit quidem Oppidum Casalis maioris esse insigne atque conspicuum, sed non esse locum erectioni Collegiatae; primo quia in calculo dotis numerabantur scuta 270, quae debebant dismembrari ex mensa Archipresbiterali ad constituendas binas Praebendas Canonicales et totidem Mansionarias, cum talis dismembratio esset remedium extraordinarium exorbitans et odiosum, ex eo praesertim quod in ea Ecclesia aderant etiam Capellani Curati et viginti quatuor Beneficiati, qui eidem singulis diebus festis inservire tenebantur; secundo quia fructus hereditatis Maltraversi multiplicari poterant; tertio quia ex fructibus huiusmodi hereditatis assignari debebant libras 1000 favore Archipresbiteri, et reditus omnes in distributiones quotidianas convertendi erant et percipiendas a Canonicis, qui ab eorum Patronis erant praesentandi et nun-

(1) Itaque die etc. Sacra Congregatio, audita relatione Episcopi Marianensis, censuit, si Sanctissimo domino nostro placuerit, praesentem supplicationem signari posse in forma commissoria eidem Episcopo directa, pro verificatione redituum et cum Decreto, quod non provideantur de Dignitatibus Canonicatibus et Beneficiis, nisi quos idoneos approbavit Episcopus ipse -, *ut in lib. 99 Decretorum pag. 481.*

de causa aut a quolibet ac etiam a Summo Pontifice motu proprio eaedem in totum vel ex parte commutarentur, tunc heredes et sucsores illico immunes forent ab onere solvendi stipendium, sed illud in tot Missarum celebrationem erogaretur. Nonnulli tamen ex Camertibus Patriciis anno 1827 postularunt, ut praefata Ecclesia S. Maria in Via in insignem Collegiatam erigeretur. Archiepiscopus, cuius voto adhaerebant Capellani atque etiam deputati Hospitalis, Oratorum petitioni favendum esse censuit. Nam praeter maiorem cultum divinum Camertis etiam Cleri bono conducere dixit, ut ex duodecim Capellaniis Giori totidem Canonicatus constituerentur, quum hoc pacto illorum Clericorum indigentiae consuleretur, qui ob Patrimonii Sacri deficientiam sacros Ordines suscipere nequibant, quin ulla fieret redituum hereditatis Giori distractio aut commutatio, ex eo quod Fundator imaginis Deiparae cultum et in choro hymnis et canticis Dei nominis celebrationem voluerit. Nec reditus deficere monuit, quum iidem annuam summam fere scutorum mille attingerent. Verum contrarium omnino censuerunt Canonici Ecclesiae Cathedralis et Sodalitas S. Crucis. Ex hac enim novae Collegiatae erectione Ecclesiae servitium haud increbescebat nec Ministrorum copia, nec sacrarum functionúm accessione, nec demum exteriori pompa choralium insignium, quibus psalmorum cantus absolvitur, cum Capellani ex Pontificis indulto uterentur Rocchetto ac Mozzetta caerulei coloris. Quin imo imminui posse existimarunt divinum cultum, si Oratorum petitionibus annueretur. Quum enim in praesens Capellani essent ad nutum amovibiles, ab omni prorsus fallentia se abstinebant, ne a Patronis Capellaniarum possesione privarentur: at Capellaniis ad Canonicatus gradum evectis, verendum profecto, chori servitium neglectum iri. Denique vehementer pertimescebant Ecclesiae Cathedralis Canonici, ne huius Collegiatae erectio pacem ipsis eriperet; imo illorum iurium detrimentum inferret, quibus Canonici partim ex fundationis lege, partim ex diuturna consuetudine eousque gavisi fuerant. Capitulo adhaesit modernus Prior seu Parochus dictae Ecclesiae S. Mariae in Via. His denique accedebat dispositio sacrorum Canonum, qua religiose servandae et pro lege habendae sunt Testatorum voluntates, in casu praesertim ubi Fundator Giori expressis verbis cavit, ne leges fundationis ullatenus immutarentur.

78. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro erectione Collegiatae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative in omnibus – *in Camerinen. Erectionis Collegiatae die 17 Maii 1828.*

79. Quum autem Patroni assentirentur, propter parvum numerum Canonicorum ad sex tantum ascendentium, Sacra Congregatio concessit erectionem Collegiatae in Ecclesia S. Michaelis Archangeli Oppidi a Basilica Petri nuncupata, absque tamen qualitate insignitatis, praevia simul suppressione quinque Beneficiorum de iurepatronatus nobilis Familiae a Basilica Petri, consentientibus Patronis cum reservatione iurispatronatus Canonicatuum eisdem Patronis, iuxta votum Emi Episcopi Aquavivae, – qui luculentius et distinctius recensuit tum fructus et distributiones tam primae Dignitatis, quam cuilibet ex Canonicis attribuendas, tum pariter residentiae debitum aliquibus ex dictis Beneficiis Canonicatibus nuncupatis iam olim incumbens, cuius loco adiecta fuerunt certa Missarum onera, quarum celebratio cessabit, postquam effecta fuerit erectio Collegiatae –. Quare inhaerendo voto praedefuncti Cardinalis Episcopi, Oratoris precibus annuendum existimavit, cum ceteroquin Orator ipse de proprio supplere intendat ducatos 140 ad efformandum integrum reditum ducatorum 388 Praebendarum et Mensae capitularis de novo erigendae. Unum tantum addit E. S., excludendam nimirum qualitatem insignitatis, ex eo quod Canonicorum numerus videatur nimis exiguus, cum ad erectionem Collegiatae insignis decem saltem Canonici sint numerandi, ex praeclaris Rotae et Doctorum auctoritatibus –; proposito enim dubio: – An et quomodo sit locus erectioni Collegiatae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Emi Acquavivae – *in Papien. Erectionis Collegiatae die 7 Februarii 1711 lib. 61 Decretorum.*

80. Qua de re Sacra Congregatio indulsit quidem erectionem Ecclesiae parochialis, sup-

presso eiusdem titulo collativo et applicatis ipsius bonis et reditibus pro prima Dignitate, in Collegiatam insignem, etiamsi Episcopus et Emus Relator censuisset, insignitatem non esse concedendam, nec non usum Almutiae simplicis, non vero Cappae magnae concessit, mandavitque, ut omnia emolumenta et fructus converterentur in distributionibus quotidianis; sed quum in limine expeditionis indulti Capitulum Cathedralis Ecclesiae probaverit, quod ius conferendi in praefata Ecclesia parochiali ad ipsum spectaret, praefata Sacra Congregatio declaravit, huiusmodi ius conferendi obstare erectioni Collegiatae, quam tamen subinde non obstantibus oppositionibus per dictum Capitulum in medium prolatis, permisit aliquibus adiectis conditionibus *in Lunen. Sarzanen. Erectionis Collegiatae die 26 Ianuarii die 5 Aprilis die 28 Iunii die 19 Iulii 1704 die 7 Februarii 1705 die 5 Septembris 1707 lib. 54 55 et 57 Decretorum et die 7 Maii 1718.*

81. Enimvero – conspicuum prae ceteris Oppidum Pontremuli intra fines Lunen. Sarzanen. Diaecesis existens, Populi numerositate quatuor mille et ultra habitantium, sex Parochiis, quatuor Religiosorum Conventibus, duobus Monialium Monasteriis, duobus Xenodochiis, tribus publicis Gymnasiis ad Puerorum eruditionem, Collegio Medicorum ac quamplurimis Societatibus et Confraternitatibus, ut asseritur, exornatum reperitur. Cupientes autem homines eiusdem Oppidi insignis Collegiatae praerogativa illud ulterius decorare, supplicationem Sanctissimo Domino Nostro porrexerunt, ut Ecclesiam Beatae Mariae Virginis de Populo, elapso seculo publicis expensis constructam intra limites Parochialis S. Geminiani, utpote aliis elegantiorem sacra supellectili organo ac reditibus congruis pro sui manutentione sufficienter provisam, Populi confluentia, Missarum celebratione, pluribusque aliis qualitatibus praefulgentem, in Collegiatam insignem erigere dignaretur, et praevia suppressione tituli collativi dictae Parochialis S. Geminiani, ex istius bonis et reditibus non excedentibus 70 ducatos auri de Camera una cum incertis, fundare in eadem Ecclesia Beatae Mariae Virginis Praeposituram, cui incumbat onus dictae curae animarum per Praepositum pro tempore exercendae, de qua quidem Praepositura pro prima vice provisus remaneat Leonardus Armannus praesens Rector dictae Parochialis S. Geminiani in quinquagesimo quinto suae aetatis anno constitutus, eximendo eumdem ab obligatione obtinendi gradum aliquem Doctoralem, nec non septem Praebendas Canonicales instituere, ex peculiari nonnullorum fundatione, cum dote annuorum scutorum 16 pro Praebenda, et assignatis per Communitatem dicti Oppidi scutis 24 pro distributionibus singulorum ex ipsis, easque ipsismet Fundatoribus vel eorum filiis respective conferre, reservato ad ipsorum favorem suorumque descendentium masculorum et feminarum et aliorum successorum in infinitum iurepatronatus laicali, omnimode libero a quibuscumque reservationibus et affectionibus Apostolicis (quod transire debeat ad Capitulum cum eadem qualitate laicitatis in casu deficientiae omnium praedictorum), ad quos Canonicatus praesentari valeant etiam simplices Clerici, elargiendo Capitulo et Canonicis usum Rocchetti et Cappae magnae violacei coloris, pellibus albis hiberno tempore, aestivo autem serico munitae, una cum facultate condendi statuta omnibusque aliis praerogativis et praeeminentiis huiusmodi Collegiatis insignibus concedi consuetis. Et denique ad consulendum honorifico Collegiatae servitio, quatuor Capellanos et duos Clericos in eadem Ecclesia, assignata provisione scutorum annuorum 32 pro quolibet Cappellano, pariter constituere dignaretur.

82. Tam Episcopus, quam Emus Tanarius Relator censuerunt, posse benigne annui pro petita erectione Collegiatae, non tamen insignis et absque usu Rocchetti et Cappae magnae, attenta modicitate inservientium et reddituum pro eis assignatorum, licet spectata qualitate Regionis isti essent sufficientes ad congruam Canonicorum sustentationem, eximendo etiam praefatum Leonardum Armannum de Praepositura providendum ab onere assumendi gradum Doctoralem; reservationem iurispatronatus concedendam esse favore descendentium et successorum ex linea Primogenitorum masculorum et feminarum non autem extrancorum, et iis deficientibus, transire debere ad Capitulum, absque tamen qualitate laicitatis, ulterius non esse conveniens

nem (1) – *in S. Agathae Gothorum die 31 Maii 1721.*

71. Idcirco quum Populus omnia, quae ad erectionem Collegiatae necessaria erant, paraverint, aliqua tamen pecuniae summa deficeret, ob idque petierit applicationem aliquorum bonorum pii Institutoris, quin ulli detrimentum inferretur, Sacra Congregatio interim mandavit, ut firmaretur status dictorum bonorum, et ad ipsam transmitteretur *in Maceraten. Applicationis die 5 Iulii 1749.*

72. Enimvero Populus Oppidi Montis Milonis exoptans erigi Ecclesiam Collegiatam in Parochiali S. Blasii, omnia ad hanc erectionem necessaria paravit: sed deficientibus tribus millibus scutatis, postulavit, ut in id scuta ter millia ex superextantibus hereditatis Accursii fructibus erogarentur. Accursius enim testamento anni 1689 mandaverat, ut in Ecclesia Immaculatae Conceptionis sua pecunia extructa Rector et quatuor Capellani instituerentur, annua scuta duodecim panis Pauperibus distribuerentur, et reliqui fructus hereditatis in Aede sacra deponerentur et multiplicarentur, donec summa scutorum 400 efficeretur, quae fundum constitueret, e cuius usuris annua scuta duodecim panis in Pauperes erogarentur; ita tamen excrevit multiplicum, ut iam summam scutorum sex millium excederet. Unde nullum cuique detrimentum inferebatur, cum et Pauperibus et Capellanis satis consultum esset reliquis scutis tribus millibus. Tres Capellani assensum praestiterunt; sed quartus Capellanus et Exequutores testamentarii obstiterunt. Episcopus censuit, indulgendum esse precibus Populi; ac addidit, ut, si EE. PP. videretur, iis scutis 3000 – erigatur Praebenda capitularis Theologalis, quae conferri debeat ad formam Constitutionis Benedicti XIII editae in Concilio Romano, et cum onere Canonico Theologo praeter explicationem Sacrae Scripturae resolvendi etiam casus conscientiae, prout moris est in Cathedrali Maceratensi, ita enim erectio Collegiatae incitamento esset Clericis praefati Oppidi sacris literis operam navando, ut idonei fiant ad eam Praebendam assequendam –. Proposito interim dubio: – An sit locus applicationi scutorum trium millium ex multiplico hereditario Borromaei Accursii pro erigenda Collegiata, de qua agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, firmetur status multiplici; et transmittatur – *in Maceraten. Applicationis die 5 Iulii 1749.*

73. Imo haud indulgetur erectio Collegiatae in Parochiali Ecclesia ex bonis hereditariis pii Institutoris, qui mandavit, ut ex eorum fructibus, deductis expensis administrationis aliisque huiusmodi, tot Missas singulis annis celebrarentur, cum praesertim Executor testamentarius enixe obsistat *in Camerinen. Commutationis Voluntatis et Erectionis Collegiatae die 23 Septembris 1758.*

74. Siquidem postremo testamento anni 1755 Fatius Poncelli terrigena Belfortis in proprietate heredem instituit Carolum filium suum anniculum, qui si diem obiret supremum absque filiis, vulgariter pupillariter et exemplariter per modum strictioris fideicommissi animam propriam suorumque substituit, ac mandavit, ut omnia bona venderentur, ac eorumdem reditu in perpetuum singulis annis tot Missas cum obulis viginti pro unaquaque celebrari faceret Exequutor, quem Ludovicum Valeriani Avunculum suum et post huius obitum eius filios et Successores nominavit. Defuncto Testatore ac paucos post menses defuncto etiam eiusdem Filiolo herede, Communitas illius Terrae postulavit, ut ex bonis hereditariis Fatii Poncelli erigeretur seu reintegraretur Collegiata in Ecclesia parochiali, commutata Defuncti voluntate. Episcopus favit Communitati: hac enim ratione dicebat, tolli fraudes, quae futuris temporibus et in administratione bonorum redituumque, et in distributione Sacrorum possent admitti; pinguius impleri voluntatem Testatoris etiam in numero Sacrificiorum, nullo constituto stipendio Canonico administratori, qui rectius custodiret bona hereditaria; augeri divinum cultum, iuvari Parochum in ministrandis Sacramentis pro salute animarum; nulli detrimentum inferri, cum reservari posset in perpetuum Familiae Valeriani ius nominandi duos

(1) Instructio autem haec fuit: – Scire cupit Sacra Congregatio, an, firmo remanente numero Dignitatum, possibile sit erigere sexdecim Canonicatus, et ex aliis quatuor Canonicatibus, qui erigi vellent, erigere pro maiori Ecclesiae servitio numerum Beneficiatorum seu Mansionariorum –, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 26 die 31 Maii 1721.*

Canonicos vice iuris illius honorifici deputandi Sacerdotes, qui Sacra agerent. Sacra Congregatio vero die 22 ianuarii 1756 precibus Communitatis rescripsit: – Lectum, et ad mentem –. Mens autem fuit, ut Episcopus Sacram Congregationem certiorem redderet de quantitate redituum eiusdem hereditatis, audito Ludovico Valeriani. Rescripsit Episcopus, reditus hereditarios ex iudicio Peritorum esse in annuis scutis 738.20: deducto vero aere alieno esse in annuis scutis 600, quae augeri possent, si, ut opus erat, bona colerentur diligentius et meliorationibus augerentur. Post haec decretum fuit, ut Causa daretur in folio. Disputavit itaque Communitas, ante centum et qui excurrebant annos in Ecclesia parochiali Collegiatam fuisse; Populum Terrae illius numerosum esse, cum constaret Capitibus fere duobus millibus; Parochum consensum praestare, ut reditus Parochiae in annuis scutis 200 unirentur massae capitulari; Sodalitium Sanctissimi Sacramenti offerre tres suas Capellanias, Communitatem alias duas, ut duo Canonicatus erigerentur, cum reservatione patronatus. Contra Ludovicus Valeriani advertit, commutationes ultimarum voluntatum nonnisi ex iusta et necessaria causa esse permittendas; abesse necessitatem, cum erectio Collegiatae inter actus voluntarios referatur; abesse iustitiam, cum iniquissimum esset consulere velle decori illius Terrae alienis bonis, et eversione voluntatis defuncti, quae plene impleri poterat eo modo, quo a Testatore expressa erat. Si Populus erat numerosus praesto erat providentia Alexandri III et Concilii Tridentini: hinc non posse contendit ob vanam suspicionem fraudis et doli ac criminis nondum admissi, sed admittendi futuris temporibus, vel in administratione bonorum et redituum, vel in distributione Sacrorum, mutari Defunctorum voluntates, sed Episcopos curare debere, ut impleantur. Neque patrimonium hereditarium neque eius reditus eos esse, quos Episcopus censuit. Insuper non posse huiusmodi bonis oneri Sacrorum subiectis Collegiatam fundari dudum definitum fuisse dixit: et commutatione voluntatis maximum inferri detrimentum iuribus familiae Valeriani sustinuit.

75. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus commutationi voluntatis quondam Fatii Poncelli pro erectione in Collegiatam Ven. Prioralis Ecclesiae parochialis S. Eustachii Belfortis cum bonis hereditariis dicti Fatii in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et Episcopus incumbat ad adimplementum onerum praescriptorum a Testatore singulis annis; et amplius – *in Camerinen. Commutationis Voluntatis et Erectionis Collegiatae die 23 Septembris 1758.*

76. Hinc multo minus locus est commutationi voluntatis pii Institutoris, ad effectum ex illius bonis erigendi Ecclesiam parochialem in Collegiatam, si expresse quamlibet commutationem ex quavis causa is prohibuerit, et plures Patroni enixe adversentur *in Camerinen. Erectionis Ecclesiae Collegiatae die 17 Maii 1828.*

77. Iamvero inter ceteras parochiales Ecclesias Civitatis Camerini Templum extabat S. Mariae in Via nuncupatum, quod volvente seculo decimo septimo Cardinalis Angelus Giori proprio aere e fundamentis excitavit ac picturis marmoribusque exornavit atque sacris supellectilibus copiose ditavit. Tanta autem in hanc celestem Patronam idem Cardinalis ferebatur veneratione, ut non solum parochialem Ecclesiam S. Mariae omnium suorum bonorum heredem instituerit, sed etiam duodecim erexerit Capellanias totidem Presbiteris conferendas, qui ibi Sacrum facere et choro atque divinis officiis per mediariam alternis hebdomadis ad instar Ecclesiae Cathedralis interesse tenerentur. Has omnes Capellanias mere laicales atque ad Patronorum nutum omnino amovibiles esse sanxit, earumque nominandi ius ita distribuit, ut quatuor ad Archiepiscopum, quatuor ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis, binae ad Xenodochii Prefectos, atque aliae binae ad Sodalitatem S. Crucis spectarent. Cuilibet Capellano annuum stipendium assignavit scutorum 75, quae iam ob LL. MM. decrementum ad annua scuta 51 et obulos 50 redacta erant, imminutis etiam Missarum oneribus ad annua Sacrificia centum. Legem praeterea dixit a Capellanis iureiurando firmandam, omnia se adamussim observaturos, quae in ipsa fundatione praescripta fuerant: ac ne huiusmodi fundationis leges ullo unquam tempore immutarentur, mandavit, ut, si quavis

cupandi de Maltraversiis; quarto quia praeiudicium dictis viginti quatuor Beneficiatis afferebatur. Exceperunt contra Consilium et Communitas, esse locum gratiae erectionis Collegiatae, cum Oppidum esset insigne et dos maximopere congrua, nec deessent exempla erectionum Collegiatarum etiam cum dismembratione mensae Archipresbiteralis, quin dismembratio huiusmodi exosa dici posset, tum quia fiebat pro augmento cultus divini, tum quia erat pedissequa mutationi status Ecclesiae. Praeterea dixerunt, in adimplendis piis operibus non indulgendum dilationibus et morae, nec esse novum, quod in erectionibus Collegiatae unirentur Beneficia de iurepatronatus existentia in aliis Ecclesiis, accedente consensu Patronorum; et aliud esse, quod Ecclesiae inserviretur a simplicibus Beneficiatis, qui ab Episcopis non cogebantur ad residentiam et raro interveniebant functionibus ecclesiasticis, aliud vero, quod eidem inserviretur a Collegio et Clero in statu Collegiatae. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit signanda supplicatio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et examinetur coram Emo Praefecto modus, quo Collegiata possit erigi, et coram eodem Emo Praefecto interim reddatur ratio ab Administratoribus de hereditate Maltraversia – *in Cremonen. Erectionis Collegiatae die 23 Augusti 1721.*

66. Examinato subinde ac extenso modo in folio, eoque relato in Congregatione diei 9 februarii 1726 emanavit responsio: – Signandam esse supplicationem, iuxta modum expressum in folio annexo ab Emo Praefecto –. Modus autem inter cetera in hoc stetit, quod erectio Collegiatae fieret cum uno Archipresbitero et duodecim Canonicis, – quorum alter sit Theologalis, et erigatur nunc pro tunc ex Beneficio sub titulo Sanctissimae Annunciationis, quando quomodocumque vacaverit –, quodque Canonicatus, salvis Regulis Cancellariae, conferri deberent ab Ordinario, exceptis nonnullis Canonicatibus, et – excepto etiam (sunt verba dicti modi) Canonicatu Theologali, qui sit de iurepatronatus Familiae Biffi, et ipsa extincta, transeat ad Collegiatam, iuxta dispositionem Fundatoris –. Antequam signaretur a Summo Pontifice supplicatio pro erectione Collegiatae, contigit de mense augusti 1726 vacatio dictae Praebendae seu Beneficii Sanctissimae Annunciationis de Biffis, de qua habita notitia per Communitatem Oppidi, illico ista recursum habuit ad Sacram Congregationem, ut iniungeret Episcopo, ne admitteret praesentationem faciendam a Familia de Biffis ad hoc Beneficium erigendum in Praebendam Theologalem, vel saltem quod institueret Personam qualificatam et idoneam ad formam Concilii retinendi Praebendam Theologalem. Datis Literis Episcopo, ut super omnibus instructam redderet Sacram Congregationem, et interim supersederi nec procedi ad praesentationem, ille retulit, Familiam de Biffis nominasse de mense decembris eiusdem anni Clericum Iosephum Mariam Biffi, quodque ipse in obsequium mandati Sacrae Congregationis admittere noluerit nominationem istam. Hinc Sacra Congregatio, nemine tamen citato nec audito, die 15 martii 1727 rescripsit: – Beneficium vacans esse erigendum in Canonicatum Theologalem, electio autem Personae fiat ab Episcopo, et Canonici eidem praesentent Personam ab ipso electam, ut eam instituat –. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit admittenda praesentatio facta de Clerico Iosepho Maria de Biffis ad Beneficium Sanctissimae Annunciatae tamquam simplex in casu etc. II. An Praebenda, de qua agitur, durante familia de Biffis erigi possit in Canonicatum, seu potius in Praebendam Theologalem in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An ius praesentandi ad dictum Canocatum continuare debeat in dicta familia de Biffis in casu etc. IV. An in casibus, in quibus iuspatronatus et praesentandi contingat per Capitulum, electio personae praesentandae spectare debeat ad Ordinarium in casu etc. V. An modus alias exhibitus et approbatus a Sacra Congregatione sit reformandus, iuxta novas resolutiones in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, posse erigi in simplicem Canonicatum. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, provisum in superioribus. Ad quintum, ad Emum Praefectum – *in Cremonen. Erectionis Praebendae Theologalis die 2 Iulii 1729.*

67. Dum autem indulgetur erectio Ecclesiae parochialis in Collegiatam, cura animarum non transfertur in Collegium et Di-

gnitatem; nam habemus in iure, Ecclesiam parochialem erigi posse in Collegiatam, et nihilominus curam remanere penes eum, qui illam antea habebat, quin in Collegium et Dignitatem transferatur, Corrad. in prax. Benef. lib. 2 Cap. 2 n. 50, Gemin. cons. 132 n. 1, Zaba cons. 30 n. 50, Rosa de exeq. liter. apost. Cap. 5 n. 146: id namque iuri non repugnat, Cassador. decis. 12 de praeben. n. 5, Rembold. decis. 376 n. 6, Rot. in Recent. decis. 224 part. 19 *in Nullius Orbetelli Iurium Parochialium die 14 Aprilis 1821* §. *Habemus.*

68. Ceterum Sacra Congregatio ex unione Capellaniarum Ecclesiae parochiali facienda non permittit erectionem Collegiatae cum amplissimo numero Canonicorum, nisi prius cuncta ad rem facientia luculentissime pateant *in S. Agathae Gothorum die 22 Iunii 1720 et die 31 Maii 1721.*

69. Siquidem extabat in Oppido Argenti Diaecesis S. Agathae Gothorum, numeroso Populo animarum septem circiter millium referto, ampla parochialis Ecclesia S. Andreae, bene ornata tribusque navibus composita, in qua praeter Archipresbiterum animarum curam habentem tredecim Capellani reperiebantur, qui quibusdam anni temporibus in ipsa celebrabant officia divina. Extabant ulterius in eodem Oppido plura tum Regularium, tum Monialium Monasteria, aliaeque sex Ecclesiae parochiales una cum numeroso Clero seculari, numerum centenarium excedente. Praefatae Ecclesiae reditus consistebant in annuis ducatis 386, quorum medietas cedebat in commodum Archipresbiteri, et alia medietas in commodum dictorum Capellanorum. Hinc Oppidani supplicarunt Summo Pontifici, ut dignaretur concedere gratiam erectionis Collegiatae, nec non unionem redituum tredecim Capellaniarum, quae in nonnullis Ecclesiae Oppidis et Casalibus unitis reperiebantur, quaeque nec erant Beneficia, nec conferebantur in titulum, sed ex piorum eleemosynis conflatae administrabantur per duos Oeconomos laicos deputatos et ab Episcopo adprobatos, quarum reditus ceteris praefatae Ecclesiae S. Andreae uniti, demptis oneribus, ascendere dicebantur ad ducatos 1087, et sic viginti quinque Canonicatus erigerentur, comprehensis tamen in hoc numero Archipresbiteratu Primiceriatu Praebenda Theologali et Thesaurariatu, cum reservatione iuris praesentandi favore Parochianorum ad Archipresbiteratum, qui erat de eorum iure-patronatus, et ad alias tres Dignitates erigendas, apposita conditione, quod Canonicatus in quatuor partes dividerentur, quarum tres conferrentur Clericis Oppidi, quarta Clericis oriundis, et ultimus Canonicatus, nempe vigesimus quintus, Clerico Casalis S. Mariae Novae, in quo altera ex Capellaniis uniendis existebat. His interim perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum petitioni? –, Sacra Congregatio die 22 iunii 1720 responsum dedit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem –, in qua ipsi expositum fuit, quod Sacra Congregatio erat in dispositione annuendi erectioni Collegiatae, sed cum duabus Dignitatibus tantum et duodecim Canonicatibus et cum unione quatuor Capellaniarum, duarum in Ecclesia S. Andreae et duarum in Ecclesia Sanctissimae Annunciationis, quod id notificaret Universitati, et quod, habita eius mente, eam Sacrae Congregationi notificaret. Episcopus paruit mandatis, et censuit expedire in Domino, quod numerus Canonicorum non minueretur, habita ratione numeri animarum Oppidi; retulitque, habitatores Casalium non esse incommodum passuros ex unione Capellaniarum, cum Casalia essent contermina Oppido, nullum adesse periculum diminutionis redituum, tum quia tunc administrabantur a laicis, et in posterum administrarentur a Canonicis rem propriam gerentibus, tum quia facto multiplico redituum inexactorum et ascendentium ad scuta 3000 constitui poterat capitale multiplicandum pro supplemento futurorum decrementorum cum conditione, ut omnia onera Capellaniarum implerentur, citra ullam spem reductionis onerum, nec non iuri consonum esse, quod Dignitates non conferrentur per concursum, sed praevio tantum examine, et de facto iam introducta fuerat consuetudo, ut vacantibus primis Dignitatibus, quibus annexa erat cura animarum, quarum collatio spectat ad Datariam, fieret ab Ordinario concursus, qui transmittebatur pro instructione animi Sanctitati Suae.

70. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructio-

ad Ecclesiae servitium, ut ad Praebendas Canonicales simplices Clerici praesentari deberent. – His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo petitae erectioni Collegiatae sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1704 responsum tulit: – Pro erectione iuxta modum' exprimendum –, scilicet: – Pro erectione in Collegiatam insignem, Capitulum constituatur ex octo Canonicis et quatuor Mansionariis, et Canonici quando adsunt duo Clerici pro assequendo Canonicatu debeant esse constituti in sacris Ordinibus, quoad reservationem iurispatronatus ad lineam masculinam tantum, et deinde Canonicatus devolvatur ad Capitulum cum qualitate ecclesiastica, excepto Canonicatu iurispatronatus Reghini, circa quod servetur dispositio Fundatoris; quoad usum Cappae magnae, nihil, sed concedatur usus Almutiae simplicis, et omnia emolumenta et fructus convertantur in distributionibus –. Et licet Oratores modificationi praedictae non acquiescentes sub die 5 aprilis eiusdem anni audiri petierint, dimissi tamen fuerunt cum Rescripto – Gaudeant impetratis, et amplius –. Postea vero praesentientes, quod Sacra Congregatio conditionibus praefatis assentiri forsan renuerat, ex eo quod nimium tenues viderentur Praebendae per ipsos assignatae in annuo fructu scutorum sexdecim pro qualibet, transmiserunt speciale mandatum procurae cum amplissima facultate tributa Procuratori in Curia degenti promittendi Oratorum nomine ipsosque expresse obligandi augendam praedictorum Canonicatuum dotem in tot bonis, quae redderent fructum aliorum scutorum octo ultra sexdecim promissa. At Sacra Congregatio die 28 iunii eiusdem anni respondit: – Audiantur tantum super extensione iurispatronatus ad lineam feminam –. Proposito hinc dubio: – An sit indulgendum extensioni iurispatronatus etiam ad lineam femininam Fundatorum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 Iulii respondit: – Pro gratia extensionis ad lineam feminam, docto coram Emo Praefecto de assignatione fundi pro augmento annui reditus usque ad summam scutorum 24 pro quolibet Canonicatu –. In limine autem expeditionis indulti Capitulum Cathedralis Lunen. Sarzanen. sese opposuit suppressioni tituli collativi dictae Parochialis S. Geminiani, cum ad fundandam primam Dignitatem opus erat, ut, praevia praefata suppressione eiusdem Parochialis, bona et reditus Praeposito pro tempore applicarentur. Praefatum enim Capitulum sustinuit, quod ius conferendi in eadem Ecclesia S. Geminiani ad ipsum spectaret. Propositis itaque dubiis: – I. An constet de iure conferendi? *Et quatenus affirmative.* II. An illud obstet erectioni Collegiatae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 7 februarii 1705 respondit: – Ad Rotam –. In hoc statu Homines Pontremuli recursum habuerunt ad Signaturam Sanctissimi exorantes, ut, praemissis non obstantibus, Causa remitteretur, vel ad aliquam Congregationem particularem, vel rursus ad Sacram Congregationem Concilii; et sub die 22 septembris 1705 emanavit Decretum: – Ad Sacram Congregationem Concilii –. Repropositis vero dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative (1) – *in Lunen. Sarzanen. Erectionis Collegiatae die 3 Septembris 1707 lib. 57 Decretorum.*

83. Iuridica hinc Capituli oppositio sepulchralem quodammodo lapidem impositura videbatur erectioni novae Collegiatae, non sine damno cultus divini, nec sine praecedentium expensarum non modica iactura. Qua de re ad emendandum damnum, quod in praefatum Capitulum derivabat ex suppressione parochialis Ecclesiae S. Geminiani, domini de Maraffiis fundatores unius ex Canonicatibus in Collegiata erigendis, se promptos et paratos ad eidem cedendum iuspatronatus exhibuerunt. Affixis autem edictis, iuxta mandatum Sacrae Congregationis, ut unusquisque sua iura deducere posset, se illico opposuit praefatum Capitulum, nec non sese opposuerunt Ratiocinatores Comitatus, Rectores Ecclesiarum parochialium S. Columbani, S. Nicolai

(1) Unde Card. Petra in Comment. ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 1 n. 39 haec habet quoad eiusmodi resolutionem: – Ex ea ratione super enunciata, quoad posito iure Capituli in conferendo dictam Ecclesiam (S. Geminiani) aequum non est ei derogare per erectionem dictae primae Dignitatis, ad quam Capitulum non potuerat habere ius electionis, ex hactenus firmatis, et licet adesset remissio supplicis libelli per Sanctissimum, tamen intelligendum est, prout de iure –.

et S. Christinae, Archipresbiter S. Hippolyti et Cassiani de Saliceto, Parochiani S. Geminiani, et Confratres Confraternitatis in ea Ecclesia erectae. E contra tamen contendebatur, nonnullas oppositiones tolli ex facto, nonnullas non esse praesentis inspectionis, et nonnullas, utpote necessario connexas cum erectione Collegiatae, esse contemnendas, gratia quippe erectionis erat ex natura sua praeiudicialis, et statim ac aliqua Ecclesia erecta est in Collegiatam, eidem competunt nonnullae praerogativae, quae antecedenter non competebant, et quae forte ante erectionem ad alias pertinebant Ecclesias, iuxta decisionem 1445 coram Seraphino His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo relaxanda sint Decreta edita die 26 ianuarii et die 19 iulii 1704 super erectione Collegiatae in Oppido Pontremoli in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative cum omnibus conditionibus expressis in folio Capituli, et dummodo institutio auctorizabilis et approbatio Personae praesentandae ad Canonicatum pertineat ad Episcopum, et sola expeditio Literarum collationis spectet ad Capitulum Cathedralis, nec non praevia ratificatione obligationum per Deputatos et Syndicos Communitatis factarum favore Ecclesiae Collegiatae facienda a Generali Concilio Pontremoli legitime coacto – *in Lunen. Sarzanen. Erectionis Collegiatae die 7 Maii 1718* (1).

84. Neminem hinc latet, nullam Ecclesiam in Collegiatam erigi posse absque Patronorum, si qui sunt, consensu, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 14 n. 43, Card. Petra ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 n. 32 tom. 3 *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826* §. *At.*

Item *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Alterum.*

85. Certum enim est, ad immutandum Beneficiorum statum consensum Patronorum requiri, ne iis invitis iurium suorum iacturam pati cogantur, Glossa in Cap. *Nobis* de iurepatronatus, Lambertinus lib. 3 quaest. 6 art. 1 n. 204 *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Alterum.*

86. Haud tamen magno in pretio habenda haec difficultas, si in dubium revocatur saltem ius exclusivum alicuius Patroni: unde videtur unius dissensum posthabendum esse, cum maior pars consenserit: eo vel magis ubi dissensus iste irrationabilis appareat et publicae utilitati impedimentum praestet, ex ea ratione quod, ubi agitur de re iusta et rationabili, in qua alterius consensus requiritur, tunc, si iste dissentiat, dicitur irrationabiliter invitus, eiusque consensus suppletur per Superiorem, Textus in Cap. *Nullus* 17 de iurepatronatus, Panormitanus in Cap. *Cum in veteri* n. 13 de electione, Card. De Luca de iurepatronatus disc. 44 n. 3, Pitonius de controv. patron. allegat. 55 n. 4; in urgentia enim causae publicae licet recedere a regulis iuris, ut ait Parisius de resignat. lib. 3 quaest. 18 n. 13 et 16 *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Alterum.*

87. Hinc eo minus dissensus attendi potest, si negotium huiusmodi agatur coram Summo Pontifice eiusque auctoritate explendum venit; Pontifex enim, sive Sacra Congregatio, de iuris rigore non indiget Patronorum consensu, cum in illo summa potestatis resideat, Pitonius de controv. patron. allegat. 55, praesertim si nullum irrogetur praeiudicium iuribus patronatus, quae integre reservata manere possunt penes eos, qui ex fundatione eodem iure donantur, Pitonius loco citato *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Alterum.*

88. Itaque quum Sodales Congregationum laicalium Terracinae existentium obtinuissent a Summo Pontifice, ut ex omnibus eorum bonis Ecclesia S. Ioannis in Collegiatam erigeretur cum numero octo Canonicorum, iniuncto illis onere choro inserviendi et Missas ac cetera onera praefatis Confraternitatibus incumbentia satisfaciendi, sed inde quia pro expediendis Literis Apostolicis super erectione Collegiatae requirebatur impensa, cui ipsae erant impares, facultatem in forma commissoria obtinuerint erigendi loco Collegiatae octo Capellanias cum iisdem oneribus Missarum et servitii chori, nonnulli vero ex Confratribus contra huiusmodi erectionem iam executioni de-

(1) Reliqua prostant in verb. *Archipresbiter*, §. II, n. 56 ad 61, Tom. II.

mandatam insurrexerint, propositis dubiis: – I. An cessio seu renuntiatio bonorum facta a Confratribus sustineatur? II. An itidem substineatur erectio Capellaniarum facta ab Episcopo? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative – *in Terracinen. Capellaniarum die 20 Augusti 1701 lib. 51 Decretorum.*

89. Quum autem Ioannes Lucas Fabianus Presbiter in testamento et codicillis anno 1680 1683 et 1684 iussisset annuos reditus pinguis suae hereditatis collocari in Locis Montium Cameralium Urbis Romae, quousque haec in annuo fructu redderent summam scutorum quatuor millium monetae Ianuensis, ac tunc ex fructibus per quatuor annos percipiendis ex iisdem Locis Montium et ex aliis bonis hereditariis mandavisset, ut construeretur Ecclesia Collegiata in Oppido S. Romuli, et constituta Primogenitura pro masculis descendentibus a Blanca Francisca eius nepte, heredem universalem scripsisset ipsam Ecclesiam Collegiatam, in qua fundari voluit Dignitatem Prioratus septem Canonicatus et sex Capellanias, assignata eius dote in scutis bis mille ex praefatis quatuor mille scutatis, sed Senatus Ianuensis circa annum 1700 facultatem tribuerit, ut bona stabilia venderentur et pretium collocaretur in Locis Montium Ianuae, quae ibidem comparata pro fundatione Collegiatae aequabant summam scutorum 13526 monetae Ianuensis, cumque anno 1711 dictus Senatus cum expressa derogatione testamentí decreverit, quod dicta Loca Montium Ianuensium partim adiudicarentur Primogeniturae, partim assignarentur piis operibus a Testatore praestitutis, ut ex fructibus conficeretur multiplicum, donec capitale rediturum esset in annuo fructu scuta quatuor mille, Sacra Congregatio, instantibus Ministris Fabricae S. Petri, quibus commissa est cura, ut piae Defunctorum dispositiones executioni mandentur, propositis dubiis: – I. An sustineatur provisio, de qua agitur, tam quoad multiplicum in Civitate Ianuae, quam quoad repartimentum? *Et quatenus negative.* II. An sit locus sanationi? *Et quatenus negative.* III. An a quibus et super quibus bonis debeantur fructus et fructus fructuum multiplici neglecti ad favorem Collegiatae erigendae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative; et amplius. Ad tertium, dilata; et scribatur Archiepiscopo iuxta instructionem – *in Ianuen. Erectionis Collegiatae die 23 Ianuarii 1734.*

90. Instructio fuit, ut idem Archiepiscopus, auditis etiam Executoribus vel eorum Heredibus aliisque interesse habentibus, Sacram Congregationem distincte redderet instructam circa quantitatem Patrimonii relicti et circa alienationes, quando et a quibus factae fuerint. Verum quia Marchio Ioseph Maria Arconatus, qui obtinuerat a Senatu Ianuensi derogationem testamenti favore praedictae Primogeniturae, contendit, executionem huiusmodi Rescripti spectare vel ad Archiepiscopum Ianuensem, vel ad A. C., non autem ad Iudices R. Fabricae S. Petri, idcirco Administratores eiusdem Fabricae obtinuerunt ab Emo Pro – Auditore Sanctissimi Rescriptum, quo controversa executio Iudicibus Fabricae committebatur, unde postularunt a Iudice deputato relaxationem mandati contra dictum Marchionem Arconatum, ut multiplicum, de quo agebatur, a Civitate Ianuae ad Urbem transportaretur. At huic instantiae sese opposuit praefatus Marchio. Proposito interim dubio: – An contra quos et super quibus bonis sit relaxandum mandatum pro transportatione ad Urbem multiplici facti in Civitate Ianuae? –, Sacra Congregatio die 21 augusti 1734 responsum tulit: – Proponatur Causa super tertio dubio, et habebitur ratio in propositione –. Reproposito hinc tertio dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 18 Decembris 1734 responsum dedit: – Marchionem Arconatum teneri ad restitutionem fructuum perceptorum ad effectum investiendi in tot Locis Montium in Urbe ad formam testamenti, nec non capitale transferendum esse in creditum legatorum piorum ad formam eiusdem testamenti, reservato iure R. Fabricae agendi contra Executores testamentarios aut Heredes, quatenus de iure et prout de iure –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 maii 1735 respondit: – Dilata, et exquiratur votum Rotae. In obsequium huius responsi concordatum fuit in Rotae Auditorio dubium: – An et a quo tem-

pore sint restituendi fructus per Marchionem Iosephum Arconatum percepti ad effectum illos investiendi in tot Locis Montium in Urbe favore Collegiatae erigendae in casu etc. –; sed recogitans praefatus Marchio, hereditaria bona Ioannis Lucae Fabiani ex incuria et dilapidatione Executorum adeo imminuta esse, ut impossibile esset memoratam Collegiatam erigere, consonum vero autumans canonici Iuris sanctionibus, ut piae Testatorum dispositiones meliori, quo possit modo executioni mandentur, postulavit, ut Summus Pontifex capitalia una cum fructibus, quae adhuc existebant, in alium pium usum sibi benevisum et respective in commodum Primogeniturae a Testatore praedilectae pro ratis, quas ipse congruas et unicuique assignandas censuerit, iuberet erogari. Propositis itaque dubiis: – I. An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Canonici Ioannis Lucae Fabiani? *Et quatenus affirmative.* II. Quomodo et ad quorum favorem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Omnia ad Emum Praefectum iuxta mentem – *in Ianuen. Commutationis Voluntatis die 1 Iunii 1737.*

91. Hinc Sacra Congregatio denegavit gratiam erectionis in Collegiatam Ecclesiam subiectam Religioni Hierosolymitanae, quum eius magnus Prior obsisteret, etiamsi eadem postularetur quoad Collegium et Capitulum dumtaxat, non autem quoad ipsam Ecclesiam, nec non cum reservatione iurium favore praedictae Religionis Hierosolymitanae, ac per ipsam extinguerentur dissidia inter Presbiteros duarum Ecclesiarum eiusdem loci *in Tranen. Erectionis Collegiatae die 2 Iunii 1736.*

92. Enimvero in Oppido Baruli tres numerabantur Parochiales, quarum prima erat Collegiata et aliarum matrix sub titulo Sanctae Mariae maioris pridem erecta, secunda Receptitia et titularis magni Prioris Religionis Hierosolymitanae sub invocatione S. Sepulchri, et tertia demum in honorem S. Iacobi dicata. Cum autem inter Presbiteros S. Sepulchri et illos Ecclesiae S. Iacobi plura in dies orirentur dissidia praesertim super iure praecedendi in processionibus aliisque functionibus ecclesiasticis, ad ea extinguenda Presbiteri S. Sepulchri postularunt gratiam erectionis in Collegiatam quoad Collegium et Capitulum tantum, non vero quoad ipsam Ecclesiam, et cum praeservatione iurium, quae magno Priori Religioni vel dictae Ecclesiae de iure competere poterant. Exposuerunt enim, se in proprium caput recognoscere Presbiterum Decanum, seque capitulariter et ad campanae sonitum congregare, nec non stallum chorum propriam Crucem Archivium Arcam Bursam Sigillum Massam communem peculiaria Ecclesiae statuta et alia habere signa, quae veram Collegialitatem indicabant. At novae huius Collegiatae erectioni obstitit magnus Prior Religionis Hierosolymitanae sub obtentu, quod dicta Ecclesia S. Sepulchri, ut eidem Religioni Hierosolymitanae subiecta, esset Regularis, adeoque in Collegiatam Secularem erigi nequiret absque sui, Religionis, eiusdemque Ecclesiae status detrimento. Contra praefati Presbiteri Ecclesiae S. Sepulchri ex pluribus signis evincere studuerunt, se se veluti Seculares ordinariae Episcopi iurisdictioni subiectos esse, nullumque proinde detrimentum ex petita Collegiatae erectione obvenire praefato magno Priori vel illius Religioni. Proposito tamen dubio: – An sit relaxanda supplicatio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Tranen. Erectionis Collegiatae die 2 Iunii 1736.*

93. Idcirco non est locus suppressioni Prioratus Congregationis Canonicorum Regularium eiusque erectioni in Collegiatam, si, quae ius ad id peragendum exquirit, deficiant *in Vintimilien. Erectionis Collegiatae die 13 Septembris 1738.*

94. Siquidem cum Prioratus Congregationis Canonicorum Regularium S. Ruffi a pluribus seculis in Civitate Sospelli sub invocatione S. Michaelis erectus, qui in praesens ex Priore quinque Canonicis Regularibus et uno Novitio clerico constabat, consueverit iamdudum Presbiteris Secularibus sub nomine Priorum ab Apostolica Sede commendari, iidem Canonici Regulares, quorum tres gravabantur onere coadiuvandi Priorem in exercitio curae animarum praefato Prioratui adnexo, exponentes Benedicto XIII damna tum ipsis Canonicis, tum antedicto Prioratui a Prioribus commendatariis illata, et plurimum conquerentes de incommodis in futurum ob-

venturis, si post obitum Ioannis Francisci Corvesi moderni Prioris Commendatarii eumdem Prioratum Presbitero Seculari rursus commendari contingeret, ab eodem Pontifice obtinuerunt, quod quandocumque quolibet modo vacaret – idem Prioratus amplius non commendetur –. Displicuit memorato Ioanni Francisco Priori Pontificia haec dispositio, quippe quae illi adimebat facultatem resignandi Prioratum alteri Presbitero Seculari sibi beneviso, proindeque studiis suis cum Episcopo Vintimiliensi collatis nisus ipse est oris aperitionem adversus Breve Pontificium obtinere in Congregatione Signaturae gratiae, sed tandem Episcopus suo et memorati Ioannis Francisci nomine transactionem egit, qua liti adversus praefatum Breve institutae nuncium misit. At, vix pacato dissidio, Consules Civitatis, relatis scandalis et malis, quae culpa dictorum Canonicorum Regularium in dies oriri asserebant, atque enarrata eorumdem Canonicorum negligentia in obeunda animarum cura et in chori Ecclesiaeque functionibus peragendis, postularunt suppressionem Prioratus Congregationis Canonicorum Regularium, eiusque erectionem in Collegiatam secularem. Episcopus post late recensitos quamplures dictorum Canonicorum Regularium excessus, iisdemque culpatis, quod extra claustra degerent, quod chori Ecclesiaeque servitium et animarum curam saepissime negligerent, censuit satis probatum, Regularem disciplinam in memorato Prioratu adeo collapsam esse, ut preces Consulum excipi possent, et praefati Canonici in statum Secularem redigerentur, alias iidem haud resipiscerent, et mala et dissentiones inter ipsos et Clerum Secularem nunquam e medio tollerentur. Advertebatur tamen, quod de iure Clerici Seculares in loca Regularium haud rite sufficiantur, nisi Religiosi ita defecerint, ut Regularis disciplina penitus collapsa sit, et nisi adsint alii Religiosi eiusdem Ordinis, qui ea inhabitent, vel eos reformare valeant. Insuper praefati Consules nihil eousque ex bonis propriis vel Communitatis, pro augmento numeri Canonicorum et congruae eorum substentationis aut pro sacra supellectili, qua Sacrarium dicebatur omnino carere, comparanda, exhibuerant, dum tamen annui reditus Prioratus, iuxta ipsorum Consulum confessionem, ad quinquaginta tantum supra biscentum ducatos Camerae ascendebant.

95. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus suppressioni Prioratus Congregationis Canonicorum Regularium S. Ruffi, eiusque erectioni in Collegiatam Secularem in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et ad mentem – *in Vintimilien. Erectionis Collegiatae die 13 Septembris 1738.*

96. Iamvero Innocentius III in Cap. *Inter quatuor* 5 de religiosis domibus consultus, num Ecclesiae Regulares eorumque Monasteria possent, suppressa Regulari praerogativa, ad Secularem statum reduci, Constantinopolitano Patriarchae in haec verba rescripsit: – Quamdiu Monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad Seculares Clericos transferenda –, idque locum habere, tametsi Monasteria non sint Monachorum, sed ea ad Canonicos Regulares pertineant, tradunt ex antiquioribus Ioan. Andr. Hostien. Cardinal. et alii in citato Cap. *Inter quatuor,* et ex recentioribus Fagnan. in eodem Cap. *Inter quatuor* n. 3, Barbosa ibidem n. 2, Reiffenst. in ius can. lib. 3 tit. 36 n. 11, Engel eod. loc. in fine, Pirhing n. 4, Schmalzgrueber ibidem n. 25, Konig n. 10, Wiestner a n. 19. Verumtamen ibidem Pontifex Innocentius III praemissae regulae hanc limitationem adiecit: – Sed si Regulares defuerint, propter eorum defectum in eis (scilicet Monasteriis) Seculares Clerici poterunt ordinari –, idcirco ut Clerici Seculares, iuxta laudatam Decretalem, in loca Regularium rite sufficiantur, hic ordo servari solet; nimirum, si Religiosi alicuius Monasterii defecerint aut Regularem disciplinam ita neglexerint, ut ea penitus collapsa sit, debet eiusmodi Monasterium aliis Religiosis eiusdem Ordinis vel inhabitandum vel reformandum tradi; non extantibus autem Religiosis eiusdem Ordinis, oportet Religiosos alterius Ordinis substituere; si vero Religiosi neque eiusdem, neque alterius Ordinis haberi possint, qui in dicto Monasterio instituantur, debent Clerici Seculares advocari eisque Monasterium et Ecclesia committi, quemadmodum explicant Doctores supra allegati, et praesertim Fagnanus loco citato n. 4 et 5, Reiffenstuel loco citato n. 11, et Engel eodem loco in fine *in*

Vintimilien. Erectionis Collegiatae die 13 Septembris 1738 §. *Sane* §. *Verumtamen.*

97. Licet Summus Pontifex Apostolica sua possit auctoritate, praemisso ordine posthabito, Monasteria quaecumque supprimere, eaque ad secularem statum reducere seu alias quaslibet fundationes libere immutare, id tamen veluti in aliquorum detrimentum facile vergens, non censetur sua potestatis plenitudine ea exequi velle, nisi quae pia gravissima urgeat Causa, secundum illa, quae ad rem ponderat Engel in ius can. tit. 36 in fine *in Vintimilien. Erectionis Collegiatae die 13 Septembris 1738* §. *Praeterea.*

98. Et reipsa Apostolicam Sedem facilem non fuisse in similibus Monasteriorum suppressionibus elargiendis, ut ea ad secularem statum redigantur, apprime constat ex binis exemplis relatis per Fagnanum loco citato n. 7 et 9, et praesertim ex priori exemplo hisce verbis relato sub dicto n. 7: - Et per praedicta in Sacra Congregatione rerum Consistorialium habita die 17 augusti 1648 reiecta fuit supplicatio Monachorum Monasterii S. Victoris Massiliensis Ordinis S. Benedicti, qui petebant secularizationem dicti Monasterii et reductionem Monachorum ad statum Canonicorum Secularium. Nam etsi in ea monastica disciplina plurimum esset collapsa, tamen cum dicatur esse caput Congregationis, et inter ceteras Abbatias et Prioratus a se dependentes habeat Monasteria aggregata et unita S. Congregationi S. Mauri eiusdem Ordinis, in qua benedicente Domino, Regularis observantia praeclare et mirifice per totam Galliam instaurata est, et sic non desint Monachi eiusdem Ordinis, qui possint huiusmodi Monasteria reformare, non est ullatenus ad Seculares Clericos transferendum, ut hinc patet. Quod si per Monachos eiusdem Ordinis reformari non posset, tunc illis eiectis, Fratres alterius Ordinis in illud essent inducendi, ut labores impiorum iusti edant, dicit Textus in dicto Cap. *Relatum* ne Cleric. vel Monach., nec Clerici Seculares essent in eo instituendi, nisi in defectum omnium Regularium secundum gradus, quos supra distinximus -. Reticendum tamen non est, suppressionem memorati Monasterii S. Victoris Massiliensis, de quo loquitur Fagnanus, fuisse nuperrime ab Apostolica Sede statutam, eiusque erectionem in Collegiatam Secularem, ita consulente eadem Sacra Congregatione consistorialibus negotiis proposita, hanc potissime ob causam, quod pluribus frustra tentatis remediis nequiverit in illud disciplina Regularis induci *in Vintimilien. Erectionis Collegiatae die 13 Septembris 1738* §. *Et* §. *Reticendum.*

99. Idcirco concurrentibus omnibus requisitis necessariiis, indulgetur erectio Ecclesiae, quae olim fuit Regularis ac inde Episcopo commendata extitit, in Collegiatam, etiamsi Abbas alterius Ecclesiae, quae Matrix praetenditur, obsistat, reservatis tamen eidem et respectivae Ecclesiae omnibus iuribus, prout et quatenus de iure *in Taurinen. Erectionis Collegiatae die 1 Decembris 1736 et die 13 Aprilis 1737.*

100. Siquidem Laurentius Christophorus Episcopus Fossanensis exposuit, Civitatem Saviliani tum Populi numero, tum Virorum nobilitate praeclaram atque illustrem esse, ibique inter plures, quae reperiebantur, Ecclesias, numerari quoque Regularem Prioratum seu Parochialem S. Andreae olim ad Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini spectantem, duodecim Capellis totidemque Altaribus choris organis exornatam nec non sacra supellectili satis instructam, quae, praevio indulto exercendi animarum curam per binos Vicarios ad nutum amovibiles, sibi a s. m. Benedicti XIII in commendam tradita fuit; praetereaque subiungens, Michaelem Angelum Pronetti usque ab anno 1709 praecepisse, ut sub dote annui reditus librarum 200, vel quatuor Canonicatus, vel duae Dignitates, et totidem Canonicatus de iurepatronatus suae familiae in praefata Ecclesia erigerentur, binosque alios Canonicatus a Ioanne Dominico Morano itidem sub reservatione iurispatronatus favore suae familiae nuperrime fundatos fuisse, constituta pro quolibet dote in annuis libris 450, postulavit, ut eadem Ecclesia S. Andreae, suppresso Regulari eius statu, in Secularem Collegiatam insignem, sine praeiudicio omnium iurium forsan competentium Ecclesiae parochiali S. Petri, prout et quatenus de iure, atque reservato iure patronatus super enunciatis Canonicatibus favore utriusque praedictae familiae. At obstitit Abbas Ecclesiae S. Petri autumans,

Ecclesiam suam ceterarum omnium et praesertim dictae Ecclesiae S. Andreae Matricem esse. Archiepiscopus Taurinensis vero retulit, Ecclesiam S. Petri haud probari Matricem Ecclesiae S. Andreae, nec ex Fontis Baptismalis retentione, neque ex Olei sacri asservatione, neque ex decimarum recollectione; ac censuit, immo summopere commendavit, ut gratia erectionis praefatae Ecclesiae in Collegiatam concederetur. His interim perpensis, proposito dubio: - An sit relaxanda supplicatio, de qua agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio die 1 decembris 1736 responsum tulit: – Dilata, et ad mentem –, quae fuit, ut memorati Canonici Regulares Lateranenses, ad quos, ut praeferebatur, dicta Ecclesia S. Andreae adhuc pertinebat, excitarentur, causae urgentiores pro obtinenda eiusdem Ecclesiae secularizatione afferrentur, et demum Orator copiam indulti, quo Ecclesia praedicta sibi in commendam tradita fuit, exhiberet. Exhibuit Orator exemplar praedicti indulti, ac nonnulla documenta, quibus ostendit, eamdem Ecclesiam, veluti tercentum circiter ab illinc annis secularibus Presbiteris commendatam, atque cum omnimoda a dictis Canonicis Regularibus independentia libere administratam, a Regulari in Secularem statum pridem migrasse, nec non exposuit utilitatem huiusmodi erectionis, cum et alii quatuor Canonicatus ex piis dispositionibus Iosephi Benedicti Fruterii, Michaelis Muratorii, et fratrum de Saglioni institui deberent.

101. His igitur perpensis, proposito dubio: - An sit relaxanda supplicatio, de qua agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad mentem Emi Praefecti (1) – *in Taurinen. Erectionis Collegiatae die 13 Aprilis 1737.*

§. III.

ECCLESIA COLLEGIATA QUOAD PROBATIONEM

1. Omnis Ecclesia Regularis est Collegiata, ad tradita per Card. De Luca de Benef. disc. 63 n. 3, et Rot. in Recent. decis. 140 n. 9 part. 7, cum in attiguo Conventu extet Religiosorum familia, qui eiusdem Ecclesiae Collegium componunt *in Bononien. die 3 Iulii 1762* §. *In postrema.*

2. Collegiata Secularis vero non a Mansionariis constituitur, sed a Canonicis, qui Ecclesiae decorem augent, Innocent. in Cap. 2 de Instit., Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. can. lib. 1 tit. 4 n. 1, Rot. decis. 91 n. 4 coram Cavalerio *in Senogallien. Commutationis Voluntatis die 30 Maii 1772* §. *Ex alia.*

3. Itaque Collegiata non comprehenditur sub denominatione Parochialis, nec subiicitur iis dispositionibus, quae ad Parochiales referuntur, Gonzal. ad Regul. Cancell. Gloss. 5 §. 7 n. 13, Corrad. in prax. Benef. lib. 3 Cap. 3 sub n. 5, etiamsi fuerit aliquando simplex Parochialis, et nuper tantum in Collegiata evecta *in Pisauren. die 11 Ianuarii 1772* §. *Nec obesse.*

4. Unde in Collegiata deficiente prima et unica Dignitate, Canonico seniori competit ius exercendi sacras functiones, Barbos. de Canon. et Dignit. Cap. 5 n. 43, et S. Rituum Congreg. apud eumdem *in Pisauren. die 11 Ianuarii 1772* §. *Excluso.*

5. Quin imo Collegiatam institui etiam ex solis Dignitatibus tradit Card. De Luca de Canon. disc. 19 n. 4 *in Consentina Declarationis die 20 Decembris 1760* §. *Ex.*

6 Qua de re Collegialitas Ecclesiae, cum sit qualitas accidentalis, praesumi non debet, sed concludenter probari, Card. De Luca

(1) Itaque – cum dictus Card. Praefectus Sacrae Congregationi retulerit, totam quaestionem inter partes versari, num praeservanda esset in favorem Ecclesiae et Abbatis S. Petri consuetudo ducendi processionem Sanctissimi Corporis Christi e dicta Ecclesia cum interventu totius Cleri Civitatis Saviliani, seu potius sufficeret apponere in supplicatione clausulas generales praeservativas omnium iurium, prout de iure, EE. PP. censuerunt, supplicationem, de qua agitur, signandam et relaxandam esse sub clausulis generalibus praeservativis omnium iurium Ecclesiae et Abbati S. Petri quomodolibet competentium, prout de iure et quatenus de iure –, *ceu videre est in lib. 87 Decretorum pag. 174 et 177.*

de Benef. disc. 14 n. 7, Rota in Recent. decis. 47 part. 10 *in Ferentina Praecedentiae die 23 Aprilis 1768* §. *Collegialitas.*

Item *in Neapolitana Statutorum die 31 Iulii 1852* §. *Datarius.*

7. Ratio eliciendarum probationum ea est, quod Ecclesia non Cathedralis nec Regularis praesumitur simplex et sine Collegialitate, quae non innata Ecclesiis qualitas est, sed accidentalis et adiecta, veluti observat Card. Petra in comment. ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 n. 18 *in Setina Chori et Missae Conventualis die 10 Decembris 1785* §. *At.*

8. Idcirco in dubio, utrum Ecclesia Collegiata, an Parochialis sit, pro Parochialitate standum esse videtur, Rot. in Recent. decis. 143 n. 7 part. 7, decis. 469 part. 19 tom. 2 n. 39, et decis. 41 n. 7 coram Corillo *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826* §. *Hinc.*

9. Animadverti tamen debet, quod alia requiritur Collegialitatis probatio, ubi quaestio sit circa praeeminentias; alia vero si agatur de sustinenda provisione Apostolica, tamquam de reservato: siquidem in primo casu necessaria non est adeo rigorosa probatio, quemadmodum in secundo desideratur, Scarfanton. ad Ceccoper. part. 3 addit. 27 n. 44, Rota in Thelesina Collegiatae 4 iunii 1736 coram Emo Crescentio *in Ferentina Praecedentiae die 23 Aprilis 1768* §. *Ceterum.*

10. Compertum hinc est, duplicis esse generis Collegialitatis probationem, alteram scilicet, quae eruitur ex Bulla erectionis, vel ex Apostolico privilegio, ad Textum in Cap. *Porro* de privilegiis, L. 3 ff. de Colleg. illicitis, Innocent. in Cap. *Postulasti* n. 1 de iurepatronatus, Mascard. de probat. conclus. 583 a n. 1, Piton. discept. eccles. 8 n. 9, et discept. 116 n. 4; et alteram, quae evincitur ex signis coniecturis et indiciis simul unitis Collegialitatem univoce concludentibus, ex traditis per Innocent. et Mascard. loc. cit. 4, Lotter. de re Benef. lib. 1 cap. 14 n. 54, Barbos. de iur. eccles. lib. 2 cap. 6 n. 5, et Rot. coram Molines decis. 1229 n. 3 *in Ferentina Praecedentiae die 23 Aprilis 1768* §. *Collegialitas.*

Item *in Praenestina Missae conventualis die 6 Martii 1779* §. *Nunc; in Setina Chori et Missae Conventualis die 10 Decembris 1785* §. *At*; *in Civitatis Castellanae Missae Conventualis die 16 Decembris 1786* §. *Ad; in Maceraten. Mediae Annatae die 14 Maii 1831* §. *Quamquam.*

11. Qua de re Bulla erectionis tantum deficiente, ad Collegialitatis signa et indicia confugitur, ex firmatis per Barbosam de iur. eccles. lib. 2 cap. 6 de Eccles. Colleg. n. 5, Rot. coram Merlino decis. 87 n. 1, et coram Molines decis. 1229 n. 17 *in Terracinen. die 17 Iulii 1779* §. *Urget.*

12. Ubi enim non constet de primitiva erectione Ecclesiae in Collegiatam, nec de Apostolico privilegio, nihilominus eam esse Collegiatam coniecturis indiciis et argumentis comprobari potest *in Trivicana Collegialitatis die 1 Septembris 1721* §. *Cum.*

Item *in Ferentina Residentiae die 8 Augusti 1829* §. *Iamvero; in Baren. Collegiatae die 18 Augusti 1830* §. *Ubi; in Viterbien. Iurium et Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Pauca.*

13. Idcirco ex longaeva possessione et antiquis enunciativis probari Collegialitatem, etiamsi deficiat documentum erectionis, firmavit Rota in decis. 1229 n. 17 tom. 5 coram Molines, et in Recent. decis. 469 n. 19 tom. 2 *in Consentina Declarationis die 20 Decembris 1760* §. *Ex.*

14. Unde ex communi et antiqua opinione erectionis Collegiatae cum subsequentibus enunciativis Collegialitatem Ecclesiae resultare tradit cum ibi allegatis Ferrarius in Bibliotheca verb. Collegiata n. 13 *in Civitatis Castellanae Missae Conventualis die 16 Decembris 1786* §. *In.*

15. Qua de re constat de Collegialitate Ecclesiae, si nedum antiqua constans communisque fama erectionis extet, sed et Capitulum peculiares habeat Constitutiones et massam communem distributionum nec non usum Rocchetti et Mozzettae *in Civitatis Castellanae Missae Conventualis die 16 Decembris 1786.*

16. Siquidem aderat in Caprarolae Oppido, olim inclytae Gentis Farnesianae feudo, parochialis Ecclesia sub invocatione S. Michaelis Archangeli, quae ad communem constantemque traditionem, veluti Episcopus testabatur, in Collegiatam anno 1578 erecta fuit ab Episcopo Nicolao Perusi, habito s. m. Gregorii XIII vivae vocis oraculo. In hac,

quae narrabantur, prima erectione Archipresbiter Curatus comprehensus fuit, tum tres Canonici eiusdem in cura animarum Coadiutores. Mox tres alios Canonicos addidit Sodalitas S. Ioannis Baptistae, quibus pariter impositum fuit curae animarum incumbere, et Infirmis praesertim in praefatae Sodalitatis hospitali degentibus. Alii tres Canonici deinde accesserunt, ex piis dispositionibus erecti: iique omnes, qua Capitulum constituentes, Capitulares nuncupabantur. Demum novem alii advenerunt Canonici, qui posteriores fundationes habebant, quique sine voce in Capitulo, et in quotidianis distributionibus communicantes, vocabantur Extracapitulares, licet cum Capitularibus in choro aliisque functionibus, prout in Ecclesia moris erat, festis diebus inservierunt. Anno 1782 usu Rocchetti et Mozzettae honestati fuerunt. Qua de re deficiebat quidem Bulla erectionis; sed de constanti communique fama erectionis ab anno 1578 Episcopus testatus est. Accedebat, huiusmodi Capitulum Ecclesiae peculiares habere Constitutiones, pariterque massam communem distributionum, quarum primores participabant, qui Capitulares dicebantur, secus novem posteriores Extracapitulares nuncupati. Quae porro insimul coniuncta indicium Collegialitatis praestare videbantur, Rota in Recent. decis. 234 a n. 5 part. 16. Et Episcopus enarrans privilegium postremo indultum a Summo Pontifice dixit: – vereque ac legitime Collegiatae nomen ac gradum isthaec sortita est Ecclesia –.

17. His igitur perpensis, proposito dubio: – I. An constet de Collegialitate Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Caprarolae? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative – *in Civitatis Castellanae Missae Conventualis die 16 Decembris 1786.*

18. Idcirco ex communi et antiqua opinione, ex traditione historicorum, atque ex enunciativis instrumentorum ac Bullarum satis coniici posse Ecclesiae Collegialitatem docent Pitonius in discept. eccles. 8 n. 12, Alexander consil. 74 n. 4 *in Baren. Collegiatae die 28 Augusti 1830* §. *Hisce.*

19. Hinc principaliora Collegialitatis argumenta sunt commune sigillum, communis arca, ius convocandi Capitulum penes eum, qui gerat figuram Capitis, aliaque, de quibus late Card. Petra ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 a n. 15, Rota in Placentina Collegialitatis 19 novembris 1703 coram Card. Scotto *in Auximana Iubilationis die 19 Augusti 1786* §. *Quid.*

Item *in Nepesina Missae Conventualis die 16 Maii 1786* §. *Deficit; in Ferentina Residentiae die 8 Augusti 1829* §. *Atque.*

20. Nam plurima sunt signa, ex quibus Collegialitas Ecclesiae desumitur, nempe quod Capitulum commune habet sigillum, communemque massam, stallum in choro, locumque in Capitulo, quod capitulariter congregatur, et novi Canonici, cum possessionem capiunt, iuramentum adstante Capitulo praestant super Constitutionum Ecclesiae observantia: cum tamen haec sint signa Ecclesiis Receptitiis communia, non autem specifica Collegialitatis, veluti distinguit Rota in Placentina praetensae Collegialitatis 19 novembris 1703 coram Card. Scotto, et decis. 365 coram Card. Crescentio, hinc concludi satis non videtur, quod Ecclesia sit Collegiata, cum praesertim Episcopus referat, Archipresbiteratum non esse Dignitatem, videlicet non esse S. Sedi reservatum; in Collegiatis enim una saltem Dignitas esse debet, quae reservata est in Reg. 4 Cancellariae, veluti in terminis probandae Collegialitatis ex signis et coniecturis plene docuit Rota in dicta decis. 365 per totum coram Crescentio *in Nullius Terrae Pontiani Electionis Vicarii Capitularis die 16 Decembris 1741* §. *Primo.*

Item *in Setina Chori et Missae Conventualis die 10 Decembris 1785* §. *Plurima* §. *Cum.*

21. Unde Lucius Ferraris in Bibliot. can. verb. *Collegiata* a n. 80 haec habet: – Difficile est statuere, ex quibus Ecclesia habenda sit pro Collegiata. Datur enim Ecclesia Communitativa, quae in multis convenit cum Ecclesia Collegiata. Quocirca, nisi sciantur differentiae intercedentes Ecclesiam Communitativam inter et Ecclesiam Collegiatam, facile haud est diiudicare, ex quibus habenda sit aliqua Ecclesia pro Collegiata. Quoad ea, quae natura sua requirit unaquaeque Communitas, non differret Ecclesia Communitativa ab Ecclesia Collegiata. Sigillum, stallum, communis massa, communis arca, archivium commune, lo-

cus certus, tum signum sese congregandi, statuta, iuramentum de iis servandis, liber resolutionum, et alia id genus, utpote propria uniuscuiusque Communitatis, non solum conveniunt Ecclesiae Collegiatae, sed etiam Ecclesiae Communitativae. (Quam in rem omnem affert iudicium Rotae Romanae in Celsonen. Admissionis 5 iulii 1751 §. 4 coram Migazzi, et in Barchinonen Collegii 9 maii 1755 §. 5 coram Bussio) Quocirca ex his sustineri nequit, Ecclesiam aliquam habitam esse pro Collegiata, et quidem etiamsi praeterea tributa sit Ecclesiae denominatio Collegiatae et Beneficiatis illa Canonicorum –*in Ferentina Residentiae die 1829* §. *Antea.*

22. His positis, quae utriusque Ecclesiarum generis communia sunt, idem Scriptor ad alia descendit, quae in Collegiatis dumtaxat proprie cadunt, quaeque haud supra quatuor numerat: primum nempe, si in Ecclesia una saltem sit Dignitas, eaque Sedi Apostolicae reservata; alterum si Beneficiarii propria habeant insignia, quae non Communinitativae, sed Collegiatae dumtaxat Ecclesiae conveniunt; tertium si Beneficiariis Ecclesiae demandata identidem reperiatur executio Literarum Apostolicarum, quae nunquam a Romano Pontifice Beneficiariis Ecclesiae Communitativae committi suevit; quartum si propria ad Ecclesiam per se ipsos residendi lege Beneficiarii teneantur *in Ferentina Residentiae die 8 Augusti 1829* §. *His.*

23. Qua de re constat de Ecclesiae Collegialitate, si vehementiores coniecturae et indicia istiusmodi qualitatem concludunt *in Atrien. Collegiatae die 17 Septembris 1859.*

24. Enimvero cum quatuor Canonici, quorum alter Archipresbiteri dignitate pollebat, Capitulum constituerent Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris in Oppido Silvi, propriam Collegialitatis qualitatem ab Sacra Congregatione confirmari petentes, futurum pollici sunt, iuxta Ordinarii testimonium, ut numerus Canonicorum reapse ad sex Beneficiarios augeretur. Nam eorum Defensor a denominationinibus incipiens Capituli Collegiatae Ecclesiae, immemorabili temporis lapsu, haec probanda assumpsit in Episcoporum collationibus, in actis sacris Visitationibus, in contractibus, in antiquis censuariis tabulis, aliisque monumentis, ex anno 1627 usque in praesens, et contendit, maximo in pretio huiusmodi factum haberi, teste Riganti ad Reg. 4 Cancell. §. 2 n. 60, et Rota in decis. 213 n. 10 coram Molines. Addidit locationes atque emptiones bonorum, iuxta Rotae sententiam in Recent. decis. 264 part. 16, et in decis. 960 coram Penia n. 5; ac praesertim capitulares deliberationes de communibus negociis, quas nonnisi Canonicis convenire censuit, ex Riganti ad Reg. 4 Cancell. §. 2 n. 66, Rota in decis. 1 de Benef. n. 4 coram Falconerio. Notavit praeterea in Beneficiorum possessionibus traditionem stalli in choro et suffragii facultatem in Capitulo, quibus gravissimum confici Collegialitatis argumentum tradunt Scarfanton. ad Ceccoper. tom. 1 lib. 1 tit. 4 n. 27, Riganti loc. cit. n. 63, Pitonius discept. eccles. 116 n. 2, Rota in decis. 960 n. 6 coram Penia, singulis in Canonicatuum provisionibus concurrere. Denique demonstravit, ius Almutiam deferendi perpetuo custoditum in Collegio fuisse, quod non modo Canonicorum dumtaxat est proprium, sed et Apostolico indiget privilegio, veluti monet Scarfantonius loc. cit. lib. 1 ad tit. 7 n. 1; quibus dixit fastigium imponi ex communi arca, sigillo capitulari, quod in omnibus monumentis penes acta emicabat, ex libris, ex fidei professionibus, ex punctationum praxi, ex cura animarum, quam in simili specie praeseferunt, Mascard de probat. concl. 584 n. 10, Petra ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 n. 34 tom. 3, Ferraris in Biblioth. can. verb. Collegium n. 46, Rota in decis. 50 n. 3 coram Carillo, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 14 n. 93. Nec obsistere advertit dubium super antiquo Ecclesiae statu, quam tertio ab illinc seculo receptitiam fuisse coniiciebatur. Nam etsi huiusmodi qualitas vetustissima probaretur, contendit, deinde propriae Collegialitatis fundationem extitisse: ac praeterea eam esse ab immemorabili Ecclesiae naturam, ut receptitiam qualitatem prorsus impossibilem demonstraret. Fundationem proprii Collegii aliquando extitisse monuit, ex pluribus actibus, qui memorabant literas fundationis eiusque leges: receptitiam vero naturam cum immemorabili Beneficiorum statu incompatibilem ex eo praesertim ostendit, quod in Ecclesiis receptitiis Beneficia ab Ordinaria auctoritate conferri nequeant: dum e contra probavit, Be-

neficia praedictae Ecclesiae ab immemorabili per Ordinarios conferri consuevisse. Ordinarius multa pariter argumenta recensuit pro Collegialitate, atque extrinseca etiam momenta exposuit, ex loci et Ecclesiae adiunctis, quibus Capituli petitionem adiuvari arbitratus est.

25. His itaque perpensis, proposito dubio: – An constet de Collegialitate Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris in Castro Silvi in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Atrien. Collegiatae die 17 Septembris 1859.*

26. Quin imo ut Ecclesiae alicuius Collegialitas innotescat, necesse non est, ut omnes plane coniecturae et indicia simul concurrant, quae a Doctoribus in themate enumerantur, sed aliqua tantummodo, praesertim si univoca sint, adesse sufficit, ex quibus apte id argui valeat, Lotter. de re Benef. quaest. 14 n. 79, Card. Petra ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 n. 19 *in Consentina Declarationis die 20 Decembris 1760* §. *Ex longaeva.*

Item *in Ferentina Residentiae die 8 Augusti 1829* §. *Iamvero.*

27. Hinc dubitari non posse videtur de Ecclesiae Collegialitate, si habeantur Praebendae singulis Canonicis assignatae, distributionum massa omnibus communis, quotidiana residentia, chorique servitium ab immemorabili praestitum, Canonicorum titulus ab aetate vetusta in solemnibus quoque actibus tributus, Canonicalia insignia ab aevo adhibita, idest Dalmutia primum, deinde Mozzetta, Episcoporum silentium, Literae demum Apostolicae in Canonicatuum collatione expeditae, profecto eiusmodi indicia talia esse, ut Collegiatae indolem significare possint, deficiente legitimo fundationis instrumento, eruere est ex Mascard de probat. concl. 584 a n. 1, Barbos. de iur. eccles. lib. 2 cap. 6 n. 5, Lotter. de re Benef. quaest. 14 n. 54, Card. Petra in comment. ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 a n. 15 *in Terracinen. et Privernen. Coadiutoriae quoad curam animarum die 26 Iunii 1841* §. *At.*

Item *in Montis Falisci Collegiatae die 13 Septembris 1856* §. *Haec omnia.*

28. Nec obstat Collegialitati Ecclesiae, quod distributiones solis constet punctaturis, neque quod Missa Conventualis applicetur dumtaxat omnibus feriis secundis, et non cunctis diebus, contra Textum in Cap. *Dolentes* et Cap. *Cum creatura* de celebrat. missarum: nam id forte tolerandum videtur, attenta consuetudine et attento praesertim si huiusmodi Collegiata erecta non fuerit auctoritate Summi Pontificis, qui omnes necessarias conditiones et regulas solet praescribere in talibus institutionibus, sed auctoritate Episcopi, idque ante declarationes hac de re ab Sacra Congregatione emanatas *in Montis Falisci Collegiatae die 13 Septembris 1856* §. *Fateor.*

29. Qua de re defectus Decreti erectionis nihil obest Collegialitati Ecclesiae, ubi ipsa a centum annis, sive ab immemorabili indicia et dotes Collegiatarum exhibeat, Piton. discept. eccles. 116 n. 30, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 14 n. 52, Card. De Luca de praeem. disc. 51 n. 4 et 5 *in Montis Falisci Collegiatae die 13 Septembris 1856* §. *Haec.*

30. Nam Collegialitatem probat perpetua observantia, ut testatur Card. De Luca de Benef. disc. 14 n. 12, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 14 n. 43 et 44, Barbos. de iur. eccles. univ. lib. 2 cap. 6 n. 1; potissimum post Motum – Proprium Clementis VIII prohibentis Episcopis erigere Parochiales in Collegiatas *in Sabinen. Erectionis Collegiatae et Iurispatronatus die 29 Ianuarii 1853* §. *Hisce.*

Item *in Viterbien. Iurium ac Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Hisce.*

31. Unde non indiget adminiculativa probatione deducta ex signis, cum ipsa sola diuturna possessio ad id sufficiat, ex privilegio centenariae possessionis *in Montis Falisci die 13 Septembris 1856* §. *Haec omnia.*

32. Idcirco licet tabulae fundationis seu erectionis Collegiatae deficerent, Sacra Congregatio tamen, attentis immemorabili consuetudine ac pluribus enunciativis indiciis et coniecturis, non solum constare declaravit de Collegialitate, sed etiam de Matricitate, ac variis iuribus atque praeeminentiis super Parochos eiusdem loci *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826.*

33. Siquidem Civitas Planellae Pinnensis Diaeceseos in duas dispertiebatur Paraecias, quarum una ab Ecclesia Sanctissimi Salvatoris, altera ab Ecclesia S. Leonardi Abbatis nomen sumebat. Intra fines Paraeciae S. Leo-

nardi situm erat Templum S. Antonio Abbati dicatum, in quo undecim Sacerdotes quotidie laudes Deo persolvebant, Missam concinebant, aliaque peragebant, quae ab insignibus Collegiatis Ecclesiis fieri consuescunt. Capitulariter enim de rebus communibus consultari conveniebant, librum resolutionum capitularium, Canonicum Capituli Procuratorem, et communem habebant sigillum, certis emblematibus distinctum; eisque, antequam per postremum Concordatum in Neapolitana ditione minores Abbatiae supprimerentur, Abbas praeerat cum iurisdictione. Hinc communi usu Sacerdotes illi Canonici et Ecclesia S. Antonii nuncupabatur Collegiata, quin imo vocitabatur etiam Collegiata S. Mariae maioris, ceu nonnulli Cives testabantur. Insuper ea in Ecclesia unicus existebat pro tota Civitate et territorio Fons baptismalis, in eaque tantum et Sanctissima Eucharistia et Oleum Infirmorum asservabatur, ac sacrae tempore Adventus et Quadragesimae habebantur conciones; ab ea egrediebantur, ad eamque redibant synodales et generales processiones, nec non solemnioribus quibusque functionibus publica existimatione ceterarum Ecclesiarum Matrix habebatur, Parochi Sanctissimi Salvatoris et S. Leonardi in suis Ecclesiis possessionem capiebant, in iisque parochialia obibant munia et ad Ecclesiam S. Antonii accedebant, vel Baptismum collaturi, vel in quindena paschali sanctissimam Eucharistiam suis Parochianis dispensaturi, vel cum Sanctissimo Viatico et Extrema unctione pro Infirmis opus erat, vel demum si contigeret, ut invitatis Canonicis funus ad eamdem Ecclesiam deducendum esset, quo casu si solemnis canenda esset Missa cum Diacono et Subdiacono, ea canebatur ab altero ex Canonicis, a quo etiam super cadaver absolutio perficiebatur. Anno vero 1821 Parochi contendere ceperunt, Ecclesiam S. Antonii non Collegiatam, sed Parochialem esse utrique Paraeciae communem; Sacerdotes in ea residentes non Canonicos, sed simplices esse Praebendatos, et sacras omnes, quae ibidem peragebantur, functiones, non ad illos, sed ad Parochos pertinere. Qua ex re Canonici petierunt in Episcopali Curia, – se non deturbari a Parochis in exercitio sacrarum capitularium functionum independenter ab ipsis Parochis fieri solitarum –, et petitioni consona in possessorio die 23 maii anni 1823 prodiit sententia. Victi in possessorio, petitorium iudicium in eadem Episcopali Curia Parochi introduxerunt: sed et in hoc superati, ad Sacram Congregationem provocarunt.

34. Canonici autem iura sua defenderunt praesidio centenariae et immemorabilis praescriptionis, quae omnem meliorem suppeditabat titulum ac praesumptionem secumferebat Apostolici Indulti. Quum fundationis tabulae erectionis Collegiatae deessent, protulerunt 1. codicem ex archivio Communitatis Planellae, qui consiliarem resolutionem praeseferebat diei 22 novembris 1803, in qua res erat de conferendo Canonicatu, – che vacava in questa Chiesa Collegiata per la morte di D. Pasquale già Canonico in detta Collegiata –; 2. ex Archivio Ecclesiae ipsius S. Antonii librum resolutionum capitularium, ex quo eruebatur, Commissarium Apostolicum Rev. Fabricae S. Petri de Urbe lustrasse anno 1707 Collegiatam Ecclesiam S. Antonii Abbatis Terrae Planellae, eumdemque anno 1711 iterum visitasse – la Chiesa Collegiata di S. Antonio Abbate nella Terra di Planella –, de eaque locutum esse veluti existente iam ante annum 1657; 3. actus complures Apostolicae Nunciaturae Neapolis, in quibus nominatur – il Capitolo e Canonici della Terra di Planella, il Capitolo e Canonici della Chiesa Collegiata di S. Antonio di Planella; 4. publicum catastrum Communitatis Planellae anno 1685 exaratum, in quo inscribebatur – il reverendo Capitolo –, pluraque ei bona adscribebantur, quae adhuc ab Ecclesia S. Antonii possideri dicebantur; 5. testimonium Episcopalis Curiae Pinnensis fidem perhibentis, ex Bullariis illius Curiae constare, – che nella Città di Pianella trovansi fra le altre tre Chiese una sotto il titolo di S. Antonio Abate officiata dai Canonici –. Ex his concluserunt, Ecclesiam S. Antonii vel anno 1603 hoc est ab immemorabili, et certe biscentum et amplius ab illinc annis pacifice Collegialitatis honore potiri. Accedebat insuper sigillum, liber capitularium resolutionum, deputatio Procuratoris Capituli; quin imo anno 1805 Summus Pontifex Episcopo Pinnensi Abbatiam Ecclesiae S. Antonii conferens, his verbis usus est: – Tu, qui uti Abbas cum iu-

risdictione Dignitas principalis secularis insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris et S. Antonii Abbatis loci Planellae –. Parochialitatem inde ab Ecclesia S. Antonii excluserunt, cum eadem resideret in Ecclesia Sanctissimi Salvatoris et S. Leonardi, nec non immemorabili innixi consuetudine plura iura ad Ecclesiam S. Antonii privative spectare probarunt. At Parochi propugnarunt, nullam esse Collegiatam sine Apostolico Beneplacito, et consensu Patronorum, scilicet Communitatis Planellae, quae omnia dubio procul deficiebant: nec probari dixerunt, Ecclesiam fuisse congrue dotatam, nullum in tota Ecclesia apparere Collegialitatis vestigium, communem non adesse arcam, non Syndicum communem; quibus deficientibus, et Collegialitatem deficere monet Rota coram Olivatio decis. 31 n. 1 tom. 1, in Recent. decis. 192 n.7 part. 14. Parochialitatem Ecclesiae S. Antonii subinde probare contenderunt.

35. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet, Ecclesiam S. Antonii Abbatis esse Collegiatam et Parochialem in casu? II. An constet de iure privativo Fontis baptismalis favore Ecclesiae S. Antonii in casu? III. An solemnis benedictio Fontis baptismalis in Ecclesia S. Antonii spectet ad Canonicos, seu potius ad Parochos Sanctissimi Salvatoris et S. Leonardi in casu? IV. An ad Parochos spectet ius ministrandi Parochianis Sanctissimam Eucharistiam in Ecclesia S. Antonii intra quindenam Paschalem in casu? V. An et quomodo asservari debeant claves Baptisterii Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti et Olei sancti in Ecclesia S. Antonii existentium in casu? VI. An ius canendi Missam solemnem feria V in Coena Domini in Ecclesia S. Antonii spectet ad Canonicos, seu potius ad Parochos in casu? *Et quatenus affirmative favore Canonicorum.* VII. An Canonico Missam solemnem celebranti liceat Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum ministrare Canonicis aliisque Clericis Collegiatae servitio addictis in casu? VIII. An benedictio et distributio candelarum cinerum palmarum in Ecclesia S. Antonii spectet ad Canonicos, seu potius ad Parochos in casu? IX. An ius peragendi tridua novenas aliasque similes functiones etiam cum expositione Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Antonii spectet ad Canonicos, seu potius ad Parochos in casu? X. An generales processiones tam synodales, quam pro causa publica inchoari debeant in Ecclesia S. Antonii, et in ea terminari in casu? XI. An in eisdem generalibus processionibus Parochi praeire debeant Canonicis in casu? XII. An, Canonicis ab heredibus vocatis et capitulariter intervenientibus in associatione cadaverum ad Ecclesiam S. Antonii, delatio stolae spectet ad Canonicum digniorem, seu potius ad Parochum defuncti in casu? XIII. An Capitulo ab heredibus vocato et capitulariter interveniente ius canendi Missam cum Diacono et Subdiacono, peragendi officium et absolutionem impartiendi super cadavera in Ecclesia S. Antonii spectet ad Canonicos, seu potius ad Parochum defuncti in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Ecclesiam S. Antonii esse Collegiatam et Matricem. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad quartum, Affirmative. Ad quintum, Affirmative penes Sacristam; et ad mentem. Ad sextum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad septimum, Affirmative. Ad octavum et nonum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad decimum, Affirmative in omnibus ad formam consuetudinis, exceptis prout de more processionibus in feriis secunda et tertia Rogationum. Ad undecimum, Affirmative, reservato loco digniore Canonicis. Ad decimum secundum, servetur solitum. Ad decimum tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826.*

36. Hinc nullus dubitandi locus relinquitur de Ecclesiae Collegialitate, si non centenaria solum, nec unum vel alterum indicium solum, sed omnia indicia concurrere videntur *in Montisfalisci Collegiatae die 13 Septembris 1856.*

37. Enimvero Canonici Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Oppidi Cryptarum Diaecesis Montisfalisci supplicarunt Sacrae Congregationi, ut declararet constare de praefatae Ecclesiae Collegialitate, cum a remotissimis temporibus ac potissimum a seculo XIV usque in praesens haud interrupte eadem Ecclesia

uti Collegiata habita fuerit. Ordinarius retulit, quod Ecclesia S. Ioannis Baptistae – satis ampla elegantis formae et structurae, septem ornata altaribus, ac tam varia, tam concinna, tam pretiosa et recte disposita supellectili instructa, ut inter Ecclesias Collegiatas in his locis ea sit facile princeps, a dissitis longe temporibus divina ibi celebrantur officia a quatuordecim Canonicis, quorum tres una cum Archipresbitero totius Collegii Capite Capitulares, reliqui decem Supranumerarii vocantur, utpote posterioris erectionis –. Retulit etiam, quod iidem Canonici – sigillo utuntur cum epigraphe « Collegiata S. Ioannis Baptistae » –, quodque insignia huius Collegiatae erant olim Almutiae, quibus Pius PP. VII fel. rec. die 20 septembris 1803 suffecit Cottam supra Rocchettum, itemque Rocchettum et Mozzettam violaceam etiam sericam cum globulis et asulis crimisini coloris –. Unde ex actis Cancellariae Episcopalis constabat, quod anno 1700 collatus ab Ordinario fuit Svetonio Pandolfi Archipresbiteratus, qui dictus fuit: – Archipresbiteratus parochialis Ecclesiae Collegiatae nuncupatae –; anno 1705 et 1710 habitae fuerunt Synodus Diaecesanae, quarum in prima electus extitit in Punctatorem Bernardinus Noccioli cum addito – Canonicus Collegiatae Cryptarum –, in altera autem inter interessentes subscripti legebantur – Iacobus de Mattis Archipresbiter Collegiatae S. Ioannis Baptistae Cryptarum, Ioannes Pompili eiusdem Collegiatae Canonicus –. In Bullis etiam Apostolicis expeditis favore Iacobi de Mattis anno 1709 VI Kal. octobris legebatur: – In seculari et Collegiata S. Ioannis Baptistae –; in illis expeditis anno 1793 die 13 iulii favore Iosephi Guerrini: – Cum itaque postmodum Archipresbiteratus Ecclesiae secularis et forsan insignis Collegiatae S. Ioannis Baptistae Terrae Cryptarum –; in illis expeditis die 15 februarii 1803 favore Christophori Orzi: – Archipresbiteratus, qui inibi Dignitas principalis existit cum cura Parochianorum dictae Collegiatae Ecclesiae –. Eadem fere verba repetebantur in Bullis expeditis anno 1817 favore Vincentii Rubini. Tandem in Apostolicis Literis datis die 20 septembris 1803, quibus praedicti Canonici novis insignibus et decorationibus aucti fuere legebatur: – Cum igitur Collegiata ipsa antiquitatis laude Sacerdotum probitate et doctrina Populique frequentia et devotione ita floreat, ut una ex illustrioribus illius Diaecesis habeatur –. Advertit idem Epicopus, deficere Decretum erectionis canonicae, cum monumenta Episcopalis Cancellariae inciperent a seculo XVI; sed in quodam manuscripto anni 1366 in Archivio praefatae Ecclesiae assservato legebatur: – Collatio Canonicatus S. Ioannis de Castro Cryptarum –; et in libro Baptismatorum, qui in capitulari tabulario asservabatur,et initium sumebat anno 1587 inscriptionem praeseferebat: – Chiesa Collegiata e Battesimale di S. Giovanni –; ac etiam anno 1623 Collegiatae titulus adserebatur. Alia demum monumenta posteriorum temporum proferebantur, quae nominis eiusdem usum ostendebant: et in Causa Montifalisci Reductionis die 15 septembris 1770 penes Sacram Congregationem acta Ecclesia S. Ioannis Collegiata semper appellata fuit.

38. His igitur perpensis, proposito dubio: – An constet de Collegialitate Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Terrae Cryptarum in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Montisfalisci Collegiatae die 13 Septembris 1856.*

39. Unde Card. Petra in comment. ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 n. 34 pro tessera Collegialitatis assignat, – si Ecclesia fuerit habita uti Collegiata, et in actis Visitationis ab Ordinario talis asseratur, Barbos. ius can. lib. 2 cap. 6; si in Ecclesia adsit aliquis, ut Caput, et Clerici vel Canonici, ut membra, Card. De Luca disc. 51 n. 4 et 5 de praeeminentiis; cum constet, quod usque ab anno 1292 in istis Ecclesiis adessent Canonici soliti provideri in titulum, quorum numerus praefinitus erat, atque Ecclesiae enuncientur Collegiatae, hinc adesse dicitur centenaria, qua occurrente, de plano resultat probatio dicti privilegii (Collegialitatis), quoniam centenarius possessor allegare potest privilegium Apostolicum, et quemcumque titulum de mundo meliorem, unde non indiget adminiculativa probatione, deducta ex signis, cum ipsa sola diuturna possessio ad id sufficiat, ex dicto privilegio centenariae possessionis – *in Montisfalisci Collegiatae die 13 Septembris 1856* §. *Haec.*

40. Si enim praescriptioni immemorabili vel centenariae accedant etiam coniecturae et indicia Collegialitatis, scilicet commune sigillum, liber capitularium resolutionum, deputatio Procuratoris Capituli, indubia esse videtur Ecclesiae Collegialitas *in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826* §. *Praescriptioni.*

41. Insuper ad dignoscendum, an Ecclesia sit Collegiata, vel non, plura etiam proponit Corrad. in prax. Benef. lib. 2 cap. 15 a n. 1 ad 8 *in Collen. Applicationis Missae Conventualis die 8 Februarii 1783* §. *Advertit.*

42. Hinc de Collegialitate Ecclesiae non est dubitandum, licet anno 1564 erecta fuisset, sola Episcopi interveniente auctoritate, cum tunc temporis vigeret opinio inter Doctores et in Tribunalibus recepta, quod Episcopus, iusta interveniente causa, erigere posset et instituere Collegiatam, uti plene habetur in decis. 1084 coram Emerix Iuniore *in Ferentina Distributionum die 24 Septembris 1718* §. *Absque.*

Item *in Montis Falisci Collegiatae die 13 Septembris 1856* §. *Porro.*

43. Nec, quod Ecclesia sit Collegiata, in dubium revocari potest, quoties illius Collegialitas declarata fuit a Rota coram Crispo decis. 243 a n. 1 *in Sutrina Officiaturae die 18 Septembris 1779* §. *Quod.*

44. Qua de re constat de Collegialitate Ecclesiae et consequenter de praecedentia Canonicorum eiusdem super simplices Presbiteros, functiones tamen parochiales ad Rectores Curatos spectant, si Summus Pontifex praefatae Ecclesiae, eiusque Canonicis eadem iura et privilegia, quibus fruuntur aliae Collegiatae Ecclesiae, concesserit, reservato vero interesse habentibus iure impetrandi aperitionem oris adversus huiusmodi Apostolicam gratiam, cum iidem eam subreptionis et obreptionis vitio infectam esse contendant *in Viterbien. Iurium et Praeeminentiarum die 16 Iulii et die 27 Augusti 1853.*

45. Siquidem Balneariae in parochiali Ecclesia Beatae Mariae Virginis de Rosario sex anno 1653 Episcopali Decreto erecti fuere Canonicatus ex testamento quondam Oliverii Sergi, ad commodiorem dein Ecclesiam S. Ioannis Baptistae una cum binis Rectoribus Curatis translati: quibus inde sensim sex alii accessere Canonicatus partim ex peculiari fundatione, partim ex Sodalitiorum bonis promanantes, ita ut impraesentiarum duodeni adessent Canonici, qui iuxta primaevam fundationem divinis quotidie, alternatim tamen et ad instar Canonicorum Collegiatae S. Angeli Viterbii, interesse tenerentur. Exorta subinde praecedentiae controversia inter praefatos Canonicos, et simplices loci Sacerdotes, proposito dubio: – An dicti Canonici in processionibus ceterisque functionibus ecclesiasticis praecedere debeant simplicibus dictae Terrae Sacerdotibus? –, Sacra Cengregatio die 3 februarii 1685 responsum tulit: – Negative, servata antianitate –. Aegre quidem tulerunt Canonici huiusmodi resolutionem, quae praecipuum eorum Collegialitatis praerogativae fulcrum evertebat; attamen res inter Clerum et Canonicos, iuxta sententiam Sacrae Congregationis, per aevum usque processit. Anno vero 1789 Canonici per Officiales Sodalitii S. Caroli eiusdem loci rogatum adiere Pontificem s. m. Pium VI, ut dignaretur eisdem concedere usum Rocchetti et Mozzettae violacei coloris, cum ab annis centum et ultra eorum Ecclesia erecta esset in Collegiatam. Oratorum precibus annuit Pontifex Rescripto diei 27 februarii dicti anni, memorata insignia elargiendo. Quoniam vero pro parte Sacerdotum Rescripti exequutioni obex parabatur, iterum adiere Pontificem Rectores Curati una cum Canonicis eum in finem, ut Literae in forma Brevis super concessione iam facta expedirentur, ceu reapse factum est die 6 septembris 1793. In iis autem praeter insignium confirmationem edicebatur, Collegiatam Ecclesiam eiusque Canonicos omnibus et singulis privilegiis honoribus et indultis uti, quibus aliae Collegiatae Ecclesiae ac Canonici gaudent, et clausula – sublata – Decretumque irritans adiectum est. Unde elatiores facti iactationes Canonici contra Rectores Parochos inferre haud destitere, quoad sacrarum functionum aliorumque iurium exercitium; ad quas compescendas editum fuit anno 1797 a R. Camerae Auditore Monitorium, quo mandabatur, instantes Rectores manutenendos in pacifica immemorabili quasi possessione iuris exercendi easdem functiones. Nec interposita mora, iidem coram Sacra Congregatione iactationum iudicium instaurarunt, cuius tamen

remissa cognitione in prima instantia Curiae Episcopali, amica prodiit ipsis sententia, qua definitum est, – assertos Canonicos debere cessare et desistere ac perpetuo se abstinere ab omnibus et singulis iactationibus, quae iura offendant Parochorum et signanter in celebratione Missarum solemnium in diebus festivis, intonatione vesperarum et exercitio aliorum officiorum in respectivis eorum Ecclesiis, nec non eosdem manutenendos fore et esse in quiete et pacifica possessione iuris exercendi in capite, etiam cum praeeminentia, functiones omnes ecclesiasticas indepententer etiam ab assertis Canonicis –. Novam subinde querelarum causam praebuit modernis Parochis Rectoribus Decretum Sacrae Visitationis editum ab Emo Episcopo die 3 iulii 1841, quo ii removebantur ab administratione trium Capellarum Sanctissimi Sacramenti Rosarii et Suffragii, quam eo usque privativo iure exercuerant, eaque Capitulo addicta fuit; eodemque ferme tempore revixit etiam praeeminentiae controversia. Qua de re praefati Rectores Curati cum Sacerdote Natilio institerunt coram Curia Episcopali, ut tandem definiretur, nulla Canonicis Collegii iura competere, et proinde tum Rectores, tum Natilium ceterosve simplices loci Sacerdotes manutenendos esse in pacifica possessione eorum omnium, quae per resolutionem Sacrae Congregationis et Curiae Episcopalis sententiam iamdiu fuerant agnita. Incassum tamen: nam Vicarius Generalis in partium contradictione die 29 aprilis 1846 pronunciavit: – Esistere la Collegiata Apostolica di Bagnaia –.

46. Re ad Sacram Congregationem per appellationem delata, sententiae iustitiam defenderunt Canonici, tum ex Episcopali Decreto anni 1672, quo Collegiatae erectio peracta fuerat eo ipso, quod ad erectionem Canonicatuum Sergii deventum est, tum maxime ex declarationibus ac concessionibus Apostolicis, nec non ex supramemoratis Rescripto et Brevi, in quibus Pontifex nuncupatione explicita – Parochialis et Collegiatae Ecclesiae – usus est, eique honores ac praerogativas attribuit, quae aliis Ecclesiis Collegiatis sunt propria. Quibus accedebant enunciativae remoto usque ab aevo adhibitae a Canonicis ipsis a Rectoribus Curatis vel in supplicibus libellis, vel in communi sigillo idest proprio ipsius Collegii, vel in schedis ac testimonialibus Literis, quae super respectivis Parochialibus actibus edebantur, vel demum in sacris visitationum Decretis, in quibus omnibus veluti insignis Collegiata Ecclesia S. Mariae ac S. Ioannis Baptistae enunciabatur, quin obesset resolutio Sacrae Congregationis anni 1685, qua praecedentia denegata fuit Canonicis prae simplicibus Sacerdotibus. Id enim tribuendum potius indoli tunc enascentis Collegii, dum Canonicos ob exiguum numerum omni honoris signo destitutos ceteris intererat aequiparare Sacerdotibus, forte etiam aetate maioribus, quorum opera desiderabatur, ut rite divina explerentur officia. Nec pariter obesse dixerunt sententiam Curiae anni 1797; primo, quia in Canonicorum contumacia prodiit; secundo, quia etsi contradicta fuisset, nullitatis vitio redargueretur ob iurisdictionis defectum in iudicante, attentis Decreto irritanti et clausula – sublata –, in praecedentibus Apostolicis Literis adiectis. Rem autem omnem conficiebant memoratae Literae Apostolicae, per quas de Collegialitate dubitari non posse videbatur, quin ullum subreptionis vel obreptionis vitium contigisset. E contra Sacerdotes cum Natilio contenderunt, non potuisse Episcopum concedere Collegialitatem, quin etiam per Canonicatuum erectionem illam indulsisse censeretur. Quin imo Sacra Congregatio anno 1685 statuit –, non deberi praecedentiam dictis Canonicis tamquam non formantibus Capitulum, neque Caput seu Dignitatem non habentibus, sine Cruce signo aliisque requisitis ad ecclesiasticam Collegiatam pertinentibus, et attenta erectione, ut supra facta, absque Beneplacito Apostolico in Ecclesia, quae non est propria, sed Curatorum dictae Terrae –, ceu in eiusdem Causae folio animadvertebatur. Idcirco cum de vitiosa rei originis constaret, incassum ad coniecturas et indicia effugium haberi poterat. Quin immutata ullatenus fuerit Ecclesiae conditio per Rescriptum et subsequens Apostolicum Breve, cum nec de praecedentia, nec de ceterorum iurium derogatione, quae aliis ex resolutione Sacrae Congregationis quaesita iam fuerant, ullum in iis verbis occurrebat, licet in precibus id exquireretur: multoque minus ex iis Collegiatae erectio evinci poterat; quippe quia petitionis obiectum

minime in eo versaretur, imo Collegialitatis praerogativa veluti praeexistens enunciabatur, ideoque concedentis voluntas in eo, quod minime exquirebatur, effectum gignere haud valuit. Quid quod utrumque insanabili obreptionis ac subreptionis vitio corruere palam ex eo fiebat, quod fuerint in precibus exposita, quae in facto minime subsistebant, quaeque Pontificem a gratia concedenda dubio procul retraxissent, ubi genuinus rei status ipsi innotuisset. Corruente hinc Collegialitatis praerogativa, iura Natilii aliorumque simplicium Sacerdotum et Parochorum metienda esse ad tramites memoratae resolutionis anni 1685 nemo non videbat.

47. His utrinque perpensis, propositis dubiis: –. I. An constet, Ecclesiam S. Mariae ac S. Ioannis Baptistae esse Collegiatam in casu? II. An et quae functiones spectent ad Rectores Curatos peragere in casu? III. An et quomodo sit servanda praecedentia inter Canonicos et simplices Sacerdotes in casu? IV. An et ad quem spectet administratio Capellarum in casu? –, Sacra Congregatio die 16 iulii 1853 respondit: – Dilata, et afferantur preces una cum Rescripto et Breve –. His adamussim impletis, et constito quod Summus Pontifex ex Brevi diei 6 septembris 1793 praeter insignia concesserit etiam, – utque praeterea eadem Collegiata Ecclesia eiusque Canonici huiusmodi omnibus et singulis privilegiis honoribus gratiis et indultis, quibus aliae Collegiatae Ecclesiae suique Canonici utuntur fruuntur et gaudent ac uti frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo uti frui et gaudere libere ac licite possint et valeant, de speciali dono gratiae Auctoritate et tenore praefatis indulgemus –, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, salvo iure Parochis et Presbiteris impetrandi aperitionem oris adversus Rescriptum anni 1789 et Breve anni 1793. Ad secundum, omnes functiones paraeciales spectare ad Rectores Curatos. Ad tertium, Affirmative favore Canonicorum. Ad quartum, dilata et afferantur fundationes Capellaniarum – *in Viterbien. Iurium et Praeeminentiarum die 27 Augusti 1853.*

48. Nam Ecclesia Collegiata insignis Cathedrali comparatur, Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 1 tit. 5 n. 15, Rot. decis. 19 n. 8 part. 2 diversorum, ac proinde quacumque Parochiali Ecclesia aliisque inferioribus dignior censetur, Barbos. in sum. Apostol. decis. verb. Collegiata collect. 181 n. 4, Card. Petra ad Constit. Innocentii IV sect. unic. n. 21 tom. 3; hinc in Synodalibus processionibus aliisque omnibus functionibus, quibus interest universus Diaecesis Clerus, Canonici huiusmodi Collegiatae praecedunt post Capitulum Cathedralis omnibus Parochis aliisque Praesbiteris, Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 18 n. 67, Sperel. decis. 167 n. 11 et 12 *in Pisauren. die 11 Ianuarii 1772* §. *Denique.*

49. Amplia, etiamsi Ecclesia, prius quam in Collegiatam erigeretur, locum cederet aliis Ecclesiis, et licet in Bulla Erectionis adiecta fecerit clausula – Sine alerius praeiudicio –, Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 18, Rot. decis. 1445 coram Seraphino, et S. Congreg. in Illerden. Praeeminentiarum 26 Iunii 1603 *in Pisauren. die 11 Ianuarii 1772* §. *Et hanc.*

50. Receptissimum propterea in iure est, Canonicis Ecclesiae Collegiatae praecedentiam deberi nedum supra alios Presbiteros, sed etiam supra Parochorum Collegium, Ferrar. in Biblioth. verb. Canonicus art. 7 n. 15, et verb. Praecedentia n. 7 *in Viterbien. Iurium et Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Rem autem.*

51. Insignitas autem Collegii evincitur etiam ex iure per testimonia antiqua et processu rite instituto, ex enunciativis Bullarum, ex historiis, et ex denominatione, cognita causa, adhibita a Summo Pontifice, quod unum ad probandam insignitatem exuberat, Scarfanton. lucubrat. can. lib. 1 tit. 5 n. 10, Rota in Tranen. Praeeminentiarum 3 iunii 1715 §. Enunciativa coram Scotto *in Beneventana Praeeminentiae die 3 Martii 1855* §. *Hisce.*

52. Nam etiam ex privilegio demonstratur insignitas, ob indumenti praelatitii concessionem erga Capitulum et Pontificalium erga Abbatem, quae profecto insignitatem apprime arguunt, Pitonius discept. eccles. 49 n. 2, Card. Petra ad Constit. unic. Callixti II sect. 1 n. 15 *in Beneventana Praeeminentiae die 3 Martii 1855* §. *Hisce.*

53. Similiter qualitas insignis Collegiatae desumitur ex praerogativis, quibus decoratur, et ex nobilitate Oppidi, in quo sita, ut alias

decisum fuisse ab Sacra Congregatione refert Corrad. in prax. Benef. lib. 2 cap. 23 *in Consentina Declarationis die 20 Decembris 1760* §. *Ex.*

54. Haec namque insignis qualitas, licet pendeat ab arbitrio Iudicum, attamen deduci solet ex frequentia Populi, ex splendore Ecclesiae, ex privilegiis Collegiatae, ex dignitate Cleri, et ex Conventibus Regularium, ut tradit Barbosa ad Concil. Trid. cap. 1 sess. 24 de reformatione, Corrad. in prax. Benef. part. 2 cap. 1 n. 21 et 23 *in Asculana Commutationis voluntatis die 20 Februarii 1802* §. *Haec.*

55. Unde insignitatis praerogativa vindicatur etiam, tum ex historicorum auctoritate, qui eam insignem perpetuo fuisse tradunt, tum ab Antistitum ac Summorum Pontificum enunciativis, tum denique ab usu Pontificalium, quo prima eius Dignitas donata est: quae sane omnia perspicuum insignitatis praebere argumentum docent Canonistae, inter quos Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1 tit. 5 n. 12, Campanil. divers. iur. can. rubr. 12 cap. 12 n. 11 et 13, Card. De Luca de praeeminent. disc. 23 n. 3, Gonzalez ad Cap. *Clerici* 15 n. 12 de vit. et honest. Clericorum, Card. Petra ad Constit. unic. Calisti II sect. 1 n. 45, aliique communiter *in Beneventana Praecedentiae die 10 Septembris 1853* §. *Insignitatis.*

56. Ad historicorum tamen testimonia quod spectat, consulto sancitum est, ut modernis Scriptoribus de re antiquissima disserentibus nulla habenda sit fides, nisi monumenta afferantur indubia, quae eorum dicta confirment, Abbas in Cap. *Cum causam* de probat. n. 1, Paris. cons. 23 n. 235 lib. 1, Rot. in Recent. decis. 191 n. 3 part. 3 *in Beneventana Praecedentiae die 10 Septembris 1853* §. *Fatue.*

57. Ceterum de qualitatibus Collegiatae et quidem perinsignis ac Matricitatis dubitari nequit post plures res iudicatas Rotales *in Tranen. Honorificentiae die 31 Martii 1855* §. *Porro.*

58. Quum autem Clerus Ecclesiae Maioris Montis Alti postulaverit declarari, eamdem Ecclesiam fuisse olim Cathedralem, deinde suppressam et unitam Sedi Consentinae, post suppressionem vero et unionem praedictam remansisse in ea Collegium cum quatuor Dignitatibus et annexa cura animarum, illarumque primam et principalem Decanatum nuncupatum reservatam esse collationi et dispositioni Sedis Apostolicae, et reliquas tres conferendas esse praevio examine, sed absque concursu, atque dictam Ecclesiam, attentis qualitatibus, quibus decorabatur, fuisse et esse reputandam Collegiatam insignem, propositis dubiis: – I. An constet de antiqua Cathedralitate Maioris Ecclesiae Civitatis Montis Alti eiusque Cathedrae suppressione ac Sedi Consentinae unione? II. An ipsa Ecclesia post dictam suppressionem et respective unionem remanserit Collegium cum quatuor Dignitatibus easque fuisse et esse vere et proprie Dignitates cum perpetua animarum cura? IV. An Ecclesia ipsa, attentis qualitatibus, quibus decoratur, fuerit et sit insignis ac perpetuo dicenda et inscribenda sit titulo Collegiatae insignis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad dominum Secretarium ad mentem – *in Consentina Declarationis die 17 Ianuarii 1761.*

59. Verum Sacra Congregatio declaravit, Collegiatas etiam non insignes comprehendi in Decreto Concilii in cap. 12 sess. 24 de reformatione vers. *Praeterea,* nisi de iis sint, in quibus supra hominum memoriam Canonici residere non consueverunt, vel adeo tenues habent reditus, ut aliunde non habentes, unde vivere, se ex ipsis alere non possint *in Mediolanen. mense Septembris 1585 lib. 4 Decretorum pag 71.*

Item *in Venetiarum mense Maii 1592 lib. 7 Decretorum pag. 43* (1).

60. Quod si de vitiosa rei origine satis abundeque constet, incassum ad coniecturas et indicia, quae tunc tantum attendenda sunt, quando aliter veritas deprehendi nequeat, effugium haberetur, Cap. *Postulasti* de iurepatronatus, Alex. cons. 15 lib. 7 n. 2, Barbos. de can. et dignit. cap. 2 n. 9, Rot. in Recent. decis. 234 n. 3 part. 16 *in Viterbien. Iurium et Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Rem ita.*

61. Nam licet nonnulla ex iis concurrerent, in dubio tamen praesumenda esset Pa-

(1) Plura de Collegiatis non insignibus resoluta habentur in Comen. lib. 2 Decret. pag. 112 a tergo.

rochialis, potiusquam Collegiatae qualitas, ceu ad rem Abbas in Cap. *Nobis* de iurepatronat. n. 8, et in Cap. *Dilecta* de excess. Praelatorum, Rot. in Recent. decis. 143 n. 7 part. 7 *in Viterbien. Iurium et Praeeminentiarum die 28 Maii 1853* §. *Rem ita.*

62. Idcirco Ecclesia haud censetur Collegiata, quando praetensa Bulla Pontificia erectionis suspicionis vitio laborat, et signa ac iudicia non sunt concludentia et univoca, sed potius aequivoca *in Brugnaten. Collegialitatis die 14 Aprilis 1725.*

63. Iamvero Ecclesia S. Stephani Pontis Sigestri posita erat in quadam Villa circumdata montibus ex parte anteriori, et distabat a loco Sigestri per quingentos fere passus. Prope hanc Ecclesiam habitabant Rustici, et excepto tempore autumnali, quo tempore nonnulli Nobiles ad locum, in quo sita erat Ecclesia, accedebant recreationis causa, nulla adesse dicebatur Persona, quae rustica non esset, quae ibidem habitaret. Unum aderat in Ecclesia Altare maius, et duo alia in partibus lateralibus. In eadem non celebrabatur Missa Conventualis, et si contingeret occasio processionum aut exequiarum faciendarum, Archipresbiter cogebatur convocare Sacerdotes aliarum Porochialium, saepe saepius in eorum defectum etiam Personas seculares, uti colligebatur ex informatione Ordinarii Brugnatensis, ad Sacram Congregationem transmissa: hinc inter huius Episcopalis Curiae Brugnatensis Promotorem Fiscalem et Sacerdotem Dominicum Fogonàm Archipresbiterum praedictae Ecclesiae exorta est controversia circa eiusdem Collegialitatem. Nam praefatus Sacerdos, pro adstruenda Collegialitate, attulit quoddam transumptum assertae Bullae Benedicti VIII, qui dicebatur, hanc Ecclesiam in Collegiatam erexisse; sed Promotor Fiscalis contendit, nihil esse dictae assertae Bullae deferendum, cum esset apocripha, et inter cetera inditia attulit illud, quod in Bulla fieret mentio Archiepiscopi Ianuensis et consensus ab eodem praestiti, nec non cuiusdam relationis praecedenter factae a quodam Cardinali Bona, quando in elenchis S. R. E. Cardinalium unus tantum cognomine Bona recensebatur, qui a s. me. Clemente IX inter Cardinales adscriptus fuit, et quando certum erat, Episcopum Ianuensem fuisse erectum ad Archiepiscopi dignitatem anno 1133 ab Innocen- Papa II, qui pacem inter Pisanos et Ianuenses composuit, et sic longe post tempora Benedicti VIII, qui creatus fuit Pontifex anno 1013, et vixit annis fere duodecim, uti colligebatur ex Bulla dicti Innocentii II, impressa apud Ughellium in Italia sacra cap. 4 ultimae editionis pag. 859. Et quia dictus Sacerdos etiam alia quaedam signa et indicia cumulavit, Promotor Fiscalis dixit, signa et inditia nullum sibi posse locum vindicare, quando primordialis titulus Collegialitatis, qui erat allegatus, suspicionis vitio laborabat; et praefata signa et indicia haud esse concludentia et univoca, sed potius aequivoca.

64. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de Collegialitate Ecclesiae S. Stephani Pontis Sigestri in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et amplius – *in Brugnaten. Collegialitatis die 14 Aprilis 1725.*

65. Nisi enim clare probetur insignitas Collegiatae, eadem rata nunquam habetur; unde proposito dubio: – III. An constet de insignitate dictae Collegiatae et Parochialis Ecclesiae Terrae Angriae? –, Sacra Congregatio die 15 decembris 1708 responsum tulit: – Ad tertium, Negative ex hactenus deductis–. Et reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium dubium sub die 15 decembris 1708 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Nucerina Paganorum Functionum parochialium die 14 Iunii 1710 lib. 60 Decretorum.*

66. Quum igitur non satis constaret, quod Ecclesia esset Collegiata, Sacra Congregatio mandavit, ut coadiuvarentur probationes, ac interim declaravit, eam non esse Receptitiam *in Sorana Collegiatae die 26 Novembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

67. Siquidem – supplicantibus Sacerdotibus et Clero Terrae Picinischi Soranae Diaecesis Sanctissimo Domino nostro, ut declarare dignaretur, Ecclesiam porochialem S. Laurentii dicti loci non esse Collegiatam, sed Receptitiam, ex pluribus rationibus, et signanter, quia sex illius asserti Canonici, omnia bona Ecclesiae occupantes, de erectione huius Collegiatae nullatenus docent, signa constitutiva seu Collegialitatem demon-

strantia non habent, festivis diebus exceptis, choro non intersunt, et in Synodo Diaecesana Ioannelli Episcopi Sorani celebrata anno 1611 sub titulo 28 primae partis de Capit. Cathedr. et Collegiat. Eccles. nulla fit mentio de huiusmodi Collegiata; quin imo in secunda parte ipsius Synodi sub titulo 17 Clerus Picinischi convenire decernitur ad Terram S. Donati (cuius Ecclesia Receptitia est) pro casibus conscientiae discutiendis. Remissae fuerunt preces ad hanc Sacram Congregationem, a qua requisita informatione Vicarii Apostolici, auditis interesse habentibus, ex ea iam perventa habetur, praefatos sex Canonicos in tempore, cuius initii memoria non extat, ab eorum Ecclesia S. Mariae sita intra Terram Picinischi pro maiori Populi commoditate sese ad officiandum contulisse in Ecclesiam S. Laurentii intra maenia, licet de fundatione et titulo non constet, eisdem nihilominus competere meliorem titulum de mundo vigore antiquissimae possessionis suorum Canonicatuum a Summo Pontifice, vel Ordinario ab aevo collatorum, adesse veterum traditionem, quod antiquitus incendium evenerit, in quo Reliquiae sacrae, et fortasse cum illis Ecclesiae quoque scripturae combustae fuerunt, plurimas Ordinariorum enunciativas in visitatione peractas super denunciatione Abbatis una simul cum sex Canonicis a ducentis infra annis; catalogum plurimum ac plurium Canonicorum praedecessorum, tum Civium, tum Forensium, ex libro Defunctorum excerptum, ac demum depositiones Testium asserentium, semper extitisse in dicta Ecclesia praeter Abbatem sex Canonicos, nec unquam in illius ac Praebendarum proventibus quidquam extraneos Sacerdotes obtinuisse.

68. His ita in facto praehabitis, prudentissimo huius sacri Senatus iudicio subiicitur decidendum: – I. An Ecclesia S. Laurentii intra terram Picinischi sit Collegiata? *Et quatenus negative.* II. An eadem Ecclesia sit Receptitia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, coadiuventur probationes. Ad secundum, Negative – *in Sorana Collegiatae die 26 Novembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

69. Hinc deesse videtur Collegialitas, si in Bulla erectionis praescriptum non fuerit, Beneficiatos congregandos esse ad libitum eorum Capitis seu principalis Beneficiati, eosque congregari debere ad sonum campanae; ipsos item onus non habere residentiae, nec unquam in ea pro interessentibus quotidianas distributiones et pro absentibus punctaturas constitutas fuisse, et similia, quae simul unita potissima Collegialitatis signa sunt indicia et coniecturae *in Terracinen. die 17 Iulii 1779* §. *Urget.*

70. Excluditur pariter Ecclesiae Collegialitas, si certo atque assiduo ex sacrorum Canonum iure Beneficiarii non constringuntur chori servitio, quotidianis carent distributionibus, comitia non convocant, nullo utuntur capitulari sigillo, nec Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere canunt, vel celebrant: quae quidem omnia ad constituendam et comprobandam Ecclesiae Collegialitatem adeo necessaria intercedant necesse est, ut, iis deficientibus, plane sit abiicienda *in Maceraten. Mediae Annatae die 14 Maii 1831* §. *Nihilominus.*

71. Idcirco cum in parochiali Ecclesia Deo in honorem S. Georgii Maceratae dicata praeter Archipresbiterum, cui animarum imminebat cura, tres numerarentur Canonici seu Beneficiarii ac etiam Mansionarius, sed omnes praefatae qualitates deficerent, proposito dubio: – I. An constet, Ecclesiam S. Georgii esse Collegiatam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum Negative – *in Maceraten. Mediae Annatae die 18 Iunii 1831.*

72. Similiter cum Parochiali Ecclesiae Beatae Mariae in Caelum Assumptae servitium ministeriumque praestarent Rector et quatuor Beneficiarii, quos vocabant Residentes, quin illa Collegialitatis certa praeseferrent signa, proposito dubio: – I. An et cuius qualitatis fit Ecclesia S. Mariae in Caelum Assumptae Villae de Llimiana, nempe Collegiata, Communitativa, aut simplex Parochialis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, esse simplicem Parochialem, et amplius – *in Urgellen. die 12 Martii 1757.*

73. Hinc ad concludendam probationem Collegialitatis ex signis et coniecturis, distinguenda sunt signa aequivoca ab univocis, et diligenter separanda, quae pertinent ad Collegialitatem de materiali ab iis, quae

de formali se habent; utraque late explicat Card. Petra in Comment. ad Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 a n. 19 tom. 3, Ferrar. in Biblioth. can. verb. Collegiata a n. 32 *in Ravennaten. Praecedentiae die 9 Septembris 1730* §. *Quaelibet.*

Item *in Ferentina Praecedentiae die 23 Aprilis 1768* §. *Ad.*

74. Nam signa et indicia, ad effectum probandi Collegialitatem, debent esse necessario concludentia et univoca, ita ut excludantur ea, quae sunt aequivoca incerta et materialia, et convenire possunt etiam simplicibus Congregationibus Capellanorum seu Beneficiatorum, iuxta late deducta per Rotam in Placentina praetensae Collegialitatis 19 Novembris 1703 coram Emo Card. Scotto, Fagnan. in Cap. *Nullus* n. 29 de elect., Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 14 n. 56, Card. Petra ad Constit. Apost. tom. 3 ad Constit. 7 Innocent. IV sect. 2 n. 21, et Corrad. in prax. Benef. lib. 2 cap. 9 n. 17 *in Brugnaten. Collegialitatis die 14 Aprilis 1725* §. *Et quia.*

Item *in Praenestina Missae Conventualis die 6 Martii 1779* §. *Urgent; in Pinnen. Iurium et Praeeminentiarum die 26 Augusti 1826* §. *Quod si; in Maceraten. Mediae Annatae die 14 Maii 1831* §. *Quamquam.*

75. Quapropter Ecclesia haud renunciatur ac est Collegiata, si desint qualitates, quae distinguunt Ecclesias Collegiatas a Communitativis, licet plura concurrant indicia Collegialitatem quodammodo praeseferentia *in Ferentina Mediae Annatae die 15 Aprilis die 6 Maii 1752 et in Ferentina Residentiae die 12 Septembris 1829.*

76. Enimvero apud Oppidum Ceccani Ferentinae Diaecesis extabat Ecclesia sub titulo S. Mariae ad Flumen, ubi praeter Abbatiam duodecim aderant Beneficia, quorum patronatus ad Principem Columnam pertinebat. Volvente anno 1752 proposito dubio: – An Ecclesia S. Mariae ad Flumen Oppidi Ceccani praetensa Collegiata eiusque Beneficiati teneantur vigore Concilii Romani in cap. unico de Eccles. aedif. solvere mediam annatam favore Capituli Cathedralis Ferentini in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 aprilis 1752 respondit: – Dilata ad sequentem –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 6 maii 1752 respondit: – Affirmative, et amplius –. Verum illarum Praebendarum institutionem, quum saepe obtinuerint ii, qui Ceccano constanter aberant, illud hinc factum est, ut quammulti eius Ecclesiae Beneficiarii fere semper residentiam neglexerint, tantoque se onere immunes ex immemorabili praesertim consuetudine existimarint. Attamen plerique eorum, qui eiusmodi Praebendis in praesentiarum fruebantur, ea super re longe aliter senserunt. Ipsi enim Ecclesiam suam vel ab antiquis usque temporibus haud certe ruralem, sed insignem potius esse Collegiatam arbitrabantur; atque idcirco iure Canonicorum sibi nomen perpetuo fuisse tributum, seque ad residentiam omnino teneri contenderunt. Qua de re praefati Canonici propugnarunt, suam Ecclesiam Collegiatam fuisse, antequam Sacra Congregatio primum anno 1623 sanxisset, Collegiatarum erectionem Episcopis numquam amplius licere, cum assererent, Canonicum Pennazza sub anno 1660 Canonicatu ob residentiae neglectum privatum fuisse. Unde iidem ibidem propugnarunt, praefatam Ecclesiam remotissimis usque temporibus fuisse Collegiatam, cum vel ante solemnem ipsius consecrationem anno 1196 peractam iamdiu extiterit Abbas S. Mariae, prout ad annum 1158 legere erat de quodam Rogerio in pervetusto Fossae novae Monasterii Chronico. Quapropter suam Ecclesiam a Summis Pontificibus Innocentio III et Gregorio IX Apostolicae etiam Sedis patrocinio fuisse olim subiectam summopere gloriabantur. Nil inde mirum, quod in contractuum instrumentis Canonici semper nuncupati fuerint, et ex pluribus Iudicum sententiis appellati extiterint - Canonici insignis Ecclesiae Collegiatae S. Mariae –. Vetustissimum praeterea sibi esse affirmarunt sigillum, tabularium, resolutionum Capitularium librum, Constitutiones, nisi literis traditas, constanti tamen usu et more servari solitas, communem fructuum massam, quibus Ecclesiae sumptus et distributiones fierent, certam quoque stalli in choro assignationem capitulariter cuique peragendam, ut Praebendarum possessionem Canonici nanciscerentur; se, praevio maioris campanae signo, ad graviora discutienda negotia in Capitulum coire, unum aliquem ex Cano-

nicorum gremio delectum in commune eius Oppidi Concilium admitti, Missam cum cantu Conventualem non modo in omnibus Beatae Mariae Virginis et Apostolorum festis, sed et per continuos sex menses singulis sabbatis celebrari; iisdem totius anni diebus recitari Vesperas et Completorium in Quadragesima, nec non omnia Tenebrarum officia persolvi in maiore hebdomada; eidem Ecclesiae filialem esse alteram S. Stephani Ecclesiam in eodem Oppido positam; illius denique Ecclesiae Capitulum ceteris Ceccani Collegiatis in publicis supplicationibus dignitate praecedentiae antecellere. Nec quidquam sibi obesse putarunt resolutionem Sacrae Congregationis in Ferentina Mediae Annatae 6 maii 1752, quia haud inimicam Beneficiariis edidisset sententiam, si vadimonium ipsi obiissent, et argumenta probationesque, quibus in praesens utebantur, in medium protulissent.

77. At Ferentini Antistes omnino discrepabat a Beneficiatorum sententia: nam ostendit, in Ecclesia S. Mariae ad Flumen deesse quatuor qualitates, quibus Ecclesiae Collegiatae a Communitativis distinguuntur; scilicet primum deficere in ea unam saltem Dignitatem, eamque Sedi Apostolicae reservatam; secundum non aliis Beneficiarios uti insignibus, nisi communibus cum reliquo Clero superpelliceis; tertium nullas itidem afferre Literas Apostolicas posse, quarum executioni propositi unquam fuerint, nam quae ab iis proferri et in quibus exultare ii consuevere, Innocentii III et Gregorii IX Pon-Pontificum Romanorum Literae non eiusmodi fuere, ut aliquam eorum partem exequi demandata sibi auctoritate Beneficiarii deberent, verum ad confirmanda dumtaxat collata in eos a Ceccanensi Comite Beneficia et munera pertinebant, hoc est non active, sed passive dumtaxat accipi eas Literas a Beneficiariis oportuit; quartum residendi propriam legem vel datam nunquam iis Beneficiariis fuisse, vel certe a remotissimo tempore, quod hominum memoriam superat, nunquam servatam fuisse, quam negligere ne Abbates quidem, hoc est eius Beneficiatorum Collegii principes, religioni sibi duxisse, in quibus nonnulli etiam recentiore memoria S. E. Cardinales e nobili Columnensi familia numerari voluere, sola nimirum pietate ducti erga Deiparam Virginem, cuius insigni Templo addictos se esse gloriari et gaudere possent, non ea tamen voluntate, ut vel Beneficium, cui lex residendi esset imposita, acciperent, vel quam esse impositam scirent residendi legem, impune violari ab se posse crederent. Advertit insuper Antistes deesse Constitutiones, ad quarum formam tum divini cultus exercitatio, tum Beneficiatorum vivendi communicandique cum Collegiis reliquis consuetudo, tum bonorum administratio dirigenda esset; sigillum autem non tale illud esse, ex quo vel levissimum Capituli indicium appareret, cum praefatum sigillum exhiberet imaginem Deiparae cum Puerulo Iesu sedentis et circumductam epigraphen « † A. M. Fructus. Facit Bonos Ceccani », quae scilicet ad fructus referebantur separatos ex arboribus, qui erant effecti sub Deiparae Virginis pedibus, nulla vero Capituli Collegiive Beneficiariorum in eo sigillo fiebat mentio, ut plane viderentur iidem, neglecta, quam sibi minime convenire intelligerent, proprii Collegii ratione, id unum habuisse curae, ut quae res scripturae propriae forent eius Ecclesiae eo signo dignosci possent, atque in sacra Deiparae imagine tutelam sibi ac patrocinium haberent. Ostendit etiam, nullam in vocabulo Abbatis inesse dignitatis excellentiam, nuspiam Canonicos vel ab Ioanne Comite, vel ab Romanis Pontificibus, quorum afferebantur diplomata, verum solo Clericorum vocabulo nominatos fuisse ecclesiasticos Viros, qui Aedi sacrae S. Mariae ad Flumen inservirent; longe scilicet post ea tempora nomen Canonicorum in illos Viros irrepsisse, cum nempe id vocabulum latius pervagari propagarique in omnes pene Communitates Clericorum cepit; rationem Ecclesiae servitii Collegialitatem haud innuere, cum et Missa Conventualis, quae sine cantu unica intra hebdomadam Sabbati die praescripta, eo solum temporis spatio circumscribebatur, quod a Sabbato post Dominicam in Albis ad septebrem mensem integrum fluit; quod nimirum eo solum tempore facile Oppidanis ac pervium foret iter ad Ecclesiam extra Oppidi maenia ultra flumen, haud ita raro redundantibus ex alveo aquis tumidum periculosumque.

78. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet, Ecclesiam S. Mariae ad Flumen esse Collegiatam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Ferentina Residentiae die 12 Septembris 1829.*

79. Hinc evinci non potest Ecclesiae Collegialitas ex qualitatibus et praerogativis, quae aeque conveniunt et fieri possunt a qualibet Sacerdotum Congregatione, quae Collegiata non sit, ut ex Card. De Luca de iurisdict. disc. 13 n. 7 *in Ferentina Mediae Annatae die 15 Aprilis 1752* §. *Collegiatam.*

80. Qua de re Capellanorum Collegium, cui insignia ac nomine tenus Collegiatae qualitas insunt, nullam prae ceteris de Clero gerere privilegiatam personam, nullumque praeiudicium aliorum iuribus inferre potest, Ursaya part. 1 discept. 6, Benedict. IV de Synod. Diaeces. lib. 3 Cap. 10 n. 7, Rot. in decis. 25 n. 2 tom. 1 coram Ansaldo *in Ferentina Praecedentiae die 23 Aprilis 1768* §. *Perperam.*

Item *in Neapolitana Statutorum die 31 Iulii 1852* §. *Deterius.*

81. Unde si coniecturae signa indicia sint nimis incerta aequivoca et materialia, haud Ecclesia renunciatur Collegiata *in Praenestina Missae Conventualis die 17 Aprilis 1779.*

82. Siquidem Archipresbiter et quatuor Beneficiati parochialis Ecclesiae S. Pauli Oppidi Ienazzani contenderunt, praefatam Ecclesiam non esse Collegiatam, neque ex Bulla erectionis vel privilegio Apostolico, quia haec prorsus deficiebant, neque ex coniecturis signis et indiciis, quia iidem Capitulum non efformabant, nec exercebant capitulares actus, nec ullum retinebant capitulare sigillum, nullam habebant massam communem, nullas distributiones, nullum onus residentiae, et similia Collegialitatem inducentia. Ea vero signa, quae concurrebant, nimis incerta aequivoca et materialia erant, aptabanturque Personis in unum non uti Collegium, sed ad instar simplicis Congregationis convenientibus. Episcopus retulit: – Ex visitationibus superius relatis aliisque pro tempore expletis compertum est, quod praedicta Ecclesia dicitur Parochialis et Receptitia non quidem innumerata, sed numerata et speciem Collegiatae praeseferens. In ea enim constituti sunt Archipresbiter cum quatuor Beneficiatis, quorum Beneficia conferuntur in titulum, habentque suas proprias Praebendas. Retinent Archivium scripturarum et per secreta suffragia eligunt singulis annis Administratorem bonorum Ecclesiae, quem vocant Sanctesium. Quotidie per turnum celebratur ab Hebdomadario in Ara maiori Missa lecta libera ab applicatione, et festis diebus cantatur Missa Conventualis. Ceterum nullum adest indultum seu legitimum documentum, ex quo constet de illus erectione in Collegiatam –, ab eius tamen voto ferendo se abstinuit. Proposito itaque dubio: – An constet de Collegialitate Ecclesiae S. Pauli Ienazzani, ita ut sit celebranda Missa Conventualis pro Benefactoribus in genere in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Praenestina Missae Conventualis die 17 Aprilis 1779* (1).

83. Nec dubium, quod qualitas Collegialitatis excluditur, si praeter erectionis Bullam, ex qua potissimum Ecclesiae qualitas probatur, omnia deficiant Collegialitatis signa, nempe usus sigilli, arca communis, et tractatus capitulariter gesti ad sonum campanelli ad expedienda negotia Capituli, quibus in dubio recurrendum ait Fagnanus in Cap. *Postulasti* n. 5 et 15 de iurepatronatus, et Fargna de iurepatronat. can. 6 cas. 2 n. 5 tom. 1: hisce profecto deficientibus signis, simplex divinorum celebratio diebus festis Receptitiam potius ostendit Ecclesiam, Benedict. XIV Inst. 100 §. 15, satisque non est ad Collegialem inducendam qualitatem, cui Missae Conventualis onus inhaeret, cum praesertim exiguus sit Canonicorum numerus, cui tribui non solet honor Collegiatae, Card. Petra in Constit. 7 Innocentii IV sect. 2 n. 51, Card. De Luca in miscell. Eccles. disc. 38 n. 13, nec non immemorabilis observantia Collegialitatem excludens accedat, cui plurimum defert Fagnanus in dicto Cap. *Postulasti* n. 3 *in Nepesina Missae Conventualis die 16 Maii 1789* §. *Deficit.*

84. Hinc dum de parvo agitur loco, inverisimile est, nedum unam, sed duas immo ere-

(1) Species Causae huius prostat in Verb. *Canonici*, §. II, Tom. IV.

ctas fuisse vere et proprie Collegiatas Ecclesias, Card. De Luca de Benef. disc. 59 n. 5, Rota in Posnanien. Parochialis 1 iulii 1757 §. 9 coram Card. Bussio *in Narnien. Servitii chori die 3 Februarii 1787* §. *Primum.*

85. Qua de re si, deficientibus instrumento erectionis et Apostolico privilegio, haud afferantur signa univoca ad probandam Collegialitatem Ecclesiae, sed potius probetur, eam fuisse habitam semper uti Receptitiam, frustra eiusdem Capitulares eam esse Collegiatam ex uno vel altero indicio contendunt *in Baren. Collegiatae die 28 Augusti 1830.*

86. Iamvero utiliori Ecclesiarum, quas dicunt Receptitias, in Neapolitana ditione citra Pharum extantium, procurationi opportune consulere cupiens s. m. Pius VII, Apostolico sub die 13 augusti 1819 edito Brevi cuius initium *Impensa,* mandavit, ut in posterum ad Portiones suscipiendas in Ecclesiis Receptitiis, certus Ministrorum numerus cuiusque Ecclesiae rationibus accomodatus adsciscerétur, atque illi tantum admitterentur Sacerdotes et Clerici, qui ab Ordinariis locorum, rite peracto examine coram tribus Examinatoribus, pietate ac doctrina commendatiores fuissent inventi. Apostolicae Sedis mandata quum in Ecclesia Receptitia Oppidi Modunei executioni adamussim committere decrevisset modernus Barensis Archiepiscopus, illius Ecclesiae Capitulares sui muneris esse putarunt sententiae Archiepiscopi vehementer obsistere. Etenim animo recolentes suam vetustis temporibus Ecclesiam Sedis Episcopalis honore fuisse ornatam, eidemque postea Capitulares non secus ac Canonici Collegiatarum perpetim deserviisse ac in praesens etiam deservire, imo eamdem Ecclesiam vere ac proprie insignem Collegiatam existimantes, ad Sacram Congregationem confugerunt, ne ex Decreto Archiepiscopi quidquam ipsi caperent detrimenti. Licet enim instrumentum erectionis et Apostolicum privilegium deficerent, attamen Capitulares gravia non deesse arbitrabantur indicia, quae praefatam Ecclesiam insignis Collegiatae honore splendescere commonstrarent. Unde ex praerogativa Sedis Episcopalis, quam per Bullam *Convenit* Ioannis XXII et Bullam Urbani II diei 9 octobris 1089 probarunt, quin unquam eousque Canonicorum Collegio Moduneensis Ecclesia orbata fuerit ; praefati Capitulares aperte exurgere autumarunt suam Ecclesiam Collegialitatis honore esse praeditam. Praeterea in Moduneensi Ecclesia eaedem, quae in Collegiatis, sacrae peragebantur functiones, frequens aderat Capitularium numerus, plures extabant Dignitates, Capitulum propriis regebatur Constitutionibus ab Archiepiscopo Barensi anno 1772 approbatis, Capitulares Canonicorum titulo nuncupabantur, eorumque Ecclesia Collegiatae titulo in Apostolicis provisionibus decorabatur: nam Clemens XIII anno 1759 Presbitero Iosepho Pilolla conferens Archipresbiteratum eiusdem Collegiatae inquiebat: – Cum itaque Archipresbiteratus secularis et forsan insignis Collegiatae Ecclesiae Terrae Modunei Barensis Diaecesis, quia inibi Dignitas principalis existit, et cui cura dilectorum filiorum parochianorum dictae Collegiatae Ecclesiae, quae etiam parochialis existit, immineat –.

87. At vero etiamsi Barensi Archiepiscopo satis compertum esset, ad probandam alicuius Ecclesiae Collegialitatem, latitante in tenebris antiquitatis Bulla erectionis aut Apostolico privilegio, sufficere univoca signa et coniecturas; attamen Moduneensem ipse Ecclesiam omni Collegialitatis charactere palam destitutam esse demonstravit. Nam nec Archivium Curiae Archiepiscopalis, Capituli Metropolitani, ipsius Cleri Moduneensis, nec Synodi Diaecesanae aliquid exhibebant, quod nomen et qualitatem Collegiatae aut Canonici ostenderent. Insuper Capitulares neque sigillo utebantur, Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere applicare praetermittebant, ex Statutis anni 1772 residentiae lege non obstringebantur, nec negocia capitularia more Collegiatarum definiebant. Denique Archiepiscopus probavit, Ecclesiam Moduneensem Barenses Archiepiscopos Receptitiam iudicasse, eiusmodi esse eosdem Capitulares nullo non tempore confessos esse. Qua de re ubi coram Sacra Congregatione in Baren. Strenae et Cathedratici 20 decembris 1732 quaestionem inter Archiepiscopum et Capitulum Modunei agitari contigit, Capitulum illud nunquam Collegiatae titulo insignitum legebatur, sed tantummodo describebatur nomine – Capitolo di Modogno –, item – Capitulum maioris Ecclesiae Modunei –; qui autem Capitulo ad-

scripti erant, nominabantur – Presbiteri capitulares –. Quae cum ita essent, frustra Moduneenses Capitulares ad Bullas Ioannis XXII et Urbani II confugerunt. Esto enim Moduneum Episcopali Sede olim refulsisset, postea tamen adeo a suo primaevo splendore decidisse constitit, ut nedum Cathedralitatis, sed etiam Collegialitatis honorem penitus amisisse dicendum esset. Irrito pariter conatu in medium protulerunt Capitulares Literas Apostolicas Clementis XIII. Praeterquam enim provisiones Apostolicae nec aliorum laedunt iura, nec Beneficiorum statum immutant, quia nunquam, nisi aperte liqueat, praesumitur, eam Pontifici insedisse mentem, ut statum Ecclesiae verteret, Piton. discept. eccles. 8 n. 23, et discept. 17 n. 41, Rota in Compostellana Parochialium 9 iunii 1752 §. 17 coram Figueroa, et in Urbevetana Iurispatronatus 14 ianuarii 1757 §. 21 coram Bussio, illud etiam merito animadvertebat Barensis Archiepiscopus, – che l'indizio della Bolla Apostolica sarebbe in verità poderoso, se fosse d'accordo con altri del pari concludenti a dimostrare la pretesa Collegialità, ma isolato da ogni altra congettura, addiviene a mio credere equivoco ed inconcludente –.

88. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet, Ecclesiam Modunei esse Collegiatam, seu potius Receptitiam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Attenta deficientia tituli et cuiusque probationis suppletoriae, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Baren. Collegiatae die 28 Augusti 1830.*

89. Quin imo licet Ecclesiae antiquissimam habeant denominationem Collegiorum, primam Dignitatem ac alias inferiores nec non Punctatorem Magistrum caeremoniarum Oeconomum seu Procuratorem archivium sigillum cum inscriptionibus Collegia respective exprimentibus, propria statuta et curam habitualem animarum cum perceptione emolumentorum parochialium, non propterea Collegiatae renunciari debent, tolerandum tamen est, ut praefato sigillo uti valeant *in Trivicana Collegialitatis die 1 Septembris 1731.*

90. Siquidem Capitulum Cathedralis Trivianae contendit, tam Ecclesiam S. Mariae in Terra Castelli, quam alteram S. Ioannis Baptistae in Terra Carifii esse dumtaxat Parochialem et Receptitiam; primo, quia Archipresbiteratus Ecclesiae S. Mariae et Abbatia Ecclesiae S. Ioannis conferri nunquam consuevit a Sede Apostolica, tamquam Dignitates reservatae, ex vi Regulae IV Cancellariae, in qua reservantur primae Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum; secundo, quia Presbiteri adscripti servitio earumdem Ecclesiarum nunquam titulo Canonicorum, nec insignibus, quae convenire solent Canonicis, potiti fuerunt; tertio, quia in relatione status Ecclesiae Trivicanae, ab Episcopis oblata Sacrae Congregationi, binae illae Ecclesiae nuncupabantur, non Collegiatae, sed Parochiales et Receptitiae, quin imo in altera ex eisdem relationibus ita habebatur: – In Terra Carifii adest Ecclesia Abbatialis Curata, quae vulgo dicitur Collegiata, sed tamen improprie, et est sub titulo S. Ioannis Baptistae –; quarto quia non titulo Collegiatae, sed solo titulo Parochialis utraque Ecclesia appellata conspiciebatur in provisionibus, quandoque etiam factis per Datariam Apostolicam; quinto denique, quia Ughellius in Italia sacra de Episcopis Trivicanis tom. 8 describens Diaecesim Trivicanam, unam tantum in ea refert esse Ecclesiam Collegiatam, scilicet in Terra Flumari, reliquas vero recenset tamquam Parochiales et Receptitias. At Episcopus censuit, ambas illas Ecclesias habere omnia signa Collegialitatis –, antiquissimam nempe denominationem, primam Dignitatem Abbatialem, sive Archipresbiteralem, sub qua tamquam sub capite ceteri de Collegio coadunantur, aliasque inferiores Dignitates pariter collativas, nempe Primicerialem et Sacristae maioris seu Thesaurarii, Punctatorem, Magistrum caeremoniarum, Oeconomum sive Procuratorem, Archivium, Sigillum cum in scriptionibus, Collegia respective exprimentibus, propria statuta, curam habitualem cum perceptione omnium emolumentorum parochialium annexam, continuum chori servitium, et Missae Conventualis celebrationem –. Sed et addidit Episcopus, potissimum de Ecclesia S. Mariae sita in Terra Castelli, plura Beneficia simplicia rite unita eius Collegio fuisse, duodeviginti Presbiteros vocari collegiales, reliquos vero extracollegiales.

91. His utrinque perpensis, propositis du-

biis: – I. An Ecclesiae S.Mariae de Fracta Terrae Castelli et S. Ioannis Baptistae Terrae Carifii sint Collegiatae? IV. An Parochis et Presbiteris dictarum Ecclesiarum liceat uti sigillo, nempe illis S. Ioannis Baptistae cum inscriptione « Collegium Terrae Carifii », illis vero S. Mariae cum inscriptione « Collegium Terrae Castelli ? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Negative. Ad quartum, tolerandum esse; et amplius – *in Trivicana Collegialitatis die 1 Septembris 1731.*

§. IV.

ECCLESIA COLLEGIATA QUOAD UNIONEM SUSPENSIONEM ET TRANSLATIONEM

1. Concedenda videtur duarum Collegiatarum unio, si hanc necessitas postulet, et suadeat utilitas *in Nullius S. Aedisti die 17 Maii 1806* §. *Ego.*

2. Hinc indulgetur unio duarum Collegiaturam , iuxta conventiones a respectivis Canonicis initas, cum eam necessitas ac utilitas suadeat, nec non omnium utriusque Ecclesiae Canonicorum suffragia conspirent, quin alii interesse habentes revera ac omnino adversentur *in Nullius S. Aedisti die 17 Maii 1806 et die 11 Aprilis 1807.*

3. Siquidem in Soracte Oppidum S. Aedisti duas habebat Collegiatas Ecclesias, quarum altera divo Laurentio nuncupata erecta fuerat per Breve Clementis VIII dato die 27 aprilis anni 1600, quae quatuor constabat Canonicis, quibus animarum cura incumbebat, et chorale servitium exercebant in ampla et decenti Ecclesia, medioque pene in Oppido posita. Altera Collegiata Ecclesia S. Nicolao dicata in extremo impervioque Oppidi angulo sita, et angusta erat et squalida, atque rebus omnibus carebat, quae ad decorem et necessitatem requirebantur, quae habebat quatuor Canonicatus et unum Sacristae Officium. Unionem harum duarum Collegiatarum exoptarunt Canonici, quo melius divino cultui et saluti animarum consuleretur. Qua in re, conspiratis consiliis, nonnullas iniverunt conventiones, ut petita unio perfici posset. Emus Erskine Relator, re maturè perpensa, censuit: – Ego vero non dubito, quin ad utriusque Collegiatae unionem devenire expediat. Quum id enim et necessitas postulet et suadeat utilitas divinique cultus ratio quodammodo requirat; quum omnium utriusque Ecclesiae Canonicorum suffragia totiusque Populi vota conspirent; quum praesertim ita futurum sit, ut Fundatoris voluntas melius impleatur. His omnibus perspectis, nullus mihi subest scrupulus, quin ab eius praescripto paulisper discedere liceat –. Quare arbitratus est, – consulendum esse Sanctissimo pro unione Collegiatae Ecclesiae D. Nicolai cum ea D. Laurentii, iuxta pacta inter utrumque Capitulum conventa –. Quoniam vero Ecclesia S. Nicolai pertinebat olim ad Bernardinum Lupi, nec satis Emo Relatori liquebat, an bene provisum esset celebrationi Missarum aliorumque onerum, quae Sacerdos Lupus Canonicis suis imposuerat, eoque modo, quo ab eo imposita erant, addidit: – Servatis tamen per Canonicos D. Nicolai in iis, quae cum petita unione non repugnant, obligationibus omnibus Missarum aliorumque piorum operum, eo modo et forma, quae a Sacerdote Bernardino Lupo sunt imposita –. Ac postremum, ut sartum, quoad fieri posset, tectumque esset Communitati Pontiani ius substitutionis ad patronatum , quod primo loco in S. Aedisti Communitatem Fundator contulerat, conclusit: – Reservata Communitati Pontiani substitutione ad iuspatronatus in reliquis casibus a Sacerdote Bernardino Lupo expressis –.

4. His interim perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit locus unioni in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 maii 1806 responsum dedit: – Dilata, et ad Emum Relatorem pro reformatione capitulorum, auditis –. Qui cum consuluisset Emum Abbatem Commendatarium, ut omnia patefaceret, unde difficultas suboriri poterat, hic retulit –,

Emtiae Suae iustam consensionem ab omnibus familiis praestitam submittere placet, quae Aedituatus eiusdem nominationis iure fruuntur (quod officium nullo optante, per biennium vacat) propterea quod ad hanc rem pertinet, nulla iusta circa adimpletam Sacrae Congregationis voluntatem superest dubitandi ratio. Quod vero decimum octavum respicit caput, duarum Collegiatarum Canonicos Emorum Patrum votis obsecundandos esse paratos satis compertum apparet –. In praefato enim capite XVIII conventum erat, ut Canonici S. Laurenti vigore antiquae consuetudinis punctaturis non subiicerentur, cum divinis officiis non interessent; e contra Canonici S. Nicolai solitum servare deberent. Retulit etiam Emus Abbas, Primores S. Aedisti omnes ad unum singulos divisim unionem vehementer optare, collective tamen non debere sententiam ullam proferre existimare arbitrantes, si ferrent, se contra Testatoris voluntatem acturos, ac propterea in poenam iacturae omnium iurium suorum ab eodem Testatore inflictam incursuros; – primores vero Pontiani, etsi ipsi quoque a quovis erga quamlibet unionem consensu hactenus refugiant, attamen facile in consensionem conspirarent, dummodo ipsis duos ex quatuor Canonicatibus S. Nicolai tribueretur nominandi facultas –. His igitur perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative iuxta conventiones, deleto capitulo decimo ottavo, impletis omnibus oneribus ad formam fundationis et reductionis anni 1725 cum unione compatibilibus, salva substitutione in reliquis casibus favore Communitatis Pontiani, per Bullas, facto verbo cum Sanctissimo – *in Nullius S. Aedisti die 11 Aprilis 1807.*

5. Concessa itaque per Summum Pontificem unione duarum Collegiatarum ad effectum praecidendi controversias praeeminentiales inter earumdem Capitula exortas, Sacra Congregatio alias etiam quaestiones subinde motas post dictam unionem e medio sustulit *in Imolen. Plurium die 8 Augusti die 19 Septembris et die 5 Decembris 1744.*

6. Siquidem Clemens XII ad tollendas controversias praeeminentiales inter duo Capitula, alterum S. Mariae et S. Hilarii, alterum S. Iacobi, quae Lugi erant, motu proprio Collegiatas univit in Templo S. Iacobi nomine Sanctorum Petroni et Prosperi, pluribus adiectis conditionibus, ne novae lites et controversiae orirentur. At ne sic quidem sperata quies et concordia assequi potuit. Propositis itaque inter alia dubiis: – VIII. An, ex reditibus ambarum Collegiatarum suppressarum, sit constituenda usque a principio una indivisibilis massa et unus tantum administrator, sive potius duae massae separatae usque ad reductionem numeri in casu etc. IX. An lucra provenientia ex punctaturis et absentiis Capitularium manus dexterae Collegiatae Sanctorum Petronii et Prosperi Terrae Lugi a die unionis usque ad praesens accrescant solis intervenientibus dictae manus dexterae, sive potius omnibus interessentibus, sive sint manus dexterae, sive sinistrae in casu etc. X. An legata Missarum iam prius relicta tam Canonicis olim S. Mariae, quam Canonicis olim S. Iacobi satisfieri debeant post unionem ab unaquaque respective, sive potius ab omnibus indiscriminatim in casu etc. XI. An Canonici vel Mansionarii manus dexterae fere nunquam interessentes choro debeant participare de emolumentis provenientibus ex Missis funeralibus et aliis functionibus, sive potius de illis tantum, quibus assistunt et ab ipsis respective celebrantur in casu etc. XII. An sit destinanda certa dies pro sessionibus capitularibus in quolibet mense, seu potius sit servanda Constitutio nona in casu etc. XIII. An ad legitimas resolutiones capitulares debeat attendi maior pars suffragiorum respective ad omnes Capitulares, sive potius sit necessarius concursus duorum ex tribus partibus, ut praescribitur in Capitulis Constitutionum in casu etc. XIV. An Constitutiones capitulares approbatae ab Episcopo pro bono regimine Capituli sint observandae in casu etc. XV. An stante expressa concessione manus dexterae et loci dignioris facta favore Capitularium olim S. Mariae in Bulla unionis pro omnibus et singulis actibus et functionibus substineatur dispositio contenta in cap. 19 Constitutionum in casu etc. XVI. An soli Capitulares olim S. Mariae teneantur praestare sive supplere commodum octo Missarum pro qualibet die requisitarum a Bulla unionis in Ecclesia S. Francisci de Paula, seu potius per turnum teneantur etiam Capitu-

lares olim S. Iacobi in casu etc. XVII. An legata Missarum relicta Capitularibus olim S. Mariae absque determinatione Ecclesiae Altaris vel diei debeant satisfieri in nova Collegiata, ut disponitur in Cap. 20 Constitutionum, sive potius in qualibet Ecclesia benevisa ipsis Capitularibus in casu etc. XVIII. An ad expensas communes, puta pro sacris supellectilibus cera Ministris etc. debeant concurrere Capitulares utriusque manus in capita, ut disponitur in cap. 12 Constitutionum, sive potius unaquaeque pars aequis portionibus in casu etc. XIX. An Capitularibus impeditis competat indefinite facultas substituendi ad interessendum functionibus, sive potius sit servanda dispositio cap. 2 Constitutionum in casu etc. XX. An cogi possint Canonici manus dexterae ad interessendum processioni Sanctissimi Sacramenti, quae fit in Collegiata in qualibet Dominica prima mensis post Missam solemnem in casu etc. XXI. An Praepositus Parochus Collegiatae teneatur invitare ad funera suorum Parochianorum Capitulares utriùsque manus per turnum, sive potius alios Presbiteros suae Parochiae sibi benevisos in casu etc. XXII. An Praepositus absque consensu Canonicorum manus dexterae explere possit in Collegiata Festa devotionis, quae vel protrahunt officium chori, vel retardant horam praescriptam ad illud in casu etc. XXIII. An modernus Praepositus novae Collegiatae tamquam effectus Parochus generalis ambarum Collegiatarum suppressarum et tamquam successor in iuribus praedefuncti Praepositi teneatur de proprio ad distributionem candelarum in die Purificationis Beatae Virginis favore Presbiterorum manus dexterae, sicuti distribuit Presbiteris manus sinistrae in casu etc. XXIV. An continuandum sit signum matutini cum pulsatione secundae campanae, seu potius cum solo tintinnabulo in casu etc. XXV. An liceat Praeposito auferre campanam ex maioribus ab Ecclesia Collegiata suppressa S. Francisci de Paula in casu etc. XXVI. An liceat Capitulo in quolibet anno per secreta suffragia confirmare Ministros ab eodem stipendiatos in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 augusti 1744 respondit: – Dilata ad proximam –. Repropositis hinc praefatis dubiis sub eadem formula respondit: – Ad octavum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad nonum, Affirmative ad primam primam partem, Negative ad secundam. Ad decimum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad undecimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad decimum secundum decimum tertium decimum quartum et decimum quintum, dilata; et ad mentem, et mens est, quod utraque manus deputet quatuor Canonicos pro Constitutionum confectione coram Episcopo. Ad decimum sextum, Affirmative ad primam partem durante divisione, Negative ad secundam. Ad decimum septimum, dilata, ut ad decimum quartum. In reliquis usque ad vigesimum quintum, dilata. Ad vigesimum sextum, habeatur ratio in confectione Constitutionum – *in Imolen. Plurium die 19 Septembris 1744.*

7. Repropositis exinde dubiis octavo et nono sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad octavum et nonum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et proponatur cum reliquis dubiis post factam liquidationem – *in Imolen. Plurium die 5 Decembris 1744* (1).

8. Nullam autem atque irritam Sacra Congregatio declaravit unionem duarum Collegiatarum factam ab Episcopo propter earum tenuitatem de consensu Capitulorum earumdem et Populi, sed omisso consensu Capituli Cathedralis *in Aquilana lib. 3 Decretorum pag. 20.*

9. Hinc si iusta desit causa et interesse habentes adversentur, nec indulgetur translatio Collegiatae in aliam Ecclesiam, etiamsi Testator, qui erectionem illius demandavit, eiusdem Canonicis expressam dederit facultatem ad aliud Templum sese transferendi etiam post erectionem praedictae Collegiatae in Templo per ipsum designato *in Eugubina Beneplaciti dis 21 Novembris 1744.*

10. Enimvero Testator Ioannes Baptista Christinius supremis tabulis scriptis anno 1638 mandavit, ut ex parte bonorum suorum eri-

(1) Reliqua habes in Verb. *Census*, §. I, n. 65 et 66, Tom. VI.

geretur Collegiata, cui titulus esset S. Christinae, data Priori eiusdem et singulis quinque Canonicis congrua portione; et licet voluntatem suam aperuerit, ut in Templo Sodalitii Sanctissimi Corporis Christi Collegium hoc Canonicorum institueretur, expressam tamen iisdem facultatem indulsit ad alium Templum Ecclesiamque, ut iis collibuisset, sese transferendi, etiam post erectionem Collegiatae in Templo illo Sodalitii, et postquam Sacra et divina officia acta fuissent, ex parte altera hereditatis suae Conservatorium pauperibus Puellis alendis erigi voluit, utque annis singulis locus unus Montium non vacabilium emeretur. Codicillis autem vetuit, ne bona et hereditas in alios, quam quos ipse dixerat, usus converti possent – anco con l'autorità di qualsivoglia Superiore etc. e per qualunque causa –. Auctoritate Urbani VIII erecta fuit ad formam testamenti in Templo praefati Sodalitii Collegiata S. Christinae. Cum vero reliqua hereditas tot reditus non sufficeret, qui satis essent ad extruendum servandumque pauperum Puellarum Conservatorium, Alexander VII anno 1659 praecepit, ut, sublato Conservatorio et detractis impensis ad implenda onera, quae dederat Christinius testator, quolibet anno locus Montium emeretur, aliique reditus hereditarii in dotes scutorum centum monetae Ducalis pauperibus Puellis, quae nubere vellent, praestandos erogarentur, quod subinde continuo servatum fuit. Rebus sic stantibus, Capitulum petiit veniam erigendi in processionibus propriam Crucem, nec incedendi amplius sub Cruce Capituli Cathedralis Ecclesiae Eugubinae, intra cuius Parochiae fines situm erat Sodalitii Templum. Sacra Rituum Congregatio die 6 decembris 1653 respondit: – Debere incedere in processionibus sub Cruce Ecclesiae Cathedralis –. Cum autem in hoc responsum peccasset Collegium Christinum, eadem Sacra Congregatio die 2 decembris 1690, quatuor propositis dubiis, Capituli illius licentiam coercuit, Decreta servari iussit, et attentata purgari.

11. Vertente subinde anno 1743, cum praefatum Capitulum S. Christinae incommoda Ecclesiae praedicti Sodalitii amplius ferre non posset, negocium translationis et acquisitionis Ecclesiae Parochialis S. Mariae Novae, quae intra Civitatem erat, eamque tenebant Patres Eremitae Ordinis divi Augustini, quorum Monasterium extra maenia Civitatis situm erat, quod infectum fuerat anno 1676, iterum tractandum suscepit. Placuerunt utrisque pacta et conventiones, et publico instrumento stipulatio interposita est cessionis Ecclesiae, annuentibus Episcopo Eugubino et Praefectis Ordinis; quia vero reservatio adiecta fuerat Beneplaciti Apostolici, quo pacta conventa confirmarentur, ideo Capitulum et Canonici S. Christinae postularunt a Summo Pontifice, ut pacta omnia cum Patribus S. Augustini confirmarentur, utque iis liceret ex fructibus hereditatis Christinii certam quamdam tenuem quidem summam titulo charitatis Patribus dare, quae Sacrario applicaretur, unamque grati animi causa cerae albae libram singulis annis in perpetuum, ut ex eiusdem hereditatis reditibus congrua annua portio scutorum 25 monetae Romanae Curato adsignaretur, et quidquid sumptuum opus esset cum ad Sacrarium, tum ad chorum extruendum, ad hanc denique translationem perficiendam, ex iisdem hereditariis fructibus percipi posset. Episcopus Capitulo favit: sed paratum sese huic translationi contradictorem praestitit Capitulum Cathedralis Eugubinae, cum vereretur, ne quaesito a Canonicis S. Christinae iure parochiali Ecclesiae S. Mariae Novae irrita essent, quae de Cruce et processionibus decreverat Sacra Rituum Congregatio; nec non paratae sese praestiterunt contradictrices Civitatis illius pauperes Puellae, quibus dos praestari debebat.

12. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum pro approbatione omnium conventionum inter Conventum et Patres S. Augustini Civitatis Eugubii et Collegiatam et Canonicos S. Christinae eiusdem Civitatis super concessione Ecclesiae parochialis S. Mariae Novae et translatione dictae Collegiatae S. Christinae ad dictam Ecclesiam S. Mariae Novae? *Et quatenus affirmative.* II. An Capitulum et Canonici dictae Collegiatae S. Christinae uti Parochus habitualis Ecclesiae S. Mariae Novae in associatione cadaverum Parochianorum et aliorum de aliena Paraecia sepeliendorum in dicta Ecclesia S. Mariae Novae possint erigere Cru-

cem eiusdem Ecclesiae, seu potius teneantur incedere sub Cruce insignis Ecclesiae Cathedralis? III. An idem Capitulum et Canonici dictae Collegiatae S. Christinae in processionibus generalibus, nempe Corporis Christi Rogationum Sancti Marci et Sancti Ubaldi debeant incedere sub Cruce insignis Ecclesiae Cathedralis, seu potius possint incedere sub Cruce propria dictae Ecclesiae parochialis? IV. An idem Capitulum et Canonici dictae Collegiatae Sanctae Christinae in processionibus particularibus tam consuetis, quam faciendis in dicta Ecclesia S. Mariae Novae de licentia Ordinarii possint incedere sub propria Cruce dictae Ecclesiae S. Mariae Novae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. In reliquis, provisum in primo - *in Eugubina Beneplaciti die 21 Novembris 1744.*

13. Unde Ecclesia Collegiata illegitime suppressa, restitutis subinde Canonicis respective Praebendis, non vero massa distributionum, sic censetur in pristinum restituta, ut integrum chori servitium praestare nec non alia onera ferre teneantur, constitutis distributionibus ex quarta parte fructuum et quorumcumque proventuum ad formam Bullae erectionis, ex eo quod iidem massam praedictam recusaverint et congruum emolumentum ex Praebendis perciperent *in Maceraten. die 29 Ianuarii 1825 et die 25 Februarii 1837.*

14. Enimvero Benedictus XIV anno 1749 parochialem Ecclesiam S. Blasii in Oppido Montis Milonis ad Collegiatae honorem evexit: subinde autem temporum commune omnibus Collegiatis infortunium est passa, cum eam suppressam et extinctam dixerint, qui tunc summam imperii tenebant. Verum restituto feliciter Pontificio regimine, bona Beneficiorum et Praebendarum fuerunt Collegiatae restituta, quin tamen fuerit communis massa redintegrata. Quamobrem et honoris insignia resumpserunt Capitulares et Capitula indicere et choro servitium praestare ceperunt: at non defuerunt, qui chorale servitium negligerent et Missas in turno pro Benefactoribus celebrare detrectarent, quia nondum Collegiata reintegrata eisdem videbatur, et quia ob deficientem massam capitularem, nulli erant reditus pro distributionibus assignandis. Itaque nonnulli Capitulares, divini cultus promovendi causa, petierunt, ut definiretur, an Collegiata etiam absque massa communi in pristinum restituta esset dicenda, ideoque omnes Capitulares chorale servitium praestare, uti ante suppressionem, tenerentur; nonnullos quoque abusus irrepsisse conquesti fuerunt. Advertebatur tamen, quod postquam Decreto s. m. Pii VII constitutum fuit, rebus pacatis, ut Collegiatae Montis Milonis bona redderentur, quibus fuerat spoliata, iussu quidem R. P. D. Thesaurarii Generalis Praebendae et massa communis erant eidem restituendae, sed Praebendarum tantum restitutio fuit expleta, quia illam accipere Capitulares recusarunt, ut innuebat bonorum ecclesiasticorum Administrator. Compertum erat praeterea, fatente Capitulo, massae communis reditus integre erogari consuevisse in augendo stipendio Beneficiarii, qui secundus erat Vicarius Curatus, nihilque unquam ceteros Capitulares percepisse. Cum igitur in praesens pensionem a publico Aerario consequerentur Beneficiarii, (imo et Praepositus, cui scuta centum tantummodo fuerant in Bulla erectionis assignata, et qui iam scuta centum triginta obtinebat) non deesse massam communem, sed eius loco indicatas pensiones subrogatas fuisse maximo Capituli compendio, erat dicendum. Consequens hinc erat, obeundum a Capitularibus esse servitium, quod usque ad tempus suppressionis praestiterunt. Nec Missa Conventualis praetermitti poterat, quum eadem celebrare tenerentur, etiam nullo recepto stipendio, nec obstantibus aliarum Missarum oneribus distributionum tenuitate et contraria consuetudine.

15. Perpendebatur etiam, ab Sacra Congregatione congruum habitum esse emolumentum scutorum triginta pro servitio chori quotidiano. Constabat vero, Praepositum annua scuta 130, Primicerium scuta 80 10 cum onere septuaginta Missarum, quatuor Canonicos (olim Capellanos) dictos *del Monte,* quia Praebendas a S. Pietatis Aede habuerunt, nec non alium novae erectionis Canonicum pariter *del Monte,* adiectis nonnullis oneribus, scuta 35 pro unoquoque percipere. Sextus Canonicus scuta 80 obtinebat, cum obligatione trium Missarum singulis hebdomadis et Missae cum cantu die 26 iulii celebrandae:

octavus denique ac ultimus Canonicus, qui primus erat Vicarius Curatus, scuta 129 percipiebat, eique onus incumbebat faciendi Sacrum pro Populo quolibet die festo. Primo Beneficiario, qui secundus erat Vicarius Curatus, scuta 90 pensitabantur: reliqui duo Beneficiarii ab Aerario publico pensionem, primus scutorum 28, alter vero scutorum 18 accipiebant. Deerant quidem distributiones quotidianae, sed in promptu erat dispositio Concilii Tridentini in cap. 3 sess. 21 de reformatione. Unde distributionum defectui provideri videbatur ad formam praedicti Concilii, ut Capitulares Montis Milonis integrum chorale servitium resumerent, illudque in posterum nequaquam negligerent. Perpendendum tamen erat, an retinenda omnino foret mensura tertiae partis fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum a Tridentino praefinita, an potius inhaerendum foret Bullae erectionis Collegiatae, in qua Benedictus XIV anno 1749 praescripsit, ut tantummodo quarta pars in usum distributionum quotidianarum converteretur.

16. Praeterea Capitula *del Monte,* nempe praefatae sacrae Aedis Pietatis, ab Episcopo anno 1662 approbata, plura onera Capellanis (in praesens Canonicis) imposuerant: verum nonnulla fuerunt per Bullam erectionis Collegiatae deleta, quoad cetera generatim fuit eadem in Bulla §. 22 constitutum, quod – onera sicut antea adimpleantur et adimpleri debeant –: Inter onera minime per Bullam abrogata illud recensebatur celebrandi quotidie duas Missas horis commodo fidelium statutis, quod a praedictis Capitulis impositum fuerat quatuor Capellanis, (in praesens Canonicis) et cui nequaquam satisfaciebant asserentes, quod ex immemorabili consuetudine non amplius celebrarentur, quia olim Ecclesiae parochiali Praepositus tantum et quatuor inserviebant Capellani; quum vero in Collegiatam fuit erecta, octo Canonici cum Praeposito ac praeterea tres Beneficiati eidem inservire ceperunt, qui cum semper omnes vel fere omnes Sacerdotali essent charactere insigniti, et ibi Sacrum facerent, necessitas evanuerat, ob quam a Capitulis *del Monte* lex dicta fuerat quatuor Capellanis, inde Canonicis, duas Missas quotidie statutis horis in dicta Ecclesia celebrandi. Praescriptionem tamen immemorabilem neque probarunt, neque evincere tentarunt memorati Canonici, qui nullos induxerunt Testes. Centenariam vero praescriptionem ne iactare quidem valebant, cum remotior anno 1749 non esset Collegiatae erectio, ideoque vix anni 75 effluxerint; cumque illius temporis Capellanos, etiam Canonicatus honore auctos, huiusmodi oneris adimplementum fuisse prosecutos praesumi posset, quia de inadimplemento nunquam antea, sed in praesens tantummodo proposita fuit querela.

17. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An deficiente massa communi censeri debeat Collegiata in pristinum restituta in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo teneantur Canonici choro inservire in casu etc. III. An et quomodo sit providendum pro distributionibus in casu etc. IV. An Canonici olim Capellani *del Monte* duas Missas statutis horis teneantur per turnum celebrare in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative ad integrum servitium, ad formam Bullae erectionis. Ad tertium, Affirmative ex quarta parte fructuum et quorumcumque proventuum, ad formam eiusdem Bullae. Ad quartum, Affirmative; sed ab Episcopo posse dispensari, si plures in Ecclesia Missae celebrentur – *in Maceraten. die 29 Ianuarii 1825.*

18. Ad secundum dubium autem quod pertinebat, Sacrae Congregationis resolutionem, cui per Ordinarium data est executio, ita interpretati ac executi sunt Capitulares, ut chori servitium praestiterint ad tramitem illius brevioris, quod ante plenam solutionem summae in expeditione Bullae erectionis erogandae praebuerunt ante annum 1795. Ipsi enim ad longius servitium ex Bulla erectionis se haud teneri censuerunt, donec Massa deficeret, qua nulla accedente propria culpa adhuc iidem carebant, quin eam revera recusaverint, cum de praetensa recusatione nulla adesset probatio. At ex testimonio ecclesiastici Administratoris id sane patebat: et Sacra Congregatio, cum declaraverit, restitutam fuisse Collegiatam in pristinum, deficiente etiam massa communi, satis ostendit, nullam in themate habendam esse massae rationem, quoad choralem adsistentiam; atque adeo ad

longius praestandum servitium Canonicos teneri, etiamsi massa perierit. Quin imo cum declaraverit etiam, providendum esse distributionibus quotidianis ex quarta parte fructuum ad formam Bullae erectionis, massam iterum efformari voluisse visa est, ut longius servitium persolveretur. Petierunt Canonici, ut, quoties minus recte praefatum Rescriptum Sacrae Congregationis interpretati fuerint, saltem ex gratia, attentis bonis in Paraecias collatis et Praebendarum tenuitate, indultum pro breviori servitio concederetur. His tamen precibus obstabat animadversio, quod si quid ad Paraeciarum conditionem amplificandam contulerant Canonici in suam utique utilitatem videbantur contulisse, siquidem animarum cura penes Capitulum residebat: Praebenda vero quisque potiebatur, quae scutatos nummos 30 valde excedebat, qui pro congruo emolumento saepe a Sacra Congregatione habiti fuerunt choro emancipatis, uti videre erat in Civitatis Castellanae Reductionis servitii die 27 iulii 1807. Propositis hinc dubiis: – I. An approbandum sit chorale servitium praestitum a Canonicis post resolutionem Sacrae Congregationis diei 29 ianuarii 1825 in casu? *Et quatenus negative.* II. Utrum annuendum sit saltem ex gratia Canonicorum precibus pro breviori chori servitio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative; et esse servandam resolutionem Sacrae Congregationis diei 29 ianuarii 1825, data Capitulo absolutione pro praeteritis omissionibus, facto verbo cum Sanctissimo – *in Maceraten. die 25 Februarii 1837.*

19. Quum itaque vix erecta Ecclesia parochialis seu Archipresbiteralis in Collegiatam Canonici onera implere et omnia negligere ac pessumdare ausi fuerint, nec verentes furtiva quasi manu reditus Collegiatae distrahere suosque in privatos usus addicere, ac tandem ipsam Ecclesiam ac residentiam penitus relinquere, Sacra Congregatio mandavit suspensionem praefatae Collegiatae, constituta congrua pro Archipresbitero et salario pro eiusdem Adiutore in exercitio curae animarum, nec non quoad praeteritas omissiones et a censuris absolutionem indulsit, iniuncta tamen gravi et exemplari poenitentia, ac tandem praescripsit, ut deputaretur Administrator cum onere redditionis rationis singulis annis coram Episcopo, qui eam transmittere deberet ad Sacram Congregationem singulis trienniis, quin locus esset applicationi hereditatis dictae Collegiatae, eo quod eadem iuxta dispositionem Testatoris eroganda erat in tot Missarum celebrationem *in Civitatis Castellanae die 24 Novembris 1821.*

20. Siquidem anno 1805 in Ecclesia parochiali Beatae Mariae Virginis de Rosario Oppidi Corchiani erecta fuit Collegiata insignis, in id applicatis centum supra quinque legatis de iurepatronatus laicorum ibidem existentibus, nec non bonis Conventus Beatae Mariae Virginis de Succursu ad Institutum Heremitarum divi Augustini pertinentibus. Unde in ea Dignitas principalis et curata octo Canonicatus et quatuor Beneficia fuerunt constituta de iurepatronatus Communitatis Hominum et respective Familiarum, queis ad suppressa legata nominatio pertinebat. Vix autem Archipresbiter Canonici et Beneficiati in unum coaluerant, maxima protinus confusio ingesta est, tum quoad oeconomicam administrationem, tum quoad Ecclesiae servitium divinumque cultum. Canonici enim nec aes alienum pro expensis erectionis Collegiatae contractum, nec eiusdem fructus solverunt, cum iidem privatim reditus exigerent, quin resciri posset introitus vel exitus: atque Ecclesiae servitium et onerum implementum sic tandem neglexerunt, ut, cum omnes essent advenae, Ecclesiam ipsam reliquerint, et in respectivas remeaverint regiones. Tot malis atque gravibus consulendum quovis modo censuit Sacra Congregatio, deputato – in Visitatorem Apostolicum Collegiatae ipsomet Episcopo Civitatis Castellanae cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis providendi tam spirituali, quam temporali administrationi, et cum facultate privandi Canonicos absentes respectivis Beneficiis, quatenus factis monitionibus ad residentiam non redierint –. Episcopus itaque Collegiatam suspendit; atque subinde nonnulla Sacrae Congregationi proposuit, quae rescripsit: – Eidem Episcopo pro informatione et voto, auditis Capitulo et Administratore redituum, transmissa notula legatorum et eorum redituum, et statu activo et passivo tam Collegiatae, quam Conventus S. Augustini, nec non

modulo servando in redintegratione Collegiatae, quoad reditum et onera cuilibet assignanda, et referat de summa dissolvendi aeris alieni, an magis expediat temporanea suspensio Canonicatuum, excepto Archipresbiteratu, ad conficiendum multiplicum pro aere alieno dimittendo, et redintegrandis bonis distractis, de annua congrua ex nunc assignanda singulis Canonicis, et an alia suppetant media minus damnosa –. Hinc status confectus extitit bonorum et redituum, quibus massa Capituli ditata fuerat, iuxta erectionis Apostolicas Literas. Extensa pariter extitit relatio omnium, quae obvenerant ab erectionis tempore, quaeque ad rem facienda erant in posterum. Compertum propterea est, bona partim distracta fuisse, partim nulli subacta culturae, neglectaque prorsus ac deserta, pleraque alieno aere gravata; cumque legata pia, quibus massa ipsa potissimum conflabatur, nulla fuissent legitima hypothecaria inscriptione communita, forte verendum, nec exinde quidquam retrahi, quod loco congruae Praebendaeque Archipresbitero, Coadiutoribus, unique ac alteri Canonico, ad quos pro tunc saltem iuxta Episcopi et Convisitatoris votum Collegiata inducenda foret, adsignari et constitui posset.

21. Emus Rivarola Relator, his mature expensis, censuit, nullum esse locum posse Collegiatae et Capituli redintegrationi, unum Archipresbiterum et cum ipso unum Capellanum Coadiutorem seligendum esse pro animarum cura et pro Ecclesiae servitio, ac bona omnia et reditus administrationi subiiciendos idonei probique ecclesiastici Viri. At die 27 maii 1821 ab Sacra Congregatione datum est Rescriptum: – Pro nova informatione, transmissa copia Bullae erectionis Collegiatae et eiusdem statu activo omnium redituum, et referat, an Conventus S. Augustini in Oppido fuerit redintegratus, sin minus cui et quomodo perfici queat restitutio bonorum iam ad eumdem Conventum spectantium, facta interim per Capitulum vel Promotorem fiscalem inscriptione hypotecaria favore legatorum aliorumque piorum operum Ecclesiae relictorum super fundis debitorum –. Episcopus maximam exponens difficultatem ac fere impossibilitatem conficiendi activum passivum statum, qui verum realemque Collegiatae reditum exhiberet, convenit et ipse pro suspensione Collegiatae, collatione Archipresbiteratus cum uno dumtaxat Capellano in animarum cura adiutore, et administratione omnium bonorum. Unde Emus Relator rursus censuit, – ut unus dumtaxat Archipresbiter cum uno tantum Capellano adiutore seligatur, dilata interim ad magis opportunum tempus cuiuscumque numeri Canonicorum et Beneficiatorum reintegratione –; ut Archipresbitero congrua centum scutorum adsignaretur cum stolae incertis, collatis nedum bonis ad ipsum Archipresbiteratum iampridem spectantibus, sed tribus etiam ex addictis in erectione Collegiatae legatis, detractis oneribus ex iure detrahendis, cum onere tamen Missae pro Populo singulis diebus iuxta veterem tabellam festis, aliarumque viginti Missarum pro Benefactoribus in genere, utque Capellano adiutori amovibili congruum salarium in singulos dies singulosque menses iuxta regionis morem cum praefinitis obligationibus ab Episcopo adsignaretur. Quoad autem praeteritas omissiones anniversariorum et Missarum a mense augusto 1805 usque in praesens, Emus Relator censuit, plane occurrendum esse absolutionis remedio, lege tamen iniuncta, ut Missarum numerus arbitrio Episcopi celebraretur in eadem causa applicandarum. Hinc et absolutionem indulgendam esse Canonicis censuit dictus Relator pro fundis alienatis, ad effectum expediendi Bullas Apostolicas erectionis Collegiatae, quin depositum annuum pro eorum reintegratione explevissent. Non tamen applicandam esse parvam hereditatem Felicis Parca Collegiatae, quae eam illegitime possidebat, cum iuxta dispositionem Testatoris eroganda esset in tot Missarum celebrationem. Canonici autem, qui onera implere neglexerunt, ac omnia pessimo consilio pessumdare ausi fuerant, nec verentes quidem furtiva quasi manu reditus Collegiatae distrahere suosque in privatos usus addicere, poenitentiam agere tenebantur, ut sese censuris exuerent; cumque haud comparerent, nec absolutionem peterent, monendi erant ab Episcopo et personaliter acriterque monendi, iniunctis etiam spiritualibus exercitiis. Demum quoad Administratoris deputationem et administrationis modum, Emus Relator censuit, segregatis bonis pro Archipresbitero eiusque congrua,

reliqua omnia cuiuscumque speciei sub administratione collocanda esse per Virum ecclesiasticum probum et idoneum arbitrio Episcopi.

22. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An quomodo et ad quod tempus sit servanda suspensio Collegiatae Oppidi Corchiani, seu potius et quomodo sit locus eiusdem redintegrationi in casu etc. II. An quomodo et in qua summa sit praefinienda congrua Archipresbitero et quae sint eidem adaddicenda onera in casu etc. III. An et quomodo et in qua summa sit praefiniendum salarium pro Capellano adiutore, et quibus sit conditionibus eligendus in casu etc. IV. An et quomodo sit concedenda absolutio quoad praeteritas omissiones in casu etc. V. An et quomodo sit facienda applicatio hereditatis bo. me. Felicis Parca in casu etc. VI. An et quomodo sit a censuris concedenda Canonicis absolutio in casu etc. VII. An quomodo et quibus cautelis sit deputandus Administrator et gerenda administratio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, iuxta votum Emi Relatoris. Ad secundum, Affirmative in annuis scutis centum solvendis ab Administratore praeter incerta stolae, iniuncto onere applicationis Missae pro Populo et aliarum viginti Missarum pro Benefactoribus, iuxta votum Emi Relatoris. Ad tertium, Affirmative, iuxta votum Emi Relatoris. Ad quartum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris, iniuncto aliquo Missarum onere arbitrio Episcopi. Ad quintum, Negative in omnibus, iuxta votum Emi Relatoris. Ad sextum, Affirmative arbitrio Episcopi, iniuncta tamen gravi et exemplari poenitentia. Ad septimum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris, iniuncto Administratori onere redditionis rationis singulis annis coram Episcopo, qui eam transmittat ad Sacram Congregationem singulis trienniis, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo quoad omnia – *in Civitatis Castellanae die 24 Novembris 1821.*

23. Quod si Testator mandaverit, ut ex fructibus suae hereditatis Congregatio Presbiterorum designatae Ecclesiae horas canonicas omnibus diebus festis teneretur recitare et tot Sacra canere, quot Episcopus habita ratione redituum esset iudicaturus, sed translata in praefatam Ecclesiam, praevia suppressione memoratae Congregationis, Collegiata, Episcopus praescripserit Canonicis onus celebrandi tres Missas qualibet hebdomada et unum Anniversarium in die obitus praedicti Testatoris, Sacra Congregatio declaravit, hereditatem esse Capitulo et Canonicis deferendam, quin tamen per translationem Collegiatae remaneret satisfactum voluntati Testatoris, cum iidem celebrare deberent tres Missas lectas hebdomadales per turnum cum uno Anniversario in die obitus praedicti Testatoris *in Narnien. die 8 Maii 1745.*

24. Iamvero de facultatibus suis amplius, quam in iis esset, sperans Nicolaus Marrubius Parochus Ecclesiae S. Valentini in Oppido Carbii testamento et codicillis mandavit, ut sua hereditas post obitum Sacerdotis Dominici Antonii Marrubii, quem heredem scripsit in usufructu, atque unius ex filiis Franciscae Mariae Rosati, qui Sacerdos fieret, ad Congregationem Presbiterorum, quae erat in Ecclesia matre eiusdem Oppidi, deferretur, dato onere omnia bona alienandi, pretium investiendi, cuius fructibus teneretur horas canonicas omnibus diebus festis recitare, et tot Sacra canere, quot Episcopus Narniensis habita ratione redituum esset iudicaturus. Anno 1729, antequam Rosatus possessor bonorum Marrubii decederet, translata fuit Collegiata Carbii ab Ecclesia Sanctissimae Conceptionis ad eamdem Ecclesiam matrem S. Mariae eiusdem Oppidi. Episcopus autem hac occasione prospectum satis consultumque videns voluntati Marrubii, tum divinis officiis, tum sacris solemnibus, quae Collegiata in eadem Ecclesia matre agenda erant, voluit, ut post obitum Rosati hereditas Marrubii una cum aliis Beneficiis simplicibus Theologali Praebendae, quae in eadem Collegiata erigenda erat, uniretur. Decessit subinde Rosatus: at cum Beneficia illa simplicia vacantia non essent, et reditus hereditatis Marrubiae tenuissimi essent, neque enim excedebant scuta 25, erectio Praebendae Theologalis inutilis facta est, cum nullus esset, qui tot onera tenui reditu ferre vellet.

25. Capitulum igitur et Canonici Ecclesiae matris et Collegiatae Carbii delatum sibi ius obtinendi putantes hereditatem Marrubii,

quod impossibile esset invenire, qui vellet Theologalem Praebendam, et quod ipsi in iura Congregationis illius Presbiterorum suppressae translatione Collegiatae successerint, postularunt, ut declararetur, an officiis divinis et sacris solemnibus, quae in eadem Ecclesia ab iisdem Canonicis agebantur, impleta censeretur pia voluntas Marrubii, vel potius ad alia onera tenerentur. Auditus Episcopus fuit, cuius sententia erat, an circumscripta erectione Praebendae Theologalis – deferatur hereditas Marrubii Archipresbitero et Canonicis cum onere celebrandi tres Missas qualibet hebdomada et unum Anniversarium in die obitus supradicti Nicolai Marrubii –. Non placuit Canonicis haec Episcopi sententia, quod onus illud tot sacrorum extra Testatoris praeceptum esset, qui unum tantum Sacrum omnibus diebus festis iniunxit Congregationi illi Presbiterorum, postularunt itaque ab EE. PP., ut declararent, hereditatem Marrubii ad Capitulum spectare cum onere tantum applicandi Sacrum die festo.

26. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An, non obstante Decreto applicationis hereditatis quondam Nicolai Marrubii facto ab Ordinario ad effectum erigendi Praebendam Theologalem in Ecclesia Collegiata Terrae Carbii, sit eadem hereditas deferenda Capitulo et Canonicis dictae Collegiatae? *Et quatenus affirmative.* II. An per translationem eiusdem Collegiatae ad Ecclesiam S. Mariae remaneat satisfactum voluntati dicti Marrubii, seu potius an et quae onera sint Canonicis contemplatione dictae hereditatis praescribenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, Negative quoad primam partem, quo vero ad secundam, celebrentur tres Missae lectae hebdomadales per turnum cum uno Anniversario in die obitus; et amplius – *in Narnien. die 8 Maii 1745.*

ECCLESIA MATRIX

1. Ecclesia ideo Matrix appellatur, quia sicut Mater generat Filios, ita haec regenerat Homines salutaribus aquis, ut notat Glossa in Clem. 1 verb. Matricem de sent. excom. aiens: – Matricem, quae dicitur Matrix, quia sicut Mater generat, sic et illa regenerat per Baptismum – *in Fabrianen. Fontis Baptismalis et Iuris baptizandi die 24 Maii 1732* §. *Itaque.*

Item *in Comen. Translationis die 19 Iulii 1766* §. *Praeter.*

2. Hinc Matricitas duplicis est speciei, altera vera et propria, alteraque impropria, seu distinctius alia est vera, alia propria, et alia minus propria *in Senogallien. Praeeminentiarum die 12 Decembris 1778* §. *Matricitas.*

Item *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 20 Novembris 1824* §. *Matricitatem; in Policastren. Praeeminentiarum die 3 Augusti 1833* §. *Quod.*

3. Vera et propria Matricitas, exceptis Cathedralibus, in quibus Matricitas absque ullo probationis onere vere consistit, Innocent. III in Cap. *Venerabili* de verb. signif., et Cap. *Ex transmissa* de Rescriptis, tunc in aliqua Ecclesia residere dicitur, ubi per dismembrationem Territorii et Populi erigitur nova parochialis Ecclesia, quae idcirco retinet subiectionem filialem, iuxta Textum in Cap. *Ad audientiam* 3 de eccles. aedif., et S. Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 4 de reformatione *in Ariminen. Praeeminentiarum die 7 Iulii 1731* §. *Porro.*

Item *in Senogallien. Praeeminentiarum die 12 Decembris 1778* §. *Matricitas.*

4. Unde generatim et vere et proprie dicitur Matrix Ecclesia, dum Parochus unus est, ceteri autem eius Vicarii, qui unius Populi in aliquot Pagos seu Vicos seu Stationes divisi curam gerunt; ac de huiusmodi Matricitatis iure, dum cura exercetur a pluribus, sed unus cum diversis Presbiteris Populus est, videndi sunt Abbas consil. 1 part. 1, Rota in Recent. decis. 226 a n. 1, decis. 258, decis. 271 part. 1, decis. 284 a n. 10 part. 14,

decis. 281 a n. 1 part. 15, decis. 90 a n. 1 part. 16, decis. 104 part. 17, et decis. 7 n. 10 part. 18, in Novarien. Praeeminentiarum 26 Iunii 1726 §. Quod coram Ratto *in Comen. Translationis die 19 Iulii 1766* §. *Praeter* §. *De.*

5. Rectius itaque in tres species distingui potest Matricitas, in veram nempe et rigorosam, quae uni convenit Ecclesiae Cathedrali, ex Cap. *Venerabili* 22 de verb. signif., Gloss. in Clementina 1 verb. Matricitas §. Quibus de privilegiis, Frances de eccles. cathedr. cap. 15 n. 170; in propriam rursus, quae ad illas pertinet Ecclesias parochiales, a quibus veluti a Matris sinu aliae exortae sunt Parochiales, ad Textum in Cap. *Ad audientiam* 3 de eccles. aedificandis; et in Matricitatem denique impropriam, quae simplicem praesefert maioritatem et praeeminentiam supra ceteras Ecclesias parochiales, secundum Reclus. de re paroch. tom. 1 tit. 6 n. 3, et Rot. coram Clemente XIII decis. 135 n. 11 *in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *In.*

6. Siquidem vera Matricitas Cathedralibus solummodo convenit; propria ad Ecclesias parochiales, ex quibus aliae veluti e sinu Matris, ortum habent, spectat; minus propria, quae simplicem maioritatis dignitatis et praeeminentiae in ceteras Ecclesias tribuit qualitatem *in Fulginaten. Fontis Baptismalis 20 Novembris 1824* §. *Matricitatem.*

7. Unde Matrix secundo dicitur ea, a qua aliae divisae sunt Parochiae, cum territorii et Populorum separatione ac deputatione eius, qui curam gerat titulo perpetuo et iuribus parochialibus: in hac autem divisione suum restat decus Matri Ecclesiae; aliquis quandoque census solvitur veteri Parocho; suus honor et reverentia certis aliquando diebus debetur; datur locus primae conventioni seu concessioni in ipsa novae parochiae erectione; licet non parum discriminis intercedat, si divisiones cum bonis et reditibus Matris Ecclesiae factae fuerint, vel non, ita ut novi Parochi de alieno vivant, vel potius de suo *in Comen. Translationis die 19 Iulii 1766* §. *Matrix* §. *In.*

8. Idcirco Ecclesia Cathedralis est Matrix, et una omnium Parochia, Frances de eccles. cathedr. Cap. 17 n. 27 et n. 58 *in Andrien. die 30 Decembris 1766* §. *Contrarium.*

9. Iamvero Ecclesia Cathedralis est Paraecia universalis Civitatis et Diaecesis, Cap. 1 de rapt. et Cap. *Licet* in Regul. 6 quaest. 1, et notant Host. in Cap. *Suam* n. 3, Lap. cum Calderin. allegat. 62 n. 4, Petrus de Ubald. Cap. 1 n. 5 part. 1, Guttier. can. quaest. cap. 27 n. 4, Rot. in decis. 1163 n. 15 coram Poenia *in Casertana Indulti die 16 Maii 1801* §. *E contra.*

Item *in Amerina Decreti Visitationis quoad Praeceptum Paschale die 10 Septembris 1803* §. *Parochis.*

10. Non est igitur ambigendum, quin Cathedralis Ecclesia dignitatis et praeeminentiae praerogativa perfruatur supra omnes alias Ecclesias, et etiam Praelatos et Clericos inferiores eiusdem Diaecesis, ex Textu expresso in Cap. *Statutus* de mai. et obed., eamque explicitam iuris sanctionem quamplures confirmant tum Sacrae Rituum Congregationis resolutiones, ac praesertim in Tuscanen. 13 augusti 1646, in Fundana 2 octobris 1597, tum Sacrae Rotae decisiones, et signanter in Caesaraugustana Synodi 3 februarii et 22 iunii 1626, et in alia Caesaraugustana Praeeminentiarum 26 aprilis 1627: adeo imo huiusmodi praerogativa Cathedralis Ecclesia praefulget, ut si istius Canonici conveniant cum Canonicis Collegiatae, illis praecedentia debetur vel in ipsa Ecclesia Collegiata, ceu statuit S. Rituum Congregatio in Praenestina Cavarum 18 Augusti 1618, ac in Tuscanen. 19 augusti 1619, et Rot. in Caesaragustana Synodi 3 Februarii et 22 Iunii 1626 *in Anglonen. et Tursien. Iurium et servitii chori die 31 Iulii 1852* §. *Quoad primum.*

11. Quod summa ratione constitutum videtur, quia cum Capitulum Cathedralis unum facit corpus cum Episcopo, cuius membra et senatus illius Canonici nuncupantur, iam plane sequitur, membris eamdem non modo reverentiam deberi, quae capiti defertur, sed etiam nullum dari posse medium, quo membra a capite segregentur, quin monstrum exoriatur, ex censura Cap. *Novit* de his, quae fiunt a praelatis *in Anglonen. et Tursien. Iurium et servitii chori die 31 Iulii 1852* §. *Quoad primum.*

12. Quin imò etiam antiquae Cathedralis locus, et Oratorium in eo relictum exigit honorem et reverentiam, in memoriam pristinae dignitatis, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 120 n. 42, Card. De Luc. de praeeminent. disc. n. 11, et Frances. de eccles. cathedr. Cap. 7 n. 48 et n. 96 *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Et pro parte.*

13. Unde quaelibet Ecclesia, ad Cathedralis fastigium evecta, gaudet Collegialitatis praeeminentia, Cap. *Novit.* et Cap. *Quantum* de iis, quae fiunt a praelat. sine cons. capit., Barbos. de canon. Cap. 2 n. 2, Card. De Luc. de praeeminent. disc. 4 n. 15 *in Baren. Collegiatae die 28 Augusti 1830* §. *Cum.*

14. Basilicae autem nomen nullum praeeminentis qualitatis praesefert argmentum, Walfrid. de exord. ver. eccles. cas. 8, Marius Ital. de immunit. eccles. lib. 1 Cap. 5 §. 3 n. 10, Frances de eccles. cathedr. Cap. 13 n. 112 *in Beneventana Praecedentiae die 10 Septembris 1853* §. *Hinc.*

15. At nullum quippe dubium, quin Cathedralis, a qua dismembratae fuerunt reliquae Civitatis Parochiae, retineat ius Matricitatis *in Forosempronien. Iurium Parochialium die 11 Aprilis 1761* §. *Et eo facilius.*

16. Idcirco si satis constet, quod Ecclesia Cathedralis sit unica parochialis totius Civitatis et altera Ecclesia sit mera coadiutrix in administratione tantum Sacramentorum, haec haud sibi vindicare potest iura parochialia communia, quin tamen dicta Ecclesia Cathedralis exercere valeat totam etiam curam quoad administrationem Sacramentorum *in Andrien. die 10 Februarii 1759.*

17. Enimvero Ecclesiam Andriensem, quam fundasse dicebant S. Riccardum ineunte seculo quinto, unicam quoque fuisse Parochialem in ea Civitate asserebant ad annum 1104, quo Desidius Episcopus intra Urbis illius maenia recepit Tarquinium Praepositum et Clerum Ecclesiae S. Mariae de Tramodia, quae Villa erat Suburbana, fugientes a Latronibus, iisque concessit, ut Ecclesiam divo Nicolao extruerent, quae in praesens etiam dicebatur de Tramodia, duplici tamen adiecta conditione, quarum altera, ut – nostram maiorem Ecclesiam primariam agnoscant, eidem obedientiam titulum et obsequium praestent –. Clerum illum anno 1126 concessionis limites excessisse aiebant, et instante Cathedralis Ecclesiae Capitulo, cohibitum fuisse ab Episcopo et praecepto poenali revocatum ad concessionis limites, ne iura parochialia Cathedralis invaderent; idque a Clero promissum, inde tamen anno 1328, aucto Andriensi Populo ad Capita viginti quinque millia, cum Sacramentis numeroso Populo administrandis Capitulares non sufficerent, ab ipsa Cathedrali Ecclesia advocatum fuisse – in adiutorem curae animarum – Clerum Ecclesiae S. Nicolai, quae declarata fuit – Vicaria et Coadiutrix in administrandis Sacramentis – cuicumque petenti per totam Civitatem –, protestatione tamen adiecta, nullum inde detrimentum illatum Ecclesiae Cathedrali – unicae Parochiali –, utque haec concessio – potest revocari ad libitum et non aliter nec alio modo –. Additum fuit, – quod ceterae functiones et omnes aliae praerogativae et iura ad Cathedralem, uti unicam Parochialem, circa Parochialitatem et iura parochialia contra quoscumque et contra ipsam venerandam Ecclesiam, ad ipsam Cathedralem spectantia, integre remaneant, et nulla earum vigore praesentis concessionis intelligatur translata, cum nihil aliud, nisi nudam Sacramentorum administrationem in adiutorium Cathedralis ipsi Episcopus et Capitulum dare dictae venerabili Ecclesiae intendant –. Pacta quoque alia in hac concessione conventa fuerunt. Eamdem Cathedralem Ecclesiam unicam esse Parochialem, Ecclesiam vero S. Nicolai meram esse adiutricem, evinci dicebant, ex pluribus sententiis diversorum Tribunalium, ex confessionibus eiusdem Cleri S. Nicolai, ex relationibus Episcoporum, ex Testium testificationibus, ex actibus denique parochialibus, qui a Capitulo Cathedralis in universa Civitate perpetuo gesti fuerunt. In horum tamen omnium conspectu Capitulum Ecclesiae S. Nicolai contendit, iura parochialia communia habere cum Cathedrali, et Ecclesiam S. Nicolai esse comparochialem.

18. Propositis vero dubiis: – I. An Ecclesia Cathedralis Civitatis Andriae sit unica Parochialis totius Civitatis eiusque territorii, ita ut Ecclesia S. Nicolai sit mera coadiutrix in administratione tantum Sacramentorum in

casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An possit dicta Ecclesia Cathedralis totam exercere curam etiam quoad totalem Sacramentorum administrationem ex se in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative - *in Andrien. die 10 Februarii 1759.*

19. Hinc Matricitas Ecclesiae Cathedralis probatur pluribus Summorum Pontificum Constitutionibus, quae diserte referunt et nuncupationem et iura Matricitatis Ecclesiae Cathedralis *in Faventina Praeeminentiarum et Funerum die 11 Aprilis 1761* §. *Ac.*

20. Imo Ecclesiae Cathedralis Matricitas de iure praesumitur, quum in primo Ecclesiae ortu solum illa esset Parochialis totius Diaecesis, ex notatis per Thomasin. de vet. et nov. eccles. disciplin. lib. 2 cap. 7 n. 2; et ideo reliquae Parochiales Diaecesis, tamquam ab illa derivantes, reputentur illius filiales, Panimoll. decis. posth. 169 n. 17 tom 3 *in Faventina Praeeminentiarum et Funerum die 11 Aprilis 1761* §. *Ac.*

21. Advertendum tamen est, haud vim tribuere consuetudini praesumptivam Matricitatem, quae inest omnibus Cathedralibus, sed probandum esse, Cathedralem fuisse unicam totius Civitatis Parochialium, et vere et proprie Matricem, ut ex consuetudine praesumi valeat reservatio exemptionis ab aliquo onere *in Faventina Praeeminentiarum et Funerum die 11 Aprilis 1761* §. *Sed.*

22. Hinc unicus fons Baptismalis penes Ecclesiam Cathedralem in tota Civitate indicat superioritatem et reservationem iuris baptizandi, Butr. in Cap. *Ad audientiam* 1 de eccles. aedificandis, Rot. in Gerunden. Iuris sepeliendi 28 martii 1757 §. 27 coram Stadion. *in Fulginaten. Funerum die 28 Augusti 1773* §. *Quo.*

23. Soli enim Episcopi conferebant Baptismum in Ecclesiis Cathedralibus, Catalan. in Comment. ad Pontif. Roman. tom. 2 tit. 1 de benediction. et imposition. primi lapidis pro Ecclesia aedificanda §. 1 n. 27, Ioannes Dartis ad Gratian. Decret. part. 3 de consecrat. dist. 4 §. Sed non erat, Marten. de antiq. Eccles. rit. lib. 11 part. 11; deinde Parochi Matricum, quae unae baptismalem habebant fontem, Thomassin. de vet. et nov. Eccles. disciplin. part. 1 lib. 21 n. 8, Panvin. in opusc. de sept. Urbis Eccles. *in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *Postquam.*

Item *in Aesina Iuris Baptizandi die 15 Iulii 1797* §. *Soli.*

24. Qua de re si Parochi Civitatis antiquitus non erant, nisi Capellani Cathedralis ad nutum amovibiles, eorum Ecclesiae Matrices dici neque proprie, neque improprie potuerunt; sed Matricitatis iura penes Capitulum et Cathedrale Templum manserunt, Cap. *Venerabilis* 22 de verbor. signif., Reclus. de re Paroch. part. 1 tit. 2 n. 27, ac Rot. in Ravennaten. Iurium Parochialium 11 martii 1736 §. Quemadmodum coram Barullo, et in Confirmatoria 25 Aprilis 1755 §. 2 coram eodem *in Sulmonen. Fontis Baptismalis die 18 Iulii 1835* §. *Praeterea.*

25. Ceterum Sacra Congregatio declaravit, Concilium Tridentinum in cap. 4 sess. 21 de reformatione comprehendere quamcumque Matricem non distinguendo, an sit Cathedralis, vel Ecclesia insigni in Oppido posita *in Perusina lib. 2 Decretorum pag. 90 a tergo.*

26. Siquidem cum quaevis dismembratio fit, aliquis Ecclesiae Matrici honor est servandus *in Asculana die 18 Decembris 1802* §. *Quod.*

27. Nullum enim dubium, quin Ecclesiae semper competens honor pro loci Ecclesiaeque facultate servandus est *in Ripana Dismembrationis die 1 Februarii 1834* §. *Ceterum.*

28. Unde honor, qui est Ecclesiae Matrici praeservatus in Cap. *Ad audientiam* 1 de eccles. aedificandis, pendet ab arbitrio Ordinarii, Murga de Benef. quaest. 6 n. 12, Riccius in collect. 4201, Castropal. oper. moral. part. 2 tract. 13 de Benef. disp. 6 punct. 9 §. 10 n. 4 *in Imolen. Dismembrationis die 8 Iunii 1720* §. *Et.*

29. Nam ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus assignanda est competens portio, arbitrio Episcopi, Sacerdotibus, qui de novo Ecclesiis noviter erectis praeficiuntur, Concil. Trid. sess. 21 Cap. 4 de reformatione *in Ripana Dismembrationis die 1 Februarii 1834* §. *Iamvero.*

30. Hinc Ecclesiae Matrici succurrendum est, ut, non obstante consensu Rectoris, aliorumque interesse habentium, dismembrationem filialis Ecclesiae impugnare possit, atque hoc

detrimentum avertere, Bertacchin. vot. decis. 117 n. 3, Sperell. decis. eccles. 74 n. 35 *in Comen. Dismembrationis die 22 Augusti 1750* §. *Addunt.*

31. Qua de re quum Comites de Limbourg ad catholicae Religionis incrementum Ecclesiam in Oppido Ghemensi aedificaverint, eamque Patribus strictioris observantiae S. Francisci, praevia Ordinarii licentia, tradidissent, ut functiones parochiales obirent, quumque displicuerit haec Parochiae erectio Capitulo Collegiatae Ecclesiae S. Remigii Oppidi Borkensis et Pastori in Ramsdorff, sed Nuntius Coloniensis retulerit, praefatam erectionem necessariam esse ac utilem, propositis dubiis: – I. An constet de validitate dismembrationis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quae competant honorificentiae et reditus Ecclesiis Matricibus Borckensi et Ramsdorffiensi super Ecclesia et districtu Ghemensi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et scribatur Ordinario pro informatione et voto – *in Monasterien. die 5 Iunii 1728.*

32. Quum autem inter Emum Titularem Basilicae S. Laurentii in Damaso et Emum Vicarium orta esset controversia, qua ille sibi ius Matricitatis in novo Templo S. Mariae Pacis vindicabat, et hic e contra suam ordinariam iurisdictionem super praefato Templo S. Mariae Pacis tuebatur, nulla capta fuit resolutio, ex eo quod Causa in folio exscripta Sacrae Congregationi haud fuit proposita *in Romana Matricitatis die 27 Maii 1809.*

33. Ceterum quum animarum cura et Sacramentorum administratio in Vico Zuvinii a tempore immemorabili pertineret ad Praepositum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii Oppidi Cuvii, sed attenta subinde iusta causa Sacra Congregatio declaravit quidem, locum esse dismembrationi, proposito autem dubio: – III. An quid et quantum et quale ius debeat reservari Ecclesiae Praeposituali et Matrici in casu etc. –, responsum tulit: – Ad tertium, quoad praeeminentias et praestationes servetur Decretum Episcopi, quo vero ad nominationem, servetur alternativa imposterum inter Praepositum Terrae Cuvii et Communitatem Zuvinii – *in Comen. Dismembrationis die 13 Martii 1751.*

30. Quum itaque Incolae Villarum, quae vulgo nuncupabantur – Nenno superiore, Nenno inferiore, Ripa, Caserza, Cornareto, e Canavelle –, quae parochiali iure suberant Ecclesiae S. Mariae Pagi Vaccaritiae, iustis urgentibusque de causis obtinuerint dismembrationem ac respective erectionem novae Parochiae, proposito dubio: – IV. An et quae iura praeeminentialia spectent et respective sint reservanda Ecclesiae parochiali et Rectori Vaccaritiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad quartum, in casu, de quo agitur, praestandam esse quolibet anno libram unam cerae albae – *in Derthonen. Dismembrationis die 28 Ianuarii 1736.*

34. Quod si Ordinarius dismembrationem Ecclesiae expleverit cum reservatione omnium iurium parochialium, vita naturali durante actualis Parochi, licet eidem per se ipsum tantum exercere in nova Paraecia munera parochialia diebus ab Ordinario praefiniendis, nec non ipsi competunt emolumenta pro functionibus stricte parochialibus, reservata quarta parte pro novo Parocho, cui etiam debentur emolumenta pro functionibus non parochialibus, quid proinde, his exceptis, novus Parochus perceperit, restituere tenetur in summa ab eodem Ordinario de bono et aequo liquidanda *in Spoletana Iurium parochialium die 28 Aprilis 1860.*

35. Iamvero Sacerdos Maria Giancinquanta Plebanus S. Maximi Civitatis Leonissae assensum praebuit, ut Villa Bigioni dismembraretur a sua Plebania, ea tamen adiecta conditione, ut iura parochialia eius vita durante minime laesa essent: unde Archiepiscopus Spoletanus die 16 novembris 1847 dismembrationem ita explevit, ut – eius vita naturali durante minime laesa sint, et his frui debeat eodem modo, quo usque adhuc potitus est; hoc autem vita functo, Parochum Villae Bigioni a praedicta Paraecia S. Maximi omnino volumus exemptum, et favore eiusdem cedant tam decimae sacramentales Villae Bigioni, quam omnes cespites –. Huic legi tam primus novae Paraeciae Rector, quam Oeconomus eius successor, decem per annos religiosissime paruerunt, bonis ab incola eiusdem Villae nomine Vincentio Bigioni ad effectum dismembrationis statutis satis contenti viventes. At non ita modernus memoratae Villae

Parochus Aloisius Bigioni, qui Plebano S. Maximi, praeter iurisdictionis actus, ea quoque emolumenta, quae vulgo dicuntur *incerti di stola,* acriter denegare non dubitavit. Nam cum dismembratio legitimis de causis peracta fuerit, nullatenus Plebanus S. Maximi iactare posse videbatur super Paraeciam iam erectam privativum spiritualis iurisdictionis exercitium. Siquidem in unaquaque parochiali Ecclesia ita unicus esse debet Parochus, ut Sacra Congregatio perpetuo damnaverit alterius Parochi ministerium ac promiscuum huius muneris exercitium. Unde iura reservata nullo pacto extendi posse contendit ad iurisdictionis exercitium, secus enim dismembrationis Decretum omnino pessumdaretur. Idcirco reservationem hanc cohibendam esse autumavit ad ea iura dumtaxat, quae cum novae Paraeciae erectione componi possent, nimirum ad temporales proventus, quos Plebano ultro concedebat, a quibus tamen excipiendos esse propugnavit eos proventus nuncupatos *incerti di stola.* Alias enim novus Parochus in deteriorem deiiceretur conditionem ac simplex quilibet Capellanus, cui ratione laboris et officii deberet aliquid rependi, cum praesertim attenta locorum distantia ac viarum asperitate haud valeret unus Plebanus et in Ecclesia S. Vincentii per se parochiali ministerio vacare. Hinc emolumenta pro sacris functionibus, quae non sunt parochiales, sibi deberi sustinuit, cum ultra concederet dicto Plebano emolumenta pro functionibus stricte parochialibus. Nec obesse videbatur decennalis observantia, cum eam deficere dixerit; et si adesset, nullam obligationem parere poterat, cum actus facultativi haud eamdem inducerent. Plebanus contra advertit, iura sibi reservata clara esse, et in Decreto dismembrationis expresse sancita. Accessit diuturna observantia, qua constabat, universa parochialia iura sarta tectaque servasse Carolum Bigioni, quin eadem ad decimarum tantummodo perceptionem coarctari possent, cum verba generica prorsus et absoluta existerent nullique limitationi obnoxia; ac proinde universa iura, sive iurisdictionalia, sive pecuniaria amplecterentur.

3. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An post institutionem Paraeciae in Pago nuncupato *Villa Bigioni* liceat adhuc Iosepho Giancinquanta Plebani S. Maximi functiones sacras ibidem peragere et munia Parochialia per se, vel per alium pro lubitu exercere in casu? II. An et cui debeantur emolumenta sic dicta *incerti di stola* pro sacris functionibus, quae non sunt parochiales in casu? III. An et cui debeantur emolumenta sic dicta *incerti di stola* pro sacris functionibus, quae sunt stricte parochiales in casu? *Et quatenus affirmative favore Plebani S. Maximi.* IV. An quomodo et pro qua summa teneatur Aloisius Bigioni ad restitutionem indebite perceptorum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ita tamen, ut liceat Plebano S. Maximi munera parochialia per se ipsum tantum exercere diebus ab Episcopo praefiniendis; et amplius. Ad secundum, Affirmative favore Aloisii Bigioni; et amplius. Ad tertium, Affirmative favore Plebani S. Maximi, subducta quarta parte emolumentorum tribuenda Aloisio Bigioni; et amplius. Ad quartum, Affirmative a die captae possessionis per Aloisium Bigioni in summa ab Archiepiscopo de bono et aequo liquidanda – *in Spoletana Iurium parochialium die 28 Aprilis 1860.*

37. Hinc Sacra Congregatio resolvit, sustinendum esse Decretum Ordinarii iuxta mentem, quo is attento commodo spirituali Incolarum loci plura concessit Rectori Ecclesiae, quae intra fines Parochiae distans ab eadem per tria circiter milliaria existebat, quin obesset Parochi reclamatio *in Bononien. die 9 Iulii 1735.*

38. Enimvero pluribus exortis controversiis inter Parochum S. Mariae Magdalenae de Cazzano et Rectorem Ecclesiae S. Margaritae Armaroli, quae intra eius fines, sed ab ea distans per tria circiter milliaria reperiebatur, Archiepiscopus Bononiensis decrevit; primo licere Beneficiato sive Rectori Ecclesiae S. Margaritae omnibus diebus festis etiam solemnioribus, sive per se ipsum, sive per alios Missas celebrare, dummodo per unam circiter horam post ortum solis ea celebraretur; secundo licere eidem Beneficiato eleemosynas in sua Ecclesia colligere, prescripta methodo retinendi binas capsulas, quarum altera pro eleemosynis Missarum, altera pro oblationibus ad usum Ecclesiae destine-

tur; tertio eidem licere singulis diebus Rosarium Beatae Mariae Virginis ianuis Ecclesiae apertis recitare, diebus festis vesperas canere et Populum campanae sonitu ad utrumque pium opus vocare; quarto licere pariter in Ecclesia S. Margaritae quotannis ducere processionem, quam vocabant Beatae Mariae Virginis de Cinctura cum assistentia Parochi S. Margaritae, quatenus ipse vellet interesse, sin minus etiam absque illo; quinto retineri posse in eadem Ecclesia S. Margaritae Tabernaculum, haud tamen cum pane Eucharistico, nisi pro illius retentione Parochus assensum praestet, itidemque retineri posse sedes Confessionales, dummodo non stabiles, nec muro affixas, ac insuper licere Beneficiato Mulieres post partum benedicere, infirmos visitare et earum confessiones tantum excipere; sexto eidem pariter frumentum aliosque fructus terrae naturales a sponte dantibus undequaque recipere, non autem titulo primitiarum, cavendo praesertim, ne ulla inde vel minima primitiarum parochialium diminutio subsequatur; septimo demum, praemissa declaratione, minime dubitandum esse, quin ad Parochum privative spectet, dies festos vigilias et verbum Dei Populo annunciare, Pueros et Idiotas doctrinae chistianae rudimentis imbuere, Sanctissimum Viaticum et extremam Unctionem Infirmis ministrare. His autem constitutis, in haec verba prosequutus est: – Sed quia ex extraiudicialibus informationibus, per nos captis tam a Vicario Foraneo, quam ab aliis Parochis conterminantibus cum Parochia D. Magdalenae de Cazzano, eruitur magna necessitas gerendi in Ecclesia Armaroli etiam praedicta iura parochialia, excepta ad summum administratione Sacramentorum Sanctissimae Eucharistiae et extremae Unctionis, attento quod magnus Parochianorum numerus adire recusat propriam Ecclesiam D. Mariae Magdalenae de Cazzano, sed ad Ecclesiam Armaroli, vel ad alias Parochias viciniores se confert, propterea decernimus atque declaramus, posse et debere Beneficiatum Armaroli festa et vigilias annunciare Populo et spiritualem concionem ex Altari ad ipsum habere, doctrinamque christianam edocere de licentia commissione et mandato Parochi, cuius erit superintendere quoad doctrinam christianam et methodum et formam servandam praescribere, quae quidem licentia commissio et mandatum sit concedendum, et semel concessum non possit, nisi iustis de causis nobis exprimendis, revocari –. At Parochus reclamavit.

39. Proposito tamen dubio: – An Decretum Emi Archiepiscopi Bononiensis sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et ad Emum Praefectum iuxta mentem – *in Bononien. die 9 Iulii 1735.*

40. Quin imo sustinetur Ordinarii Decretum, quo, ad tollendas contentiones inter Parochum Ecclesiae Matricis et Populum Ecclesiae Filialis iugiter ferventes, iura utriusque in petitorio declaravit, etiamsi praedictus Parochus Matricis post fatales dies ab Sacra Congregatione manutentionem et reintegrationem assertorum iurium contra praefatum Decretum obtinuisset *in Utinen. Manutentionis seu Reintegrationis die 3 Martii 1860 die 27 Ianuarii die 16 Iunii die 18 Augusti die 1 et die 22 Decembris 1866.*

41. Siquidm ab antiquissimis temporibus aderat in Utinensi Archidiaecesi Plebania S. Petri de Tarcento anno 1322 ab Adriano VI unita Capitulo Metropolitanae Ecclesiae S. Mariae maioris de Utino, in cuius territorio sex aliae reperiebantur Ecclesiae olim per Capellanos coadiutores una cum Plebano administratae. Exortis dissidiis anno 1446 inter Plebanum de Tarcento et Communitates Villarum Segnacci Villaefrigidae et Collisalti super iure sibi eligendi Sacerdotem, qui iugiter penes filiales Ecclesias S. Euphemiae et S. Michaelis resideret, delata controversia est ad Guarnerium de Artenea Vicarium Generalem Patriarchae Aquileiensis, et definitiva sententia diei 4 maii praedicti anni resoluta, qua praefatus Vicarius, perpensis actis et personaliter inspecta distantia locorum inter Tarcentum et Segnaccum, decrevit: – 1. quod homines de Segnacco Villaefrigidae et Collisalti valeant et possint eligere sibi unum Sacerdotem, qui eisdem deserviat, et quod idem confirmetur per praefatum Plebanum sive per R. D. Vicarium in spiritualibus patriae Fori Iulii, qui in eodem loco Segnacci resideat perpetuis temporibus ipse et Successores; 2. quod praefatus Sacerdos habitans in Segnacco teneatur et obligatus sit acce-

dere ad praedictam Plebem Tarcenti, et ibi celebrare cum aliis Vicariis in Purificatione Beatae Mariae Virginis etc.; 3. quod in festivitatibus S. Michaelis et S. Euphemiae Vicarii duo habitantes in Tarcento possint in Ecclesiis S. Euphemiae et S. Michaelis de Segnacco celebrare, et partem oblationum ea die factarum super Altaribus habere aequaliter, et e converso quando praefatus Sacerdos habitans in Segnacco celebraverit in Plebe Tarcenti habeat eius partem aequaliter; 4. quod praefatus Sacerdos teneatur et debeat in Plebe Tarcenti celebrare in Dominicis duabus in mense quolibet..., quodque in una praefatarum Ecclesiarum Segnacci constituatur unum Baptisma, quod ibidem perpetuo remaneat et Corpus Christi et Unctio extrema, et quod Baptisma non possit uti, nisi in causa necessitatis; 5. quod praefatus Sacerdos habere debeat annuatim de quartesiis dictae Plebis, videlicet frumenti stadia tria, vini etc., et teneatur et debeat cognoscere Plebem Tarcenti in dominam; 6. quod praefatae Communitates Segnacci Villaefrigidae et Collisalti teneantur dare praefato Sacerdoti pro substentatione sua tantum, quod ei sufficiat, ut honorifice vivere possit, et de cetero non possint nec valeant inquietare praefatum Plebanum nec Successores suos in aliquo ultra praedicta sub poena etc.; 7. demum quod praefatus Sacerdos in signum filialis obedientiae teneatur annuatim praesentare Plebano cereum unum duarum librarum –. Huiusmodi sententiam in rem iudicatam transactam, Nicolaus V, cui relatum fuerat, ob locorum distantiam, pluviarum nivium glacieum et tempestatum impedimenta, nonnullos ex commorantibus in praedictis Communitatibus absque confessione, quosdam vero earumdem Infantes absque Baptismo decessisse, in omnibus et singulis confirmandam decrevit kal. maii 1447. Nova tamen non defuere dissidia inter praedictas Communitates et Tarcenti Plebanum vel a primis annis, quibus omnia composita fuisse videbantur: cumque exorta fuisset controversia super extensione iurium et officiorum, quae Sacerdoti in Segnacco degenti competerent per Arbitrum die 12 martii 1455 definitum fuit, eumdem Sacerdotem posse quocumque tempore, et quoties opportunum esset, quaelibet Sacramenta ministrare fidelibus in dictis Villis commorantibus, ita ut ipsi nullo anni tempore ad Sacramenta recipienda tenerentur Matricem Tarcenti Ecclesiam adire. Quo factum esse videbatur, ut in nonnullis subsecutis actis Ecclesia S. Euphemiae et S. Michaelis Segnacci Parochialis nuncuparetur.

42. Plures etiam subinde exarserunt huiusmodi controversiae, ac respectivae sententiae iudiciales latae fuerunt, quin unquam post quatuor seculorum spatium extinctae permansissent. Quapropter ad eas omnes e medio prorsus tollendas Archiepiscopus Utinensis die 12 iunii 1857 sententiam protulit, qua plura distincte statuit atque servanda edixit ac decrevit (1). A praefata sententia appellationem interposuit Antonius Bonanni Plebanus Tar-

(1) Scilicet – 1. Essere la chiesa di S. Eufemia di Segnacco una Vicaria perpetua, e perciò il Rettore della medesima esercitare la cura delle anime nelle tre Ville di Segnacco Collalto e Villafredda in forza del suo titolo con giurisdizione propria e non delegata: quindi a) a lui solo competere, con esclusione del Pievano di Tarcento, l' amministrazione dei Santissimi Sagramenti, ed il diritto delle parrocchiali funzioni nelle Chiese e Ville suddette, e riguardo alle persone alla sua cura soggette. b) Doversi a lui restituire i Registri civili tolti con ordinanza delegatizia 16 aprile 1822. c) Poter egli solo rilasciare attestato di condotta o fedi di nascita, matrimonii e morte per gli individui dipendenti dalla sua cura. d) A lui solo appartenere gli emolumenti provenienti di diritti di stola per quello riguarda il circondario della cura medesima.

2. Essere il Pievano di Tarcento il Pastore primitivo; e perciò a lui appartenere il diritto del quartese in tutto il territorio della Curazia di Segnacco, a norma delle economiche sanzioni.

3. Doversi dalle Chiese di Segnacco alcune prestazioni di onore alla Matrice di Tarcento, le quali vengono ridotte alle seguenti: a) che il Curato di Segnacco sia tenuto a concorrere alla Matrice di Tarcento due volte all' anno, cioè nel giorno della Dedicazione, ed in quello del Titolare, esercitandovi in quella circostanza l' uffizio di Diacono alla Messa ed ai Vesperi. b) Che in sostituzione del Cereo (oggetto nel Friuli di gravissimi dissidii) solito presentarsi al giorno di S. Pietro sia tenuto il Curato di pagare annualmente ed in privato il prezzo corrispondente, cioè lire quattro. c) Che in compenso degli emolumenti per funerali offerte ed altro, che il Pievano di Tarcento percepiva nel territorio di Segnacco, sia tenuto il Curato di pagare nello stesso giorno di S. Pietro un ducato d' oro cioè lire quattordici. d) Che nelle processioni votive dipendenti da antico voto obbligante tutta la Pieve di Tarcento a concorrere alla Beata Vergine di Aprato, il Curato di Segnacco, anziche d' intervenire alle stesse colla

centi sic ut, Archiepiscopi revocata sanctione, in sui favorem locus fieret manutentioni, et quatenus opus esset, reintegrationi in quasi possessione universorum parochialium iurium, quibus sui Antecessores usi fuerant. Archiepiscopus de more rogatus praefatam sententiam diei 12 iunii 1857 acriter defendit in sua responsione fusiori calamo exarata. Verum ex adverso Plebani Defensor Tarcentinae Ecclesiae iura tum Matricitatis, tum Parochialitatis, nec non eorumdem exercitium evincere studuit re iudicata Guarneriana, Literis Apostolicis, actis Visitationum patriarchalium, actis Oeconomatus tempore vacationis filialium Ecclesiarum, publicis Accolarum consiliis, actis Matrimoniorum funerum ac Baptismatum, sententia et Decretis Emi Delphini patriarchae Aquileiensis, sententiis Decretis mandatis Vicariorum Generalium centies editis, re iudicata Veneta, Decreto Locumtenentis patria Foroiulii, mandato Delegati pro Cultu *sul Regno Italico,* nec non mandato Regii ac Imperialis Delegati *sul Regno Lombardo Veneto.* Hisce praeiactis, universorum iurium manutentionem seu reintegrationem adversus Archiepiscopalem sanctionem Plebano Tarcenti esse tribuendam distinctis articulis contendit. Et quoad manutentionem affirmavit, ex dictis nullum posse dubium suboriri, Tarcentinum Plebanum a quasi possessione omnium iurium super praedictas filiales Ecclesias prima vice exturbatum fuisse per memoratum Decretum diei 12 iunii 1857, ita ut ipse ante huiusmodi tempus iurisdictionem suam inibi semper exercuerit. Neminem vero latet, eum in possessione fore manutenendum, qui iugiter in eadem fuerit versatus; in themate praesertim, ubi aderant pro Plebano Tarcentino iudiciales sanctiones et immemorabilis possessio. Unde irritum ac inane renuntiavit Archiepiscopale Decretum. Verum etsi eidem Decreto quidquam roboris appingeretur, nihilominus parochialium iurium Assertor ad reintegrationis praesidium confugiendum contendit. Ad rem conficiendam quaquaversus Archiepiscopalem sanctionem impetiit sive intrinsecis, nempe ex defectu cuiuslibet causae canonicae ad dismembrationem peragendam, sive ab extrinsecis, nimirum ex omissione solemnitatum, quas adhibere erat omnino necessarium. Quidquid inde Archiepiscopus deduxit ad sustinendum suum Decretum, refutare studuit, quin etiam obesset, quod Plebano appellandi ius minime competeret, eo quia intra fatales dies non appellaverit, cum Archiepiscopus non quidem iuris ordine servato; sed extraiudicialiter, nulloque iis, quorum intererat, vadimonio constituto, Decretum edidisset. Insuper animadvertit, ludicre ac iniuria Archiepiscopum asserere, Plebaniam se nunquam dismembrasse, sed tantum Capellaniam Segnacci iure proprio et non delegato Vicariam perpetuam declarasse. His itaque aliisque huiusmodi perpensis, proposito dubio: - An sit locus manutentioni, seu potius reintegrationi in casu? -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative in omnibus - *in Utinen. Manutentionis seu Reintegrationis die 3 Martii 1860.*

43. Haec Sacrae Congregationis resolutio die 7 iunii eiusdem anni communicata fuit cum Archiepiscopo, qui haud tamen exequutioni mandavit: unde Sacra Congregatio, reclamante Bonanni Plebano Tarcenti, rogavit Archiepiscopum Utinensem, ut de causis denegatae exequutionis referret; quod iterum peractum fuit die 15 februarii 1861. Rescribens itaque Archiepiscopus die 5 maii 1861, retulit, - immutatum forensi arte ex parte Plebani quaestionis statum; quum in id tantum per meum Decretum intenderim, non ut Beneficium Tarcenti, quemadmodum relatum fuit dismembrarem (quo in casu requisitas a iure solemnitates nequaquam praetermi-

sua popolazione, sia obbligato a soddisfare al voto nella Domenica prossima a quella, in cui soddisfecero quei di Tarcento, recandosi a tale effetto processionalmente col suo popolo alla Chiesa di S. Eufemia, e riguardo alla processione votiva del due luglio alla chiesa della Beata Vergine delle Grazie di Udine, recandosi nella Domenica immediatamente susseguente allo stesso giorno due luglio. e) Che volendo il Pievano di Tarcento fare qualche processione ad alcuna delle Chiese dipendenti dalla Curazia, il Curato non sia tenuto ad intervenirvi, ma non possa neppure opporsi, purchè due giorni prima glie ne sia dato avviso per lettera, ed indicata l' ora; avvertendo, che se la processione cada in giorno festivo, l' ora da fissare non turbi l' ordine delle Curaziali funzioni. f) Finalmente che abbia a ritenersi (ferma la percezione del quartese suindicato, insieme alle percezioni di onore verso la Matrice superiormente determinate) tolta ogni ingerenza al Pievano di Tarcento nella Curaziale di Signacco, sia per riguardo alle funzioni, come per altri titoli -.

sissem), sed ut, determinata innumeris propemodum et legalibus documentis Beneficii Segnacci natura, eiusdem ab Ecclesia Plebanali dependentiam, ad tollendas diuturnas et acerrimas contentiones, certis limitibus definirem –. Narravit inde Archiepiscopus difficultates, quae executionem resolutionis Sacrae Congregationis impediebant, quin simul sciret, quae reintegranda seu manutenenda essent. Hisce bis Plebanus respondit: ac mox, translato Archiepiscopo ad Patriarchalem Sedem Venetiarum, ad preces municipalis deputationis de Tarcento mense iulio 1862 commissum fuit Vicario Capitulari, ut exequutioni committeret resolutionem Sacrae Congregationis diei 3 martii 1860. Attamen cum id rescivissent Praefecti Communitatis Segnacci, semel et iterum Curiae Utinensi declarationem submiserunt contendentes, se praememoratae sententiae acquiescere non posse, cum in prima propositione controversiae interpellati non fuerint, etsi ius nominandi Capellanum Curatum ex sententia anni 1446 homines locorum Segnacci Villaefrigidae et Collisalti haberent. Quapropter Vicarius Capitularis rem ad Sacram Congregationem remisit, ut declararet, utrum huiusmodi iuspatronatus esset attendendum, et sententiae exequutionem impedire valeret. His itaque perpensis, die 28 februarii 1863 decretum fuit, ut Causa reproponeretur in folio, auditis omnibus interesse habentibus. Hinc ex actis a novo Archiepiscopo transmissis patebat, in habitis comitiis 122 Patrumfamilias loci Segnacci et Villaefrigidae 121 suffragia reperta fuisse pro separatione a Plebania Tarcenti, iuxta Decretum Archiepiscopi diei 12 iunii 1857, uno tantum contradicente; in comitiis vero 39 Incolarum Collisalti cuncta suffragia praefato Decreto contradixisse. Tandem Rector Ecclesiae Segnacci adnexarumque et ipse Decreto diei 12 iunii 1857 adhaesit, ut antiquissimae gravesque contentiones inter utrumque Populum Tarcenti et Segnacci e medio tollerentur. Orator, qui in praesens defuncti Plebani Bonanni seu Ecclesiae Tarcenti iura tuebatur, pro nova Causae propositione proposuit consuetum dubium: – An sit standum, vel recedendum a decisis –. Huiusmodi tamen dubio in aula Sacrae Congregationis ego, qui nuper adlectus eram ad sustinenda iura Ecclesiae Segnacci et adnexarum acriter obstiti contendens, non in possessorio, prout in Congregatione diei 3 martii 1860 factum erat, sed in petitorio quaestionem esse pertractandam. Cum autem Secretarius Sacrae Congregationis censuisset, se minime posse naturam iam acti iudicii permutare, ad preces, quas exhibui (1), rescripsit: – Utatur iure suo in die propositionis Causae –. Quum autem in

(1) Nempe: – La popolazione di Segnacco e Ville annesse fin dal 27 Marzo 1852 facea ricorso all' Autorità ecclesiastica e civile per essere garantita nei proprii diritti, che il Parroco di Tarcento il fu Bonanni con gravissimo scandalo e disordine pretendeva violare impunemente. Dopo cinque anni di ricorsi e d' insistenza della stessa Autorità civile presso l' Arcivescovo di Udine Monsignor Trevisanato in oggi Patriarca di Venezia, il predetto Arcivescovo nel giorno 12 giugno 1857 emanava un Decreto, in cui venivano garantiti i diritti della prefata popolazione. Il Parroco di Tarcento dopo anche i termini canonici, per cui il Decreto passò in cosa giudicata, interpose l' appello presso la Sagra Congregazione del Concilio, e senza citare o avvisare la popolazione propose il dubbio sulla semplice manutenzione. La popolazione appena venne in cognizione della risoluzione della prelodata Sagra Congregazione, tosto insistette presso la medesima, perchè oltre il Decreto Arcivescovile venisse anche accolta altra dimanda per togliere di mezzo ogni seme di futuro disordine e discordia. Essa è già nel pieno diritto, siccome sancito dal Decreto Arcivescovile: e finchè la parte avversa non istabilisce la questione sopra il prelodato Decreto, nulla le giova la risoluzione riportata favorevole in possessorio, senza anche intesa della parte. Imperocchè è notissimo in diritto, che il giudizio possessorio allora solo può avere forza, quando precedette il petitorio, non quando il possessorio ha preceduto il petitorio. Sarebbe infatti un assurdo madornale, che uno sia dal giudice riconosciuto legittimo padrone in petitorio, e quindi istituire un giudizio possessorio per negargli il possesso. Questo secondo giudizio a fronte del primo è dunque nullo ed irrito. Nè la popolazione di Segnacco e Ville annesse può in alcuna maniera riconoscerlo, avendo in mano il Decreto Arcivescovile, che è stato precedentemente emanato in petitorio e non in possessorio. L' appello dunque non poteva competere che in petitorio, perchè è impossibile avere il possesso di una cosa, della quale con giudizio petitorio ne è stato precedentemente altro riconosciuto legittimo padrone.

In vista di tali cose la prefata popolazione non solo dimanda la sanzione del prelodato Decreto Arcivescovile, ma altresì la ricuperazione di tutti gli altri diritti impunemente violati. E siccome vi sono in oggi legittime cause di una pura e assoluta dismembrazione, ancorchè questa non esistesse, ne implora tuttavia la sanzione, affinchè fattasi nuovamente dalla prelodata Sagra Congregazione la dismembrazione, non insorgano in avvenire nuovi pretesti con gravissimo scandalo e disordine civile e religioso.

die propositionis Causae, praevia iurium allegatione, pro viribus institerim, ut resolutio diei 3 martii 1860 nulla ac irrita declararetur, ex eo etiam quod iura, Decreto Archiepiscopali sancita, per plures sententias ac res iudicatas, inter longissimum quatuor seculorum spatium litiumque seminarium latas, sarta tectaque perstitissent firmiterque perstare deberent, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio die 27 ianuarii 1866 respondit: – Recedendum a decisis –. Quod Rescriptum undequaque propitium cum extiterit Ecclesiae Segnacci et adnexarum, novae audientiae veniam petiit et consecutus est Orator Plebaniae Tarcenti; sed monitus de repropositione Causae, dilationem ab EE. PP. postulavit. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel in secundo loco decisis in casu? –, Sacra Congregatio die 16 iunii 1866 respondit: – Dilata ad primam post proximam –. Rursus die 18 augusti 1866 reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Dilata post aquas –. Novam etiam dilationem praefato Oratori Plebaniae Tarcenti Sacra Congregatio indulsit die 1 decembris 1866 rescribens: – Dilata ad primam omnino et infallanter –. Tandem is allegationem distribuit, sed ego iterum fusius enucleatiusque iura Ecclesiae Segnacci et adnexarum in arce tutissima collocavi; unde reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In secundo loco decisis, et amplius – *in Utinen. Manutentionis seu Reintegrationis die 22 Decembris 1866.*

44. Hinc sustinetur Episcopi Decretum, quo Ecclesia parochialis eximitur ab omnimoda subiectione erga alteram, ac erigitur in Archipresbiteralem non tamen insignem, tributo etiam iure benedicendi Fontem in die Sabbati Sancti et habendi processionem in festivitate Corporis Christi *in Placentina Plebanatus die 26 Aprilis 1698 lib. 48 Decretorum.*

45. Iamvero – licet ab antiquo tempore parochialis Ecclesia Planellarum esset in aliquibus subiecta Plebanae S. Mariae Campagnoli Trivotii, nihilominus Episcopus in visitatione anni 1691 ad instantiam Populi eiusdem Planellarum exemit illius Rectorem ab omnimoda subiectione erga Plebanum Trivotii, erigendo ulterius Ecclesiam Planellarum in Archipresbiteratum non tamen insignem, ac tributa facultate Archipresbitero benedicendi Fontem in die Sabbati Sancti, et solemnem processionem habendi in festivitate Corporis Christi. Provocavit Plebanus ab huiusmodi Decreto ad hanc Sacram Congregationem, in qua, audito Episcopo, exquiritur hodie ab EE. EE., utraque Parte monita et informante: – An Decretum Episcopi substineatur, in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative – *in Placentina Plebanatus die 26 Aprilis 1698 lib. 48 Decretorum.*

46. Imo Sacra Congregatio ad recompositionem Cleri Oppidi satis ampli et conspicui non dedignatur concedere simplici Ecclesiae eiusque servitio mancipatis honorificentiae praerogativas, suppressis etiam parochialibus Ecclesiis *in Fesulana die 22 Februarii 1856.*

47. Siquidem in Terra S. Ioannis *di Valdarno* satis ampla et conspicua aderat amplum et augustum Templum S. Mariae Gratiarum, ubi plures Sacerdotes sub directione alterius ex ipsis Prioris titulo honestati Missam ac vesperas singulis diebus decantabant, aliasque peragebant infra annum de more functiones. Cum autem tres etiam Parochi adessent, scilicet S. Ioannis Baptistae, qui Praepositi titulo gaudebat, S. Luciae et S. Laurentii, cumque in qualibet ex hisce tribus parochialibus Ecclesiis non paucae per annum functiones explerentur, diebus praesertim solemnioribus, hinc fiebat, ut Presbiteri seu Capellani praefatae Ecclesiae seu Oratorii S. Mariae Gratiarum convenirent ad dictas Parochias emolumentis adlecti, et Oratorium praedictum, quando maior urgebat necessitas, desertum fere relinqueretur curae laici Custodis. Cuius rei ratio non una ex causa repetenda videbatur: praeterquam enim enunciati Capellani Moderatorem non habebant, qui gradu et dignitate praecelleret, ex tenuitate insuper stipendii, alibi quaerere cogebantur emolumenta ad decentem sui exhibitionem necessaria. Accedebat numerositas Ecclesiarum et Parochianorum in parvo quidem Oppido cum limitato Parochianorum numero brevibusque circumscripto confinibus,

ex quo non pauca sequebantur incommoda, quae ob curae partitionem in familias adaugebantur in parochiali exercitio, atque in ecclesiastici Coetus detrimentum quandoque refundebantur, maxime cum in loci Clero, paucis exceptis, disciplinae relaxatio deploraretur; quod equidem non tam Clericorum indoli, quam Capitis deficientiae, ac ordinis et disciplinae vitio, tribuendum exponebatur. Quare Episcopus, querimoniis etiam iteratis tum saniorum de Populo, tum Advenarum, Oratorii neglectum demirantium, tum denique Auctoritatum ipsarum motus, proposuit Sacrae Congregationi suppressionem Parochialium, translata Praepositura in insigne Oratorium S. Mariae Gratiarum, cum trium Paraeciarum Subditi numerum 3100 insimul collecti non excederent, ac breves intra fines circumscriberentur, ita ut ab uno facillime Curatore regi valerent, tribus praesertim Vicariis adiuto; hinc petiit, ut unica Parochia constitueretur in digniori Templo ob Populi devotionem prae ceteris eousque frequentato, maiori servitio decoraretur Ecclesia, divinis cultus augeretur, splendidior efficeretur Templi maiestas, gloria Deiparae Virginis illustraretur, ac pia Populi vota implerentur. Necessarium autem videbatur, ut nova Ecclesia Praeposituralis Collegiatae vocabulo et Capellani Canonicorum titulo, cum insigniis finitimarum Collegiatarum, honestarentur. Nam honorifica tantum Collegiata poterat inibi constitui, ex eo quod reditibus certis careret Ecclesia, ac bonis stabilibus, quae ad proprii nominis Collegiatam instituendam requiruntur. Capellani autem titulo Canonicorum insigniti chori servitium ad instar quarumdam Collegiatarum singulis festis diebus etiam abrogatis praestare tenerentur, sub omnimoda Praepositi dependentia. Omnes interesse habentes ac Patroni assensum praestabant.

48. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Episcopi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et pro nunc in genere tantum; et Episcopus enucleatius et per capita exponat recompositionem Cleri Oppidi S. Ioannis, adiecta demonstratione redituum tam Paraeciarum, quam Beneficiorum simplicium, facto verbo cum Sanctissimo – *in Fesulana die 22 Februarii 1856.*

49. Unde si Ecclesia parochialis Matrix, terraemotu diruta, translata modo provisorio fuerit in aliam Ecclesiam magis Populo et Clero commodam, in eadem constituenda est Parochialis, licet post quinquaginta annos nova Ecclesia loco prope antiquam Matricem extructa esset, ea tamen adiecta conditione, ut in festo S. Titularis et in aliis duobus festis Parochus cum Clero ad dictam Ecclesiam recenter extructam accedere teneatur *in Rheginen. Ecclesiae Matricis die 1 Iulii et die 29 Iulii 1837.*

50. Enimvero ingenti exorto terraemotu anno 1783 exaequata solo extitit die 5 februarii Matrix Ecclesia sub titulo purissimae Conceptionis Oppidi Flumariae in regione *di Terra:* quare accedente Regia auctoritate, Clerus, qui in Matrice Ecclesia divina peragebat, una cum Paraecia translatus fuit ad Ecclesiam sodalitiam sub titulo Congregationis S. Rochi, ibique sacram liturgiam absolvit. Aliquot elapsis annis, manus admota est novae Ecclesiae aedificationi in eadem regione *di Terra,* quae tamen dimidium circiter milliarium lapidem a veteri Matrice distabat; et anno 1827, accedente in primis voto ac liberalitate Antonini Corsaro eiusdem Terrae Flumariae, eius sumptibus alacriter prosequuta est ac ad exitum perducta. Unde Benefactor Clerum loci Flumariae iam quinquaginta ab annis ad S. Rochi degentem ad novam Ecclesiam fore restituendum contendit. Et Regius Administer, quem vocabant *del culto*, praemissa topographica novae Ecclesiae lustratione per artis Peritos, ad Rheginensem Archiepiscopum literas dedit die 2 maii 1835, quibus mandavit, ut Clerus seu Communeria Flumariae ad novam Ecclesiam transferretur. Hinc die 27 novembris 1835 Clerus Flumariae, allegato ingenti divini cultus praeiudicio et incommodo Cleri ipsius Ecclesiae, petiit a Summo Pontifice, ut remanere posset in Ecclesia S. Rochi. Archiepiscopus dicto Clero pluribus de causis favit, ea tamen conditione, ut nova Ecclesia esset filialis cum constitutione Oeconomi, qui in ea regione Sacramenta Incolis illius administraret, ac legata ad Communeriam spectantia adimpleret. Unde Archiepiscopi sententiae super Matricitate Congregationi S. Rochi asservanda, iisdem adductis rationibus,

obsequuti sunt, quorum intererat, et Syndicus scilicet Terrae Flumariae et Procurator Communeriae seu Cleri. Nova enim Ecclesia non eadem erat ac antiqua, quia longe quingentis passibus ab illius ruderibus dissita extabat, et quia aedificata erat non quidem voto et expensis totius Universitatis et Communeriae Flumariae, sed unius Presbiteri Antonini Corsaro, qui votum erga Deiparam emissum adimplevit. Neque decorum et aequum esse contenderunt, ut in Sacra Aede nuper extructa Ecclesia Matrix poneretur, cum ea regio perexiguam Populi partem in numero vix centenario contineret, nec non supra rupem et loco inaccessibili posita, maxime incommoda foret pro Parochianis, qui penes Ecclesiam S. Rochi habitabant, nec non pro ipsis Presbiteris Communeriam constituentibus. Accedebat, quod fluentibus prope Aedem ipsam aquis, Sacrarii parietes madescerent magis in dies, et quod extructum Fanum adeo inconcinne et barbare fuerit, ut – per andare nel Coro dalla Sagrestia deve percorrersi una scala di dodici gradini –. Demum, si translatio concederetur, iniuria irrogabatur Ecclesiae S. Rochi, quae quinquaginta tribus ab illinc annis Matricitatis iure, Populo plaudente, fruebatur. Contra Corsaro sustinuit, novam Ecclesiam habendam esse veluti Matricem illius, quae terraemotu fuerat vastata, cum Clerus dirutae Ecclesiae provisorio modo sacra solemnia obiret in Aede Sodalitii S. Rochi, quin haec unquam fuerit Matrix. Nullam autem fidem habendam esse inclamavit iis, quae de Ecclesiae situ et structura in adversum praedicabantur: nam constabat, Ministrum cultus nuperae Ecclesiae, facta topographica inspectione, eam commodam officio suo reperisse. Conclusit, litem hanc bonis omnibus acerbissimam motam dumtaxat fuisse a Presbiteris ipsi Clero addictis, qui prope Congregationem S. Rochi lares habebant, vel a Syndico, qui ideo adversabatur, quod pluribus ab annis Rectoris munere in ipsa Congregatione S. Rochi perfungebatur.

51. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An cui Ecclesiae et quomodo tribuenda sint iura Matricitatis in casu etc. *Et quatenus affirmative favore Ecclesiae Congregationis S. Rochi.* II. An et quomodo providendum sit cultui novae Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis? *Quatenus vero favore novae Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis.* III. An et quomodo consulendum sit Ecclesiae Congregationis S. Rochi in casu? –, Sacra Congregatio die 1 iulii 1838 respondit: – Iterum proponatur in proximam –. Repropositis itaque dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Ecclesiam S. Rochi esse constituendam parochialem. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Archiepiscopi, et quotannis in festo Sanctissimae Conceptionis et in aliis duobus festis ab Archiepiscopo designandis Parochus cum Clero accedere teneatur ad Ecclesiam Sanctissimae Conceptionis. Ad tertium, provisum in primo – *in Rheginen. Ecclesiae Matricis die 29 Iulii 1837.*

52. Itaque Parochus secularis gaudet quidem iure Matricitatis ad formam Decretorum dismembrationum super Ecclesiis dismembratis, sed haud praetendere potest qualitatem Abbatialem ex eo quod antea Abbas Regularis Ecclesiam illius actu regebat, cum praesertim antiquitus etiam Presbiter secularis Parochus eiusdem Ecclesiae fuerit, et ex observantia constet, neminem Parochum secularem, vi eiectis Regularibus, honores Abbatiales habuisse *in Anconitana Iuris honorifici die 7 Iunii 1845.*

53. Siquidem pervetusta prostabat Anconae Paraecia, olim a divo Claudio inde a S. Ioanne Baptista nuncupata, ex quo imperante Summo Pontifice Paulo III sub anno 1546 e Seculari, ut erat, effecta est Regularis, ac Canonicis Lateranensibus concredita. Subinde tamen, eiectis circa annum 1796 ex illo Coenobio praefatis Canonicis, iterum a seculari Presbitero regebatur. Cum autem late pateret nedum per Urbem Anconam, sed etiam per Suburbium et agros praeter Paraeciam a S. Maria Gratiarum, quam subditam a seculo habebat, aliae tres identidem pro Incolarum spirituali utilitate ab ea dismembratae fuerint et erectae Ecclesiae paraeciales, scilicet Ecclesia S. Angeli, et altera S. Mariae Liberatricis sub anno 1798, quarum a Matrice sua divisionem illegitime factam quamvis reprobaverit Sacra Congregatio die 30 aprilis 1803, in posterum tamen indulsit quoad primam ex gratia s.m. Pius VII,

quoad secundam praestitit iuris ordine servato Anconitanus Antistes, servato in utroque casu annuo canone favore Ecclesiae S. Ioannis Baptistae in signum Matricitatis: demum et alia accessit in Ecclesia Sanctissimi Crucifixi, legitima auctorante potestate anno 1836, demandata pariter annua oblatione in reverentiam Ecclesiae Matris. Rebus sic stantibus, Ioannes Martinelli modernus Parochus S. Ioannis Baptistae contendit, eam sibi super praefatis Ecclesiis Matricitatem competere, quae coniunctam haberet qualitatem Abbatialem, nempe Abbatis infulati extrinsecos honores, quibus Abbas Lateranensis decorabatur. Quum enim ipse praedictus Abbas iura parochialia principaliter exercuisset, eadem in modernum Parochum universa obvenisse sustinuit, nempe Abbatialem qualitatem Matricitatis, ex eo quod ille cum Canonicis, vi ac illegitime abire coactus, omnia et singula iura retinebat; quin obesset, quod Ecclesia ex Regulari statu ad Secularem transierit, non enim mutatio haec extrinseca qualitatem Abbatialem et Matricitatis tollere poterat. E contra Curiones dictarum Ecclesiarum dismembratarum propugnarunt, Abbates praedictos, si honoribus usi fuerunt, eos adhibuisse potius qua Superiores Regulares, quam uti Curiones. Namque Parochia non Abbatis personae, sed Monasterio ipsi Lateranensi adhaesit. Nec itaque obesse poterat, quod exercitium iurium parochialium semper a Patre Abbate, vel de eius licentia expletum, cum ei concredita actu cura animarum fuerit, quin necesse esset in eo semper et privative curam etiam habitualem agnoscere. Praeterea antiquitus Paraecia a Presbitero seculari regebatur, quorum ultimus extitit quidam Bonarellius, qui eadem cessit favore Ordinis Lateranensis. Post annum vero 1796 quum Presbitero iterum seculari animarum cura commissa fuit, pacificum erat, neminem Parochum secularem unquam huiusmodi distinctivis usum fuisse. Unde ex huiusmodi observantia evanescebat subrogationis efficacia, cum modernus Parochus non Regularium iuribus esset suffectus, sed parochialibus tantum; cumque Abbatialis dignitas esset probata a Parochiali seiuncta, iam subrogatio non poterat ulteriora iura concedere praeter ea, quibus is erat subrogatus. Idcirco licet paulisper admitteretur, Parochum Martinelli Lateranensium nomine Paraeciam regere, nihilominus id unum semper verum esset, Parochum Regulares repraesentare quoad iura et honores Parochiales, minime vero id praestare, nec praestare posse quoad honores et iura mere Regularia, uti sunt Abbatis insignia.

54. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An constet de iure Matricitatis cum qualitate Abbatiali erga Paraeciam S. Ioannis Anconae super Ecclesiis S. Angeli S. Mariae Liberatricis et Sanctissimi Crucifixi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative quoad Matricitatem ad formam Decretorum dismembrationis; in reliquis, Negative – *in Anconitana Iuris honorifici die 7 Iunii 1845.*

55. Parochi autem Ecclesiarum filialium accedentes ex consuetudine ad Matricem in die Sabbati Sancti ad benedictionem fontis, quae simul est Matrix Collegiata, sedere debent post Canonicos *in Savonen. Iurium parochialium die 28 Februarii 1693 lib. 43 Decretorum.*

56. Quod si huiusmodi Parochi renuerint accedere ad Matricem in die Sabbati Sancti et Pentecostes ad assistendum benedictioni fontis, ignis, aliisque functionibus, possunt cogi iuris remediis *in Ariminen. Iurium parochialium die 10 Ianuarii 1711 lib. 61 Decretorum* (1).

57. Quin imo etiam Parochus Ecclesiae erectae in Collegiatam et titulo Praepositi insignitus tenetur accedere ad Matricem ad accipiendum S. Chrisma, prout tenebatur antequam sua Ecclesia in Collegiatam erigeretur, et ipse titulo Praepositi esset insignitus *in Florentina Praeeminentiae die 27 Ianuarii 1691 lib. 41 Decretorum.*

58. Hinc et in facienda solemniter processione Corporis Christi servare debet Decretum editum ab Archiepiscopo *in Florentina Functionum die 3 Iunii 1690 lib. 40 Decretorum.*

Item *die 19 Aprilis 1692 lib. 42 Decretorum.*

59. Quum itaque Archipresbiter Ecclesiae Parochialis probaverit, Parochum alterius Ecclesiae sacro Baptismatis Fonte carere, et Infantes in huius Parochia ortos in Archipre-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Benedictio*, §. III, n. 114 ad 119, Tom. III.

sbiterali Ecclesia baptizari, nec non dictum Parochum ab eadem Archipresbiterali Ecclesia Sacra Olea accipere, Sacra Congregatio declaravit, praefatam Ecclesiam Archipresbiteralem esse Matricem ad effectum, de quo agebatur, ita ut huiusmodi Parochus vel per se, vel per alium teneretur interesse benedictioni Fontis baptismalis die Sabbati Sancti et Pentecostes, nec non iuxta Constitutiones Synodales ab Archipresbitero S. Patrignani accipere Olea Sacra, quin obesset, quod Ecclesia parochialis per concursum conferri soleret *in Ariminen. Praeeminentiarum die 28 Iulii 1731.*

60. Enimvero in Synodo habita anno 1724 ab Emo De Via, tunc Episcopo Ariminensi, constitutum fuit, rurales Parochos convenire per se ipsos ad Archipresbiteralem Ecclesiam Matricem S. Patrignani debere in solemni renovatione Fontis baptismalis, tam sabbato maioris hebdomadae, quam sabbato ante Pentecosten, nec non adire eamdem Ecclesiam Matricem, Sacra Olea accepturos. Huic legi subiectum se minime esse contendit Parochus S. Laurentii in Corregiano: sed Curia Episcopalis decrevit manutentionem in possessione Matricitatis favore praefatae Ecclesiae Archipresbiteralis. Unde, re delata ad Sacram Congregationem, Archipresbiter S. Patrignani ad probandam Matricitatis praerogativam docuit, sacro Baptismatis Fonte carere Ecclesiam S. Laurentii, et Infantes in ea Parochia ortos aspergi salutis aqua consuevisse in Ecclesia S. Patrignani, sacrum itidem Oleum, quo aegrotantes in exitu vitae inunguntur, Parochum S. Laurentii accipere non aliunde solere, quam ab Archipresbitero S. Patrignani, ut constabat ex testificatione aliorum Parochorum, et ex libro dictae Archipresbiteralis Ecclesiae; et hoc quidem factum erat ad normam plurium Synodalium Constitutionum, quibus cautum fuit, Archipresbiteros distribuere debere sacra Olea singulis Curatis, in suo Plebanatu existentibus, Parochus vero S. Laurentii ad excludendam qualitatem filialem suae Ecclesiae et Matricitatem alterius Ecclesiae S. Patrignani, adduxit, quod ipsa parochialis Ecclesia S. Laurentii conferri solebat in titulum et praevio concursu, absque ulla dependentia ab Archipresbitero S. Patrignani; quod in dicta Ecclesia S. Laurentii concio haberi consuevit omnibus diebus festis quadragesimae et solemnis processio in anniversaria celebritate Sanctissimi Corporis Christi; quod Parochus S. Laurentii, dum anno 1724 aliisque sequentibus annis interfuit functionibus ab Archipresbitero S. Patrignani gestis die Sabbati Sancti, protestatus fuit, se id facere citra obligationem, et absque animo irrogandi detrimentum ullum suae Ecclesiae.

61. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Ecclesia Archipresbiteralis S. Patrignani sit Matrix respectu Ecclesiae S. Laurentii in Corregiano? II. An Archipresbiter dictae Ecclesiae S. Patrignani cogere possit Rectorem S. Laurentii in Corregiano ad interessendum benedictioni Fontis baptismalis die Sabbati Sancti et Pentecostes, nec non ad recipienda Olea Sacra? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad effectum, de quo agitur. Ad secundum, quoad primam partem, Parochum S. Laurentii teneri vel per se vel per alium; quo vero ad secundam partem, quae respicit Olea Sacra, serventur Constitutiones Synodales – *in Ariminen. Praeeminentiarum die 28 Iulii 1731.*

62. Unde postquam Sacra Congregatio declaraverit, haud constare de Matricitate, sed de specie dumtaxat superioritatis Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae Oppidi Novarum quoad Ecclesias Parochiales Sanctorum Petri Andreae et Nicolai, proposito dubio: – VI. An competat Ecclesiae Collegiatae ius recipiendi ab Ordinario Oleum Sanctum, illudque privative distribuendi et consignandi Parochis? –, Sacra Congregatio die 3 decembris 1718 responsum tulit: – Ad sextum, Affirmative arbitrio tamen Episcopi –. Reproposito dein dubio sub formula: – An et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis die 3 decembris 1718? –, respondit: – Standum esse in decisis – *in Derthonen. Iurium parochialium die 7 Decembris 1720.*

63. Idcirco Parochus Ecclesiae filialis nedum tenetur interesse die Sabbati Sancti lustralis aquae benedictioni, sed nec ipsi ius est pulsandi campanas, antequam sonitum det Ecclesia Matrix *in S. Miniatis die 13 Februarii 1745* §. *Tertio.*

64. Iamvero in Constitutione Leonis X *Cum intra* solemnibus verbis inhibetur, ne

aliis liceat Ecclesiis, etiam Apostolico privilegio munitis, in Sabbato Sancto pulsare campanas, antequam signum dederit Cathedralis vel Matrix; quam inhibitionem innumeris sancivit resolutionibus Sacra Rituum Congregatio, ac praesertim in Decreto Generali 10 decembris 1703 ad nonum dubium *in Anglonen. et Tursien. Iurium et Servitii Chori die 31 Iulii 1852* §. *Ex quibus.*

65. Si vero Ecclesia filialis erecta fuerit in Cathedralem et Ecclesia Matrix in Collegiatam, et in actu erectionis Summus Pontifex eidem tribuerit facultatem pulsandi campanas in Sabbato Sancto, haud expectato signo Cathedralis, ac exemptionem concesserit non accedendi ad quascumque processiones, manuteneri debet praefata Ecclesia Collegiata in huiusmodi privilegiis, cum praesertim accedat consuetudo et res iudicata, atque campanae unius Ecclesiae ab altera non audiantur *in Anglonen. et Tursien. die 31 Iulii 1852.*

66. Siquidem diruta et ruinis ac vastationibus pene destructa perantiqua Angloni Civitate, tribus abhinc seculis et ultra Sedes Episcopalis cum Capitulo Cathedralis Ecclesiae in Oppidum seu Civitatem Tursii, quae iampridem Episcopali Cathedra extiterat insignita, fuit rite translata, anno scilicet ab Incarnatione 1546, cumulativa tituli Episcopalis Anglonensis et Tursiensis nuncupatione retenta. Tribus constabat Tursica Civitas parochialibus Ecclesiis, quarum erat antiquior et Matricitatis honore fruebatur Ecclesia S. Mariae Maioris in regione vulgo *della Rabatana,* vox ab hebraico vocabulo derivata, quod latino idiomate Magistram sonat; ex duabus autem reliquis una sub invocatione S. Archangeli Michaelis in regione vulgo *Del Casale,* altera sub titulo Beatae Mariae Virginis ab Angelo salutatae in separata regione vulgo *del Vallone* venerabatur. Has inter Ecclesiam S. Michaelis sibi Capitulum Cathedralis elegit, in qua divina officia et canonicales functiones expleret, firma tamen obligatione Canonicorum certis anni solemnioribus diebus vetustam Cathedralem Civitatis Angloni collegialiter adeundi, ibique divina officia persolvendi, ita ut haec proprium servaret Cathedralitatis titulum et praerogativam, subrogata tantum Ecclesia S. Michaelis in Civitate Tursii ad maiorem tum Episcopi, tum Canonicorum commoditatem. In huiusce vero translationis exordio turbae illico et dissidia inter regionarios sunt excitata, ac praesertim inter Incolas et Parochianos regionis *della Rabatana,* eosque, qui duas alias eiusdem Civitatis regiones incolebant, *del Casale* nimirum et *del Vallone.* Quare factum est, ut Antistes illius temporis Elvinus, qui Thesaurarii Generalis munere fungebatur in Urbe, ad dirimendas exortas contentiones et scandala, quae exinde manare potuissent, praecavenda, duo sibi constituenda proposuit, transferendi videlicet Capitulum Cathedralis in alteram Ecclesiam Beatae Mariae Virginis ab Angelo salutatae dicatam, quam et in praesens retinebant Canonici sub appellatione Ecclesiae Cathedralis; simulque Ecclesiam S. Mariae Maioris in secularem Collegiatam erigendi, cum peculiaribus honoribus et privilegiis, quae sane praestitit per patentes literas diei 19 iunii eiusdem anni 1546 datas Romae extra portam S. Angeli. Eorumdemque Collegiatam sic erectam cum omnibus honoribus insigniis et privilegiis Auctoritate Apostolica ratam habuit et confirmavit s. m. Paulus III, expeditis Apostolicis Literis Perusio eodem anno 1546 decimo kalendas octobris. Ita compositis rebus in Civitate Tursii, omnia per saeculi spatium circiter pacifice processerunt, cum vertente anno 1644 Praepositus et Canonici Collegiatae Ecclesiae de Rabatana supplices adstiterunt coram Pontifice Maximo, conquerentes, quod a Canonicis Cathedralis Ecclesiae molestabantur – in possessione pulsandi campanas die Sabbati Sancti, quando voluerint, et non accedendi ad processiones, quae fiunt ab Ecclesia Cathedrali –. Summus Pontifex rei cognitionem S. Rotae delegavit, quae die 7 decembris 1644 mandatum per R. P. D. Arguelles edidit de nihil attentando vel innovando in praeiudicium iurium reclamantium. Et quoniam inhibitoriali non obstante praefato mandato molestiae per Capitulum Cathedralis perseverabant, novum die 19 iulii 1647 e S. Rotae Tribunali prodiit inhibitionis mandatum tam contra Maioris Ecclesiae Canonicos, quam adversus Curiam ipsam Episcopalem, quo districte praecipiebatur, ut nihil in praeiudicium iurium Col-

legiatae innovaretur sub attentati labe rigorose purganda, facta tamen potestate tam Curiae Episcopali, quam Capitulo Cathedralis S. Tribunal adeundi, si quid contra iura Collegiatae haberent, quod possent opponere. Productis in Curia Episcopali postremis hisce inhibitionum mandatis, hoc edidit Episcopus in illarum executionem Decretum die 10 iunii 1648: - Suspensis Decretis latis in sacra visitatione, et Constitutionibus Synodalibus respectu Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Maioris Civitatis Tursii, manuteneantur prout manuteneri mandatur Capitulum et Clerus dictae Ecclesiae Collegiatae in possessione, in qua reperiebantur antea et ad praesens reperiuntur, pulsandi campanas in die Sabbati Sancti et non accedendi ad processiones tam generales, quam particulares, servata forma Bullae felicis recordationis Pauli III, ac pro observantia Literarum inhibitorialium S. Rotae Urbis praesentatarum: verum si Ecclesia Cathedralis aliquid praetendit, adeat dictam S. Rotam, servata forma dictarum inhibitorialium, et ita per omnia etc. -. Post haec siluit omnino Capitulum Ecclesiae Cathedralis, et Collegium S. Mariae Maioris mansit in pacifica possessione pulsandi campanas die Sabbati Sancti, vel ante, vel post Ecclesiam Cathedralem pro lubitu et commoditate, nec non abstinuit accedendo processionibus sive generalibus, sive particularibus aliisque extraordinariis functionibus simultanee cum Capitulo peragendis, quin ulla daretur molestia per seculum et ultra. Nova tamen excitata est controversia circa sonitum campanarum anno 1767, quae per Regiam Auctoritatem favore Collegiatae, visis Literis erectionis et consuetudine inspecta nec non attenta distantia unius ab altera Ecclesia, ita ut ratione situs campanae Collegiatae non audirentur ab Ecclesia Cathedrali et vicissim, finita extitit. Res inde pacifice procedebant: sed anno 1850 novum iurgium exarsit.

66. Re ad Sacram Congregationem delata, Capitulum Cathedralis contendit, Collegiatam S. Mariae Maioris ex Constitutione Leonis X *Dum intra* non posse pulsare campanas in Sabbato Sancto, antequam signum dederit Ecclesia Cathedralis, quin iuvari posset Collegiatae Capitulum exceptione Matricitatis propriae Ecclesiae supra omnes alias eiusdem Civitatis, quia inferior Ecclesia in Cathedralem erecta, ob status mutationem, privilegium et praerogativam honoris acquirit, ut diserte tradit Ursaya discept. 13 tom. 5. part. 2, et Pitonius discept. 106 part. 3. Eoque minus invocare licebat Collegiatae privilegium Bullae erectionis, quae vitio obreptionis et subreptionis praeprimis insimulabatur, cum Pontifex absque causae cognitione processit, ceu ex verbis eiusdem Bullae deprehendebatur, in quibus dicebatur - verbo seu forsan in scriptis inter se concordarent -, ubi vocabulum - forsan - satis indigitabat, Pontificem plenam causarum non habuisse notitiam, ac motum fuisse ad concessionem, ex calamitosis temporum vicissitudinibus et potentia Principis Salernitani ferme compulsum. Deinde ex revocatione omnium privilegiorum per Constitutionem Pii IV *In Principis Apostolorum* privilegia et exemptiones, si quae ex Paulinis literis haberentur, penitus evanuisse, iuxta mentem Sacri Concilii Tridentini, non erat inficiandum. E contra Capitulum Collegiatae de Rabatana admisit quidem, Capitulo Cathedralis praeeminentiam et honorem de iure communi competere; sed in themate agebatur de peculiari exemptionis privilegio, cuius vi per Literas Apostolicas erectionis Collegiatae Capitulum independens omnino ab altero Cathedralis effectum est, et ab huius superioritate prorsus subtractum; quod gravibus de causis tum Episcopus Elvinus, qui Collegiatam erexit, tum Pontifex Paulus III, qui illam confirmavit, profecto praestiterunt. Translatio quippe Cathedralis in Civitatem Tursii et Capituli collocatio in altera ex inferioribus et filialibus Paraeciis iustam porrexit causam ad honorem Collegiatae Ecclesiam Matricem et perantiquam de Rabatana cum peculiaribus iuribus et privilegiis evehendi, quod tantum Civium dissidentium animos non leviter indignatos sedare potuit, atque ad optatam pacem componere. Huiusmodi vero privilegia et exemptiones ab ipso erectionis exordio constabat fuisse per facta solemnia luculentissime declaratas. Nam facultatem pulsandi campanas vel ante, vel post sonitum Cathedralis non modo per exemptionem a superioritate Ca-

thedralis Bullae Pontificiae virtute exercebat Capitulum Collegiatae, sed etiam qua Matrix Ecclesia aliarum omnium Civitatis, cuius iura suffocare non potuerunt per inferioris Ecclesiae mutationem. Status enim eiusmodi mutationis nullum inducit praeiudicium iuribus Ecclesiae Matricis, absque expressa Pontificis derogatione, ceu notat Gratiani in discept. forens. 578 tom. 3 n. 1, et de depulsatione campanarum expresse tradit idem Auctor ibidem n. 17: - quo vero ad alia dicendum est, illa spectare ad Ecclesiam Matricem, prout obedientia pulsationis campanarum in die Sabbati Sancti –, ubi allegat Bullam Leonis X superius citatam; in qua huiusmodi honor praeservatur Cathedrali vel Matrici –; ita ut huius Bullae virtute cumulativa facultas agnoscenda esset in Collegiata Matrice et Cathedrali Ecclesia Tursiensi. Alia quoque concurrebat ratio, cur Ecclesiae Collegiatae facultas huiusmodi competeret, ob distantiam scilicet a Cathedrali, propter quam campanae unius Ecclesiae ab altera non audiebantur: quo casu cessare prohibitionem factam Ecclesiis quoque minoribus pulsandi campanas ante signum maioris Ecclesiae, ceu tradit de Ecclesiis Regularium Ferraris verb. *Campana* n. 15, ubi ex sententia sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium in Surrentina 16 iulii 1601, et in Thelesina 16 februarii 1622 limitatur dispositio praecitatae Bullae Leonis X hisce verbis, - nisi consuetudo in contrarium esset legitime praescripta, vel Ecclesiae multum distarent –. Hisce omnibus cumulum imponebat amplissima res iudicata Curiae Episcopalis anni 1648, tum quoad pulsationem campanarum, tum quoad processiones, quin Capitulares Cathedralis huiusmodi iura pertentare valerent, ex inepta praesertim ratione a clausulis generalibus Bullae Pii IV derivata.

67. His utrinque perpensis proposito dubio: – I. An et quomodo Praepositus et Canonici Collegiatae sint manutenendi in possessione pulsandi campanas, haud expectato signo Cathedralis, in Sabbato Sancto, et non accedendi ad processiones tam generales, quam particulares, sive ordinarias, sive extraordinarias in casu? -, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus – *in Anglonen. et Tursien. die 31 iulii 1852.*

68. Alias nec dubium, quin Ecclesia exerceat iura Matricitatis in alias Ecclesias in suo solo erectas *in Romana Matricitatis die 27 maii 1809* §. *Hinc.*

69. Unde si Ecclesia exempta fuerit, resoluta exemptione, iura Matricitatis reintegrantur, et praecipue iura quoad fontem baptismalem *in Romana Matricitatis die 27 maii 1809* §. *Ex his.*

70. Idcirco Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium anno 1854, post destructam Ecclesiam filialem S. Ioannis *in mica aurea,* et post quinquaginta annos non exercitorum iurium Matricitatis, decrevit, per reaedificationem eiusdem Ecclesiae cura Patrum Infirmis ministrantium, revixisse iura omnia Matricitatis favore Basilicae Transtyberinae, utpote quae conservata interim fuerant virtualiter *in Romana Iuris Matricitatis die 27 Augusti 1859* §. *At.*

71. Namque Matricitatis iura adeo ipsi sunt Ecclesiae infixa, ut, tametsi Populum amittat, ea retineat, , Pecch. de eccles. reparat. cap. 35, et plene Amostaz de caus. priv. cathed. cap. 9 a n. 71 *in Comen. Translationis die 19 iulii 1766* §. *Cetera.*

72. At ut vera ac propria Matricitas probetur, non quaelibet satis est Matricitas, sed ea necessaria est, quae perpiscue indigitet, Ecclesiam olim extitisse parochialem, atque in eius adiutorium per viam dismembrationis tamquam e sinu Matris aliam subiectam et filiam erectam aedificatamque fuisse, Covarr. var. res. cap. 36 n. 10, Rebuff. de decim. quaest. 6 n. 71, Rota coram Caprara decis. 324 a n. 3, coram Crispo decis. 28 a n. 12, et in Comen. funerum 17 aprilis 1752 §. 12 coram Card. Matthaeio *in Maceraten. Iurium parochialium die 14 Martii 1778* §. *Causa.*

73. Simplex enim denominatio Matricis referri potest ad impropriam illam et abusivam Matricitatis speciem, quae meram dignioritatem importat, Card. De Luca de decim. disc. 12 n. 13, Scarfanton. ad Ceccoper. elucubrat. can. lib 4 tit. 11 n. 3 tom. 1, et in addit. 22 n. 4 a n. 41 tom. 3, et Rot. in Caputaquen. Praeeminentiarum 25 iunii 1756 §. 3 ad 14, et per totum coram Stadion, nullate-

nus vero evincit strictam et propriam Matricitatem *in Maceraten. Iurium parochialium die 14 Martii 1778* §. *Illa.*

74. Unde huiusmodi Matricitas probari debet, iuxta Textum in L. 2 de probat, et L. *Actor* Cod. eodem titulo *in Cassanen. die 30 Maii 1767* §. *Parochus.*

75. Quando itaque Ecclesia impropria polleat Matricitate, ac leges provinciales et diaecesanae, quae inter impropriam et propriam non distinguunt Matricem, intelligendae sunt de propria, cui dumtaxat competit Matricis iurium privativa; impropria enim Matricitas subiectionem non inducit, Pignatell. consult. 109 n. 2 tom. 9. Rot. in Cassanen. Iurium parochialium et praeeminentiarum 6 iunii 1707 §. Et licet coram Caffarellio *in Derthonen. Transactionis die 18 Augusti 1787* §. *Enixe.*

76. Hinc quaenam sint argumenta Matricitatis, sive propriae sive impropriae, atque etiam quinam sint effectus consectarii, fuse discussum fuit a S. Rota in Bisinianen. Praeeminentiarum die 10 februarii 1710 coram Ansaldo, et in Trauen. Praeeminentiarum super reservatis 3 iunii 1715 coram Scotto *in Ariminen. Praeeminentiarum die 7 Iulii 1731* §. *Quaenam.*

77. Siquidem in significatione minus propria seu abusiva Ecclesia Matrix quandoque appellatur ea, quae comparatione inita cum aliis eiusdem loci Ecclesiae vel antiquitate praestat, vel aliis honorificis praerogativis pollet, adeo ut dignitate quidem vincat alias, non tamen istae sint ei subiectae tamquam filiales, ut distinguit Card. De Luca de decim. disc. 12 n. 12 et 13, Rota decis. 28 a n. 11 coram Crispo *in Ariminen. Praeeminentiarum die 7 Iulii 1731* §. *Porro.*

Item *in Senogallien. Praeeminentiarum die 12 Decembris 1778* §. *Matricitas; in Comen. Translationis die 19 Iulii 1766* §. *Cetera; in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *In quaestionem; in Policastren. Praeeminentiarum die 3 Augusti 1833* §. *Quod.*

78. Quando enim Matris titulo decoratur parochialis aliqua Ecclesia ob antiquitatem, aut quamlibet honoris praeeminentiam, in isto casu minus proprie Matricis nomen usurpatur, et rectius Ecclesia Maior aut Prima nominatur, in qua solemniores functiones celebrantur, et ad quam aliarum Ecclesiarum Ministri debent accedere, Card. De Luca de praeem. disc. 42 n. 12, de decim. disc. 12 n. 12 et 13 *in Balneoregien. Iurium parochialium die 23 novembris 1771* §. *Aiunt.*

79. Unde in his utique terminis regula iuris est, quod ad probandam Matricitatem secundae speciei, resultantem ex maioritate et dignioritate Ecclesiae, satis sit, quod praecisive etiam ab erectione fundatione vel cuiusvis tituli exhibitione concurrant indicia vehementia coniecturae et argumenta maioritatem et dignioritatem alicuius Ecclesiae comprobantia, ad Textum in Cap. *Postulasti* de iurepatronatus, Barbos. in ius eccles. univ. lib. 2 cap. 6 n. 5 et 14, et de can. et dignit. cap. 2 n. 9, Pignatell. consult. 109 n. 3 tom. 9 *in Senogallien. Praeeminentiarum die 12 Decembris 1778* §. *In his.*

80. Namque Matricitas impropria leviores exigit probationes, Cap. *Postulasti* de iurepatronatus *in Ferentina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797* §. *Rem.*

Item *in Fulginaten. Fontis Baptismalis die 20 Novembris 1824* §. *Matricitatem.*

81. Qua de re probatur Matricitas Ecclesiae, si haec sit liberae collationis Summi Pontificis, et alia subiecta extet provisionalibus et nominationibus Emi Abbatis Commendatarii: subiectiva enim qualitas Parochialis Ecclesiae signum Matricitatis inductivae favore alterius Ecclesiae liberae collationis constituere firmat Anton. de Butr. in Cap. *Per tuas* de maiorit. et obed., Gratian. discept. for. cap. 845 n. 41, Rota decis. 121 n. 6 coram Ratto *in Senogallien. Praeeminentiarum die 12 Decembris 1778* §. *Praeterea.*

82. Matricitatem pariter ostendunt sacrae Visitationes ab Episcopis semper inceptae ab una Ecclesia tamquam maiori et digniori, iuxta censuram Textus in Cap. 1 de censibus in 6, Pax Iord. elucubr. can. tom. 2 lib. 7 tit. 1 n. 106, Rot. coram Ratto decis. 121 n. 7 et 8, et in Caputaquen. Praeeminentiarum 25 iunii 1756 §. 13 et 14 coram Stadion; nec non collatio sacri Chrismatis ab eisdem Episcopis peracta in eadem Ecclesia, nunquam autem in alia, Rota decis. 518 n. 14 coram Ansaldo, et decis. 121 n. 7 coram Ratto *in Senogal-*

lien. Praeeminentiarum die 12 Decembris 1778 §. *Ulterius.*

83. Hinc et ius omnibus loci Ecclesiis indicendi silentium in feria quinta, simul ac antepulsandi campanas in die Sabbati maioris hebdomadae, ut fieri solet a Cathedralibus a Matricibus a Maioribus et dignioribus Ecclesiis, quemadmodum ex resolutionibus S. R. Congregationis retulit Barbosa in ius eccles. univ. tom. 2 lib. 3 cap. 3 n. 60, Pignatell. consult. 109 n. 8 tom. 9, et ex famigerata Constitutione Leonis X tradit Rota in Caputaquen. Praeeminentiarum 25 iunii 1756 §. 14 coram Stadion, et prius firmaverat Rota coram Ansaldo decis. 518, et coram Ratto decis. 121 utrobique n. 15 *in Senogallien. Praeeminentiarum die 12 Decembris 1778* §. *Ulterius.*

84. Iamvero inhaerens dispositioni Concilii Lateranensis V, Leo X in Constitutione, quae incipit *Dum intra* §. 12 sic statuit: – Ut debitus honor Matrici Ecclesiae reddatur, tam ipsi Fratres, quam alii Clerici seculares, etiamsi super hoc Apostolicae Sedis privilegio muniti, die Sabbati Maioris hebdomadae, antequam campana Cathedralis vel Matricis Ecclesiae pulsaverit, campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint, contrafacientes poenam centum ducatorum incurrant – *in Senogallien. Praeeminentiarum die 27 Martii 1784* §. *Cum.*

85. Itemque Matricitas evincitur ex praeeminentia ducendi processiones rituales, nimirum primam et tertiam Rogationum, Sanctissimi Corporis Christi, omnesque alias publicas, quae tam ex publica causa, quam ex devotione fiunt a Sodalitiis loci, quae omnes incipiunt et absolvuntur in una Ecclesia, tamquam maiori et digniori loci Ecclesia, Barbos. in sum. apost. decis. collect. 606 n. 2, Nicol. elucubrat. can. tom. 2 lib. 3 tit. 41 de celebrat. miss. n. 24, Rot. coram Ratto decis. 121 n. 18, et in Caputaquen. Praeeminentiarum 25 iunii 1756 §. 14 coram Stadion *in Senogallien. Praeeminentiarum die 12 Decembris 1778* §. *Itemque.*

86. Unde nedum filiatio Ecclesiae erga Matricem comperta evadit, si documenta ad eam probandam in promptu habeantur, quin obstet, quod Summus Pontifex illius usum postea alteri tribuerit, sed nec correspectivi Matricitatis actus in dubium revocari poterunt, si adsit documentum satis validum, licet per longissimum temporis spatium nunquam iidem fuerint exerciti, nullum tamen tributum solvendum est, cum desit probatio huiusmodi oneris Ecclesiae filialis *in Romana Iuris Matricitatis die 27 Augusti 1859.*

87. Enimvero Ecclesia SS. Rufinae et Secundae de Urbe iam tum ab anno 1123 uti filialis Ecclesiae S. Mariae Transtyberim perhibebatur ex Brevi Callixti Papae II, quod eo anno datum est Cardinali Titulari huius Basilicae, quodque confirmatum est a Callixto III anno 1457. Dein anno 1572 Gregorius XIII per Breve *Dispensante clementia* ad augendum nimis exiguum numerum Beneficiatorum Basilicae Transtyberim, inter alias eius Parochias filiales, suppressit et illam SS. Rufinae et Secundae, atque omnia bona pariter massae communi Beneficiatorum perpetuo univit. At sub die 1 octobris anni 1601 Beneficiatorum Collegium statuit vendere domum adnexam praefatae Ecclesiae nec non cedere ipsam Ecclesiam ea conditione, ut pro Ecclesia solveret libras quinque cerae albae elaboratae nec non susciperet onus celebrandi unam Missam in eadem Ecclesia singulis diebus festis. Nihilominus in publico instrumento venditionis ne verbum quidem excidit, sive de cessione Ecclesiae, sive de onere cerae annuatim rependendae. Hinc nosci nequibat quonam modo Francisca Monciaux Gallicana cum aliquibus asseclis Ecclesiae S. Rufinae usum habuerit. Illud certe constabat ex Brevi Pauli V, anno 1611, Moniales Ecclesiae usum possidere de Apostolica licentia, et a Beneficiatis quoad usum hunc molestias passas fuisse, illumque liberum a Summo Pontifice redditum. Anno 1640 per aliud simile Breve Urbani VIII molestias Parochi Basilicae evitarunt, et ab eius iurisdictione spirituali ac temporali subtractae sunt. Ob Monialium autem defectum subinde Gregorius XVI anno 1831 novo Ordini a Sanctissimo Corde Iesu appellato Monasterium ipsum Apostolica Auctoritate perpetuo concessit, atque omnia eius bona adiunxit. Ita res processerunt, cum anno 1856 Capitulum S. Mariae Transtyberim a novis Monialibus Sanctissimi Cordis Iesu petiit canones non solutos in annuis libris quinque cerae albae pro cessione Ecclesiae filialis, nec non ius canendi Missam in eadem Ecclesia

die sacra Sanctis Titularibus sibi competere contendit. Nam extra omnem dubitationis aleam constare dixit de filiatione nec non de correspectivis Matricitatis actibus remoto usque aevo in ea exercitis, tum ex antiquissimo Brevi Callixti II et III, tum ex attestatione anni 1660, quam dicunt ad perpetuam, qua Capitulum iure pollebat celebrandi Missam solemnem in praefata Ecclesia die sacra S. Rufinae. Nec quidquam innovatum fuerit contra ius hoc Matricitatis vel per memoratum Breve Pauli V, vel per illud Urbani VIII anni 1640, vel per Breve Gregorii XVI, qui licet integrum Monasterium et bona omnia praefatis Monialibus tribuerit, effectus tamen iuris effugere haud posse sustinuit cum onere suo et cum omnibus qualitatibus sibi insitis. Unde cum titulus omnino deficeret, imo certus titulus dignosceretur vitiosus, omnis bona praesumptio de titulo meliori de mundo ad praescribendum penitus cessabat. Nec adesse videbatur bona fides, quia putavit, cessionem Ecclesiae factam fuisse cum pactione canonis rependendi. His omnibus addidit, ad praescribendum contra ius Matricitatis requiri titulum prorsus specialem, quia ius istud proprium et originarium erat favore Basilicae. Praetensae autem praescriptioni seu observantiae haudquaquam opitulari posse affirmavit negligentiam et omissionem Capitularium in canone exigendo et Missa celebranda, tralatitium cum sit, quod Antecessorum negligentia nequaquam praeiudicare valet iuribus Successorum iure proprio venientium. Praeterea huiusmodi praescriptio reduci videbatur ad merum non usum iuris: at actus facultativi etiam per mille annos omissi praescriptionem non inducunt favore tertii. Moniales contra probarunt, nullo unquam tempore intercessisse pactionem de rependendo annuo cerae canone, teste instrumento venditionis domus. Quin imo Paulus V prohibuit, ne Beneficiati – super usu dictae Ecclesiae S. Rufinae sub quovis praetextu vel quovis quaesito colore perturbare aut inquietare - ulterius auderent. Inde, cum titulus et initium huiusce usus inter seculorum tenebras delitesceret, iam ex hoc ipso plusquam centenaria praescriptione sese peremptorie tueri existimarunt. Nec Canonici cohonestare poterant omissionem exigendi canonis cerae et celebrationis officiorum per actus facultativos: responderunt enim, hos actus non fuisse intermissos, sed a possessione Monialium nunquam inchoatos. Insuper perperam dicebantur facultativi actus, quos nullum ius erat Capitulo exercendi, quia pactio canonis nunquam in rerum natura extitit; celebratio divinorum officiorum interdicta fuerat ex Brevi Pauli V. Hinc habebatur prohibitio ex parte unius, et acquiescentia ex parte alterius, quod destruebat quoscumque actus facultativos, validioremque reddebat observantiam. Attestationem autem quod attinebat anni 1660 obesse potius Capitulo observarunt. Praeterquamquod enim ex tribus ibidem deponentibus unus tantum erat Capitulo ipsi extraneus, animadverterunt, ibi loqui tantum de usu indeterminato et anteriori Brevi Pauli V. Cum tamen quoad tempus subsequens nullum eiusdem exercitii documentum proferretur, praesumptio validissima exurgebat, illud fuisse peremptum.

88. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An constet de filiatione Ecclesiae SS. Rufinae et Secundae erga Matricem S. Mariae Transtyberim in casu? II. An praefatae Ecclesiae Matrici rependi debeat a Monialibus SS. Rufinae et Secundae annuum tributum quinque librarum cerae albae, et Capitulo competat ius canendi Missam in earum Ecclesia die SS. Titularibus in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative quoad tributum, Affirmative quoad Missam – *in Romana Iuris Matricitatis die 27 Augusti 1859.*

89. Nisi vero luculenter probetur Matricitas, Sacra Congregatio resolutionem differt, ad effectum coadiuvandi probationes; quandoquidem quum Ecclesiae S. Catharinae et S. Mariae Graecorum Terrae Caggiani contendissent, se esse independentes ab Ecclesia Archipresbiterali Sanctissimi Salvatoris, propositis dubiis: – V. An Ecclesiae S. Catharinae et S. Mariae Graecorum sint independentes ab Ecclesia Archipresbiterali Sanctissimi Salvatoris, sive potius filiales? *Et quatenus negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* VI. An Archipresbiter Caggiani possit in illis functiones parochiales peragere, eoque impedito, alium deputare in casu etc.

VII. An possint asserti Parochi dictarum Ecclesiarum extrahere fides ab eorum libris parochialibus, sive potius dicta extractio competat soli Archipresbitero in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad quintum sextum et septimum, dilata; et coadiuventur probationes hinc inde – *in Satrianen. Iurium parochialium die 17 Novembris 1736.*

90. Idcirco quum controversia inter Dominicum Fugonam Archipresbiterum Ecclesiae S. Stephani et Gandulphum Gandulphium Rectorem Ecclesiae S. Mariae Nazareth aliosque aliarum Ecclesiarum Rectores controversia orta esset quoad Matricitatem, proposito dubio: – II. An constet de Matricitate Ecclesiae Plebanae S. Stephani Sigestri saltem pro nunc quoad praeeminentias honorificas in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, dilata; et extrahantur documenta, citatis Partibus – *in Brugnaten. Plebanatus et Praeeminentiarum die 20 Novembris 1745.*

91. Quum autem in Oppido Novarum Derthonensis Diaecesis adessent Ecclesiae parochiales Sanctorum Petri Andreae et Nicolai, atque adesset etiam Ecclesia Collegiata, exorta inter alias etiam controversia quoad Matricitatem aut speciem Superioritatis, proposito dubio: - I. An constet de Matricitate Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae Novarum, seu potius de alio titulo aut specie Superioritatis? –, Sacra Congregatio die 3 decembris 1718 responsum dedit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam –. Reproposito dein dubio sub formula: - An et in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis die 3 decembris 1718? –, Sacra Congregatio respondit: - Standum esse in decisis – *in Derthonen. Iurium parochialium die 7 Decembris 1720.*

92. Quin imo licet ex pluribus enunciativis Ecclesia Matrix videretur, nihilominus Sacra Congregatio declaravit, constare tantum de Maioritate *in Aquen. Praeeminentiarum et iurium parochialium die 8 Martii 1732.*

93. Siquidem in Castello Mombarutii tres erant Ecclesiae parochiales, prima scilicet S. Mariae Magdalenae dicata, cui praeerat Rector decoratus titulo Archipresbiteri, altera S. Antonio sacra, et tertia S. Martiano. Distinctae autem erant Parochiae, non per certos locorum fines, sed per familias. Quaenam ex tribus hisce Ecclesiis praerogativa Matricitatis proprie potiretur, non satis legitime constabat. Communis tamen existimatio, pluribus fulcita argumentis atque indiciis, favebat Ecclesiae S. Mariae Magdalenae. Matrix quippe appellata fuit, tum in Visitatione pastorali facta anno 1650, tum in tribus Synodalibus Decretis editis anno 1654 1679 1699, tum in sententia per Episcopum lata anno 1697. Adstipulabatur itidem, quod in porticu eiusdem Ecclesiae praefixa conspiciebatur inscriptio ad recolendam anniversariam dedicationis memoriam, expresso ibidem titulo Matricitatis; ut etiam talis enuntiata fuit haec Ecclesia anno 1683 in publico Universitatis consilio. Matricem denique Ecclesiam istam appellarunt ipsi etiam ceterarum Ecclesiarum Rectores in supplici quodam libello, quem anno 1706 obtulerunt Episcopo, circa delationem stolae in processionibus. His autem perpensis, proposito dubio: – I. An constet de Matricitate, vel Maioritate Ecclesiae S. Mariae Magdalenae Montis Barutii et respective ad filiationem vel subordinationem Ecclesiarum parochialium S. Antonii et S. Martiani eiusdem loci? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, constare de Maioritate Ecclesiae S. Mariae Magdalenae – *in Aquen. Praeeminentiarum et iurium parochialium die 8 Martii 1732.*

94. Similiter quum Archipresbiter Ecclesiae S. Mariae Maioris Oppidi *Campobasso* contendisset, suam Ecclesiam proprie esse Matricem, Ecclesias vero S. Bartholomaei et Sanctorum Angeli et Mercurii eiusdem Oppidi esse filiales atque auxiliarias, adeoque Rectores a se quasi membra a capite dependere, et plures sibi praerogativas eo nomine competere, quibus potiri consuevisse aut debere negabant praefati Rectores, libertatem suarum Ecclesiarum tuentes, proposito dubio: – II. An constet de Matricitate Ecclesiae Archipresbiteralis Sanctae Mariae Maioris, et respective filiatione dictarum Ecclesiarum Rectoralium? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, constare de Maioritate, non autem de Matricitate – *in Boianen. Iurium parochialium et Praeeminentiarum die 24 Maii 1732.*

95. Qua de re quum Caesar Antonius Laghius Vicarius Ecclesiae S. Ioannis Baptistae in Octavo contra Carolum Rivaltam Archipresbiterum sive Parochum Fugnani postulaverit, ut declararetur, Ecclesiam Fugnani non esse Plebaniam, sed simplicem Parochiam, eamdemque Parochiam subiectam esse Ecclesiae Plebanae in Octavo, quae Mater erat late saltem et improprie, eumdemque Plebanum aliosque Parochos Collegii seu Congregationis Parochorum, quae in antiquioribus et vetustate dignioribus Ecclesiis institui solent, propositis dubiis: – I. An Parochialis Ecclesia S. Ioannis Baptistae in Octavo sit Ecclesia Plebana et Caput Congregationis, quam nonnullae parochiales Ecclesiae ei propinquae constituunt? II. An parochialis Ecclesia S. Petri Fugnani sit una ex Parochiis dictam Congregationem constituentibus? III. An Parochus dictae Parochiae Fugnani possit se alteri Congregationi adscribere, vel sese pro libito statuere independentem a cuiuscumque Congregationis capite? IV. An eadem parochialis Ecclesia Fugnani ex asserto titulo Archipresbiteralis vere sit Plebana? V. An ex eodem asserto titulo Archipresbiterali exempta manserit ab illis oneribus et obsequiis, quae ante concessionem asserti tituli praestare tenebatur erga dictam Ecclesiam S. Ioannis, vel potius instar aliarum Ecclesiarum sit subordinata et subiecta eidem Ecclesiae Plebanae? – VI. An constet de Matricitate saltem impropria dictae Parochialis Ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae in Octavo? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative. Ad tertium et quartum, Negative. Ad quintum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius. Ad sextum, Affirmative; et amplius – *in Faventina Praeeminentiarum et Iurium parochialium die 14 Maii 1746.*

96. Unde Maioritas, non vero Matricitas propria ostenditur, ex antiquissima Tabella in Ecclesia exposita, in qua eadem Ecclesia nuncupatur Matrix, Reclus. de re paroch. tom. 1 tit. 6 n. 56, nec non ex antiquissima Fontis baptismalis existentia in una tantum Ecclesia, iuxta doctrinam Ceccoperii lucubr. eccles. lib.4 tit.10 n.12, Card. Petra ad Constit. Gregorii XI n. 16 *in Faventina Matricitatis et Fontis Baptismalis die 18 Martii 1797.*

97. Iamvero tres in Campaniensi Oppido Supini erant parochiales Ecclesiae, Archipresbiteralis nempe sub titulo S. Petri, aliaeque duae sub invocatione S. Mariae Maioris et S. Nicolai. Unus semper ab antiquissimo tempore fuit baptismalis Fons in Ecclesia Archipresbiterali, ad quam pro illius benedictione conveniebant Parochi S. Mariae Maioris et S. Nicolai in Sabbatis maioris hebdomadae et Pentecostes, atque ex eadem Ecclesia consequebantur Oleum Sanctum. Quum Parochi autem ipsi turbare iactarentur praeeminentiam hanc Archipresbiteralis Ecclesiae, hinc anno 1738 exequi adversus eos fecit Archipresbiter illius temporis Monitorium Episcopi Ferentini super manutentione in quasi possessione iurium, et subinde iidem Parochi siluerunt, antiquam servantes consuetudinem. In praesens vero absoletam resumentes praetensionem, construere meditabantur moderni Parochi S. Mariae et S. Nicolai baptismales Fontes in suis Ecclesiis; aliudque adversus eos die 3 februarii 1796 exequi fecit Archipresbiter Monitorium A. C. Riganti. Hoc tamen spreto, extructi fuerunt Fontes ex praecedenti Rescripto Episcopi Ferentini 21 iunii. Episcopus enim impugnavit subiectionem Parochialium S. Mariae et S. Nicolai Archipresbiterali Ecclesiae quoad Fontem baptismalem. Hinc Parochi S. Mariae Maioris et S. Nicolai Matricitatem Ecclesiae Archipresbiteralis excluserunt, cum maioritas potius inesset in Ecclesia S. Mariae maioris, in qua ex dono Thomae Caraccioli Tarantini Archiepiscopi servabatur - parvum ossum ex brachiis S. Cataldi Terrae Supini advocati –. Advertebatur tamen, quod Parochus S. Mariae maioris singulis annis die festi reliquiam praefati S. Cataldi tenebatur processionaliter ferre in Ecclesiam Archipresbiteralem, ibique iuxta solitum divina officia peragere. Ceterum praefati Parochi maioritatem desumere studuerunt ex Brevi Urbani VIII, in quo eadem Ecclesia nuncupabatur Collegiata. Quin imo privativum ius Ecclesiae S. Petri impugnarunt Parochi, ex quo ipsi etiam retinebant claves Fontis baptismalis; ex se ipsis baptizabant, et in propriis libris baptizatos exscribebant. Ceterum id propriam excludebat Matricitatem, non item impropriam. Qua de re Archipresbiter Matricitatem impropriam osten-

dit ex antiquissima Tabella in Sacrario Ecclesiae S. Petri exposita, in qua eadem Ecclesia nuncupabatur Matrix, nec non ex antiquissima Fontis baptismalis existentia in una Ecclesia S. Petri.

98. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de Matricitate Ecclesiae Archipresbiteralis S. Petri Terrae Supini? II. An constet de iure privativo eiusdem Ecclesiae Archipresbiteralis habendi Fontem baptismalem? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, constare de Maioritate, non constare de Matricitate. Ad secundum, Affirmative – *in Ferentina Matricitatis et Fontis baptismalis die 18 Martii 1797.*

99. Hinc postquam Sacra Congregatio declaraverit, Archiepiscopum Theatinum in primo solemni ingressu aut in reliquis visitationibus arbitrio ipsius accedere posse ad Ecclesiam S. Mariae maioris, vel ad aliam sibi benevisam ad recipiendam obedientiam ab universo Clero Terrae Vasti, proposito dubio: – III. An Ecclesia S. Mariae maioris, vel altera S. Petri sit Maior in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad tertium, satis provisum in praecedentibus, et servandam esse concordiam – *in Theatina Praeeminentiarum seu Praestationis obedientiae die 25 Ianuarii 1721.*

100. Attentis itaque rerum circumstantiis Sacra Congregatio, ad componendas plures contentiones inter duarum Ecclesiarum Clerum exortas quoad Matricitatem aut Superioritatem aliaque huiusmodi iura ac praeeminentias, rem commisit Emo Praefecto pro concordia cum facultatibus eiusdem Sacrae Congregatiouis, ac etiam cum facultate statim providendi, iuxta modum eidem Emo Praefecto benevisum *in Anglonen. Praeeminentiarum die 24 Maii 1727 die 13 Iunii 1733 et die 23 Ianuarii 1734.*

101. Siqidem duae aderant in Terra Clarimontis Ecclesiae parochiales, altera S. Thomae Apostoli, quae erat Collegiata, altera S. Ioannis Baptistae. Quum inter has Ecclesias plures exortae fuerint controversiae quoad Matricitatem aut Superioritatem aliaque huiusmodi iura, propositis dubiis: – I. An constet, Ecclesiam divi Thomae esse Parochialem eiusque Rectorem posse vocari Parochum? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus divisioni curae et Populi ac redituum ad formam dispositionis Concilii Tridentini sess. 24 de reformatione cap. 13? III. An constet de Matricitate Ecclesiae S. Ioannis Baptistae seu alio titulo Superioritatis? IV. An et in qua Ecclesia fieri debeant publicationes pro Matrimoniis et Ordinandis? V. An Archipresbitero Ecclesiae S. Ioannis Baptistae, seu potius Rectori Ecclesiae S. Thomae spectet ius canendi Missas ac interessendi solemnibus functionibus, quae fiunt in aliis Ecclesiis positis intus vel extra maenia Clarimontis? VI. An Ecclesiae S. Thomae competat ius decimandi et funerandi? VII. An eidem Ecclesiae et Rectori competat ius percipiendi fructus ab altera Ecclesia filiali S. Opi? VIII. An in dicta Ecclesia S. Thomae possit asservari Venerabile? IX. An in eadem Ecclesia possit retineri Fons baptismalis? X. An Rector dictae Ecclesiae S. Thomae teneatur transmittere alteri S. Ioannis Baptistae eiusque Archipresbitero notulas Baptizatorum et Communicatorum in Paschate? XI. An prohiberi possit Archipresbitero et Clero Ecclesiae S. Ioannis Baptistae ingressus cum Cruce in Ecclesiam S. Thomae occasione funerum aliarumque functionum? XII. An Archipresbitero Ecclesiae S. Ioannis Baptistae competat ius peragendi Officia super cadavere, quod quandoque sepeliendum defertur ad Ecclesiam S. Thomae? XIII. An idem ius seu praerogativa peragendi officia competat eidem Archipresbitero Ecclesiae S. Ioannis Baptistae in solemni processione Rogationum, quae in dicta Ecclesia S. Thomae terminatur? XIV. An ius deferendi stolam in processionibus et funeribus competat privative Archipresbitero S. Ioannis Baptistae? XV. An occasione processionum vel funerum teneatur Rector Ecclesiae S. Thomae accedere ad Ecclesiam S. Ioannis Baptistae, seu potius possit expectare per viam? XVI. An Rector Ecclesiae S. Thomae possit deferre Crucem sine velo, vel hastam Crucis elatiorem altera Ecclesiae S. Ioannis? XVII. An debeatur praecedentia Archipresbitero et Clero Ecclesiae S. Ioannis Baptistae in concursu alterius Ecclesiae S. Thomae occasione funerum et processionum? XVIII. An Rector Ecclesiae S. Thomae possit providere Olea Sancta ad libitum extra Diaecesim, seu potius

teneatur illa recipere ab Ecclesia S. Ioannis? XIX. An in festo S. Antonii Abbatis competat Ecclesiae S. Ioannis Baptistae ius benedicendi Animalia circumcirca Ecclesiam S. Thomae, et quidem privative quoad alios? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad mentem Eñi Praefecti – *in Anglonen. die 24 Maii 1727.*

102. Praefatis itaque dubiis indecisis, cum Episcopus tranquillitati sacrorum Ministrorum magis consultum iri ratus fuisset dividendo Gregem ac Territorium, certis cuiusque Paraeciae finibus constitutis, modulum huiusmodi divisionis cum ceteris conditionibus ei consentaneis ab Episcopo confectum pro componendis dissidiis approbavit Sacra Congregatio die 3 aprilis 1728. At deinde reclamante Archipresbitero Ecclesiae S. Ioannis Baptistae, cui plures competere praerogativas contendebatur, ut quaestionibus tandem imponeretur finis, examinandum propositum fuit: – I. An sustineatur concordia? *Et quatenus negative.* II. An constet de Matricitate Ecclesiae parochialis S. Ioannis Baptistae, seu alio titulo Superioritatis? III. An Archipresbitero et Clero eiusdem Ecclesiae competant supra Clerum et Rectorem S. Thomae omnes illae praerogativae, quibus gaudere asserebatur ante concordiam? IV. An Ecclesia S. Thomae sit vere Parochialis, vel simpliciter Curata et dependens ab Ecclesia S. Ioannis Baptistae? *Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* V. An sit locus divisioni curae Populi ac redituum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 13 iunii 1733 respondit: – Dilata, et ad mentem –. Censuit quippe Sacra Congregatio, suspendendam decisionem, ut de tota re instructa etiam redderetur ab aliquo ex finitimis Episcopis. Praedicta enim nova norma, quam ad dissidia tollenda Episcopus adhibuit, nec non conditiones, quas, partibus inauditis, praescripsit, exacerbarunt potius, quam sedarunt vel leniverunt contentiones. Hinc Episcopus Cassanensis pro informatione requisitus, ita concluſit: – Si compuretur status Ecclesiarum et Populi ante et post divisiones, conducibilius fortasse apparebit, res ad pristinum statum redire, quam in eo persistere, in quo ad praesens reperiuntur, tum ob superius recensita mala et scandala, quae ex divisione obvenerunt, tum etiam quia Ecclesia S. Thomae est de iurepatronatus laicorum, eique quatuor dumtaxat Sacerdotes inserviunt, qui omnes a laicis praesentantur; Ecclesia vero S. Ioannis Baptistae receptitia est, omnesque de Clero, qui Sacerdotio insigniuntur, amplectitur, inter quos sicuti animarum cúra, ita et reditus omnes etiam, qui alias uni Archipresbitero debentur, distribuuntur. Cumque Sacerdotes dictae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae longe plures sint, quam Sacerdotes Ecclesiae S. Thomae adscripti, Populusque Archipresbitero subiectus numerosior, aequitati parum consentaneum videtur, quod pro medietate reditus et emolumenta cum Rectore et Capellanis Ecclesiae S. Thomae partiantur. His accedit quod cum in Ecclesia S. Ioannis Baptistae cura animarum penes totum Clerum participantem sit, propterea Presbiteri omnes de Clero illius ante divisionem in Oppido Sacramentis administrandis ac iuvandis Infirmis incumbant, modo vero post factam divisionem cum certis finibus Archipresbiter eiusque Cleri auctoritas ac iurisdictio conclusa fuerit, quae Populi pars superest, a solo Rectore S. Thomae (penes quem solum cura animarum est in sua Paraecia) Sacramenta suscipit. Quod maximo animarum detrimento fuisse, experimento comprobatum est, cum plures eius Paraeciae sine Sacramentis decesserint, ac debita Sacerdotium assistentia in extremo illius agone prorsus caruerint –.

103. His mature perpensis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. In reliquis, ad Eñum Praefectum pro nova concordia cum facultatibus Sacrae Congregationis, ac etiam cum facultate statim providendi, iuxta modum Eño domino benevisum; et amplius – *in Anglonen. Praeeminentiarum die 23 Ianuarii 1734.*

104. Hinc Sacra Congregatio primum resolvit constare de Matricitate cum titulo Archipresbiterali Ecclesiae prae altera Ecclesia parochiali, ita ut illa retinere deberet praecedentias et praerogativas quoad omnes alias Ecclesias eiusdem loci, si utraque in Collegiatam erigeretur, dein vero re maturius expensa stetit in decisis quoad praeeminentiam, quin recedi posset a concordia antiquitus inita, unde processiones fieri non possent separatim

in Cassanen. Praeeminentiarum die 5 Iunii et die 21 Augusti 1734.

105. Enimvero inter ceteras Ecclesias Terrae Murani tres numerabantur Ecclesiae, quarum altera sub invocatione Principis Apostolorum, altera sub titulo S. Mariae Magdalenae, altera demum dicata reperiebatur in honorem S. Nicolai, quae quidem Ecclesiae cum essent Receptitiae, unaquaeque earum praeter Rectorem Clerum quoque habebat distinctum et separatum. Cum autem anno 1732 Presbiteri Ecclesiae S. Mariae Magdalenae curaverint obtinere erectionem Ecclesiae suae in Collegiatam, Clerus S. Petri, qui contendit, illam sibi subiectam esse tamquam filialem, ne per assecutionem novae dignitatis superior evaderet, plura adversus petitam erectionem praestitit impedimenta, donec communi consensu electus in Iudicem compromissarium Iulius Tornus Canonicus Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae protulit laudum die 3 martii 1733, quo declaravit, – constare de Matricitate et praeeminentia Ecclesiae S. Petri –, eique plures praerogativas attribuit, quarum vigore arbitratus est, licere Ecclesiae S. Petri impedire, ne expediantur Bullae in favorem Ecclesiae S. Mariae Magdalenae super eius erectione in Collegiatam, statuendo praeterea, servandam esse concordiam initam anno 1666 cum aliis pluribus favore Archipresbiteri S. Petri ibidem expressis. Appellarunt ab hoc laudo Presbiteri Ecclesiae S. Mariae Magdalenae ad Tribunal A. C., sed Causae cognitio deinde remissa fuit ad Sacram Congregationem.

106. Propositis itaque dubiis: – I. An constet de Matricitate seu praeeminentia cum titulo Archipresbiterali Ecclesiae S. Petri Terrae Murani respectu etiam Ecclesiae S. Mariae Magdalenae eiusdem loci, seu potius contra constet de Matricitate, seu Maioritate dictae Ecclesiae S. Mariae Magdalenae? II. An si utraque Ecclesia erigatur in Collegiatam illa, quae fuerit declarata Matrix seu Maior, retinere debeat praecedentiam praeeminentias et praerogativas quoad omnes alias Ecclesias dictae Terrae? III. An ubi constiterit de unius vel alterius Ecclesiae Matricitate licitum sit Clero S. Mariae Magdalenae recedere a concordia statuta anno 1666, ita ut processiones fieri possint separatim in casu etc. –, Sacra Congregatio die 5 iunii 1734 respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Negative; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo iuxta mentem –. Mens autem fuit, ut, pro extinguendis penitus controversiis ab antiquo tempore inter hosce Cleros vigentibus, si quaepiam iniri posset conventio, qua, firma remanente praeeminentia Ecclesiae S. Petri, statutum foret, processiones separatim fieri, supplicaretur Sanctissimo pro habendo eius Apostolico assensu –. Id enim optasse visus est etiam praefatus Iudex compromissarius, et Episcopus retulit: – Optarem, ut ad sedandas omnino Ecclesiasticorum ac Civium contentiones et lites, atque ut imposterum nullus scandalis aditus pateat, quae praeteritis temporibus in processionibus ac conventu totius Cleri eius Oppidi accidere consueverunt, trium dictarum Ecclesiarum Cleri omnino separentur, atque unusquisque in sua Ecclesia et Paraecia sacras functiones ac processiones omnino perageret –. Verumtamen cum Partes ad conveniendum super meditata processionum separatione trahi non potuerint, altera nimirum subreptam inde sibi totius victoriae palmam conquerente, altera vero praetensam Matricitatem Ecclesiae Sancti Petri acriter adhuc impugnante, facta idcirco fuit utrique potestas, etiam iuxta supremum Sanctitatis Suae oraculum denuo super omnibus iura sua experiendi. Quapropter repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Quoad primum et secundum, in decisis quoad praeeminentiam. Ad tertium, in decisis; et amplius – *in Cassanen. Praeeminentiarum die 21 Augusti 1734.*

107. Similiter cum in Oppido Civitae Campimarani, quod constabat septingentis supra mille Incolis, binae essent parochiales Ecclesiae, altera sub titulo S. Mariae Maioris, altera vero in honorem S. Georgii erectae, ac ortae essent controversiae quoad Matricitatem et praeeminentiam seu praecedentiam in processionibus, propositis dubiis: – II. An constet de Matricitate seu praeeminentia Ecclesiae S. Mariae Maioris Oppidi Civitae Campimarani, vel alterius Ecclesiae S. Georgii

eiusdem loci in casu etc. III. An et in quibus processionibus functionibus ecclesiasticis competat praeeminentia et praecedentia Archipresbitero Ecclesiae S. Mariae Maioris, vel Ecclesiae. S. Georgii in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, constare de praeeminentia tantum. Ad tertium, servetur solitum Ecclesiae S. Mariae Maioris – *in Guardien. Erectionis Fontis baptismalis et Praeeminentiarum die 21 Maii 1735.*

108. Qua de re quum Sacra Congregatio plures controversias inter duas Ecclesias eiusdem Oppidi exortas quoad praeeminentias in processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus iam decidisset, quin tamen ius Matricitatis propriae alicui attribuisset, cumque exinde, perdiuturna experientia teste, tumultus publica scandala contentionesque ob consociationem utriusque Cleri dictarum Ecclesiarum in publicis supplicationibus erumperent, ac Episcopus ad radicitus iurgiorum causas evellendas mandaverit, ut praefati Cleri non amplius coniunctim, sed divisim processiones ducerent, Sacra Congregatio distulens resolutionem controversiae contra Episcopi iussa motae interim edixit, ut per modum provisionis servarentur praefati Episcopi mandata *in Policastren. Praeeminentiarum et Iurium parochialium die 22 Ianuarii die 28 Maii 1746 in Policastren. Matricitatis die 23 Novembris 1748 in Policastren. Praeeminentiarum die 3 Augusti 1833.*

109. Siquidem duae erant in Civitate Rivelli Diaecesecos Policastrensis Ecclesiae parochiales, altera S. Mariae de Podio, altera S. Nicolai. Prima vetustis temporibus ritus Graeci erat, indo ad Latinum transiens et in Collegiatam erecta, Canonicis decorata fuit, licet iam in praesens, qua de causa ignorabatur, hoc amplius non frueretur honore: altera S. Nicolai Latinum semper ritum servavit simpliciter parochialis. Harum Ecclesiarum, quae esset antiquior, non constabat: ambae suas filiales Ecclesias habebant cum in Civitate, tum extra: ambae Parochianos habebant non certis regionibus circumscriptos, sed per Familias, quae in Civitate huc illuc erant: Alienigenae, qui ad eam Civitatem incolendam veniebant, quam ex iis mallent propriam Parochiam eligere poterant: utraque Fontem baptismalem et proprium Territorium ab alterius Territorio distinctum habebat, ut sacrae processiones ab unaquaque ducerentur: habebat etiam utraque, praeter Cantorem et Vicarium, satis conspicuum Sacerdotum numerum, et Parochum Archipresbiteri titulo honestatum, qui Parochi sive Archisbiteri ambo per concursum eligebantur, ambo in propria Ecclesia aequalem habebant auctoritatem, et in funeribus et Sacramentorum ministratione aequalia percipiebant emolumenta. Vix tamen percenseri poterat, quibusnam omni fere aetate quaestionibus, quibus iurgiis, qua animorum acerbitate inter memoratos Cleros de alterutrius iuribus disputatum fuerit, contendentibus utrisque, se prae altero superiorem esse et auctoritate praestare et gradu praecellere. Hinc in tanto studiorum aestu saepe saepius divina officia pertumultuose turbata, sacrae pompae seu processiones interceptae, Templi cultus violatus, imo ipsa etiam Sacramenti augusti religio male habita. Ad ea itaque amovendi dissidia, quae oriebantur, cum una convenirent sacris solemniis duo Cleri, satius putarunt Archipresbiter et Clerus Ecclesiae S. Mariae de Podio postulare, ut facultas sibi daretur functiones omnes ecclesiasticas agendi distincte et separatim ab altero Clero D. Nicolai.

110. Propositis igitur dubiis: – I. An processiones ordinariae in diebus S. Marci Rogationum et Corporis Domini fieri debeant coniunctim ab utroque Clero S. Nicolai et S. Mariae iuxta solitum, sive potius sit indulgenda petita facultas Clero S. Mariae eas separatim explendi in casu etc. *Et quatenus affirmative quoad primam partem et negative ad secundam.* II. An dictae processiones incipere et terminare debeant in Ecclesia S. Nicolai, et Clerus S. Mariae teneatur incedere sub propria Cruce ante Clerum S. Nicolai, vel sit servandum solitum in omnibus in casu etc. III. An Clerus S. Mariae teneatur accedere iuxta solitum ad processionem, quae fit in Dominica Palmarum, et ad alteram, quae fit in die Ascensionis, et quo loco convenire debeat in casu etc. IV. An et in quam poenam inciderit Clerus S. Mariae ob non accessum ad dictam processionem in die Dominica Palmarum anni 1744 in casu etc.

V. An et in quas poenas inciderit Clerus S. Mariae ob expletas ordinarias processiones anno 1744 separatim a Clero S. Nicolai in casu etc. VI. An et quas processiones liceat Clero S. Mariae separatim explere, et in quam distantiam eas ducere in casu etc. VII. An in festo S. Nicolai teneatur Clerus S. Mariae etiam non vocatus accedere ad eius Ecclesiam iuxta solitum, et assistere primis vesperis et Missae solemni, et Clerus S. Nicolai ea occasione teneatur distribuere singulis de Clero S. Mariae solitas candelas in casu etc. VIII. An Clerus S. Nicolai saltem vocatus teneatur accedere ad Ecclesiam S. Mariae, ibique assistere secundis vesperis Dominicae et Missae solemni feriae secundae Pentecostes ac etiam primis vesperis et Missae solemni Assumptionis Beatae Mariae Virginis in casu etc. IX. An Archipresbiter et Clerus S. Mariae tam in Vigilia Nativitatis Domini, quam in Sabbato maioris hebdomadae teneatur praestare Archipresbitero S. Nicolai candelas longitudinis palmorum septem cerae usualis bina buccellata panis unamque gallinam in casu etc. X. An Archipresbiter S. Mariae teneatur recipere Olea Sancta ab Archipresbitero S. Nicolai, sive potius ei licitum sit ea sumere ab Ecclesia Cathedrali in casu etc. XI. An et cui Ecclesiae competat ius antepulsandi campanas in die Sabbati Sancti, et quatenus Ecclesiae S. Nicolai, an constet, Clerum S. Mariae antepulsasse campanas anno 1744, et an inciderit in poenam ducatorum centum in casu etc. XII. An Clero Sanctae Mariae liceat habere proprium Concionatorem tempore quadragesimali in propria Ecclesia, seu potius adhibendus sit unus idemque Concionator distinctis diebus in utraque Ecclesia in casu etc. XIII. An Presbiteri Cleri S. Mariae teneantur cum assistentia ipsius Cleri primam Missam sive lectam, sive cum cantu celebrare in Ecclesia S. Nicolai in casu etc. XIV. An et sub qua poena prohibendum sit Archipresbitero et Clero S. Mariae denominare propriam Ecclesiam Matricem Maiorem ac Collegiatam insignem in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 ianuarii 1746 respondit – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum et tertium, servetur solitum. Ad quartum et quintum, Negative. Ad sextum, licere de licentia Episcopi; et quoad distantiam, iuxta solitum. Ad septimum, Affirmative ad utramque partem. Ad octavum, Affirmative, dummodo Clerus S. Nicolai invitetur. Ad nonum, iterum proponatur. Ad decimum, servetur solitum. Ad undecimum, competere Ecclesiae S. Nicolai, et horam designandam esse ab Episcopo; et in reliquis, Negative. Ad decimum secundum, Affirmative de licentia Episcopi, dummodo stipendium solvatur ab Ecclesia S. Mariae. Ad decimum tertium, Negative. Ad decimum quartum, Affirmative sub poenis arbitrio Episcopi –.

111. Diremptae hac resolutione controversiae censendae erant; ast de nonnullis quaestio iterum prolata fuit a Clero Sanctae Mariae, eoque instante rursus de dubiis septimo octavo nono decimo undecimo duodecimo decimo tertio ac decimo quarto pugnaciter disputatum est. Repropositis vero praefatis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad septimum octavum decimum undecimum duodecimum decimum tertium et decimum quartum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad nonum, Negative; et amplius. Ad septimum octavum decimum undecimum duodecimum decimum tertium et decimum quartum, in decisis, salvis iuribus Ecclesiae S. Mariae quoad praetensas Ecclesias filiales, prout de iure; et amplius – *in Policastren. Praeeminentiarum et Iurium parochialium die 28 Maii 1746.*

112. In hac tamen honoris dignitatis muneris atque officiorum paritate Archipresbiter et Clerus S. Nicolai propriam Ecclesiam Matricem, alteram vero S. Mariae de Podio filialem voce scriptisque nuncupantes commoverunt Archipresbiterum et Clerum S. Mariae de Podio, ut ad Sacram Congregationem querelas deferrent. Propositis itaque dubiis: – I. An constet de vera Matricitate Ecclesiae S. Nicolai respectu Ecclesiae S. Mariae de Podio. *Et quatenus negative.* II. An et sub qua poena prohibendum sit Archipresbitero et Clero dictae Ecclesiae S. Nicolai denominare filialem dictam Ecclesiam S. Mariae de Podio in casu etc. III. An constet de validitate erectionis Ecclesiae S. Mariae Gratiarum in Parochialem seu Vicariam perpetuam in casu etc. *Et quatenus affirmative.* IV. An constet de filiatione dictae Ecclesiae paro-

chialis seu Vicariae perpetuae S. Mariae Gratiarum tam respectu Archipresbiteralis Ecclesiae S. Mariae de Podio, quam illius S. Nicolai in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative, firmis remanentibus resolutionibus alias captis anno 1746. Ad secundum, Affirmative sub poenis arbitrio Episcopi. Ad tertium et quartum, scribatur Episcopo pro informatione et voto – *in Policastren. Matricitatis die 23 Novembris 1748.*

113. Haec Apostolicae Sedis placita continere in officio homines studio aemulationis incensos haud valuerunt: identidem proinde iurgia excitata, vis quandoque illata, manus in sacra etiam insignia consertae, labarum alterutrius Aedis ipsa in pompa proculcatum, sacratissimum Christi Salvatoris simulacrum hostili impetu abreptum, perturbata armis clamoribus tumultu sanctitas sacrorum, precationum loci personarumque. Atque id inter cetera, nisi de re sacra ageretur, cuius zelo comedi nos opus est, risum magis, quam stomachum moveret, quod Episcopus retulit, binos nimirum Archipresbiteros, – qui pari passu in supplicationibus stolam gestantes incedunt, nisi quod Archipresbiter S. Nicolai dexteram, ille vero S. Mariae sinistram tenet –, voluisse aliquando eodem tempore orationes post Litanias maiores recitare, ac quo elatiori voce alteruter eas caneret, eo se prae altero digniorem aestimari, suique inde Cleri praestantiam iuraque vindicari. Id et de quadam consuetudine narrabat Episcopus, qua olearum rami rite piati die Dominica Palmarum stata quadam pompa summo fastigio imponebantur Trophaeo Crucis invictae, quod in foro erat; praecedere quippe ea etiam in actione properabant ipsi, et ut citius id peragerent, ne completo quidem solemni Sacro, in forum advolabant, ius inde praeeminentiae aucupaturi. Haec aliaque id genus, quae profecto a christiano more atque instituto aliena sunt, feliciter praecisum iri existimavit Episcopus, datis die 24 maii anno 1829 ad Vicarium foraneum Rivellensium Literis, quibus mandavit, ut in supplicationibus in triduum Rogationum solemnibus orationes post Litanias maiores recitaret, qui Missam solemnem Rogationum in prima Ecclesia celebrare teneretur. Id anno etiam sequenti de supplicatione die festo S. Marci Evangelistae ducenda iterum praecepit Episcopus, quod scilicet praefatas orationes recitaret, qui Missam celebraret. Quod si Partes id peragere detrectassent, iussit Literis diei 21 aprilis 1830, praedicti Cleri divisim ac separatim processiones in locis pro doctrina christiana assignatis peragere deberent. Grave admodum fuit Archipresbitero et Clero S. Nicolai, qui adversus haec Episcopi Decreta supplices Sacram Congregationem adivere, ut perpetuum Clero S. Mariae silentium imponeretur, decretaque per eamdem Sacram Congregationem sancita executioni mandari efflagitarunt, ne vim haberent iussa Episcopi, quibus sua iura labefactari animadverterunt.

114. Qui enim dignior et maior est, eo perfungi debere officio, Patronus Cleri S. Nicolai contendit. At ex ipsa utriusque Aedis origine, ex Testium dictis, ex honorum iurium ac privilegiorum ratione, ex vectigali, quod ipsi a Mariali Clero persolvebatur, tum ex eo quod aera Templorum quorumlibet ac turrium Sabbato Sancto sonare nefas esset, antequam carmen *Gloria* Sacerdos ad S. Nicolai praecinuerit, ius arguit Matricitatis pro Ecclesia S. Nicolai, quam proinde digniorem et maiorem dixit, ex Card. De Luca aliorumque Scriptorum testimonio. Quod si Sacrae Congregationis Decreto rescriptum fuit anno 1748: – Non constare de vera Matricitate, firmis tamen remanentibus resolutionibus alias captis anno 1746 –, tale iudicium de vera et absoluta Matricitate editum asseruit, quin de ea pronunciatum fuerit, quam impropriam seu Maioritatem dicunt, quae ipsam ceteris digniorem et praestantiorem reddit. Cum itaque Archipresbiter S. Nicolai, qui digniori Coetui praeerat, dignior etiam ipse esset in sacris supplicationibus, ac digniori idcirco loco graderetur, incedente ad sinistrum eius latus Arphipresbitero S. Mariae, palam erat partem ipsius esse, officia divina inchoare, eaque recitatis orationibus concludere. Quandoquidem pro uno actu integra supplicatio habenda est, cuius praecipua et honestiora officia illius sunt, qui pro dignitatis suae loco ductor ipsius nominatur et est. Neque ex iis, qui identidem contingere tumultibus aliisque huiusmodi incommodis probandum videbatur, recte Episcopum memorata iussa

edidisse, quibus alterius, qui facinoris nullo modo erat particeps, iura proscindebantur. Remedia quippe complura praesto erant, quibus veteratorum audacia aestusque aemulorum facile comprimi poterant, quin ad hominum nequam licentiam coercendam insontium iuribus detraheretur. Idcirco institit vehementer Clerus S. Nicolai, ut irrita fierent Episcopalia iussa, quae adversus Apostolicae Sedis placita et in legitimam diuturni temporis consuetudinem lata conspiciebantur. Episcopus vero sua mandata defendit animadvertens, sui muneris in primis esse omni contentioni advigilare, ut ea omnia, quibus et divini cultus administratio et morum disciplina continetur, accurate religioseque in tradito sibi Grege praestarentur, eaque praeciderentur, quae et rectae sacrorum procurationi et animarum saluti impedimento erant. Idcirco ad evellendas radicitus iurgiorum publicarumque offensionum causas, quibus sacrae supplicationes per binos Cleros Rivellenses coniunctim ductae interverti ut plurimum consueverunt, id praecepit, quo malo illi feliciter occurreretur. Iussit primum, preces post Litanias maiores ab eo recitari, qui solemni ritu deinceps divinae rei operaretur. Haud quidem absonum id arbitratus est a lyturgicis praescriptionibus: posset quippe Sacerdos litaturus ad Aram maximam subsistens ac pluviali indutus, ubi uterque Clerus ad praestituta sibi loca pervenisset, preces recitare, post quas casulam induens Sacrum inchoaret. Quum autem Clero S. Nicolai id minus arrideret, aliud remedium adhibendum esse ratus Episcopus, seiunctim pompam duci ab iis Cleris mandavit, ne pristinis aemulationibus acerbitatibusque amplius pateret occasio. Novit quidem Decreta S. Congregationis, quibus unitim Cleri illi supplicatum procedere adacti fuerunt, neque ipsum fugit, non posse eum, qui inferior est, iis Decretis derogare, quae visum est Superiori praescribere. At cum nullum aliud praesto esset remedium, id sibi consilii capiendum duxit, quod ex causa haud absimili de Pontificii placiti Exequutore scripsit Alexander III in Cap. *Cum teneamur* de Praebendis, – se aequanimiter sustinere, si suum mandatum non duxisset exequendum –, quando id sine scandalo peragi non posse agnovisset. Idque datum etiam Episcopus commoravit per Tridentinos Patres in sess. 25 cap. 13 de Regularibus. Noverat profecto Episcopus, quantopere deceat, unicam statis diebus supplicationem haberi, universaque Cleri Collegia in id officii simul convenire: at cum sine tumultu, experientia teste, consociatio isthaec haberi nequiret, remedium ex illius separatione petendam esse videbatur. Nam et sibi ob oculos observabatur Innocentii Pontificis monitum ad Cantaurensium Archiepiscopum in Cap. *Cum ex iniuncto* de novi operis nunciatione, – pro tollendo scandalo ab his esse cessandum, quae sine mortali peccato possunt dimitti –. Non erat hic quidem, cur pluribus disputaretur de Ecclesiae S. Nicolai Matricitate impropria, quam etiam Episcopus in dubium revocandam arbitrabatur, cum Archipresbiter Ecclesiae complura ageret una cum Archipresbitero S. Nicolai, quae parem inter ipsos iurium communionem innuebant. Atque insuper impropria matricitas neutiquam peculiaria illa iura necessario inferre existimanda foret, de quibus sermo erat, cum non ageretur de Ecclesia Cathedrali vel Paraeciali, quoad filiales. Nam Sacra Congregatio anno 1746 et 1748 mutuum ius Matricitatis propriae diserte denegavit.

115. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sustineantur praescriptiones ab Episcopo editae Literis diei 24 maii 1829 et die 21 aprilis 1830 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et per modum provisionis serventur Literae Episcopi diei 21 aprilis 1830 – *in Policastren. Praeeminentiarum die 3 Augusti 1833.*

116. Quod si duae Collegiatae, ac parochiales Ecclesiae, quarum altera olim fuit Cathedralis, sint per transactionem aequales, non propterea impediuntur, quominus ambae iure Matricitatis impropriae seu Maioritatis quoad aliam Ecclesiam parochialem potiantur et gaudere valeant *in Fulginaten. Fontis baptismalis die 20 Novembris 1822 et die 14 Maii 1825.*

117. Enimvero tres in Oppido Hispelli ab antiquissimis usque temporibus extabant Paraeciae, nimirum Collegiata S. Mariae maioris, quae ad annum 1130 Cathedralis Episcopalis honore fulsit, Collegiata S. Laurentio sa-

cra, et Ecclesia S. Andreae Patribus Minoribus Conventualibus concredita. Una olim S. Mariae Ecclesia Fonte gaudebat baptismali: sed exorta inter utramque Collegiatam praeeminentiarum controversia, trasactionis foedere ita composita fuit, ut, statuta praeeminentiarum paritate, altera alternis annis alteri honore praecederet, et quod Ecclesia Collegiata S. Laurentii Fontes baptismales erigere posset: atque ita factum est, ut Paraecia tantummodo S. Andreae Fonte careret. Occasione autem, quod et Ecclesia S. Andreae potestatem erigendi Fontem baptismalem a Sacra Congregatione obtinuerit, Canonici utriusque Collegiatae nedum contra huiusmodi indultum, tamquam obreptitium et subreptitium insurrexerunt, sed et Matricitatem quoad maioritatem sibi enixe vindicarunt. Ambae enim, ac praesertim Collegiata S. Mariae Episcopali Sede olim insignis, honore et praeeminentia praestiterunt Ecclesiae S. Andreae, quin Matricitas destrui posset ex aequalitate praeeminentiarum inter memoratas Collegiatas per transactionem secuta; quandoquidem illud solummodo aequalitas efficere poterat, ut neutra ex Collegiatis alteri esset Matrix, seu altera Maior; quin tamen repugnaret, utramque et Matricem esse et Maiorem, quoad alias Ecclesias, exemplo ducto ab Ecclesiis Cathedralibus aeque principaliter unitis, quarum neutra alteri unitae est Matrix et Maior, sed utraque ceteras antecellit Ecclesias Matricitate Maioritate et Praeeminentia. Contra Parochi Defensor contendit, Collegiatas haud privativum sibi ius arrogare posse filiationis, vel subiectionis titulum. Ex aequalitate enim inter easdem per transactionem praestituta aperte eliciebatur, neutram esse Paraeciae S. Andreae Matricem, cum eiusdem Ecclesiae repugnaret duas esse Matres. Multoque minus ulla subiectio concipi poterat in eadem Ecclesia erga Collegiatas; quoniam Ecclesia S. Andreae, quae ante S. Basilii aetatem iamdiu existebat, antiquitate et celebritate utramque Collegiatam forte praecellebat: fundationem autem et dotationem non a Collegiatis subsidio indigentibus repetebat, sed primo a Basilianis, dein a Camaldulensibus, tandem a Minoribus conventualibus, qui, teste Episcopo, summo studio et cura eam colebant ornabantque. Ipsa in electione Parochi, in Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus, libera erat et a Collegiatis independens, nec non Parochus eiusdem Ecclesiae domorum benedictionem in Sabbato Sancto cuiuslibet anni per se et arbitratu suo explebat.

118. His utrinque perpensis, proposito dubio: - I. An constet de Matricitate seu Maioritate Collegiatarum in casu etc. -, Sacra Congregatio die 20 novembris 1824 responsum dedit: - Iterum proponatur -. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, constare de Maioritate - *in Fulginaten. Fontis baptismalis die 14 Maii 1825.*

119. Qua de re quum ex pluribus indiciis coniecturis et argumentis constet de maioritate et dignioritate seu Matricitate impropria Ecclesiae quoad aliam nec non Minores Conventuales et Patres Reformatos, consequens est, ad illius Rectorem spectare omnes actus praeeminentiales nec non praecedentias in processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus *in Senogallien. Praeeminentiarum die 30 Ianuarii die 5 Iunii 1779 et die 27 Martii 1784.*

120. Siquidem utraque parochialis Ecclesia, illa scilicet S. Mariae de Platea et altera S. Severi delata fuit ad Monachos Ordinis S. Benedicti, inde prima condecorata remanebat titulo Abbatiae secularis cum mitra, et altera cum titulo Prioratus subiecta reperiebatur Abbatiae S. Laurentii in campo. Utraque parochialis Ecclesia suos habebat Parochianos non certis regionibus circumscriptos, sed per familias, quae huc illuc in Terra Montis novi erant. Ast Abbatialis Ecclesia S. Mariae de Platea semper et ab immemorabili pro principaliori Ecclesia ab omnibus agnita fuit, et praesertim a Prioribus pro tempore existentibus Ecclesiae S. Severi, illiusque praeterea Abbas sibi deberi contendit omnes praecedentias praeeminentias et praerogativas Ecclesiae Matrici competentes in omnibus publicis processionibus funeribus sacrisque functionibus peragendis una cum Priore parochialis Ecclesiae S. Severi, et praecipue quod idem Prior deferre deberet Crucem coopertam in hasta cum velo, seu pallio ad instar Regularium, prout id ab immemorabili servatum fuerat. Res quippe

non erat de propria Matricitate Abbatialis Ecclesiae S. Mariae de Platea, cum non probaretur, parochialem Ecclesiam S. Severi erectam fuisse cum territorio populo et reditibus dictae Abbatialis Ecclesiae, sed agebatur de Matricitate impropria, quae non ex antiquioritate prosilit, dum ex iis Ecclesiis, quae esset antiquior penitus ignorabatur, verum vi Matricitatis erutae ex maioritate et ex honorificis praerogativis, quibus Ecclesia S. Mariae de Platea supra Prioralem Ecclesiam S. Severi pollere contendit. Nam ex relatione Scriptoris Petri Pauli Brunacci Cap. 2 secundae partis hystoriae Ostrae et Montis novi Abbas probavit, praefatam Ecclesiam ab antiquissimo maiorem esse et digniorem Parochiali S. Severi. Protulit etiam indicia, cum Abbatialis Ecclesia esset liberae collationis Summi Pontificis, illa vero S. Severi tamquam adnexa Abbatiae S. Laurentii in Campo subiecta esset provisionalibus et nominationibus Emi Abbatis Commendatarii. Matricitatem ostendere etiam sustinuit, tum sacras Visitationes a Senogalliensibus Episcopis semper inceptas a dicta Abbatiali Ecclesia, tum collationem sacri Chrismatis ab eisdem Episcopis peractam in eadem Abbatiali Ecclesia, nunquam in alia S. Severi, nec non ius omnibus Terrae Montisnovensis Ecclesiis indicendi silentium in feria quinta, simul ac antepulsandi campanas in die Sabbati Sancti; ac Matricitatem evinci ex praeeminentia ducendi processiones rituales, nimirum primam et tertiam Rogationum Sanctissimi Corporis Christi omnesque alias publicas, quae tam ex publica causa, quam ex devotione fiebant a Sodalibus Terrae Montis Novi, quae omnes incipiebant et absolvebantur in Abbatiali Ecclesia S. Mariae, tamquam maiori et digniori loci Ecclesia. Idcirco consequens erat, eidem esse tribuendas omnes praeeminentias et praecedentias supra Priorem parochialis Ecclesiae S. Severi.

121. Propositis igitur dubiis: – I. An Ecclesia Abbatialis S. Mariae de Platea sit Ecclesia Matrix maior et dignior altera Ecclesia Priorali S. Severi in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Crux Ecclesiae Abbatialis S. Mariae eiusque Abbas debeant praecedere Cruci et Priori eiusdem Ecclesiae in omnibus processionibus et funeribus etiam in iis, quae initium habent ab Ecclesia S. Severi in casu etc. III. An in processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus Crux Ecclesiae S. Severi deferri debeat cum pallio seu velamine ad instar Regularium in casu etc. IV. An liceat Priori S. Severi in processionibus et funeribus, in quibus functiones non agit, deferre stolam a collo pendentem, vel in brachio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 ianuarii 1779 respondit: – Ad primum, Affirmative quoad actus praeeminentiales tantum. Ad secundum et tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius quoad actus praeeminentiales tantum. Ad secundum, in decisis; et amplius. Ad tertium, in decisis; et amplius. Ad quartum, recedendum a decisis; et licere Parocho S. Severi deferre stolam collo pendentem – *in Senogallien. Praeeminentiarum die 5 Iunii 1779.*

122. Verum novis postea subortis dissidiis inter Abbatem et Minores Conventuales, coactus fuit Abbas novam litem assumere. Propositis vero dubiis: – I. An constet de Matricitate Ecclesiae parochialis et Abbatialis S. Mariae de Platea Terrae Montis Novi in casu etc. II. An Patres Minores Conventuales praefatae Terrae in Sabbato maioris hebdomadae teneantur pulsare campanas cum primum pulsantur campanae Ecclesiae S. Mariae de Platea in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative quoad actus praeeminentiales tantum. Ad secundum, Affirmative – *in Senogallien. Praeeminentiarum die 27 Martii 1784.*

123. Matricitatem Ecclesiae Abbatialis et Parochialis S. Mariae de Platea Oppidi Montis Novi impugnarunt etiam Patres Reformati S. Crucis eiusdem Oppidi pluribus ex causis, quas Abbas Sacrae Congregationi retulit; sed propositis dubiis: – I. An constet de Matricitate Ecclesiae Abbatialis et Parochialis S. Mariae de Platea Terrae Montis Novi in casu etc. II. An Abbas et Parochus Ecclesiae praefatae S. Mariae de Platea occasione associationis cadaverum possit ingredi Ecclesiam Patrum Reformatorum S. Crucis dictae Terrae cum stola et Cruce elevata,

eamque sic retinere tempore funerum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An praeeminentia competat Cruci dictae Ecclesiae S. Mariae de Platea in casu etc. IV. An Patres Reformati feria quinta in Coena Domini possint pulsare campanas post silentium campanarum dictae Ecclesiae S. Mariae de Platea in casu etc. V. An iidem Patres Reformati in Sabbato Sancto teneantur pulsare campanas cum primum pulsantur campanae praefatae Ecclesiae S. Mariae de Platea in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative quoad actus praeeminentiales tantum. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Negative. Ad quintum, Affirmative – *in Senogallien. Praeeminentiarum die 27 Martii 1784.*

124. Capitulum vero Collegiatae insignis ratione Matricitatis seu Maioritatis iure haud pollet prohibendi, quominus Capitula aliarum Ecclesiarum in Collegiatas recenter erectarum in Vesperis solemnibus Ministros pluviali indutos adhibeant, nec iure pollet impediendi, quominus eadem Capitula in Missis solemnibus Presbitero assistente utantur et adhibeant quatuor vel sex Clericos intorticia deferentes post praefationem usque ad elevationem calicis, etiamsi huiusmodi Capitula teneantur parare pro Archipresbitero praefatae Collegiatae insignis genuflexorium cum tapete viridi et pulvinari, quoties hic cum cruce et habitu chorali ad eorum Ecclesias accedit *in Tranen. Honorificentiarum die 31 Martii 1855 et die 11 Februarii 1857.*

125. Iamvero in Civitate Baruli, praeter Capitulum a S. Maria maiore nuncupatum, binae extabant veteres Ecclesiae, quarum altera a S. Iacobo, altera a S. Sepulchro nomen habebant. Harum utrique Collegiatarum honoribus ab immemorabili, uti ferebatur, frui datum Collegiatae, atque earum Participantibus Canonicorum nomen tributum fuit. Mos etiam in iisdem inolevit, ut in Missis cum cantu diebus solemnioribus Archipresbitero celebranti, qui Parochus erat et Caput totius Cleri, Presbiter adesset pluviali indutus, ac adhiberentur tempore consecrationis quatuor vel sex Clerici intorticia ferentes; in vesperis vero aeque solemnioribus ex utroque latere Ministri pluviali etiam induti. Haec autem aegre ferentes Canonici Capituli S. Mariae Maioris, iudicium in Curia Episcopali instituerunt: sed adversam retulerunt sententiam. Interposita hinc appellatione, eiusdem Capituli Defensor contendit, firmissimum in iure esse, quod qui praevenit in adoptando titulum vel insignia honoris, vel in functione et solemnitate peragenda, hoc ipso ius habeat prohibendi, ne alii in sui praeiudicium haec ipsa imitentur iuxta ea, quae saepe tradit Card. De Luca signanter in Miscell. eccles. disc. 32 n. 5, in disc. 10 n. 9 de praeeminentiis, et in Summa de praeem. §. 4 n. 90, eo vel magis si, ut in casu, antiqua sit aemulationis contentio inter Ecclesiasticos, ceu in Miscell. loc. cit. idem Auctor apposite firmat. De qualitatibus autem Collegiatae et quidem perinsignis ac Matricitatis, unde supra ceteteras Baruli Ecclesias praefulgebat Ecclesia S. Mariae Maioris, dubitari amplius non posse dixit, post plures res iudicatas Rotales, in quibus aequalitates frustra licet contradicentibus adversariis Ecclesiis S. Iacobi et S. Sepulchri obfirmatae erant, quin officeret, quod istae eaedem Ecclesiae in Collegiatas erigi nuper obtinuerint. Nam praeterquam quod insignes, uti asseruit, non fuerint declaratae, accedebat, in Apostolicis Literis sarta tectaque servata fuisse iura omnia praecedentiae, quibus super Clero et Ecclesiis S. Sepulchri et S. Iacobi Capitulum S. Mariae Maioris potiebatur. Nihil pariter obesse sustinuit, quod definitum adhuc non fuisset, an haec Matricitas propria esset, seu potius impropria: nam etiam Matricitas impropria secumferre debebat omnimodam praeeminentiam ac honorificentiam, quae licet non importaret, ut ceterae inferiores Ecclesiae ab ea dependerent eique subderentur in actibus proprii muneris et officii, importare tamen – subordinationem in illis, quae respiciunt maiores titulos, maiores modos solemnitatum, et maiorem dignitatem – arguit cum Rota in Recent. decis. 281 n. 9 part. 15. Exinde vero ortum ducere dixit ius prohibitivum, ne praeeminentiae honor in nudum recideret nomen ac titulum, ubi omnibus inferioribus Ecclesiis pari ratione se gerere cum Ecclesia Matrice integrum esset. Contendit etiam praefatus Defensor, Archipresbiterum Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris etiam in Ecclesiis

S. Iacobi et S. Sepulchri interessendo genuflexorio cum tapete et pulvinari gaudere, quum quoad Ecclesiam Collegiatam S. Mariae Maioris id constaret ex Decisionibus Rotalibus in Tranen. Praeeminentiae 18 martii 1689 coram Caccia, in alia Tranen. 16 ianuarii 1690 coram eodem Caccia §. Rursus, et in altera Tranen. Praeeminentiarum super reservatis 20 februarii 1713, et in Confirmatoria 3 iunii 1715 coram Scotto, aliaque confirmatoria 19 novembris 1717 coram Ansaldo, et ex Decreto S. R. Congregationis diei 13 septembris 1670, et ex alio Decreto diei 18 februari 1710, ac quoad alias Ecclesias ex Apostolicis Literis Clementis XII *In Suprema* datis tertio idus iulii 1731, quin obesset, quod in praefatis Literis nuda haberetur enunciativa. Respondit enim cum S. Rota in citata Tranen. Praeeminentiarum super reservatis 20 februarii 1713, et in Confirmatoria 19 novembris 1717 coram Ansaldo, quod quum enunciativae – a Suprema Potestate prodierint, intrat regula, quod suppositum ab habente potestatem disponendi habetur pro dispositione –.

126. Contra Patrocinator Collegiatarum S. Iacobi et S. Sepulchri negavit in primis Ecclesiae S. Mariae Maioris ius prohibendi, quominus eadem Capitula adhiberent in Vesperis solemnibus Ministros pluviali indutos, nec non impediendi, quominus praefatae Collegiatae in Missis solemnibus Presbitero assistente uterentur et adhiberent quatuor vel sex Clericos intorticia deferentes post praefationem usque ad elevationem Calicis in vim Bullae Clementinae, qua praecipue ipsa nitebatur. Nam id in parte dumtaxat narrativa, minime vero in dispositiva de hisce mentio fiebat. Idcirco iustificatione indigebat, in casu praesertim ubi expressa erat clausula – sicut accepimus –. Verum etiamsi huiusmodi honores ad Capitulum S. Mariae Maioris spectarent, haud exinde tamen inferre licebat, eidem ius esse prohibere, quominus aliae eiusdem Civitatis Ecclesiae iisdem uterentur honoribus: necesse enim foret ius, quod obiiciebatur, privativum demonstrari, de qua tamen privativa in Apostolicis Literis ne verbum quidem excidebat. Eoque minus privativum ius argui posse dixit ab adserta Matricitate. Nam praeterquamquod Matricitas in casu non propria esset, sed impropria, accedebat etiam, nec verae Matricitati praetensa competere iura. Neminem quippe unum inter Canonistas adesse monuit, qui de privativo Matricis usu quoad intorticia Ministros vel Presbiterum assistentem verba faciat: omnes vero nihil praeter aliquod honoris signum in limine erectionis servandum, ac praecedentiam anterioritatis Ecclesiis Matricibus competere tradunt. Praeterea Ecclesiae S. Iacobi et S. Sepulchri ad insignes Collegiatas iam erectae erant, et iisdem honoribus, ceteris Collegiatis tribui solitis, auctae; imo vestibus exornatae, quibus Capitulares adversarii utebantur. Idcirco nedum ob non ius Actoris, verum etiam ob bonum Collegiatarum ius adversarii Capituli intentio elidebatur. Itaque ad Ministros quod attinebat in Vesperis solemnibus adhibendos, nisus est Defensor dispositione Caeremonialis Episcoporum lib. 2 cap. 3 tit. de Vesperis etc., ubi praeceptivis verbis ritus hic praescribitur servandus in Collegiatis; idemque declaratum fuit a S. R. Congregatione in Sypontina 8 maii 1631. Ad Missam pariter quod spectabat et intorticia ad finem praefationis accendenda praesto erat rubrica Missalis Romani sub titulo Ritus servandi in celebratione Missae §. VIII de Canone Missae usque ad consecrationem n. 8. Tandem quoad Presbiterum solemni Missae adsistentem usus est auctoritate S. R. Congregationis in Oriolen Praeeminentiarum 4 martii 1747, et praesertim in Caesenaten. 29 martii 1559 apud Gardellinium sub numero 1825, ubi mandatur, ut consuetudo huiusmodi legitime praescripta servari debeat, quae in praefatis Ecclesiis nedum legitime praescriptâ triginta vel quadraginta annorum, sed et immemorabilis erat. Negavit insuper dictus Defensor, teneri Capitula S. Iacobi et S. Sepulchri parari Archipresbitero S. Mariae Maioris genuflexorium cum tapete viridi et pulvinari, quoties hic ad eorum Ecclesias accederet. Nam huiusmodi privilegium in parte tantum Bullae Clementis XII narrativa de hoc privilegio sermo fiebat. Quin imo licet privilegium hoc demonstraretur ex praedicta Bulla Clementina, nihilominus abrogatum in praesens habendum erat. Rem confecit ex Constitutione s. m. Pii VII anni 1823, cuius initium *Decet*

Romanos Pontifices, in qua insignia Episcopalia Capitulis ac Dignitatibus concessa correcta et abrogata fuerunt, confirmatis S. R. Congregationis Decretis apposite editis die 27 augusti 1822. Notum autem erat, ex caeremoniali Episcoporum lib. 1 cap. 12 genuflexorium panno viridi coopertum ad insignia Episcopalia pertinere.

127. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Capitulo S. Mariae Maioris ius competat prohibendi, quominus Capitula S. Iacobi et S. Sepulchri adhibeant in Vesperis solemnibus Ministros pluviali indutos in casu etc. II. An eidem Capitulo S. Mariae Maioris ius competat impediendi, quominus praefatae Collegiatae in Missis solemnibus Presbitero assistente utantur, et adhibeant quatuor vel sex Clericos intorticia deferentes post praefationem usque ad elevationem calicis in casu etc. III. An eadem Capitula S. Iacobi et S. Sepulchri teneantur parare pro Archipresbitero S. Mariae Maioris genuflexorium cum tapete viridi et pulvinari, quoties hic cum cruce et habitu chorali ad eorum Ecclesias accedit in casu etc. –, Sacra Congregatio die 31 martii 1855 respondit: – Ad primum secundum et tertium, Negative –. Repropositis dein dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? III. An sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, in decisis; et amplius. Ad tertium, recedendum a decisis; et amplius – *in Tranen. Honorificentiarum die 14 Februarii 1857*.

128. Quin imo si nulla prorsus probationis specie nitatur praetensio Matricitatis, Sacra Congregatio peremptorie eam illico e medio tollit *in Cassanen. Matricitatis et Praeeminentiarum die 3 Aprilis 1756*.

129. Siquidem duae erant in Diaecesi Cassanensi eiusdem nominis Terrae; altera, quod in vertice collis sita esset, nuncupabatur *Castelluccio superiore;* altera, quod ad eiusdem Collis radices assurgeret, vocabatur *Castelluccio inferiore*. Inter utrasque intervallum erat unius milliarii. Contenderunt Incolae superioris Terrae, inferiorem extructam fuisse a Terriginis superioris allectis a commoditate planitie atque amaenitate loci: quidquid autem huius rei esset, illud certum videbatur, Terras has, excepta Territorii promiscuitate, omnino divisas distinctasque esse a tempore, cuius nulla memoria erat, tam in spiritualibus, quam in temporalibus rebus. Habebat utraque suam Ecclesiam Matricem; superior nuncupabatur S. Margaritae, cuius Rector erat simplex Parochus; inferior dedicata erat divo Nicolao, et eius Rector Archipresbiterali titulo dudum decoratus fuit. Placuit tamen Episcopo anno 1749 Ecclesiam S. Margaritae superioris Terrae in Archipresbiteralem erigere. Hinc ortae lites et controversiae inter Clerum utriusque Terrae, contendentibus Archipresbitero et Clero inferioris Terrae, competere eorum Ecclesiae Matricitatem supra Ecclesiam superioris. Proposito vero dubio: – I. An constet de Matricitate Ecclesiae S. Nicolai Terrae Castellucci inferioris supra Ecclesiam S. Margaritae Terrae Castellucci superioris in casu etc.», Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Cassanen. Matricitatis et Praeeminentiarum die 3 Aprilis 1756*.

130. Praesumptio enim favet libertati Ecclesiae et exemptioni a iuribus matricitatis, Rot. in decis. 1123 n. 3 coram Emerix, in decis. 61 n. 2 part. 9, in decis. 150 n. 9 part. 7 Recentiorum, maxime si longaeva possessio stat pro libertate, Rot. in decis. 96 n. 27 tom. 1 coram Veri *in Romana Matricitatis die 27 Maii 1809* §. *Emus*.

131. Unde Ecclesia parochialis nullam habet superioritatem in alia Ecclesia de iure patronatus laicorum sita intra suos limites, nisi quoad exercitium iurium parochialium; quandoquidem quum Praepositus Ecclesiae S. Petri Terrae Vasti praetenderet, sed adamussim non probaret, suam Ecclesiam esse Matricem quoad Ecclesiam sine cura nuncupatam Beatae Mariae Virginis de Pinna, ab eadem Terra tribus passuum millibus versus mare distantem, proposito dubio: – II. An constet de superioritate Ecclesiae S. Petri Terrae Vasti, ita ut Ecclesia Sanctae Mariae de Pinna sit eidem in omnibus subiecta? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Negative praeterquamquod iura pa-

rochialia – *in Theatina die 15 Novembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

132. Quapropter quum Heredes iuxta mandatum Testatoris publicum Oratorium seu Ecclesiam, in qua certus Missarum numerus celebrari deberet, extruxerint, sed illam aperire non possent, nisi sub conditione, quod Parochus, intra cuius fines sita erat, ad sui libitum quaslibet functiones exercere valeret, et ad hunc finem ipsius Oratorii alteram clavem retinere deberet, ad formam Synodi diaecesani, sub poena nullitatis concessionis et interdicti ipso facto eiusdem Oratorii seu Ecclesiae, interposito ab eisdem Heredibus seu Patronis recursu, Sacra Congregatio declaravit, Oratorium seu Ecclesiam habere dependentiam sive subiectionem quoad functiones parochiales tantum, quin liceret Parocho independenter a Patronis explere in eo functiones ad sui libitum, et clavem retinendam esse a Capellano *in Comen. Iurium parochialium die 9 Iunii 1714 lib. 64 Decretorum.*

133. Enimvero – ab humanis decessurus Ioannes Baptista a Turre, heredibus in suprema voluntate nuncupatis, prae ceteris, onus adiunxit, ut aedificari curarent Ecclesiam in Terra Mastennae sub invocatione S. Ioannis Baptistae, eamque decenti ornatu, perpetuis futuris temporibus, providerent, in qua Missarum Sacrificia sub expressa quantitate operarentur Fratres pro tempore commorantes in Conventu S. Mariae Rezzonici, cui animarum cura incumbit; ipsis vero deficientibus, facultatem fecit heredibus eligendi sibi ipsis benevisum Sacerdotem, qui onera iniuncta exequeretur, ut latius ex documentis, quae in Summario dabuntur. In obsequium piae huiusce dispositionis Andreas Trincanus Oratorium publicum sive Ecclesiam erigi curavit in praedicta Terra Mastennae eius iurisdictionali feudo, exindeque effusis precibus pro opportuna facultate idipsum Oratorium aperiendi sub anno 1705 expetitum Decretum obtinuit, sine tamen praeiudicio iurium parochialium, ea insuper adiuncta conditione: « ita tamen, quod Oratorium praedictum semper sit Parochiali suppositum et ab ea dependens, liceatque Parocho pro tempore in eo celebrare aliasque parochiales functiones ad eius libitum voluntatis quandocumque exercere absque ulla prorsus contradictione, et ad hunc finem ipsius Oratorii alteram clavem habere debeat ad formam Constitutionis Synodi VII diaecesanae, sub poena nullitatis praesentis concessionis, et Interdicti ipso facto eiusdem Oratorii». Minus quidem placuit Fratribus de Trincanis huiusmodi Decretum, autumantibus sibi ipsis valde obnoxium esse; praesertim quia ius Parocho attribuitur exercendi in Oratorio functiones parochiales alteramque clavem retinendi. At praetensa iura protegente Vicario Curato praelibatae Ecclesiae Rezzonici, intra cuius fines saepedicta Ecclesia comperitur erecta, nuper deducta fuit huiusmodi controversia ad Sacram hanc Congregationem.

134. Hinc reportata Episcopi informatione, qui votum suum in iudicio EE. PP. reposuit, dignabuntur ipsi sapiens oraculum pandere super tribus concordatis dubiis: – I. An Ecclesia sive Oratorium publicum S. Ioannis Baptistae situm in Terra Mastennae de iurepatronatus Fratrum de Trincanis habeat dependentiam sive subiectionem tam in functionibus parochialibus, quam non parochialibus ab Ecclesia parochiali Rezzonici in casu etc. II. An liceat Parocho dictae Ecclesiae Rezzonici independenter a Patronis explere functiones parochiales in dicto Oratorio ad sui libitum, iis invitis, et quas in casu etc. III. An retentio clavis dicti Oratorii spectet solum ad Patronos, seu Personam ab iis deputandam, vel potius Patroni teneantur tradere alteram clavem Parocho in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Negative. Ad tertium, clavem retinendam esse a Capellano pro tempore, non autem a Parocho; et amplius – *in Comen. Iurium parochialium die 9 Iunii 1714 lib. 64 Decretorum.*

135. Hinc ex eo quod Parochus retineret claves Ecclesiae intra Paraeciae limites sitae, et Episcopus in actu Visitationis semel illam nuncupaverit filialem, haudquaquam argui valet eiusdem dependentia aut subiectio, cum habeat proprium Capellanum, qui independenter a dicto Parocho functiones non parochiales obierit ac in ea pias oblationes collegerit *in Reatina Capellaniae die 28 Ianuarii 1860 et die 26 Ianuarii 1861.*

136. Siquidem Capellaniam sub invocatione S. Mariae de Monte in Ecclesia huius tituli, quae duo circiter millia passuum ab Oppido Burbonis distabat, erectam contulit utriusque Siciliae Rex Clerico ac dein Sacerdoti Ioanni Laurentio Marinucci. Bonorum ad Capellaniam pertinentium possessionem facile obtinuit Marinuccius a Congregatione, quae Ecclesiarum Reatinae et Spoletinae Diaecesium intra fines Regni existentium administrationi praeerat. Ecclesiae verumtamen claves, quae a Parocho Burbonis retinebantur, semel atque iterum petiit, sed incassum. Eas namque iure merito retineri a Parocho tum hic, tum Capitulum loci eiusdem contendebant ferentes, Ecclesiam hanc subiectam esse Parochiali, ac nemini ius esse praeterquam Capitulo et Parocho in eadem celebrandi ecclesiasticas functiones. Episcopus Decretum tulit favore Marinucci (1): unde Parochus et Capitulum ad Sacram Congregationem appellarunt. Nam in Regali cedula de iuribus et honoribus in Capellanum translatis generice solum unum vel alterum cecidit verbusculum, quin eorum species aut qualitas ullimode fuerit designata. Probarunt autem ex testimonio duorum finitorum Oppidorum Parochorum, praefatam Ecclesiam fuisse ab immemorabili subiectam Parochis Burbonis, quin unquam in ea aliquid gestum fuisset absque eorumdem licentia. Insuper ex Decreto Visitationis anni 1828 claves praefatae Ecclesiae ad praedictos Parochos pertinebant, et ex Decreto Visitationis anni 1836 dicta Ecclesia renuuciabatur filialis Paraeciae Burbonis. Asseruerunt etiam, in actu Visitationis anni 1852 Episcopum, auditis Partibus, Decretum tulisse, quo agnoverat Parochi et Capituli iurisdictionem. Capellanus contra sustinuit, merito Episcopum declarasse, quaenam iura huiusmodi Capellaniae adnexa essent, quin Parochus ius haberet sese in cultu et functionibus dictae Ecclesiae, quae peculiarem habebat Ministrum, ingerendi. Nam Sacra Congregatio Concilii et S. Rituum Congregatio constanter docuit, Ecclesias non parochiales haudquaquam dependere a Parocho, intra cuius Paraeciae limites sitas, ideoque firmavit, munus celebrandi Missas etiam solemnes sive pro vivis, sive pro defunctis, itemque functiones omnes non parochiales obeundi, ad Capellanos tantummodo pertinere; multoque minus ius esse Parochis in huiusmodi Ecclesiis oblationes et eleemosynas colligere, quin obesset, quod Parochus in ea functiones obierit, vel aliis licentiam tribuerit. Nam contrarii Testes deponebant, id accidisse, quum Beneficium vacaret, vel Capellanus procul ab Ecclesia resideret. Nec clavium detentio aliquid iuris ei tribuere poterat, cum huiusmodi detentio, nisi de titulo constet, non iurisdictionem, sed meram custodiam innuit, Gratian. discept. for. cap. 503 n. 3 ad 7, Rot. coram Buratto decis. 32 n. 8. Demum nec Episcopale Decretum anni 1836, quod dictam Ecclesiam nuncupavit filialem iurisdictionem vel subiectionem constituere poterat. In Bulla enim, cuius initium *In eminenti,* ab Anastasio IV edita anno 1153, utriusque Ecclesiae fiebat mentio, quin ulla iurisdictionis vel subiectionis vola occurreret. Apud Episcopale tabularium multa servabantur acta, in quibus parochialis Ecclesia cum suis Capellis recensebatur, nec tamen inter eas comprehendebatur Ecclesia S. Mariae de Monte: immo haec seiunctim semper memorabatur; alibi

(1) Iamvero Episcopus ad omnem iurgiorum occasionem praecidendam statuit, – 1. che l'attuale possessore dei beni pertinenti al cosi detto Benefizio o Cappellania di S. Maria del Monte in Borbone D. Giovanni Lorenzo Marinucci sarà il Rettore e Custode di detta Chiesa sotto l'immediata dipendenza dell' Ordinario; 2. In conseguenza vogliamo e comandiamo, che ad esso Marinucci fra otto giorni dalla partecipazione della presente siano consegnate le chiavi di detta chiesa e suoi annessi da quello o quelli, da cui si ritengono. Entro questo termine sarà fatto dal Parroco suddetto uno stato di tutto ciò, che esiste in detta fabbrica contigua e nella Chiesa. Una copia di questo rimarrà presso il Signor Marinucci, un' altra sarà consegnata nell' archivio parrocchiale, ed una terza verrà rimessa in questa Cancelleria Vescovile; 3. il Rettore della Chiesa avrà il diritto esclusivo di esercitare in essa le funzioni sacre, eccettuate le parrocchiali, salvi i diritti del Parroco e del Capitolo, che risultino da titoli, o legalmente prescritti; 4. il Rettore darà conto alla fine di ogni anno a noi o al nostro Vicario Generale in Regno delle elemosine raccolte in detta Chiesa, le quali verranno a nostro arbitrio e del nostro Vicario Generale suddetto erogate nel mantenimento della Chiesa e dei sagri arredi, o in altri usi in beneficio della Chiesa suddetta. E ciò senza pregiudizio del conto del tempo decorso, da rendersi da chi di ragione –.

Capellano titulus Rectoris et Possessoris Ecclesiae tribuebatur. Capellani insuper iura, quae Episcopus in praedicto Decreto statuit, perpetuo exercuerunt; ac tempore vacationis, anno scilicet 1828 ad annum 1833, Diaecesana Congregatio curam illius suscepit. Haec sane praesertim simul coniuncta quamlibet dependentiae pertinentiae aut subiectionis speciem evertebant.

137. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An sit servandum Episcopale Decretum diei 17 iunii 1857 in casu? -, Sacra Congregatio die 28 ianuarii 1860 responsum tulit: - Affirmative -. Reproposito dein dubio sub formula: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - In decisis - *in Reatina Capellaniae die 26 Ianuarii 1861.*

§. I.

ECCLESIA PAROCHIALIS QUOAD AEDIFICATIONEM ET RESTAURATIONEM

1. Sedulo curandum est, ut parochiales, Ecclesiae vel temporum iniuria, vel vetustate collabentes summa cura ac diligentia reficiantur *in Tudertina Restaurationis Domus parochialis die 21 Novembris 1772* §. *Sedulo.*

2. Nam Concilium Tridentinum in sess. 21 cap. 7 de reformatione graviter monet, ut fatiscentes parochiales Ecclesiae serventur incolumes *in Tudertina Suspensionis provisionis Paraeciae die 24 Novembris 1804* §. *Hinc.*

3. Unde Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati curare tenentur, ne parochiales Ecclesiae temporum iniuria excidant atque ruant *in Comen. Translationis Missarum die 15 Septembris 1764* §. *Concilium.*

Item *in Feretrana die 10 Septembris 1818* §. *Nequit.*

4. Nullum hinc dubium, quin Episcopus curare debeat prout de iure, ne reparationes Ecclesiae negligantur; quandoquidem cum Summus Pontifex Leo XII Literas in forma Brevis ediderit sub die 14 iunii 1825, quibus praecipiebatur, ut nonnullae noviter Paraeciae erigerentur, quaedam ex extantibus supprimerentur, aliae amplioribus, antiquioribus aliae limitibus circumscriberentur, cumque Parochus S. Petri ex reditibus suppressae Paraeciae S. Iuliani Ecclesiam laudati S. Iuliani reficere nec non praestare quotannis deberet scutata quadraginta, triginta videlicet Vice-Parocho, decem vero pro sacris utensilibus Ecclesiae S. Ansani, idque in perpetuum vel saltem ad decennium, atque allegans Ecclesiam S. Iuliani plurimis indigere reparationibus postulaverit, ut absolveretur ab onere praestandi praedicta scuta quadraginta, proposito dubio: - An et quomodo annuendum sit precibus Prioris Parochi S. Petri in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Negative in omnibus, et Archiepiscopus curet prout de iure, ne negligantur reparationes Ecclesiae - *in Spoletana Praestationis die 22 Februarii 1851.*

5. Quando enim agitur de Ecclesiae parochialis deteriorationibus eiusque bonis, tam stabilium, quam utensilium ad effectum eadem reficiendi, Episcopus procedere debet prout de iure *in Neapolitana die 9 Ianuarii 1726* (1).

6. Idcirco Episcopus iure ac merito in sacra visitatione mandavit, sequestrandos esse fructus decimales ad restaurandam Ecclesiam parochialem eamque sacris supellectilibus instruendam, cum Abbas Commendatarius huiusmodi onus in Literis Apostolicis indictum neglexisset, ac reditus praefatae Ecclesiae valde exigui essent *in Bossanen. Reparationis Ecclesiae parochialis die 11 Martii 1741.*

7. Enimvero Didacus Santucchio anno 1726 obtinuit, sibi a s. m. Benedicto XIII in com-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Archipresbiter*, §. I a n. 53 ad 59, Tom. II.

mendam concedi Abbatiam Sanctissimae Trinitatis de Sacargia, cui Prioratus seu parochialis Ecclesia S. Petri Oppidi de Escano in temporalibus dumtaxat reperiebatur adnexus, lege in Apostolicis Literis indicta hisce verbis: – Ita quod liceat eidem Didaco debitis et consuetis eiusdem Monasterii ac dilectorum etiam filiorum Conventus eiusdem supportatis oneribus ac soluta quarta, si Abbatialis separata et seorsim a conventuali in restauratione illius fabricae seu ornamentorum vestium aut paramentorum emptionem seu sarcitionem etc. Si vero communis inibi mensa fuerit, tertiam partem omnium et singulorum dicti Monasterii fructuum etc. et proventuum pro praemissis supportandis etc. annis singulis etc. ordinari ac disponere –. Animadvertens autem Episcopus in pastorali visitatione anni 1738, dictam parochialem Ecclesiam S. Petri adeo pauperem esse, ut annuus eius reditus vix sufficeret pro sumptu candelarum et olei lampadis, quae accensa ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum detinebatur, illiusque proinde Sacrario omni ferme supellectili orbato, quin et fabricae plurimis indigenti reparationibus ratione aliqua consulendum esse, ad preces Ioannis Leonardi Procumartis eiusdem Ecclesiae Procuratoris decrevit, – sequestrandam fore et esse pro nunc quartam partem fructuum decimalium a Parochianis Oppidi de Escano solvendorum quotannis, donec et quousque praefata Ecclesia reparetur, et de contentis in precibus adiunctis, prout in Decretis nostrae visitationis apparet, debite dicta Ecclesia provideatur, et ad hunc effectum expediendum esse mandatum directum Ioanni Effis Lopez collectori dictorum fructuum pro parte dicti R. D. Abbatis, quatenus eam tradat Procuratori Ecclesiae praefatae sub poena etc., prout praesenti nostrae visitationis Decreto sequestrari et tradi respective mandamus –. Reclamavit memoratus Abbas et Prior Santucchio; sed propositis dubiis: – I. An Decretum factum ab Ordinario in Visitatione et sequestrum appositum super fructibus decimalibus sustineatur? *Et quatenus negative.* II. An Prior Commendatarius S. Petri de Escano singulis annis teneatur erogare quartam partem fructuum decimalium in restaurationem Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Bossanen. Reparationis Ecclesiae parochialis die 11 Martii 1741.*

8. Vertente itaque controversia inter Universitatem et Archipresbiterum quoad reparationem Ecclesiae parochialis, Sacra Congregatio primum mandavit, ut coadiuvarentur probationes hinc inde, et interim Ordinarius incumberet reparationi tecti, salvo iure repetendi a quibus de iure, firma tamen remanente suspensione Interdicti usque ad exitum Causae, quod praefatus Ordinarius tulerat ad effectum, ut repararetur praefatum tectum Ecclesiae, ac inde concessit quidem admissionem articulorum, sed statuit simul, ut interim per modum provisionis sine praeiudicio iurium Partium provideretur, ne tectum rueret, sumptibus communibus Universitatis et Archipresbiteri, salvis iuribus repetendi medietatem, prout de iure, a Parte succumbente *in Beneventana Reparationis Ecclesiae die 28 Martii 1716 et die 31 Iulii 1717 lib. 66 et 67 Decretorum.*

9. Siquidem – Emus Archiepiscopus Beneventi in sacra visitatione anni 1714 mandavit, per Universitatem reaptari tectum unicae Ecclesiae parochialis S. Nicolai in Terra Ceppaluni existentis sub poena Interdicti eiusdem Ecclesiae, successive restricti ad Baptisterium et sepulturas; et quia cadavera tumulabantur in Oratorio Sanctissimae Annunciatae PP. S. Francisci, Interdictum fuit extensum etiam ad sepulturas dicti Oratorii. Iannottus Archipresbiter et Parochus dictae Ecclesiae contendit, Universitatem obligatam esse ad dictam reparationem, ex antiqua consuetudine deducta ex actis Visitationis anni 1693, in quibus inter cetera habetur: « Quoad extraordinarias reparationes pavimentum et sepulturas, tenetur Universitas »; nec non ex instrumento occasione consecrationis dictae Ecclesiae stipulato anno 1694, in quo Magistratus seu Electi se et dictam Universitatem obligarunt Ecclesiam « manutenere et reparare, prout hactenus, iuxta acta sacrae visitationis ». E contra vero Universitas non solum nullam praetendit obligationem ab Electis emissam, uti iuris solemnitatibus destitutam, sed ulterius nullius roboris et momenti, cum habeat relationem ad

solitum et consuetum, quod acriter impugnat, excepta refectione Campanilis, super qua lis agitata fuit anno 1699, et successive inita concordia auctoritate Delegati ab Emo Archiepiscopo, in qua Universitas se obligavit ad refectionem Campanilis, et Parochus ad benedictionem et distributionem candelarum in die Purificationis Beatae Mariae Virginis. Plures Testes hinc inde deducuntur in Summariis super controversa consuetudine, et ad defendendam et impugnandam respective iustitiam et subsistentiam Interdicti, quo durante cum Populares Ceppaluni coacti fuerint cadavera defunctorum maximo cum incommodo gravioribusque impensis ad longinquas Ecclesias et alienas Parochias deferre, et emolumenta parochialia tam Ecclesiae tumulanti, quam proprio Parocho persolvere, hinc credunt obligatum eorum Parochum ad restitutionem dictorum emolumentorum –.

10. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An onus reparandi Ecclesiam Archipresbiteralem Terrae Ceppaluni spectet ad Universitatem, vel potius ad Archipresbiterum eiusdem loci in casu etc. II. An sustineatur Interdictum appositum a Curia Archiepiscopali, aut sit removendum in casu etc. III. An et quae emolumenta funerum per dictum Archipresbiterum tempore praefati Interdicti percepta teneatur idem Partibus restituere in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 martii 1716 respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes hinc inde, et interim Emus Archiepiscopus dignetur incumbere reparationi tecti, salvo iure repetendi a quibus de iure, firma remanente suspensione Interdicti usque ad exitum Causae –. Productis novis documentis per Archipresbiterum Ceppaluni in Summario exhibendis, Communitas eiusdem Oppidi in novissima Congregatione extra ordinem et folium instetit pro admissione articulorum, et Rescriptum emanavit: « Ponatur in folio pro prima et interim supersederi » –. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Detur commissaria, et interim per modum provisionis sine praeiudicio iurium Partium provideatur, ne tectum ruat, sumptibus communibus Universitatis et Archipresbiteri, salvis iuribus repetendi medietatem, prout de iure, a Parte succumbente – *in Beneventana Reparationis Ecclesiae die 31 Iulii 1717 lib. 66 et 67 Decretorum.*

11. Quum autem Sacra Congregatio declaravisset, reparationem Ecclesiae curatae Canis mortui spectare ad Card. Abbatem Commendatarium Abbatiae S. Mariae de Plano, cui Ecclesia illa unita erat, proposito dubio: – An et quomodo sit instauranda, sive iterum aedificanda et providenda de necessariis, ita ut sit locus sequestro super fructibus, et cui sit committenda exequutio? –, respondit: – Restaurandam esse ad formam antiquae Ecclesiae, et providendam de necessariis pro administratione Sacramentorum – *in Sabinen. Reparationis Ecclesiae die 18 Maii 1679.*

12. Attenta hinc oblatione Periti a Parochianis electi, qui praestita fideiussione onus reparandi sartasque tectas conservandi Ecclesias ac domos parochiales suscipit, locus non est reaedificationi, sed potius restaurationi sumptibus Parochi pro tertia parte, et Parochianorum pro reliqua, licet Peritus a Parocho electus et alter uti peritior deputatus censeat, inutilem esse restaurationem ob soli naturam *in Brictinorien. die 18 Septembris et die 20 Novembris 1756.*

13. Iamvero Hieronymus Mambellius, qui parochialem Ecclesiam S. Andreae Villae Dugheriae alteramque S. Ioannis Baptistae eidem unitam possidebat, cum utraque fatisceret et dilaberetur, Parochianos in ius vocavit, ut ab iis sarcirentur. Decrevit Vicarius Generalis, Parochianos pro tribus partibus ad reparationis impensas obstrictos esse, Parochum pro parte quarta. Appellarunt Parochiani ad tribunal A. C., sed Causae cognitio in devolutivo tantum data fuit Sacrae Congregationi. Post haec Parochus contendere cepit, parochialem Ecclesiam S. Andreae reparare inutile esse futurum ob soli, in quo aedificata erat, naturam; et satius esse, ut in loco diverso et firmiori reaedificaretur. Mandata igitur fuit iurisdictio Episcopo Foroliviensi, ut eligerentur Periti, qui de statu Ecclesiae et loci referrent. Parochiani Peritum suum elegerunt, qui censuit, utramque Ecclesiam reparari facile posse, et ad illas reparandas sartasque tectas conservandas praestita idonea fideiussione sese obtulit: Parochus quoque Peritum suum elegit, sed

inde ab alio Perito iudicium datum fuit, qui censuit, Ecclesiam S. Ioannis Baptistae reparari posse, non vero alteram S. Andreae, eique adnexam domum parochialem, quia solum nimis infirmum erat. Dissidentibus itaque Peritis, tertius electus fuit, qui accessit Perito Parochi. Hinc disputarunt Parochiani, nullam duarum peritiarum, quae Parocho favebant, habèndam esse rationem, quod primus neque a Iudice electus, neque confirmatus fuerit, alter vero, qui uti peritior electus fuit, rudis esset et artem non intelligeret; spectandum esse iudicium Parochianorum, qui suo periculo opus redimere volebant. Idcirco reaedificationi locum non esse contenderunt: reparationem autem faciendam esse impensis Parochi, qui uberes annuos fructus scutorum 150 ex Parochia percipiebat. Nam Sacrorum Canonum et praesertim Tridentini dispositione cautum est, ad Parochianos veniendum non esse, nisi cum Parochiae reditus ita tenues sint, ut vix congruae Parochi sustentationi sufficiant. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus restaurationi Ecclesiae parochialis S. Andreae et S. Ioannis Baptistae et respectivae domus parochialis Villae Dugheriae, sive potius reaedificationi, quo in loco et quibus sumptibus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 septembris 1756 responsum dedit: – Dilata ad primam post aquas, et ad D. Secretarium pro provisione capienda super necessariis reparationibus –. Reproposito dein dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Esse locum restaurationi utriusque Ecclesiae et domus parochialis sumptibus Parochi pro tertia parte, et Parochianorum pro reliqua, accepta oblatione per Biagolinum praestita idonea fideiussione in statu Ecclesiae – *in Brictinorien. die 20 Novembris 1756.*

14. Alias congruus videtur restaurationis modus, quem proponit Architectus, cum in hoc plurimum Peritis in arte deferatur *in Ripana die 16 Iunii 1787* §. *Quantum.*

Item *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852* §. *Iamvero.*

15. Ceterum non decet sine pompa restaurare Ecclesiam *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852* §. *Iamvero.*

16. Quin imo expedit ad excitandam et fovendam Populi fidem et devotionem, ut Templa magnifice construantur *in Lisbonen. die 23 Augusti 1760* §. *Et quoniam.*

Item *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852* §. *Iamvero.*

17. Hinc ex eo quod muri Ecclesiae parochialis fatiscerent et reaedificari non posset in eodem situ, utpote nimis angusto pro recipiendis Parochianis, Sacra Congregatio mandavit, ut praefata Ecclesia alio in loco reaedificaretur, non vero restauraretur, vendito situ antiquae Ecclesiae ad effectum erogandi pretium in constructionem novae Ecclesiae, nec non suspensis Missarum oneribus pro aliis expensis aedificationis *in Pontis Curvi Reaedificationis et Translationis Ecclesiae parochialis die 13 Septembris 1777 die 18 Iulii 1778 et die 6 Martii 1779.*

18. Siquidem Episcopus Pontis Curvi anno 1739 pro recta Alumnorum in Seminario degentium institutione accersivit Patres Doctrinae christianae, quibus eiusdem gubernium et administrationem contulit ad suum beneplacitum. Anno 1742 dictum Seminarium Civitatis Pontis Curvi translatum fuit ad Oppidum Roccaesiccae. Nonnulli ex dictis Patribus Seminarium sequuti sunt, reliqui separatam domum constituentes in eadem Civitate Pontis Curvi et in aedibus antiqui Seminarii sine Ecclesia ac sine alimentis permanserunt. Ut autem necessariae substentationi consultum esset, s. m. Benedictus XIV anno 1745 tunc vacantem parochialem Ecclesiam S. Marci supradictae Civitatis cum omnibus honoribus et oneribus in administrationem eis ad decennium concessit: ac dein, praevia suppressione tituli collativi resignatae Ecclesiae parochialis S. Michaelis Archangeli dictae Civitatis, cum omnibus eius bonis et reditibus anno 1749 univit praedictae domui Patrum doctrinae christianae; mandavitque, ut universa animarum cura exequeretur in altera ex supradictis unitis Ecclesiis, quae aptior ab Episcopo iudicata fuisset, et tamquam aptior ab eo selecta fuit Ecclesia S. Michaelis Archangeli, licet deformis et fatiscens. Quo posito, Patres Doctrinae christianae solo aequarunt Ecclesiam S. Marci, quae ruinam minabatur, novumque prope eam aedificarunt Collegium, pro commoda Religiosorum habitatione. Novam etiam inde meditantibus Patribus construere

Ecclesiam prope Collegium, et in eam transferre munia parochialia, quae in Ecclesia S. Michaelis Archangeli exercebantur, contradictores invenerunt Parochianos eiusdem parochialis Ecclesiae propugnantes, ipsis admodum incommodam esse noviter construendam Ecclesiam pro Sacramentorum receptione, ideoque vel esse restaurandam, vel e fundamentis aedificandam illam S. Michaelis in eodem situ, in quo tunc semidiruta existebat.

19. Propositis interim dubiis: – I. An sit locus reaedificationi et ampliationi Ecclesiae parochialis S. Michaelis Archangeli, seu potius illius restaurationi in casu etc. II. An reaedificanda sit in eodem situ, seu potius transferenda ad aliam prope Collegium Doctrinae christianae in casu etc. *Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* III. An liceat vendere situm antiquae Ecclesiae ad effectum erogandi pretium in constructionem novae Ecclesiae in casu etc. IV. An et cuius expensis novae Ecclesiae aedificatio, aut antiquae restauratio facienda sit in casu etc. *Et quatenus expensis Parochianorum.* V. An sit imponenda taxa seu collecta et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio die 13 septembris 1777 respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem –. Datae fuerunt Episcopo literae, in quibus ab eo plura requisita fuerunt, ut super his omnibus Sacram Congregationem redderet instructam: primo nempe, quod praevia deputatione Periti seu Peritorum sibi confidentium referret, utrum parochialis Ecclesia S. Michaelis Archangeli restaurari posset, eique substrui fundamenta, quae deficere asserebantur, ut eadem stabilis et firma redderetur; secundo, an dictae Ecclesiae constructio antiquior esset contermina domo Philipporum, vel istorum domus esset antiquior constructione Ecclesiae, ut removeri iure posset sterquilinium dictae domus adhaerens Ecclesiae, simul et mandare clausuram fenestrarum existentium super tectum Ecclesiae pro ipsius ampliatione facienda; tertio, an foveae vel excavationes, quae circumdabant Ecclesiae murum, removeri possent et reparari, ne aquae penetrarent in Ecclesiam; quarto demum, utrum Ecclesiae detrimentum processerit ex natura rei, vel ex incuria et negligentia Collegii et Patrum Doctrinae chistianae, ob non factas tempore debito necessarias restaurationes, vel ex culpa et facto illorum de Philippis, causa tum dicti sterquilinii, tum projectionis aquarum et immunditiarum supra tectum Ecclesiae e fenestra seu fenestris eorum domus supra Ecclesiae tectum existentibus, mandatumque fuit, ut haec omnia gereret Episcopus, citatis et auditis illis de Philippis, pro eorum iure et interesse. His omnibus satisfecit Episcopus per relationem Peritorum deponentium, Ecclesiam parochialem S. Angeli nec restaurari posse, quia muri fatiscentes erant, quamvis Ecclesiae fundamenta, quorum defectus asserebatur, realiter existerent, et quamvis non subsisterent assertae foveae et excavationes Ecclesiae murum circumstantes, una tantum excepta illius parte versus domum cuiusdam Sparangana, ubi – si vede al di sotto il muro corroso e senza calcina –; nec eam reaedificari posse in eodem situ, utpote nimis angusto pro recipiendo Populo, quot erant Parochiani, perinde ac si omnes uno eodemque tempore ac momento in dictam Ecclesiam convenire deberent. Multoque minus eam ampliari posse retulerunt, ob impedimentum fenestrarum conterminae domus Ecclesiae de Philippis existentium supra tectum Ecclesiae, clausurae simul et remotionis sterquilinii praetensionem iniustam esse iudicarunt. Episcopus votum suum aperuit pro illius demolitione eiusque reaedificatione in loco prope Collegium Patrum Doctrinae christianae; proposuitque per folia distincta modum huius aedificandae Ecclesiae, et praesertim suspensionem ad septenarium omnium Missarum, excepta illa pro Populo, tam scilicet earum, quae oneris erant Ecclesiae in annuo numero 349, quam illarum in annuo numero aliarum Missarum 293, quarum onus Patronis Capellarum incumbebat; advertit tamen idem Episcopus, hanc Missarum suspensionem non esse exequendam – absque Patronorum consensu, quem nonnulli etsi pauci, erunt verisimiliter denegaturi –. Repropositis autem dubiis sub eadem formula, attenta suffragiorum paritate, die 18 iulii 1778 rescriptum fuit: – Iterum proponatur –. Demum eisdem dubiis Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad

secundam. Ad tertium, Affirmative cum solitis clausulis; et amplius. Ad quartum et quintum, Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi – *in Pontis Curvi Reaedificationis et Translationis Ecclesiae parochialis die 6 Martii 1779.*

20. At quum Episcopus visitationem agens illegitime decreverit, ut, utraque Ecclesia duarum Villarum sub unico Parocho solo aequata, una suscitaretur Ecclesia in situ medio et utrisque Villis commodiori, Sacra Congregatio mandavit, ut nova Ecclesia communis et apta pro utroque Populo sumptibus ipsius Episcopi construeretur *in Senogallien. Reaedificationis Ecclesiae die 30 Aprilis 1712 lib. 62 Decretorum.*

21. Iamvero – binae consistebant in eodem districtu rurales Ecclesiae una sub invocatione Sanctorum Primi et Feliciani in Villa Aprici, altera in Villa Calceroni sub titulo S. Christophori, in eisque animarum curam alternatim obibat unus Parochus, qui assidue commorabatur in primo dicta Villa Aprici, quamvis Augustissimum Eucharistiae Sacramentum in altera Ecclesia Villae Calceroni asservaretur, ubi ad eius cultum erecta nuper fuerat Sanctissimi Corporis Christi Societas. De anno vero 1705 cum iam dicta Ecclesia Villae Aprici ruinam minitaretur, a Visitatoribus ab Episcopo deputatis demandatum fuit, ut a fundamentis instauraretur, decernentibus ulterius, quod, aedificio decenter constructo, Sacra Synaxis illuc transportaretur, cum in secundo dicta Ecclesia S. Christophori absque Parochi custodia non eo, quo decebat cultu et veneratione, conservaretur. Absoluta igitur Ecclesia Aprici, enixe institerunt eiusdem Parochus et Homines pro Eucharistici Sacramenti translatione, cui petitioni Hominibus Calceroni pro viribus obsistentibus, acre litigium inter easdem partes suscitatum fuit, quod tandem in hoc Sacro Consessu decidendum ab R. P. Auditore Sanctissimi reiectum extitit; in cuius quidem remissionis sequelam datae fuerunt Literae Episcopo Senogalliensi sub die 28 iulii anni prope effluxi, ut EE. PP. instructos desuper redderet animique sui sensum aperiret. Verumtamen visitationem interea agens idem Episcopus in Terra Rocchae Contradae eisdem Villis finitima, sub die 16 subsequentis mensis augusti accersiri iussit Hieronymum Venturinum modernum Parochum cum quatuor Senioribus Villae Calceroni et septem aliis ex Villa Aprici, sciscitando ab eis, ut sedarentur lites et controversiae, quibus invicem lacessebantur, tum in Senogalliensi Curia, cum in diversis Urbis tribunalibus et potissimum coram EE. PP., an potius expediret, ut ambae recensitae Ecclesiae everterentur, atque ex earum ruderibus una suscitaretur Ecclesia in situ medio et utrisque Villis commodiori? Cui interrogationi idem dictus Parochus ea conditione adiecta assensus est, ut situs tam Ecclesiae, quam domus parochialis gratis tribueretur. Homines pariter ex Villa Calceroni convocati uno ore consensum praestiterunt, ex septem vero Senioribus Villae Aprici, duo expresse abnuerunt, unus manus suas adiutrices ad huiusmodi intentum obtulit, tres aliis morem gessuri dixerunt, alter tandem e Congregatione discessit.

22. Quibus plane suffragiis attentis, praelibatus Episcopus demandavit novae Ecclesiae constructionem, pro cuius impensis Parochianos in solidum obligatos esse edixit: atque Visitatoribus iniunxit, ut locum aptiorem recognoscerent, et cetera disponerent, qui die 17 eiusdem mensis augusti mandata huiusmodi in Visitatione implerunt. Praeparatis itaque caementis atque pecuniarum summa in scutis 48 circiter ad aedificium necessaria, modico temporis spatio, utraque Ecclesia solo aequata, fundamenta substructa fuere novae fabricae propediem perficiendae, nisi de mense octobris subsequentis conquerens de eiusmodi Ecclesiarum deturpatione, recursum ad Sacram Congregationem rursus habuisset praefatus Hieronymus Venturinus nomine etiam utriusque Villae Hominum, et inhibitionem obtinuisset, ne ultra aedificium extolleretur, autumans absque eorum legitimo consensu, atque nulla legitima impellente causa, huiusmodi innovationem a Curia Episcopali attentatam fuisse. Ceterum in suis literis sub die 11 eiusdem mensis octobris Sacrae Congregationi datis, praemonet Episcopus, ea propter processisse ad novae Ecclesiae aedificium, tum quia Ecclesia S. Christophori Calceroni ruinae proxima erat, altera vero Ecclesia Villae Aprici nimis angusta extructa fuerat, quae Populum utriusque Vil-

lae nequaquam capiebat, tum quoque, cum ob longum iter nimis incommoda comperiebatur Incolis Villa Calceroni, tum denique quia non aliter extingui poterant lites et iurgia, quae ob Parochi residentiam atque divini Sacramenti asservationem, inter homines earumdem Villarum foede a seculo exardebant, subdens ulterius idem Relator, Parochum Venturinum litem suam in Sacra Congregatione sustinere sub mendicato etiam Parochianorum nomine, qui ceteroquin eius resolutionibus acquiescunt –.

23. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Decretum Episcopi pro confectione unius Ecclesiae pro utroque Populo Villarum Aprici et Calceroni et domus pro Parocho sit exequendum, vel potius sint reficiendae duae Ecclesiae, ubi aderant, una pro singulo Populo praedicto in casu etc. II. An et cuius sumptibus dicta confectio novae Ecclesiae, vel refectio duarum sit facienda in casu etc. III. An Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis teneatur restituere pignora et reficere expensas et damna in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad mentem (1) – *in Senogallien. Reaedificationis Ecclesiarum die 30 Aprilis 1712 lib. 62 Decretorum.*

24. Qua de re dilapsa repentino casu Ecclesia parochiali, et orta controversia super loco, quo illa reaedificari deberet, Sacra Congregatio, antequam eam dirimeret, mandavit, ut conficeretur planta iudicialis cum descriptione utriusque situs controversi, ac doceretur de expensis, habito respectu ad utrumque situm *in Carpentoracten. Reaedificationis Ecclesiae die 13 Martii 1706 lib. 56 Decretorum.*

25. Siquidem – antiquam parochialem Ecclesiam Oppidi Bedoini usque de anno 1688 repentino casu dilapsam, Tabernaculum, ubi Venerabile asservabatur, ad angustam quamdam Capellam prope et extra maenia dicti Oppidi translatum statim fuit, ibique Parochus ecclesiasticas functiones, spectante et assistente ex agris ante ostium Populo, semper in posterum explevit et adhuc explet. Cumque pluries coacto consilio Consules et Homines dicti Oppidi de loco, in quo nova Parochialis reaedificaretur, disseruissent, nec in sententia convenirent, sub die tandem 25 aprilis 1695 eiusdem loci electionem arbitrio ac prudentiae Episcopi reliquerunt, qui, praehabita nedum Peritorum relatione, sed lustrato etiam personali suo accessu occasione visitationis undequaque dicto Oppido, locum ad id magis aptum magisque in omnibus accommodatum non adesse cognovit, nisi domum cuiusdam de Flassan veluti sitam in venustiori parte dicti Oppidi et iuxta plateam fonte exornatam. Illic itaque idem Episcopus sub die 25 iunii dicti anni 1695 novam Parochialem construendam esse decrevit, et ad retundendas Oppositorum exceptiones sub die 3 iunii ac 3 augusti superioris anni id iterum declaravit. Et nihilominus Oppositores ad A. C. appellare non dubitarunt, sed remissa per Auditorem Sanctissimi Causa ad Sacram Congregationem, ipsa post petitam de more atque acceptam Episcopi praemissa omnia confirmantis relationem, eamdem pariter et votum a Prolegato exquisivit. Cumque iste quoque loci ab Episcopo electi aptitudinem atque congruitatem in sua relatione comprobans, in eo novam Parochialem constituendam esse censet, EE. VV. pro sua summa prudentia modo definient: – An reaedificatio Ecclesiae parochialis sit facienda in loco electo per Episcopum, vel potius alter locus sit eligendus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Conficiatur planta iudicialis cum descriptione utriusque situs controversi, et doceatur de expensis, habito respectu ad utrumque situm – *in Carpenctoracten. Reaedificationis Ecclesiae die 13 Martii 1706 lib. 56 Decretorum.*

26. Similiter quum magnus Religionis Hierosolimytanae Magister ad effectum succurrendi animarum periculo supplicaverit, ut nova parochialis Ecclesia filialis intus fortalitium Florianae erigeretur, eo quod Ecclesia parochialis, quae in Civitate Valletta reperiebatur, nocte accessibilis non erat, dum dictae Civitatis portae nocturno tempore clausae essent, et Sacra Congregatio mandaverit, ut magnus Magister situm metiretur pro aedi-

(1) Et mens fuit, ut constructio novae Ecclesiae et domus Parochialis fieret sumptibus ipsius Episcopi communis et aptae pro utroque Populo, nec non restituerentur pignora, *ceu videre est in lib. 62 Decretorum pag. 150.*

ficanda Ecclesia, in quo tamen nec Ecclesia nec ullum aliud aedificium construeretur, inconsulta Sacra Congregatione, quae designatum etiam situm notificari voluit, propositis inde dubiis: – II. An qualis et in quo loco in executionem Decreti huius Sacrae Congregationis facti sub die 25 ianuarii 1727 sit assignandus situs pro aedificanda Ecclesia parochiali filiali intus fortalitium Florianae? III. An, huiusmodi situs designatione secuta, sit locus constructioni Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et Decretum editum die 25 ianuarii 1727 executioni mandetur intra quatuor menses, et interim fiat planta iudicialis coram domino Inquisitore – *in Melevitana die 27 Ianuarii 1728.*

27. Itaque Sacra Congregatio censuit, reaedificandam esse Ecclesiam parochialem, cum deformis ac rustica esset, adeoque mandavit, ut Parochus tempore, quo reaedificaretur Ecclesia parochialis, functiones parochiales explere posset in Oratorio Sodalium intra fines Parochiae existenti, pluribus tamen adiectis conditionibus, ne res evanesceret, ac ne in illud ingressus ibidem permanere post fugam etiam plurium annorum auderet *in Caesenaten. Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 7 Aprilis et die 21 Iulii 1753.*

28. Siquidem cum parochialem Ecclesiam divo Zenoni dedicatam vetustate iam dilabentem a solo sua pecunia restituere vellet Malatesta Parochus, eiusque mandato Architectus formam operis delineasset, aestimato integro opere scutis 800, tigna vero comparata essent conductique Fabri et operarum Magister, rogavit idem Parochus Sodales S. Iosephi, qui Oratorium satis aptum habebant intra fines suae Parochiae, ut, donec nova reaedificaretur Ecclesia (qua in re censebant Periti triennio opus esse), Oratorium ipsum ei commodarent, quo uti posset ad functiones parochiales explendas. Censuerunt Sodales, novam Ecclesiam aedificari non posse inopia pecuniarum, ita ut Parochus semel in Oratorium receptus, vel nunquam, vel nonnisi post fugam plurium annorum ab eo discederet, ductique hac suspicione negarunt Parocho, quod petebat, et adiverunt Tribunal A. C. Parochus syngrapham scripsit, qua sese obligatum voluit, impleto aedificationis tempore, Oratorium deserere, Fideiussores etiam huius rei praestitit, sed plectere non potuit Sodales. Ne igitur pecunias in lite absumeret, adiit Summum Pontificem, ut id obtineret, cum necessaria esset Ecclesiae reaedificatio, et sibi ius esset parochiales functiones in quavis Ecclesia vel Oratorio intra Parochiae fines sito explere, etiam invitis Sodalibus aut Rectoribus. Episcopus retulit: – Ecclesia parochialis divi Zenonis est admodum deformis, plus rustica, quam urbana, nullaque lege constructa, in pavimento humidissima, male se habens in tecto et parietibus etc., durante tempore necessario ad constructionem, quod ad sensum Peritorum potest esse circa triennium, idem Parochus nequit magis apte Sacramenta ministrare aliasque parochiales functiones agere, quam in dicto unico capaci Oratorio S. Iosephi intra limites Parochialis existentis etc. Dissensus Confratrum videtur irrationabilis et iniustus, eorumque timor panicus, quod Parochus semel in Oratorium ingressus non amplius ab eo egrediatur, de toto evanescit, attenta obligatione de illud post dictum tempus evacuando –. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus reaedificationi parochialis Ecclesiae S. Zenonis Civitatis Caesenae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An durante reaedificatione dictae Ecclesiae parochialis S. Zenonis liceat Parocho explere functiones parochiales in Oratorio S. Iosephi existentis intra limites Parochiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 7 aprilis 1753 respondit: – Affirmative ad utrumque, iuxta mentem; et mens est, quod per Parochum fiat depositum actuale scutorum 800, et idonea praestetur fideiussio, approbanda tam ab Episcopo, quam a Gubernatore, de solvendo pretio operis ultra dictam summam ad formam mappae, et facto per dictum Parochum deposito, ac praestita, ut supra, fideiussione, praefigatur Sodalibus terminus sex mensium a die praefixionis decurrentium, ad effectum explendi ornatus, de quibus agitur –. Non placuit Parocho haec mens, sed repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius; et moneatur acriter Procurator Malatestae – *in Caesenaten. Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 21 Iulii 1753.*

29. Imo si Ecclesia parochialis fatiscat et apta amplius non sit ad Parochianorum numerum valde auctum continendum, locus est reaedificationi eiusdemque ampliationi iuxta votum Ordinarii cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, concurrentibus etiam Sodalitiis loci pro expensis fabricae *in Nullius seu Nonantulana Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 16 Maii 1778 et die 6 Martii 1779.*

30. Iamvero Oppidum Crevacorii situm in territorio Abbatiae S. Silvestri Nonantulae unicam habebat parochialem Ecclesiam divo Stephano dicatam. Hac iam fatiscente, auctoque Oppidanorum numero, Praepositus Iacobus Gavioli preces Summo Pontifici dedit pro amplioris Ecclesiae reaedificatione, addiditque folium, in quo plures modos seu plura media proposuit ad opus istud perficiendum. Necessitatem comprobarunt Emus Abbas, Visitator ab eo delegatus, ac omnis Populus: hinc et Praepositus et Communitas dicti Oppidi et Parochiani subsidium pro expensis fabricae, quae ad scuta undecim vel duodecim millia ascendebant, promiserunt. Aliud etiam proponebatur medium, quod unicum superesse dicebatur, ad opus istud perficiendum, scilicet suppressio quatuor ex octo Sodalitiis, quae ibi erant, ut eorum bona in expensis fabricae erogarentur. At quamvis putaret Emus Abbas, - non incongruam fore enunciatam suppressionem-, attamen ad omnem evitandam perturbationem, melius et utilius censuit - gravare in annuis scutis quatuor centum pro decursu annorum viginti quinque, quoniam ad hanc circiter summam ascendit earumdem Confraternitatum oblatio -. Haec enim summa, cum aliis a Praeposito Communitate et Parochianis exhibitis, satis erat pro Ecclesiae fabrica. Omnia autem ut rite recteque implerentur, putavit Emus Abbas, delegandum esse Vicarium Generalem vel aliam ecclesiasticam Personam, eique facultates iniungendas repartiendi inter Sodalitia, iuxta uniuscuiusque vires, dictam annuam praestationem, nec non invigilandi fabricae delineationi elevationi et perfectioni, capiendique pro ipsius effectu quamcumque necessariam provisionem. His interim perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit locus reaedificationi Ecclesiae parochialis in casu etc. -, Sacra Congregatio die 16 maii 1778 responsum tulit: - Affirmative ad primam partem; et quoad secundam, ad mentem a D. Secretario Emo Abbati communicandam -. Hanc tria capita complectentem relative ad modum sumptus eorumque quantitatem pro reaedificanda Ecclesia parochiali necessariam praedictus Secretarius Emo Abbati communicavit, qui menti Sacrae Congregationis satisfecisse videbatur in eius postrema relatione. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit reaedificanda Ecclesia parochialis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative iuxta votum Emi Abbatis Commendatarii, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis - *in Nullius seu Nonantulana Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 6 Martii 1779.*

31. Idcirco Ecclesia parochialis amplianda vel reaedificanda est, ubi angusta evaserit, ob Populi incrementum *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 9 Iulii 1842* §. *Ad haec.*

32. Si enim fatiscens Ecclesia prorsus inutiles reddit restaurationis expensas, nec Dei cultus universique Populi pia vota congruum assequi possunt adimplementum, iam necessaria amplioris Ecclesiae facienda constructio satis evincitur ex Can. *Praecipimus* 16 quaest. 1, Piton. de controv. patron. alleg. 12 n. 29 *in Nullius seu Nonantulana Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 16 Maii 1778* §. *Duo.*

33. Unde Sacra Congregatio nedum nullam declaravit unionem Ecclesiae parochialis, quam Episcopus ob pecuniarum deficientiam ad effectum illam restaurandi explevit, nec non nullam edixit dismembrationem bonorum favore Seminarii, sed et mandavit, ut praefigeretur terminus unius anni Parochianis et aliis, quibus de iure, ad perficiendam fabricam parochialis Ecclesiae *in Aversana Unionis die 6 Octobris 1703 et die 5 Aprilis 1704 lib. 53 et 54 Decretorum.*

34. Siquidem - vetustate temporis collapsa parochiali Ecclesia S. Adhoeni Civitatis Aversanae, cum ob pecuniarum deficientiam omnimode restaurari nequiret, neque etiam per Parochianorum collectas, Episcopus necessarium duxit eam alteri Parochiali unire, ad quem effectum, Populo per edictum monito, habitoque Capituli consensu, ac praevio Te-

stium examine, in actu visitationis mense septembris 1697 illam incorporavit parochiali Ecclesiae S. Andreae, ut asseritur, proximiori et minori animarum numero praeditae; et ulterius quia ex huiusmodi unione plurimum augebantur reditus Rectori dictae Ecclesiae S. Andreae, nonnulla bona ad praefatam Ecclesiam S. Adhoeni spectantia ab eodem dismembravit ac Seminario Civitatis assignavit, cum consensu etiam praedicti Rectoris. Adversus huiusmodi unionem ac respective dismembrationem reclamarunt nonnulli ex filianis praefatae Parochialis S. Adhoeni praetendentes, illam minime sustineri posse, uti carentem iusta causa debitisque solemnitatibus; requisitaque de more Episcopi informatione, is acerrime illius subsistentiam tuetur, eamque exponit omnibus numeris absolutam, iuxta requisita per S. Concilium Tridentinum in cap. 5 sess. 21 de reformatione, ut ex relatione per manus EE. VV. circumferenda, ex quibus aliisque hinc inde deducendis, Partibus utrinque monitis et informantibus, ab EE. VV. responsum exquiritur: - I. An unio, ut supra peracta, sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An dismembratio bonorum, de quibus agitur, sit valida in casu etc. -; Sacra Congregatio die 6 octobris 1703 respondit: - Negative ad utrumque -. Impetrata autem nova audientia per Promotorem Fiscalem illius Curiae Episcopalis huic resolutioni non acquiescentem, non gravabuntur EE. VV. ex iuribus noviter deducendis definire: - An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Praefigatur terminus unius anni Parochianis et aliis, quibus de iure, ad perficiendam fabricam Parochialis S. Adhoeni - *in Aversana Unionis die 5 Aprilis 1704 lib. 53 et 54 Decretorum.*

35. Iamvero in Cap. 7 sess. 21 de reformatione statuitur, quod parochiales Ecclesiae instaurari debeant ex fructibus et proventibus ad illas quomodocumque pertinentibus, qui, si non fuerint sufficientes, instaurationis expensam esse suppeditandam a Patronis et aliis, qui fructus percipiunt, provenientes ex dictis Ecclesiis, et in illorum defectu cogendos esse Parochianos *in Nullius seu Farfen. Reaptationis Ecclesiae die 8 Februarii 1721* §. *Quod.*

Item *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 16 Septembris 1769* §. *De.*

36. Certum proinde est, in reaedificationem Ecclesiarum erogari primum debere illarum reditus, ex aperta Concilii lege iurisque dispositione, de qua Piringh in ius can. lib. 3 tit. 48 §. 3 n. 14, Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3 alleg. 64 n. 5, Gonzalez in Decret. lib. 3 tit. 48 de eccles. aedif. n. 7, Rot. in Recent. decis. 627 n. 3 part. 1 *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 16 Septembris 1769* §. *Certum.*

37. Absolutissima enim est iuris dispositio, quod Rectores et Parochi, qui fructibus Ecclesiae gaudent, tum ratione spiritualis coniugii; tum ratione perceptionis fructuum ad illius manutentionem teneantur, etiamsi res sit de Ecclesia iuripatronatus obnoxia, ad Textum expressum in Can. *Decernimus* 10 quaest. 1, Cap. 1 et 4 de eccles. aedificandis, et in Concil. Trid. sess. 21 cap. 7 de reformatione docent. Gonzalez in dict. Cap. 1, Tondut. resol. Benef. part. 1 cap. 38 n. 10, Amostaz de caus. piis lib. 5 cap. 6 n. 36, Fargna de iurepatronat. part. 5 can. 4 cas. 6 n. 9, et centies firmavit Rota in Recent. decis. 184 n. 2 et 3 part. 19, in Urbevetana Restaurationis Ecclesiae 2 martii 1752 §. 3 coram Vicecomite *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Quod.*

38. Ceterum in Regno Neapolitano Civitatibus incumbit parochialis Ecclesiae conservatio et Parochi Cooperatoris stipendium, si redditus ad id attributi non adsint; constitutum est enim expresse conventionis articulo 7 C. 5: - Parochialis Ecclesiae conservatio, ut et Cooperatoris Parochi stipendia, ubi reditus ad id attributi non adsint, respectivis Civitatibus incumbent, et praedes dabuntur fundi, aut vectigalis privilegiata pecunia - *in Reatina Unionis Beneficiorum die 25 Ianuarii 1823* §. *Constitutionem.*

39. Alias Concilium Tridentinum in Cap. 7 sess. 21 de reformatione Episcopis iniungit, - ut parochiales Ecclesias, etiamsi iurispatronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent ex fructus et proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomocumque pertinentibus: qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos et alios, qui fru-

ctus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectu Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacumque appellatione exemptione et contradictione remota. Quod si nimia aegestate omnes laborent, ad Matrices seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi – *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 28 Augusti 1773* §. *Duo.*

Item *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 16 Augusti 1783* §. *Concilium; in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus parochialis die 21 Februarii 1824* §. *Fatiscentes.*

40. Unde Doctores certos veluti gradus constituunt, ut scilicet prius Ecclesia restaurari debeat ex peculiaribus reditibus pro fabrica destinatis; quibus deficientibus, huiusmodi onus iis inhaereat, qui ex Constitutione aliqua vel Statuto, aut ex veteri constantique consuetudine ad id tenentur; tertio loco adigatur Parochus ex fructibus, qui a parochiali Beneficio supersunt; ac postea ceteri omnes, qui in parochiali Ecclesia Beneficia possident; deinde vero huic oneri subiiciantur Patroni, si patronatum retinere velint; et tandem Populus sive Parochiani, Benedict. XIV Instit. 100 *in Nepesina die 28 Augusti 1773* §. *Duo.*

Item *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 16 Augusti 1783* §. *Concilium; in Fanen. Restaurationis Ecclesiae ac Commutationis Voluntatis die 6 Iunii 1840* §. *Quidquid*; *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 9 Iulii 1842* §. *Ad.*

41. Idcirco si ex consuetudine constet, quod Communitas semper propriis sumptibus reparaverit Ecclesiam, ipsa etiam reparare et expurgare tenetur sepulturas pro laicis adultis et pueris inservientes *in Tusculana Reparationis Ecclesiae die 11 Ianuarii et die 1 Martii 1738.*

42. Enimvero quum Episcopus Tusculanus mandaverit, ut sepulturae Ecclesiae S. Rochi, quae antiquitus Cathedralis simul et Parochialis erat, sed inde Cathedra et animarum cura ad Ecclesiam S. Petri translata, ibidem Capellanus spirituali animarum saluti incumbens retinebatur, cadaveribus, quibus abundabant, expurgarentur, Sacra Congregatio, attenta potissimum consuetudine, qua semper Communitas Ecclesiam restauravit, nec non tenuitate redituum Capituli et Archipresbiteri Curati Cathedralis, resolvit, reparationem et expurgationem sepulturarum in praefata Ecclesia existentium pro laicis adultis et pueris fieri debere sumptibus Communitatis, sepulturarum vero Sacerdotum fieri debere sumptibus Capituli et Archipresbiteri, ex eo quod Capitulum et Archipresbiter omnia emolumenta mortuorum et funeralium percipiebant, tametsi Capitulum assereret, evanuisse pactum initum inter ipsum et Communitatem, quod emolumenta associationis cadaverum ad parvam summam fuerant redacta; his enim in terminis propositis dubiis: – III. An reparatio et expurgatio respective quatuor sepulturarum existentium in dicta Ven. Ecclesia ac inserviendarum pro laicis adultis fieri debeat sumptibus dictae Communitatis, sive potius dicti Capituli in casu etc. IV. An reparatio et expurgatio aliarum duarum sepulturarum pariter in dicta Ecclesia existentium ac inserviendarum pro Pueris et Sacerdotibus fieri debeat sumptibus Capituli vel Archipresbiteri, sive potius Communitatis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 11 ianuarii 1738 respondit: – Ad tertium et quartum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium in decisis. Ad quartum, in decisis quoad sepulturam Sacerdotum; quoad sepulturam Puerorum, spectare ad Communitatem – *in Tusculana Reparationis Ecclesiae die 1 Martii 1738.*

43. Hinc et ubi consuetudo intercedat, ob quam alicui Familiae vel Personae immineat Ecclesiarum reparatio ac manutentio, ad Parochianos haud deveniendum esse affirmant Benedictus XIV Inst. 100 n. 11, ac Engel lib. 3 Decret. de aedif. eccles. n. 8 *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Verum.*

Item *in Tiburtina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Septembris 1827* §. *Collabescentes.*

44. Similiter ad Parochum, non vero ad Patronum incumbit onus restaurandi Eccle-

siam ac supellectilibus instruendi, quoties non probet ex pluritate actuum continuatorum consuetudinem vim coactivam praeseferentem vel redituum exiguitatem, sed potius contraria habeatur consuetudo, qua ipse semper reparationibus explendis operam dedit, et quidquid Patronus impenderit ad liberalitatem refertur, nec non satis constare videatur de pingui paraeciali Praebenda, atque praeter hanc indubie decimas etiam a Patrono exigat *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845.*

45. Siquidem Antistes Nepesinus, dum die 4 iunii 1842 sacram visitationem in Ecclesia Oppidi Filacciani obiret, suo mandavit Decreto, multas in illius aedificio perfici reparationes, atque sacras, quae extabant, supellectiles resarciri novasque comparari: – quae omnia iussit exequi expensis Patroni, ad quem Ecclesiam ipsam mobiliaque necessaria pertinere cognovit –. At eques Iosephus Ferraioli, qui feudalia bona illius loci cum respectivis oneribus emerat, iudicialiter egit penes Curiam Nepesinam contra Archipresbiterum, victus tamen exiit: unde appellationem penes Sacra Congregationem interposuit. Archipresbiter tamen et Promotor Fiscalis plura in medium protulerunt, ut ostenderent consuetudinem, qua semper Patroni Ecclesiam restauraverant et supellectilibus instruere curaverant. Insuper quod si nec ex iuris dispositione, nec ex consuetudine Patronus ad huiusmodi onus ferendum teneretur, ad id procul dubio obstringi debuisset, cum Ecclesiae reditus non suppeterent. Nam ex inventario ab ipso Archipresbitero exarato et coram primo Iudice exhibito constabat, paraecialis Praebendae reditus ad scuta 281 assurgere, onera ad scuta 188, ac proinde Archipresbitero scuta 93 dumtaxat superesse. Ex adverso eques Ferraioli imprimis advertit, damna, quibus tunc occurrendum erat, tum gravia effecta fuisse, quod opportuno tempore leves reparationes neglectae fuerunt; hoc probavit duorum structorum testimonio, qui in restaurationibus conficiendis se observasse retulerunt. Idcirco in Archipresbiteri praeiudicium, qui ex officio de Ecclesiae opportuna tuitione solicitus esse debebat, subsequuta damna vertenda esse dixit, iuxta notissimum axioma: – Qui causam damno dat, damnum sarcire tenetur –. Quod si non Archipresbiteri incuriae, sed ipsius Ecclesiae vetustati et temporis iniuriae damna adscribenda essent, urgebat nihilominus absolutissima iuris dispositio, qua etiamsi Ecclesiae parochiales sint de iurepatronatus laicorum, respectivi eas Parochi ex fructibus, quos percipiunt, reficere tenentur. Generalis regula haec duplicem quidem patitur limitationem, scilicet si ex longaeva consuetudine reparationum onus in Patronum transmissum sit, et si Paraeciae reditus adeo sunt tenues, ut ad congruam Rectoris substentationem non sufficiant. At Archipresbiter haud probavit consuetudinem vim coactivam praeseferentem ex pluralitate actuum continuatorum, qui a Dynastis Castri animo inducendi talem consuetudinem expleti fuerint, cum ii, quos proferebat Patronorum actus, facile ad liberalitatem referri poterant, ideoque utpote facultativi, obligationi inducendae impares. Multa e converso erant, quae ostendebant, Archipresbiteros omni tempore reparationibus explendi operam dedisse. Unde illud etiam patebat, quod reditus Praebendae Archipresbiteralis pingues semper fuerint; probavit enim Ferraiolius, inventarium ab Archipresbitero exhibitum adeo longe a veritate abesse, ut Paraeciae reditus nedum pares essent, sed longe etiam maiores ad honestam et congruam Archipresbiteri substentationem. Ceterum expensis Archipresbiteri, sin minus expensis omnium interesse habentium accurata redituum peritia, quam Sacra Congregatio demandavit, explenda erat, si Archipresbiter probare intenderet praesentem proventuum exiguitatem; ad ipsum enim huiusmodi onus incumbebat. Hinc et Capellanus, qui ex paraeciali Praebenda emolumentum percipiebat, atque etiam Antistes, cui Archipresbiter alio prorsus titulo, quam cathedratici vel procurationis, ex fructibus Paraeciae tria rubra cum dimidio frumenti quotannis pendebat, ac tandem Familiae Romanelli et Loreti, quae super duabus Capellis Curionalis Templi iurepatronatus potiebantur, ad Ecclesiae restaurationem concurrere tenebantur. Advertit insuper, Patronum nil ex paraeciali Praebenda consequi, sed imo solvere Archipresbitero decimas in quantitate haud modica. Contra aequitatem hinc

esset, ut Patronus et decimas solvere et Ecclesiam simul conservare et reparare teneretur, quemadmodum quoad Parochianos perpendit Rota in Treviren. Reaedificationis Ecclesiae parochialis 10 februarii 1777 §. 17 et 18 coram Herzan. Archipresbiter enim praeter praebendam decimas etiam percipiens ad reparationem ac Ecclesiae manutentionem obstringebatur, cum decimarum subministratio aeque sit instituta tam pro manutentione Ministrorum Ecclesiae, quam pro illius fabricae reparatione. Demum obligatio a Concilio Patronis imposita non est positiva et absoluta, sed causativa, quatenus nempe ius praesentandi ii retinere velint.

46. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et a quo fabrica et utensilia Ecclesiae parochialis Filacciani sint reficienda in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus ab Archipresbitero – *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845.*

47. Generalis autem regula, quod Patroni non teneantur restaurare ac manutenere Ecclesiam, si Parochi et Beneficiati pingues habeant reditus, duplicem patitur limitationem, primo scilicet quando ex longaeva consuetudine reparationum onus in Patronum transfusum sit, et secundo quando Paraeciae reditus adeo sunt tenues, ut ad congruam Rectoris sustentationem non sufficiant *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Haud* §. *Altera.*

Item *in Praenestina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 28 Ianuarii 1854* §. *At.*

48. Nam consuetudini potissimum, ubi de Ecclesiarum reparatione agitur, adhaerendum esse tradunt expresse Abbas in Cap. *Quocumque* de eccles. aedif., Engel lib. 3 decret. tit. 48, Barbos. de potest. Paroch. part. 1 cap. 3 n. 18, Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 48 n. 22, Benedict. XIV Inst. 100 n. 12 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Ecclesiae.*

49. Iamvero vel ipsi actus facultativi ad divinum cultum tendentes transeunt ex longaeva consuetudine in obligationem et necessitatem inducunt, Abbas in Cap. *Tuam nobis* de simonia, Rot. decis. 860 n. 8 coram Lancetta *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris* §. *Porro.*

50. Si enim Populus statis temporibus oblationes fecerit Ecclesiae obligationem contrahit, atque ad easdem oblationes praestandas, censuris etiam cogi potest, licet ex devotione inceperit offerre, uti docent Barbosa et Pirrhing apud Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 30 n. 1851 *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Parochi.*

51. Ceterum consuetudo plenissime demonstranda est ex pluritate actuum continuatorum ac talis esse debet, ut vim coactivam praeseferat, cum actus facultativi obligationi inducendae impares sint, ad Textum in Cap. *Cum tanto* 1 de consuetud. et ibi Glossa verb. si legitime praescripta, Abb. eod. Cap. n. 17, Pirrhing tit. de consuet. n. 28, Suarez lib. 7 de leg. cap. 14 n. 5 et 6 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Haud.*

52. Quum itaque ex consuetudine constare quidem videretur, quod Communitas parochialem Ecclesiam a longissimo tempore restauraverit, sed id undequaque certum non esset, Sacra Congregatio mandavit, ut ipsa substinere deberet impensas reparationis, subministrata tamen a Parocho Beneficiatis et Sodalitiis inibi erectis aliqua summa prudenti arbitrio Ordinarii taxanda *in Balneoregien. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Septembris 1838 et die 1 Februarii 1840.*

53. Siquidem Ecclesia parochialis et prioralis Civitellae Aleani sub invocatione Sanctorum Petri et Callisti die 22 aprilis 1837 tacta fulmine fuit, ob idque tantam passa ruinam est, ut nec tuta amplius divinis obeundis officiis, neque apta videretur. Pro-Vicarius Generalis pro viribus egit cum eiusdem Oppidi Municipio, ut ad tramitem consuetudinis eam reficeret, cuius impensa summam attingebat scutorum 556 12: sed illud renuit, paratum se tamen esse dixit persolvere titulo subsidii scuta 100, quorum 40 actu inceptae reparationis, reliqua 60 intra biennium ea lege ac conditione, ne res huiusmodi in exemplum traheretur. Onus enim restaurationis in Parochum et Sodalitates

inibi erectas reiecit. Praedictus Vicarius hinc adiit Sacram Congregationem, ac dein statum activum et passivum Paraeciae et Sodalitatum ad eamdem transmisit, unde ducto decennali calculo alterius a SS. Sacramento nuncupatae, eidem reditus aderant annui in scutis 89 73, expensae in scutis 74 70; alterius a Beata Virgine Sanctissimi Rosarii, ipsi introitus erat in scutis 49 7 1/2, exitus in scutis 48 65; tertiae a Morte et Oratione, cuius acceptum aequabat scuta 34 2, remissum 31 33; quartae a S. Iosepho, cum reditu scutorum 26 85, et exitu scutorum 21 60; quintae a Beata Virgine Gratiarum, cum scutis 40 69 in fructu, et scutis 37 46 1/2 in impenso. Ecclesia autem parochialis reddebat annua scuta 176 36 cum onere scutorum 64 10, comprehensis tamen Missis pro Populo octoginta ad eleemosynam in integrum scuta 12; proventus Beneficii dicti *Conventino* in scutis 29 10 absumebatur ab impensis in scutis 21 50; ac fructus alterius Beneficii sub invocatione divi Antonii erant in scutis 50 50, exitus in scutis 36 10. His praeiactis, Vicarius ex memoriis Archivii parochialis, ex Decretis sacrae visitationis, ex statibus Parochorum, ac ex Rescripto Episcopali, probavit, ab anno 1717 semper Communitatem Ecclesiam et domum parochialem restaurasse. Contra Communitas totis propugnavit nervis, se tantum ex mera liberalitate id praestitisse. Propositis vero dubiis: – I. An et quomodo Communitas Civitellae teneatur reparationi Ecclesiae parochialis in casu? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo occurrendum sit impensis pro eiusdem Ecclesiae parochialis reparatione in casu? –, Sacra Congregatio die 15 septembris 1838 respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative; et scribatur Ordinario, qui, subministrata aliqua quota a Parocho Beneficiatis et Sodalitiis, curet Ecclesiae reparationem expleri per Communitatem –. Communitas aegre tulit hoc Rescriptum, obtentaque venia redeundi, tota in eo maxime fuit, ut Adversarii molem destrueret, sive quae ex Archivii parochialis memoriis, sive quae in statibus Parochorum, vel actis sacrarum Visitationum, et Episcoporum Rescriptis fulciebantur.

54. Repropositis tamen dubiis sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis super primo et secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et impensas ad reparationes, de quibus in casu, esse substinendas per Communitatem, subministrata a Parocho Beneficiatis et Sodalitiis aliqua summa, prudenti arbitrio Ordinarii taxanda; et amplius – *in Balneoregien. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 1 Februarii 1840.*

55. Hinc Sacra Congregatio declaravit, haud fuisse sublatam per Concilium consuetudinem immemorabilem, qua pro reparandis sive instituendis parochialibus Ecclesiis, ubi reditus fabricae ad id destinati vel non existunt, vel non sufficiunt, Rectores illarum pro tertia parte et Populus sive Parochia pro duabus contribuant, nulla habita ratione, an ipsae Parochiales sint tenues, vel pingues *in Patavina mense Martii 1590 lib. 6 Decretorum pag. 115.*

56. Quod si non satis constet de consuetudine, coadiuvari debent probationes; quandoquidem cum anno 1852 contigisset, ut Ecclesiae parochialis S. Andreae Terrae Gallicani tectum et laqueare aetatis iniuria confractum pene ex integro debuerit reparari a Patrono principe Iulio Caesare Rospigliosi, emissa interim solemni protestatione, ut actualis Archipresbiter Franciscus Pennacchiotti expensas restituere deberet, qui tamen probare insudavit, ex inveterata consuetudine id oneris ad praefatum Patronum spectare, proposito dubio: – An Archipresbiter Pennacchiotti teneatur ad expensarum refectionem in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et coadiuventur probationes, vocata ad Causam etiam Communitate – *in Praenestina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 28 Ianuarii 1854.*

57. Silente prorsus autem consuetudine ac deficientibus reditibus pro fabrica praecise destinatis, onus reparandae Ecclesiae parochialis primario inest Parocho, tum ratione spiritualis coniugii, tum quia fructus ex Ecclesia percipit, Rota in Urbevetana Restaurationis Ecclesiae 3 martii 1752 §. 3 et 19 iunii eiusdem anni §. 2 coram Vicecomite *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771* §. *Ex parte et die 28 Augusti 1773* §. *Praemittit.*

Item *in Ripana Restaurationis Ecclesiae parochialis et Translationis Missae die 21 Novembris 1801 §. Quaeritur.*

58. Quapropter si reditus parochiales satis sint ad congruam Parocho suppeditandam et ad Ecclesiae reparationes perficiendas, nec Municipium nec Patronus in id expensas persolvere tenentur, cum praesertim Parochus alio etiam iure cessionis bonorum secundam Missam diebus festis curare et onus reparationis Ecclesiae in Parochialem erectae ac aeque principaliter Plebaniae unitae ferre teneatur *in Spoletana Celebrationis Missae et Reparationis Ecclesiae parochialis die 8 Augusti die 5 Decembris 1846 die 24 Aprilis 1847 die 20 Maii et die 29 Iulii 1854.*

59. Iamvero in medio Oppidi Castri Ritaldorum Spoletanae Diaecesis aderat Ecclesia S. Marinae dicata cum Coenobio annexo olim a Religiosis Familiae divi Augustini inhabitata, quae anno 1803, Apostolica intercedente Auctoritate, una cum reditibus suppressa, alteri Augustinianensium Familiae S. Mariae Lauretanae Civitatis Spoleti unita fuit, hac tamen lege, ut – suis sumptibus ibidem secularem Presbiterum cum Capellani titulo stipendio et onere Missae cunctis diebus festis celebrandae constituerent –: sed anno 1816 praedicta Familia, intercedente transactione legitima potestate roborata, reservato sibi tantum oliveto in vocabulo *Scortacchiaro*, cessit Plebano S. Gregorii eiusdem loci praedium, cui nomen *Meluccio con casale*, nec non binas alias terrulas, Ecclesiam S. Marinae cum omni sacra supellectili, totumque Coenobii aedificium, assumpto a praefato Plebano onere celebrationis Missae in praefata Ecclesia singulis diebus festis, nec non omnibus aliis oneribus dictae Familiae S. Mariae Lauretanae in Brevi unionis impositis. Res ita sese habuit ad annum 1829, quo tempore in actu visitationis Archiepiscopus Spoletanus Ioannes Maria Mastai dictam Ecclesiam S. Marinae, utpote magis accommodatam spiritualibus necessitatibus Incolarum Castri Ritaldorum prae Ecclesia plebana S. Gregorii, quae extra Castrum posita erat, Decretum tulit, quo illam evehens ad Paraeciae gradum, atque aeque principaliter uniens Paraeciae S. Gregorii, ibidem perpetuam residentiam Parochi Ecclesiarum cum titulo Plebanatus S. Gregorii et S. Marinae transtulit, absque ullo tamen detrimento iurispatronatus, quod Spoletano Archiepiscopo pro tempore iam pertinebat super Ecclesia plebana S. Gregorii, constituto ibidem Capellano Curato, congrua stipe eidem pensitanda in scutis menstruis duobus et obulis $9\,1/2$, ex reditibus trium Beneficiorum simplicium, quae dictae Plebaniae ab anno 1809 unita fuerant. Principio cuncta pacifice processerunt, pactis conventis ad ungues servatis. Sed mutata per vacationem Parochi persona, iurgiis ac simultatibus locus patefactus est. Modernus enim Plebanus Ioseph Maria Lazzari nonnullis ab illinc annis Missam praesentiae, ut vocabant, diebus festis praeter Parochialem in Ecclesia S. Marinae haud celebrandam curavit, de quo licet Municipes in antecessum minime questi fuerint, quia tamen forte Parochus obmussitabat, ipsos teneri ad manutentionem Ecclesiae ac Coenobii, exasperati, querimonias de utroque onere Parocho adiudicando moverunt, preces ea propter Sacrae Congregationi porrigentes, ut eorumdem implementum curaretur. Plebanus e contra suo libello asserens, impossibile fore, ut ob parochialium redituum tenuitatem ferre posset manutentionis onus, postulavit, ut declararetur, ad Communitatem spectare onus manutentionis fabricae, quum eadem maiorem obtinuisset commoditatem propter distantiam ab antiqua Parochiali, aut saltem ad effectum praedictae manutentionis supprimeretur Confraternitas S. Nicolai, prout sapienter statuerat Emus Card. Cadolini, quod postmodum ampliatum fuit ad exemptionem etiam ab onere alterius Missae praesentiae diebus festis celebrandae in vim transactionis anni 1816 superius memoratae, quod pariter ob eamdem inopiae causam ferri ab ipso nullo modo posse exponebatur. Sed maiori animorum aestu utrinque conclamatum circa Ecclesiae manutentionem, ex quo factum est, ut ipsius atrium prorsus corruerit, eiusque urgentem reparationem adsumere coacta fuerit Communitas de mandato Praesulis Apostolici eiusdem Provinciae, solemni tamen emissa declaratione ac protestatione agendi ad indemnitatem contra quem de iure. Nec interim in leviori erant discrimine parietes

ac tectum ipsius Ecclesiae et Coenobii. Idcirco Communitas altero libello urserunt, ut praefatus Maria Lazzari ad restaurandam Ecclesiam S. Marinae, tum vi cessionis, tum de iure ex Paraeciae reditibus adigeretur, aut si absolvendus esset, ad id Archiepiscopus, qua Patronus, cogi deberet.

60. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An Plebano SS. Marinae et Gregorii spectet onus celebrationis secundae Missae diebus festis in casu etc. II. An et ad quem spectet onus manutentionis vel reparationis Ecclesiae ac Coenobii S. Marinae in casu etc. III. An sit locus suppressioni et respectivae unioni Sodalitii S. Nicolai, seu potius aliter providendum sit in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 augusti 1846 respondit: - Dilata, et scribatur Episcopo iuxta mentem –. Episcopus retulit, Sodales obsistere suppressioni; urgentes reparationes praefatae Ecclesiae parochialis ad summam scutorum 114 42 conscendere, Parochiam habere annuos reditus scutorum quinquaginta quatuor supra centum, hinc demptis oneribus Plebanum frui congrua conciliari scutorum centum, non comprehensis reditibus trium Beneficiorum et Ecclesiae S. Marinae, neque stolae incertis; reditus autem trium Beneficiorum summam attingere scutorum triginta septem, quae summa erat sufficiens stipendium pro Capellano, quem tenebatur Plebanus retinere in Ecclesia S. Gregorii, cui ad praesens scuta solvebat triginta quinque; et reditus Ecclesiae S. Marinae ascendere ad scuta viginti supra centum. Repropositis itaque dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 5 decembris 1846 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative Parocho, salvo iure repetendi, si prout et quatenus de iure. Ad tertium, Negative in omnibus –. Instante autem Parocho Castri Ritaldorum, Causa iterum proposita fuit, cum is contenderet, neque ad onus Missae celebrationis, neque ad Ecclesiae reparationem teneri, ex eo quod tenues essent reditus: sed Municipes ei acriter contradixerunt. Nam ostenderunt, reditus plusquam satis esse ad pinguem Parocho congruam suppeditandam, et ad sumptuosas etiam reparationes perficiendas. Assertam autem Municipii obligationem, de qua Plebanus mentionem faciebat, purum illius commentum esse reputandum, et ideo prorsus despiciendum dixerunt. Alias Archiepiscopus, uti Patronus, expensas pro Ecclesiae restauratione ferre debebat: antequam enim Parochiani adigantur, pulsandum esse Patronum contenderunt. Repropositis hinc dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo dubio in casu? II. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in easu? III. An sit standum, vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu? –, Sacra Congregatio die 24 aprilis 1847 respondit: – Ad primum secundum et tertium, in decisis; et amplius –. Hisce non obstantibus resolutionibus, quibus executorium A. C. Decretum diei 26 iunii 1847 accedit, Plebanus nec secundam Missam festis diebus celebrandam curavit, nec Ecclesiae aut Coenobii aedibus reparandis manus admovit. Quapropter Municipes Vicarium Generalem adierunt, qui Decreto diei 28 augusti 1848 Parochum ad praedictae secundae Missae celebrationem curandam condemnavit, simulque praefixo quindecim dierum termino, ut Coenobii et Ecclesiae reparationibus operam daret, iniunxit, hac conditione adiecta, ut, si diutius obligationibus praedictis satisfacere Plebanus negligeret, ex officio Municipium sumptibus ipsius ea implenda curaret. Inaniter autem dilationis termino elapso, Municipium iuxta Vicarii Generalis Decretum Sacerdotem pro secundae Missae celebratione adscivit, et urgentissimas quasdam Ecclesiae reparationes fieri iussit. Parochus tandem harum expensis solutis, Missae tamen onus ferre constanter recusavit. Quin imo Summum Pontificem adiit, cuius benignitate novae audientiae beneficio recreatus fuit. Repropositis vero dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 20 maii 1854 respondit: - Dilata ad primam post proximam –. Repropositis proinde eisdem dubiis, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum secundum et tertium, in decisis; et amplius – *in Spoletana Celebrationis Missae et Reparationis Ecclesiae parochialis die 29 Iulii 1854.*

61. Hinc et ad Resignantem spectat onus reparationum bonorum Ecclesiae parochialis praeexistentium resignationi, licet huiusmodi onus in se assumpserit Resignatarius in apocha

privata, quae tamen in mandato procurae pro consensu praestando apud S. Sedem non fuit repetita, quin interim vero locus sit reductioni pensionis sibi a Resignatario reservatae *in Novarien. die 16 Ianuarii 1762.*

62. Siquidem in apocha privata, qua die 5 ianuarii 1757 Gaudentius Massotti Parochus loci Nibbiae Novariensis Diaecesis Parochiam resignavit favore Iacobi Mariae Pattoia, quatuor adiectae fuerunt conventiones, Apostolica Auctoritate approbandae, quod nimirum solvenda esset Resignanti annua pensio sex centum librarum Imperialium sive scutorum 80 monetae Romanae, eique liceret primo anno decimas loco pensionis exigere, quodque sumptus, pro bonis Ecclesiae reparandis et pro Literis Apostolicis expediendis, subeundi forent a Pattoia Resignatario. At in mandato procurae postmodum exarato die 11 eiusdem mensis ianuarii, pro consensu resignationi praestando apud S.Sedem, Massottius, reticita privata syngrapha, duplicem solum repetiit conditionem, quod scilicet eius favore reservaretur annua pensio scutorum 80, quodque ad omnes expensas, pro expeditione Bullarum faciendas, etiam respectu pensionis, teneretur de proprio dictus Pattoia Resignatarius, et iuxta praedictum mandatum expeditae fuerunt Literae Apostolicae. Primo anno Massottius resignans non decimas, ut in apocha convenerat, sed pensionem exegit. Et Pattoia resignatarius, aestimatis reparationibus, quibus Ecclesiae bona indigebant pro valore librarum Imperialium 1768, compensationem opposuit: qua reiecta per Iudicem, protestatus est de reintegratione consequenda, prout de iure. Nam licet Beneficiatus decessor reddere teneatur Successori sumptus reparationum a se emissarum in bonis Ecclesiae, attamen exceptione doli repellendus erat Pattoia, qui pacto convento in se assumpsit onus reparationum incumbens Antecessori, quin obesset omissa huius pacti mentio in mandato procurae, quod unice factum erat pro consensu resignationi praestando apud S. Sedem, aut decimarum exactio primo anno neglecta, cum novatio apertam exigens animi declarationem facile non inducatur ex iis, quae ad alium effectum gesta sunt. Vitio autem censuit tribuendum esse, quod eadem conventio expressa et approbata non fuerit in Literis Apostolicis, qui onus per apocham assumpserat impetrandi Pontificiam conventionum approbationem. Contendit pariter, earumdem reparationum contemplatione haud esse locum reductioni pensionis; quia reparationum nomine Antecessoris debito adscribendarum haud veniunt ea, quae conferunt ad meliorandum bonorum statum, et quia reditus scutorum 315 monetae Romanae adeo non imminuebatur ex reparationum sumptibus et annua pensione scutorum 80, quin remanerent centum pro Rectore, ad praescriptum sacri Concilii Tridentini sess. 24 cap. 13 de reformatione. Alias sese obtulit ad onus quodcumque subeundum et centum illi praestandum pro congrua, dummodo ipse colligere valeret omnes Ecclesiae reditus. Propositis autem dubiis: – I. An et ad quem spectet onus reparationum Ecclesiae parochialis praeexistentium resignationi? II. An sit locus reductioni pensionis, vel potius dimissioni bonorum Ecclesiae parochialis cum assignatione congruae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, spectare ad Resignantem. Ad secundum, Negative in omnibus – *in Novarien. die 16 Ianuarii 1762.*

63. Successor autem in Ecclesia parochiali frustra petiit, ut hereditas Antecessoris cogatur ad eam ac filialem Ecclesiam nec non bona reficienda, quum nedum damna et reparationes haud concludentissime probaverit, sed insuper per lapsum undecim annorum ac vivente adhuc Antecessore omnino siluerit *in Senogallien. die 19 Septembris 1778 et die 15 Maii 1779.*

64. Enimvero Sacerdos Bracci iam senio confectus, postquam per lapsum temporis quadraginta septem annorum circiter possederat prioralem et parochialem Ecclesiam S. Mauri Oppidi Tumbae, die 3 decembris 1765 libere renunciata Ecclesia in manibus Episcopi, ad perfectionem et quasi eremiticam ducendam vitam sese recepit in rurales aedes penes publicum Oratorium S. Catharinae Alexandrinae, quod idem Petrus propriis sumptibus e fundamentis extruxerat, et post undecim annos decessit die 29 ianuarii 1777, herede instituto dicto Oratorio S. Catharinae, nec non relictis bonis in vocabulo *la Moglia* pro patrimonio sacro favore descendentium ex linea Nicolai Bracci eiusdem Petri Germani fratris, quibus

defectis, in dictis bonis idem Oratorium heredem substituit. At cum in hereditate defuncti Petri reperta fuisset peculiaris summa scutorum 2400 sive 2300 circiter, hinc Sacerdos Dominicus Salvucci modernus Prior supradictae parochialis Ecclesiae institit coram Vicario Capitulari Senogalliensi, ut praefata summa erogaretur in reaedificationem Ecclesiae prioratus et Ecclesiae filialis et bonorum, quae, non obstantibus melioramentis ab ipso factis, indigebant reaedificatione et reparatione. Praefatus Vicarius autem mandavit, ut, ex dicta summa demptis funeris expensis et Missarum legatis, residuum consistens in scutis 1996 67 deponeretur in sacro Monte pietatis Senogalliae. Re ad Sacra Congregationem ablegata, sustinuit Salvuccius ope depositionis plurium Testium, qui, paucis exceptis, singulares in dicto erant, ipsum Ecclesiam et bona pessumdata et consumpta a Petro antecessore recepisse, eumque propterea sive illius hereditatem ad eorum necessariam restaurationem obstrictam esse, cum Rector fructus omnes Ecclesiae suae, demptis congruis alimentis pro ipsius substentatione, in alios usus erogare non possit, praeterquam in Ecclesiae decus et divini cultus augmentum, Franc. de eccles. cathedr. cap. 13 n. 199, Amostaz de caus. piis cap. 6 n. 27, et Sperell. decis. 67 n. 10, maxime cum Braccius bona acquisiverit cum reditibus, tuebatur hinc Salvuccius, eadem bona penes ipsam Ecclesiam permanere debere, iuxta censuram Textus in Cap. 1 et Cap. 7 de testamentis. Contenderunt e contra Bracci Nepotes et Capellanus ab ipsis nominatus, Testatoris hereditatem non teneri ad obiectorum damnorum obiectarumque reparationum emendationem, nisi damnis et reparationibus concludentissime probatis, tam in genere, quam in specie et quantitate, Amostaz de caus. piis lib. 5 cap. 6 n. 16. Probatio vero haec prorsus deficiebat, praesertim post lapsum undecim annorum et obitum praefati Petri, dum Salvuccius illico instantiam proponere debuisset pro damnorum emendatione. Vicarius Capitularis retulit, modernum Priorem iniuria praefatam summam postulare in causam reaedificationis et restaurationis Ecclesiarum et bonorum, utpote debitae ab eius antecessore Bracci, postquam ipse rerum faciem immutaverit, postquam siluerit per lapsum undecim annorum, et donec vixerit Petrus Bracci, cuius merita pietatem et animi dotes summopere laudabat idem Vicarius Capitularis, et postquam probabantur innumerae Ecclesiarum bonorumque reparationes simul et renovationes sacrorum paramentorum et supellectilium una cum pecuniarum traditione, pro illis restaurandis, ab eodem Petro eiusque fratre factae, et ab ipso Priore Salvucci receptae.

65. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et de quibus necessariis reparationibus Ecclesiae parochialis S. Mauri Terrae Tumbae eiusque domorum constet et in qua summa in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quae reparationes explendae sint ex pecuniis repertis in hereditate Ex-Prioris Petri Bracci in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 septembris 1778 respondit: – Negative ad utrumque –. Pugnam iterum instauravit Salvuccius; sed reproposito dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In decisis, et amplius – *in Senogallien. die 15 Maii 1779.*

66. Alias quippe damna Ecclesiis illata reparanda esse sumptibus eorum, quorum culpa evenere, docent Amostaz de causis piis lib. 5 cap. 6 n 6 et 7, Fargn. de iurepatronat. part. 5 can. 4 cas. 1 n. 8, Card. Tusch. tom. 4 tit. 1 conclus. 446 n. 10, Gratian. discept. for. tom. 1 cap. 125 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Ex adverso.*

67. Itaque – cum annis elapsis Ecclesia parochialis S. Angeli in Pantano adeo collapsa et ruinosa reperiretur ex Parochorum praedecessorum iniuria, ut ex tribus eiusdem Ecclesiae navibus duae penitus impracticabiles evasissent, et altera non modica egeret reparatione, orta est quaestio, quis cogendus esset ad illius restaurationem, contendente moderno Parocho, ipsum non teneri, attenta redituum tenuitate vix sufficientium pro congrua; sed e converso cogendos esse novem eiusdem Ecclesiae simplices Beneficiatos, vel in subsidium Parochianos et Populum. Remissa autem istius Causae cognitione, ad instantiam Communitatis, ad R. P. Episcopum Maceratensem, tunc Archiepiscopatus

superintendentem, iste, auditis utriusque Partis rationibus, relaxavit gravatoriam contra Parochum, reservato iure repetendi contra alios, quatenus de iure. Provocavit Parochus ab huiusmodi Decreto ad hanc Sacram Congregationem, in qua hodie, monitis Beneficiatis et Communitate, declarari humiliter petitur: – Ad quem spectet reparatio supradictae Ecclesiae parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Scribatur Archiepiscopo, qui cogat Parochum ad deponendas pecunias, et quatenus non sufficiant pro integra reparatione, procedat contra Parochum et alios prout de iure – *in Firmana Reparationis Ecclesiae die 19 Iulii 1698 lib. 48 Decretorum.*

68. Hinc antequam Sacra Congregatio declararet, cogendum esse Priorem seu Parochum, qui per Capellanum curatum curam animarum exercebat, ad restaurandam Ecclesiam et sacris supellectilibus instruendam, mandavit, ut Episcopus solicite referret, praevia Peritorum aestimatione, quae essent restaurationes Ecclesiae, quantum importare possent, et interim provideret, quod statim utensilia et sacrae supellectiles perficerentur ad hoc, ut decenter peragi possent sacrae functiones sumptibus Prioris *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae parochialis et sacrarum Supellectilium die 18 Martii 1780.*

69. Siquidem intra fines Spoletanae Diaecesis locus aderat, qui vocabatur Podium primi casus, ubi una tantum erat prioralis Ecclesia cum cura animarum divo Fortunato dicata, quam per Capellanum Curatum exercebat Vincentius Bernabò Fulginas Canonicus Basilicae S. Laurentii in Damaso Urbis. Ecclesia haec fatiscens erat minabaturque ruinam tam in tecto, quam in aliis eius partibus, illiusque Sacrarium omnibus sacris carebat paramentis et supellectilibus. Populus, cum pauper esset et miser, institit penes Summum Pontificem, ut praefatus Prior ad restaurandam suam prioralem Ecclesiam renovandaque sacra supellectilia compelleretur, nulla etiam eidem relicta alimentaria congrua, quia non residebat et nullum Ecclesiae suae praestabat servitium, et quia pauper non erat, dum percipiebat fructus sui Canonicatus, ex quibus se alere commode poterat, Surd. cons. 62 n. 12 lib. 1, Amostaz de caus. piis lib. 3 cap. 6. n. 31, et Sperell. decis. 67 n. 6. Spoletanus Antistes retulit praemaximas Ecclesiae indigentias; retulitque, Priorem Vincentium pro exercitio curae animarum retinere Capellanum Curatum, cui pro eius emolumento cedebat exactionem decimarum, quae vix ascendebant ad annua tria rubra frumenti, ipsumque Priorem lucrari pingues reditus annuatim attingentes rubra circiter decem frumenti, nihilque impendere pro Ecclesia, praeter unam annuam cuppam frumenti pro celebranda festivitate S. Fortunati, nec non nummos tres annuos pro candelis Populo distribuendis in die Purificationis Beatae Mariae Virginis, ac demum annuos obulos viginti pro ramis olivae similiter distribuendis die Dominica palmarum, conclusitque his verbis: – Iuxta Canones videtur obnoxius oneri restaurationis aliorumque Beneficiatus, et Ecclesiam sui tituli fructibus Beneficii servare ac providere teneri pro certo habeo –. His interim perpensis, proposito dubio: – An Prior Ecclesiae parochialis S. Fortunati teneatur ad restaurationem renovationem ac manutentionem respectivae Ecclesiae ac sacrarum supellectilium in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et scribatur ad mentem; et mens est, quod Episcopus, praevia Peritorum aestimatione, solicite referat, quae sint restaurationes Ecclesiae necessariae, quantum importare possint, et interim provideat, quod statim utensilia et sacrae supellectiles perficiantur ad hoc, ut decenter peragi possint sacrae functiones sumptibus Prioris – *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae parochialis et sacrarum Supellectilium die 18 Martii 1780.*

70. Iamvero onus reparationis Parochus evadere non potest, nisi indubiis documentis parochialium redituum insufficientiam probaverit, cum parochialium redituum insufficientia nunquam praesumatur, Panimoll. decis. 6 annot. 8 n. 10, Rot. in Recent. decis. 9 n. 38 part. 18, et in Savonen. Restaurationis Ecclesiae parochialis 8 martii 1709 §. Et quamvis coram Scotto *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771 §. Neque et die 28 Augusti 1773 §. Praemittit.*

Item *in Ferentina Pensionis et Repaticnis Ecclesiae die 16 Aprilis 1825 §. Praebendae.*

71. Nam si neque statutum, neque ulla consuetudo interveniat, tum Parochus ipse faciendis quidem expensis subiicitur, qui tamen haud fructus ex Patrimonio suo desumere, sed illos, qui sibi ex Beneficio supersunt, omnino debet, Benedictus XIV Instit. 100 §. 4 *in Lauden. Aedificationis Ecclesiae parochialis die 18 Novembris 1837.*

72. At dum agitur de restauratione Ecclesiae, computari etiam debent in partem congruae emolumenta incerta, Piton. in addit. discept. 8 n. 9, nec habenda est ratio oneris erga pauperes et Peregrinos, cum onus reparationis Ecclesiae praeferri debeat, Rebuff. de congr. port. n. 72 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 28 Augusti 1773* §. *Non.*

73. Hinc dempta quidem congrua, reliqui omnes parochiales reditus in fabricam Ecclesiae erogari debent; sed congrua coercenda est intra limites moderatae tantum honestaeque sustentationis, Amostaz de caus. piis lib. 5 cap. 28, Constantin. vot. decis. 251 n. 10, Barbos. de offic. et potest. Paroch. part. 1 cap. 13 n. 4 et 5, habita etiam ratione onerum loci Beneficii et personae Rectoris, Rebuff. de congr. port. quaest. 8 n. 78, Navarr. in tract. de redit. Eccles. quaest. 5 monit. 36 n. 4, ac praesertim habenda est ratio pretii alimentorum, Rebuff. de congr. port. n. 76 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771* §. *Inferunt et die 30 Maii 1772* §. *Ex his.*

74. Scitum namque est, per Tridentinam Synodum et per Constitutionem S. Pii V, cui initium *Ad exequendum,* congruam in ducatis 100 taxatam esse; immo huic mensurae non adeo stricte adhaerendum, sed potius eius taxationem arbitrio Iudicis relinquendam esse, habita nempe ratione ad temporum locorum ac personarum circumstantias, docent Doctores et Tribunalium praxis, ita ut quandoque etiam in ducatis aureis centum fuerit constituta, Ferrar. verb. congrua art. 2 n. 5, Reiffenst. lib. 3 decret. tit. 37 n. 23, Rot. in Recent. decis. 1 n. 1, decis. 112 n. 7 part. 19 tom. 1 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Iamvero.*

75. Unde verum haud esse videtur, ducata centum per Tridentinam Synodum pro Parochi congrua reservata accipienda esse de ducatis aureis, sed de ducatis centum iuxta valorem regionis, in qua situm est Beneficium, adeo ut in Statu Ecclesiae ultra scutata centum aestimari non debeat, ceu tradit Constantinus in vot. dec. 251 n. 39, et Rota in Urbevetana Restaurationis Ecclesiae 3 martii 1752 §. 15 coram Vicecomite *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Ex his.*

76. Quin imo congrua in scutis centum, pro Rectore a Concilio praefinita, intacta in ea summa tunc solum praeservatur, quando agitur de gravando Parocho pensionibus, non vero quando res sit de Ecclesiae reparatione, Frances de eccles. cathedr. cap. 13 n. 49, Barbos. de offic. et potest. Paroch. part. 1 cap. 13 n. 4 et 5, Amostaz de caus. piis lib. 4 cap. 18 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 30 Maii 1772* §. *Ex his.*

77. Hinc Sacra Congregatio saepe saepius decrevit, ad Ecclesiam apte reficiendam Parochum teneri, ut inquit Giraldus in part. 2 ex pres. iur. Pont. sect. 59 cap. 4 de eccles. aedif. – contribuere fructus, qui supersunt illius congruae vitae sustentationi, quae prudentis Viri arbitrio statuenda esse videtur, considerata qualitate personae loci et temporis. Nequaquam enim, uti animadvertit Benedictus XIV Instit. 100, admiscendae sunt expensae, quae fiunt pro alendis consanguineis, aut pro servanda generis sui conditione, sed eae solum numerandae sunt, quae ad Parochum ipsum sustentandum necessariae ducuntur. Cum enim, ut scribit Barbosa ad Concil. Trid. sess. 21 cap. 7 de reformatione n. 9 et 10, Beneficiorum fructus non ad crescendos seu fovendos mundanos titulos, sed ad pauperes alendos et divinum cultum instituendum sint concessi, contendit ipse, teneri Rectorem ad reparationem, si Beneficii bona sustentandae vitae supersint, quamvis ad tuendam conditionem seu statum non sufficiant – *in Brictinorien. Unionis die 25 Maii 1833* §. *Sacra.*

78. Idcirco manutentio et reparatio Ecclesiae parochialis, cuius principales muri aperti sunt, spectat ad Plebanum seu Parochum, et non ad Communitatem, etiamsi ipse Parochus asserat, sibi non remanere scuta centum, et Communitas se etiam, praeter notabilem summam, obligaverit ad contri-

buendum pro principalibus Ecclesiae muris *in Auximana Restaurationis Ecclesiae die 26 Augusti 1719.*

79. Siquidem Ecclesia parochialis S. Aegidii Terrae Staphili celeri indigebat reparatione, cum principales eiusdem muri essent aperti. Exorta autem controversia inter Parochum ex una et Communitatem ex alia partibus, ad quem ex ipsis pertineret onus Ecclesiae ruinam reparandi, eademque delata ad Sacram Congregationem, Ludovicus Moriconus, qui de praesenti dictam obtinebat parochialem Ecclesiam, contendit, se ad eius reparationem non esse obligatum; primo quia subductis subducendis, congruam non habebat conciliarem, ex quo ipsi non remanebant annua scuta centum, et licet Parochus, ad instar omnium aliorum Beneficiatorum, teneretur ad suae Ecclesiae restaurationem, id tamen procedit, si ultra congruam et honestam substentationem alios ex Parochia perciperet reditus, iuxta Textum in Cap. *De his* de ecclesiis aedificandis; secundo quia Communitas, quae, necessariis accedentibus beneplacitis, notabilem pecuniae quantitatem erogavit pro Ecclesiae reaedificatione, se ettiam obligavit ad contribuendum in hypothesi, in qua muri principales restauratione indigerent, hinc inferendo, quod sicuti evenit casus reparationis in muris principalibus, ita ab onere reparationis non posset ullo modo Communitas se liberare. Proposito vero dubio: – An manutentio seu reaptamentum Ecclesiae parochialis et Matricis Terrae Staphili spectet ad Plebanum seu Parochum, vel potius ad Communitatem in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius – *in Auximana Restaurationis Ecclesiae die 26 Augusti 1719.*

80. Enimvero Sacra Congregatio iamdiu declaravit, Parochum teneri ad Ecclesiae parochialis reparationem, etiamsi non habeat, nisi scutata centum annui reditus, cum ista non censeantur adeo libera, ut ab hac impensa facienda deobligetur *in Feretrana die 13 Februarii 1638 lib. 15 Decretorum pag. 657.*

81. Amplia, hoc habet locum, etiamsi reditus scutorum centum sint monetae illarum partium, in quibus sitae sunt Ecclesiae *in Feretrana die 13 Februarii 1638 lib. 15 Decretorum pag. 657.*

82. Quin imo Sacra Congregatio decrevit, ut, si Rectores Parochialium minus sexaginta ducatis monetae usualis percipiunt, nil contribuere debeant pro aedificatione seu restauratione Ecclesiae parochialis, sed totum onus spectaret ad Capitulum, cui Ecclesiae reperiuntur unitae, vel ad alios, ad quos Ecclesiarum fructus perveniunt; si vero plus sexaginta percipiunt, tunc partem quoque suam arbitrio Episcopi una cum praedictis contribuere debent *in Nolana die 26 Ianuarii 1581.*

83. Siquidem instructionem pro locis examussim, ubi domus parochialis, vel quae conduci possit intra fines Parochiae, non adest, datam a Sacra Congregatione Episcopo Nolano sub die 8 februarii 1581 refert Monacellius in form. legal. pract. tit. 16 form. 2 n. 2, quae ita se habet: – Quae amplitudo tua libello his literis concluso Sacrae Congregationi Cardinalium Concilii interpretum exponenda curavit de parochialibus Ecclesiis in tua Diaecesi habitationem pro Rectoribus non habentibus, ubi etiam saepe accidit, ut nulla domus, quae conduci possit a Rectore, reperiatur, ea cum Cardinales intellexerint, ita respondendum censuerunt: Rectores Parochialium praedictarum, qui ex earum annuis reditibus minus 60 ducatis monetae usitatae in Regno Neapolitano percipiunt, liberos esse debere a contributione pro domibus aedificandis, sed Capitulum, cui illae unitae sunt, Patronos ac alios, ad quos fructus aliqui ipsarum Ecclesiarum perveniunt, ac in illorum defectum, Parochianos, iuxta similem dispositionem Concilii cap. 7 sess. 21, contribuere cogendos esse. Illos autem Rectores, qui ex suis Parochialibus plus 60, sed non ultra centum ducatos eiusdem monetae annuatim percipiunt, partem quoque suam cum praedictis, qui fructuum earumdem Ecclesiarum quoquomodo participes sunt, aut cum Parochianis, iuxta praedictam formam, iudicio tuo conferre debere; quod si annui fructus et reditus Parochialium pro Rectore excedant summam centum ducatorum similis monetae, alios gravandos non esse, sed ex dictis reditibus Parochialis tantum pro aedificatione domus esse desumendum, quantum

amplitudo tua convenire arbitrabitur –, ut in lib. 3 Literarum pag. 247 *in Firmana Domus parochialis die 25 Maii 1841* §. *Facit.*

Item *in Spoletana Restaurationis domus parochialis die 18 Decembris 1847* §. *Aliquos.*

84. Hinc et omnes, qui Beneficia in Ecclesia possident, contribuere tenentur ad Ecclesiae parochialis reparationem, quandoquidem in cap. 1 de ecclesiis aedificandis statuitur: – Quicumque ecclesiasticum Beneficium habeant, omnino adiuvent ad tecta Ecclesiae restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas –; ibique Glossa sub verbo *adiuvent:* – Nam ubi est emolumentum, ibi debet esse onus, quia non est ferendus is, qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat – *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae parochialis et sacrarum supellectilium die 19 Februarii 1780* §. *Petitioni.*

85. Unde congrua Beneficiatorum taxa vel quarta esse debet fructuum pars, vel etiam tertia, iuxta Barbosam in Concil. Trid. pag. 148 n. 9, Amostaz de caus. piis lib. 5 cap. 6 n. 29 tom. 2 *in Veliterna Suspensionis Missarum die 5 Iunii 1790* §. *Congrua.*

86. Nam iuxta vires Beneficiati ad expensas restaurationis Ecclesiae tenentur, Rot. in Viterbien. Contributionis onerum et expensaram 15 iulii 1745 §. 10 coram Elephantutio *in Ripana Restaurationis Ecclesiae parochialis et translationis Missae die 21 Novembris 1801* §. *Hinc.*

87. Quapropter iuxta sacrorum Canonum sanctiones in Can. *Mos est,* Can. *De reditibus,* Can. *Vobis enim,* Can. *Concesso vobis* 12 quaest. 2, et in Cap. *De his,* et Cap. *Quicumque* de ecclesiis aedificandis, et sacri Concilii Tridentini sess. 7 Cap. 8, et sess. 21 cap. 7, communiter receptum est, onus reparandi Ecclesias earumque indigentiis providendi, ubi Ecclesiae ipsae reditibus in eum finem destinatis careant, primo ac prae ceteris ad earumdem Ecclesiarum Rectores, aliosve ipsarum reditibus fruentes pertinere, adeoque iure optimo istos posse ad id per eorumdem fructuum sequestrationem compelli, uti cum aliis tradit Sperellius in decis. 67 n. 6, Panimolla decis. 15 annot. 1 n. 21, et pluries resolvit Sacra Congregatio, et signanter in Hieracen. 10 maii 1590 lib. 7 Decretorum pag. 165, et in Narnien. 24 maii 1657 ad quartum dubium lib. 20 Decretorum pag. 197 *in Bossanen. Reparationis Ecclesiae parochialis die 25 Februarii 1741* §. *Iura.*

Item *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae parochialis et sacrarum supellectilium die 19 Februarii 1780* §. *Addit; in Ferentina Pensionis et Reparationis Ecclesiae die 16 Aprilis 1825* §. *Praeterea; in Balneoregien. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Septembris 1838* §. *His.*

88. Nam omnes, qui in Ecclesia parochiali possident Beneficia vel Capellanias, deficientibus reditibus pro fabrica destinatis, pro rata concurrere debent ad eiusdem reparationem, concessa etiam Missarum suspensione, si alias iisdem congrua non supersit, quin tamen approbanda sit transactio cum eo inita, qui valde pinguem Capellaniam possidet *in Veliterna Suspensionis Missarum die 18 Septembris 1790.*

89. Enimvero adeo parochialis Sanctissimi Salvatoris Velitrarum Ecclesia fatiscebat, ut alibi parochiales agerentur functiones. Insignis, Peritorum iudicio, ad eam reparandam, requirebatur summa scutorum 2420, nec pares erant illius reditus sumptui. Supplicarunt igitur ipsius Officiales Sacrae Congregationi pro suspensione onerum, quae Sacrario Archipresbitero Beneficiatis et Capellanis incumbebant. Emus Episcopus retulit, annuos Ecclesiae reditus impares omnino esse ad huiusmodi expensam subeundam, parum conferre posse Parochum, qui congruam tantum obtinebat, nec multo amplius Beneficiatos, quorum plerique tenues habebant fructus; ultro tamen eos offerre quatuor pro quolibet redituum centenario, quae simul collecta annua dabant scuta 44 65. Ad maiorem hinc advertens necessitatem, ei consuli posse censuit, – si onera Missarum, quae tam Praebendis, quam ipsi Ecclesiae incumbunt, pro medietate tantum suspenderentur –. Neque spem ullam reponendam dixit in contributionibus Parochianorum: nam – praeterquamquod id in Civitate Veliterna praeter consuetudinem fieret, animadvertendum etiam est, maximam familiarum partem, quae eiusmodi Parochia continentur, infimi ordinis esse et paupertate pressas, ita ut nec operae

pretium esset propositam contributionem indicere, et turbae potius ac querimoniae, quam ullum emolumentum esset expectandum –. Quum autem congrua Beneficiatorum vel Capellanorum taxa vel quarta esse deberet fructuum pars vel etiam tertia, una ad rem sufficeret Capellaniae taxatio, quae a Collegio S. Bonaventurae Urbis cum levi annuo onere Missarum 156 possidebatur: ex quarta enim liberi reditus parte scuta fere haberentur 200, ex tertia paullo infra 266, neque Defunctorum animae volitis privarentur suffragiis. Proposito interim dubio: – An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 5 iunii 1790 responsum dedit: – Dilata, et expectetur relatio Emi Episcopi super petitione Collegii S. Bonaventurae –. Collegium enim praedictum concordiam cum Deputatis Fabricae pro contributione, eiusque approbatione postulaverat. Quasi profecto contribuere non teneretur in illius reparationem, gratuitum in eam suaeque Capellae causam obtulit donum scutorum 550, aliaque despondit scuta 50, quatenus Missarum suspensionem Deputati non obtinerent; idque etiamsi ad maiorem peritiae summam ascenderet reparatio. Emus Episcopus vero retulit, Beneficiatos participantes massae communis potius ad rescindendam transactionem inclinare: suamque sententiam in haec aperuit: – Praeterquam quod eiusmodi transactio me penitus inscio et inconsulto inita est, accedit etiam, quod super re incerta celebrata est. Licet enim Peritorum iudicio impensae restaurationis summa scutorum 2400 circumscriptae fuerint, satis tamen experientia docet, haud maximopere huiusmodi Peritorum iudiciis fidendum esse; quod ipse Emus Protector Collegii S. Bonaventurae pro sua prudentia animadvertit. Ideoque minime probanda videtur transactio, cuius vi altera ex partibus certam contributionem constituit, quae minor esse possit, quam quae pro ratione operis perficiendi requiratur. Hinc enim in alteram partem detrimentum redundaret; nec unius partis compendium cum alterius incommodo quaerendum est. Quum itaque minime dubitari possit, quominus quicumque Beneficium possident, ad tecta Ecclesiae restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas teneantur, ideo omissa praedicta transactione, ad huius – Sacrae Congregationis sapientiam et auctoritatem pertinebit, vel eam contributionem, quae meo Decreto in actu Sacrae visitationis ven. Collegio indicta est, confirmare, vel aliam imponere –.

90. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit providendum in casu etc. II. An sit approbanda transactio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi – Ad secundum, Negative – *in Veliterna Suspensionis Missarum die 18 Septembris 1790.*

91. Quin imo oneri reaptationis Ecclesiae subiecti sunt Beneficiati, licet eorum Beneficia fuerint translata in aliam Ecclesiam, dummodo translata sint ad eam, quae indiget reparatione *in Nullius seu Farfen. Reaptationis Ecclesiae die 8 Februarii 1721* §. *Quoad.*

92. Amplia, Rectores etiam Beneficiorum in quacumque dignitate constituti pro Ecclesiis quoque, ad quas transferri titulos contigerit, ad reparationem obstringuntur *in Firmana Suspensionis Canonicatus die 30 Martii 1833* §. *Iamvero.*

93. Siquidem proposito dubio: – II. An possit Episcopus in actu visitationis Beneficiatos condemnare, quacumque ecclesiastica Dignitate praefulgeant et etiam Palatinorum privilegiis gaudeant, ad resarciendam Ecclesiam, in quam transferuntur tituli, quatenus restauratione indigeat, nec non ad erigendum Altare in dicta Ecclesia? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad secundum, Rectores Beneficiorum, etiam in quacumque Dignitate constitutos teneri, post translationem secutam, ad futuram restaurationem Ecclesiarum, ad quas Beneficia fuerunt translata – *in Narnien. die 24 Martii 1657.*

94. Idcirco cum Beneficia existentia in Ecclesia parochiali S. Salvatoris, quae erat etiam membrum Abbatiae Nullius Farfensis, quaeque Auctoritate Apostolica fuerat concessa PP. Societatis Iesu, fuerint translata ad Ecclesiam parochialem S. Petri in Penna una cum suis titulis iuribus oneribus et honoribus, proposito dubio: – An et a quibus sit contribuendum in reaptatione Ecclesiae parochialis S. Petri in Penna Firmanae Diaecesis in casu etc. –, Sacra Congregatio re-

sponsum dedit: – Esse contribuendum a Paroco et Beneficiatis ad ratam redituum; et amplius – *in Nullius seu Farfen. Reaptationis Ecclesiae die 8 Februarii 1721.*

95. Hinc deficientibus Ecclesiae parochialis reditibus pro fabrica praecise destinatis, Praepositus Curati et Capellani iuxta vires per Missarum etiam reductionem nec non Communitas Sodalitia ac etiam Nosocomia, impletis prius oneribus Locis piis inhaerentibus, merito ad eam restaurandam concurrere tenentur *in Ripana die 16 Iunii 1787.*

96. Siquidem ob immineutem parochialis Ecclesiae S. Mariae Cossineani ruinam, de ea primum actum fuit reaedificanda, ac Summo Pontifici supplicarunt illius Praepositus et Curati, ut propositas Communitatis Capellanorum Confraternitatum et Nosocomii contributiones probaret. Re ad Sacram Congregationem ablegata, prodiit die 14 decembris 1782 Rescriptum: – Episcopo pro informatione et voto, auditis etc., praevia iurata aestimatione per Peritum ab ipso eligendum de expensa praecise necessaria, et referat de contributione Parochi, calculatis reditibus certis et incertis et aliorum, qui de iure tenentur, nec non et aliorum in subsidium, nec non de consensu Confratrum et Administrastratorum, quoad reditus superextantes –. Ductis contributionum calculis, difficilem novit Episcopus novam fatiscentis Ecclesiae constructionem, cum gravis requireretur impensa scutorum 3000, animumque cum Clero et Civibus ad simplicem convertit restaurationem, pro qua Architecti iudicio sufficiebant scuta 1493. Nil Ecclesiam habere retulit pro eius fabrica destinatum, valdeque tenues esse Propositi et Curatorum reditus, plenum vero reliquos contribuentes praestitisse consensum. Itaque sacras Adventus et Quadragesimae conciones in se assumebant pauperes Curati eorumque mercedem fabricae concedebant: in dimidiam Missarum reductionem consentiebant tres eiusdem Ecclesiae Capellani; conferebat Communitas, quod pro celebratione festivitatis S. Georgei et Organistae stipendio praestare consuevit: Nosocomium postremo ac Sodalitia Sanctissimi Rosarii et Suffragii praesentem et futurum spondebant redundantium redituum cumulum; praesens cumulus erat scutorum 700, futurae omnes contributiones annuam attingebant summam scutorum 155. Maximas ad impediendam restaurationem excitarunt turbas Fratres Santucci, qui e conspectu Ecclesiae domum habebant, licet muri vel sarciendi, vel renovandi essent in eo tantum statu, quo reperiebantur. Quod si consensum Sodales et Administratores praestiterint pro nova Ecclesiae aedificatione, a fortiori, quod minus erat, veteris nempe restaurationem voluisse censebantur, ex Regula *Plus semper* 3 de Regulis iuris in 6, quin obesset, quod s. m. Urbanus VIII in levamen Pauperum destinaverit, quae a praefatis Sodalibus concedebantur. Nil enim per contributionem redundantium redituum Nosocomii Pauperibus detrahebatur, cum redundantia ipsa probaret, satis illis ex reliquis reditibus consultum esse. Frustra hinc Fratres Santucci aedificationem novae Ecclesiae urgere videbantur, cum et reditus Curatorum tenues reapse essent. Propositis hinc dubiis: – I. An pro expensis necessariae restaurationis Ecclesiae parochialis constet de legitimis consensibus et quibus, ita ut ii sint exequendi in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An quomodo et cuius sumptibus dicta Ecclesia sit restauranda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo; et scribatur Episcopo iuxta mentem (1) – *in Ripana die 16 Iunii 1787.*

97. Nam Ecclesiae parochiales, si collapsae fuerint, refici et restaurari debent ex fructibus quibuscumque ad illas quomodocumque pertinentibus *in Amerina die 24 Novembris 1764* §. *De Ecclesiis.*

Item *in Nullius seu Nonantulana Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 16 Maii 1778* §. *Quomodo; in Tiburtina Suspensionis Capellaniae die 13 Ianuarii 1816* §. *Iussit; in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 19 Aprilis 1834* §. *Haec; in Fanen. Instaurationis ac permutationis volun-*

(1) Mens est, quod Sacra Congregatio per Rescri, tum ad primum dubium intendit loqui de superextantibus tantum pecuniis, impletis nempe prius oneribus Locis Piis inhaerentibus, nec non concedit Episcopo facultates pro directione et modo servando in exequutione restaurationis, de qua agitur, *ceu videre est in lib. Decretorum dicto anno et mense.*

tatis die 6 Iunii 1840 §. *Quidquid; in Spoletana Praestationis die 22 Februarii 1851* §. *Quod.*

93. Idcirco etiam Decimatores tenentur reaedificare Ecclesiam, ratione decimarum, quas in Paraecia percipiunt, ut definivit Rota in decis. 407 n. 2, decis. 440 n. 1 coram Emerix iuniore, in Urbevetana Reparationis Ecclesiae 3 martii 1752 §. 4 coram Vicecomite, in Moguntina Reparationis Ecclesiae 13 februarii 1758 §. fin. coram Paracciano, et in Constantien. Reaedificationis Ecclesiae 3 martii eiusdem anni §. 9 coram Ratto *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 30 Maii 1761* §. *Causa.*

99. Unde quousque suppetant vires decimarum cogi non posse videntur ad reaedificandam Ecclesiam Patronus vel Parochiani, qui solum in subsidium obligantur, deficientibus Ecclesiae reditibus, ut sequendo censuram Sacri Concilii Tridentini in Cap. 7 sess. 21 de reformatione tradunt Barbosa de Paroch. Cap. 13 n. 6 et 8 part. 1, Constant. vot. decis. 21 n. 24 tom. 2, Rot. decis. 407 a n. 3 coram Emerix iuniore, in Urbevetana Restaurationis Ecclesiae 3 martii 1752 §. 5 coram Vicecomite; minusque ad reaedificationis expensas teneri Parochum, si vix habeat reditus pro congrua, ex deductis per Rotam in Recent. decis. 504 n. 2 part. 19 tom. 2 *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 30 Maii 1761* §. *Causa.*

100. Namque decimae non tantum ad Ministrorum Dei alimoniam, sed et ad Ecclesiarum conservationem sunt ordinatae, Can. 30 et 31 quaest. 2 caus. 12, et praeter alios Leurex dis. can. 16 a n. 39 *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 31 Martii 1770* §. *Quod.*

101. Siquidem onus est decimarum et necessarios curae Ministros alere et fabricae Ecclesiae Aediumque Parochialium consulere, ex firmatis per Rotam in decis. 34 n. 12 de miscell. coram Falconerio, et in Urbevetana Restaurationis Ecclesiae die 3 martii 1752 §. 3 coram Vicecomite *in Constantien. die 30 Maii 1761* §. *At.*

Item *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Postremo.*

102. Idcirco in dubium venire non potest, quin nomine fructuum ad Ecclesias pertinentium decimae quoque comprehendantur, atque idcirco onus reaedificationis Ecclesiarum ipsis decimis insitum quemcumque Decimatorem sequatur, Barbos. de offic. et potest. Paroch. part. 1 cap. 13 n. 2, Rot. coram Emerix iuniore decis. 407 n. 1, in Moguntina Reparationis chori 4 iulii 1749 §. 2 coram Clemente, in Urbevetana Restaurationis Ecclesiae 3 martii 1752 §. 4 coram Vicecomite, in Moguntina Reparationis Ecclesiae 13 februarii 1758 §. 3 coram Paracciano, et in Constantien. Reaedificationis Ecclesiae 3 martii 1758 §. 9 coram Ratto *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 16 Septembris 1769* §. *Certum.*

103. Hinc decimandi ius transit cum onere infixo reaedificationis Parochiae, ex firmatis per Glossam in Can. *Monachus* 16 quaest. 1, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 13 n. 54 *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 31 Martii 1770* §. *Quum.*

104. Quapropter etiam Episcopus concurrere debet ad restaurandam Ecclesiam parochialem et augendam congruam pro Parocho, cum et ipse portionem redituum parochialium percipiat *in Brictinorien. die 14 Decembris 1782 die 10 Decembris 1785 et die 15 Septembris 1787.*

105. Enimvero Gregorius XIV unionem parochialis Ecclesiae S. Cassiani de Rocca iamdudum factam Mensae Episcopali Brictinoriensi perpetuo dissolvit, et ne huiusmodi dissolutio detrimento esset praedictae Episcopali Mensae, eidem univit alteram Ecclesiam S. Donati loci de Polenda, iniuncto tamen onere Episcopo, ut Parochianorum curam exerceri faceret per Secularem Presbiterum: sed inde per Apostolicas Literas die 11 aprilis 1778 dictam Parochialem S. Donati ad statum collativum Supremus Pontifex redegit, atque Parocho nonnulla assignavit praedia, reliqua vero bona ac ius percipiendi decimas Mensae Episcopali reservavit. De huiusmodi bonorum divisione conquestus est Populus dicti loci Polendae, atque contendit, Literas Apostolicas subreptionis vitio laborare, quia minus recte narratum fuerat, bona assignata pro congrua Parochi sustentatione sufficere, cum ex illorum fructibus detractis oneribus parum emolumenti susciperet. Qua de re sustinuit, congruam assignandam esse in annuis

scutis 132, illamque praestandam a Mensa Episcopali, quae reliquos Parochiae reditus percipiebat; nec non teneri Episcopum tam de tempore praesenti, quam in futurum ad subeundas expensas, quae requirebantur in necessariis peragendis Ecclesiae instaurationibus et in comparandis pro illius usu sacris supellectilibus, cum Mensa Episcopalis potiorem partem redituum Parochiae et praesertim decimas perciperet. Contra Promotor Fiscalis advertit, Episcopum dismembrationi Parochiae a Mensa Episcopali consensum praestitisse sub expressa conditione, quod novus Parochus acquiescere deberet factae assignationi bonorum, et onus assumeret restaurandi aedificia, et sacra utensilia providendi; et has conditiones libenter acceptasse Sacerdotem Franciscum Milandri modernum Parochum Polendae. Propositis interim dubiis: – I. An sustineantur Literae Apostolicae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et in qua summa sit assignanda congrua Archipresbitero in casu etc. III. An et cuius sumptibus faciendae sint reparationes nec non sacrae supellectiles in parochiali Ecclesia S. Donati tam de tempore praesenti, quam in futurum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 decembris 1782 respondit: – Dilata et ad mentem; et mens est, quod scribatur Episcopo Ariminensi, iuxta votum D. Secretarii –.

106. Instructio iuxta dictum votum data ad Ariminensem Episcopum huiusmodi fuit: – ut praevia exhibitione librorum Mensae Episcopalis Brictinorii, ductoque calculo per decennium, statum conficiat omnium bonorum Parochiae S. Donati dictae Mensae Episcopali unitae. Inquirat etiam quot reditus percipiat Episcopus, quotnam habeantur ex bonis Parocho assignatis, quot et quae sint onera, quibus idem Parochus gravatus, et quaenam expensae requirantur pro manutentione Ecclesiae domus parochialis et aedium ruralium. Referat, quid in hanc causam impenderit Episcopus, et quantum Vicariis Curatis amovibilibus persolverit, antequam dicta Parochialis ad statum collativum restitueretur. Sacram Congregationem instructam pariter reddat de incertis emolumentis Parocho obventuris, num ipse in exercitio curae animarum opera indigeat alterius Sacerdotis, et demum quaenam sint deteriorationes Ecclesiae et domus parochialis, et cuius culpa evenerint –. Episcopus Ariminensis retulit, se decennalem statum conficere non potuisse bonorum Parochiae, quae ex antiqua unione Mensae Episcopalis obtinebat, tacentibus Mensae codicibus per se ipsum evolutis, nullo extante inventario; adeoque nequivisse fructus calculare, quos ab ignoratis bonis Episcopus percipiebat, etsi non omiserit rationum libros percurrere, qui sibi producti fuerunt. Fructus bonorum, quae Parochiae fuerunt in praesens adscripta, aestimandos esse dixit, sive in scutis 57 90, iuxta postremam agrorum praescriptionem, sive in scutis 53 10, iuxta ipsius Parochi confessionem, praesentibus Testibus seque coram, emissam. Onera autem esse asseruit, annuum vectigal in scutis 1 20, et candelarum distributionem in die Purificationis non excedentem scuta 3, nec non prandium vicinioribus Parochis in festum S. Donati titularis confluentibus parandum in scutis 7, sed bini Vicarii, qui eidem Ecclesiae ante praesentem Parochum proxime praefuerunt, testabantur, Parochianos ea die tot ad Parochum solitos esse munera praestare, quot Mensae indigentiam excedebant. Impensam in annuis Ecclesiae domus parochialis aediumque ruralium reparationibus in scutis 8 50, duobus adhibitis Peritis, constituit. Mensa Episcopalis Vicariis Curatis pro stipendio annuum emolumentum circiter scutorum 30 pensitavit. Quoad incerta emolumenta, Parochus ea redegit ad scuta 8 80 circiter; contra alter ex praedictis Vicariis illa enumerabat in scutis 50, alter in scutis 40. Censuit praefatus Episcopus, Parochum haud indigere Presbitero adiutore, quia Parochia animabus 440 tantum constabat, quarum habitationes magis longinquae mille passus non excedebant, et quia adiutorem huiusmodi ab hominum memoria Vicari Curati non habuerant, cum praesertim adesset Sacerdos in Oppido Polendae, qui festis diebus secundam Missam celebrabat, excipiens eleemosynam obulorum 15 ex solitis in eadem Ecclesia colligi eleemosynis. Demum deteriorationes in Ecclesia vix aestimatae a Peritis fuere in scutis 9 30, quorum scuta 4 60 a Parocho debebantur, reliqua ab Altarium Patronis; quo vero ad domum summa dete-

riorationum erat in scutis 9 30, sed cuius culpae adscribendae illae essent, rem dixit ambiguam. Putavit autem, tribuendas iis esse, qui opportunas postremis annis reparationes neglexerunt. Interea tamen Polendae homines cum Episcopo Brictinoriensi iniverunt concordiam, in qua cum Episcopus promisisset, servaturum se fore eosdem ab Ecclesiae reparationibus immunes et sine molestiis in iudicio et extra, ipsi repromiserunt liti renunciaturos, veluti renunciarunt. Unde praeter tria dubia iam proposita, additum fuit quartum sub formula: – IV. An sit locus approbationi concordiae inter Mensam Episcopalem Brictinorii et Parochianos Polendae in casu etc. –, quibus Sacra Congregatio die 10 decembris 1785 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative in annuis scutis 17 ab Episcopo praestandis. Ad tertium, quoad restaurationem Ecclesiae pro tempore praeterito spectare ad Episcopum, quo vero ad futurum, ordinarias spectare ad Parochum, extraordinarias ad Episcopum; et quoad sacras supellectiles, tam pro tempore praeterito, quam pro futuro, spectare ad Parochum. Ad quartum Negative; et amplius –. Huic non acquievit iudicio Promotor Fiscalis Curiae Brictinorii; sed repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 10 decembris quoad primum secundum et tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, in decisis; et amplius – *in Brictinorien. die 15 Septembris 1787.*

107. Quod si decimae, quae in loco percipiuntur, satis non sint pro deputatione Capellani Curati et novae Ecclesiae aedificatione, nova Ecclesia et aedes parochiales intra fines Ecclesiae Matricis aedificari debent sumptibus Communitatis loci, si velit, non autem a Decimatore *in Constantien. die 27 Iunii 1761.*

108. Siquidem Pagus Steinenstatt aderat intra fines parochialis Ecclesiae Schliengensis, quae suberat magno per Alemanniam Hierosolymitani Ordinis Magistro: unde illius Incolae petierunt, ut ex decimis, quae in loco percipiebantur a praedicto Magno Priore constitueretur Parochus seu Vicarius Curatus, nec non Ecclesia aedificaretur, cum decimae ascenderent ad annuos florenos 1947. Contra magnus Prior, cui adhaerebat Vicarius Curatus Schliengensis, sustinuit, haud esse locum dismembrationi, vel constitutioni Capellani Curati, quin etiam aedificanda foret nova Ecclesia, cum satis ampla esset Ecclesia parochialis Schliengensis, ad quam omnes Parochiani tenebantur accedere. Sustinuit insuper, decimas praediales, subductis canonibus et responsionibus ratione dominii fundarii vigore emphyteuticarum concessionum a Steinenstattensibus debitis, solum attingere annuos florenos 534, et vix sufficere pro manutentione Vicarii Curati Schliengensis et Capellani coadiutoris, nihilque superesse pro nova Ecclesia aedificanda. His utrinque perpensis, Sacra Congregatio, postquam declaraverit, non esse locum dismembrationi, sed deputationi Capellani Curati, qui continuo residere deberet in Pago Steinenstatt, sumptibus magni Prioris ex decimis purochialibus Steinenstatt, et in subsidium expensis Communitatis, proposito dubio: – III. An sit locus praetensae aedificationi novae Ecclesiae nec non Aedium parochialium in eodem Pago Steinenstattensi et cuius sumptibus in casu etc. –, responsum tulit: – Ad tertium, arbitrio et sumptibus Communitatis – *in Constantien. die 27 Iunii 1761.*

109. Idcirco Ecclesia Matrix non tenetur reaedificare Ecclesiam filialem, si in actu dismembrationis sibi decimas in ea reservaverit, cum reaedificatio praedictae Ecclesiae primum ad reditus fabricae, dein ad Populum, ac demum ad Patronum spectet, accedente praesertim consuetudine, licet novus Parochus vix habeat reditus sufficientes pro congrua, quin etiam obstet, quod reditus fabricae non in erectione Ecclesiae constituti, sed progressu temporis acquisiti, paucissimi sint, ne quidem sufficientes quotidianis et minutis reparationibus aliisque usibus, quibus sunt destinati; his enim in terminis proposito dubio: – I. An et ad quem spectet reaedificatio Ecclesiae parochialis Oppidi Seelbacensis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 maii 1761 responsum dedit: – Ad primum, spectare primo loco ad reditus fabricae, secundo loco ad Populum, tertio ad Patronum –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in ca-

su etc. –, Sacra Congregatio die 14 maii 1768 respondit: – Dilata, et proponatur omnino in mense augusti etiam unica –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 17 septembris 1768 respondit: – In decisis, et amplius –. Obtenta a succumbentibus venia iura sua deducendi, iidem urserunt dismembrationis necessitatem, adeoque onus reaedificandi Ecclesiam remansisse dixerunt penes Matricem, cum praesertim vigeret ibidem consuetudo, secundum quam necessitatibus Ecclesiarum occurrebant Decimatores, atque hoc agnitum et facto quoque comprobatum fuisse dixerunt ab ipsa Matrice quoad alias Ecclesias filiales, quibus auxilium opemque praestiterat. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 18 novembris 1769 respondit: – In decisis, et amplius –. Facta nihilominus est iterata venia iura deducendi. Hinc enixius probatum est, dismembrationem fuisse necessariam, non vero factam intuitu Baronis loci. Idcirco decimae obligationem habebant infixam manutentionis novae Parochiae. Reproposito vero dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius; et ad Emum Praefectum ad mentem – *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 28 Aprilis 1770.*

110. Unde Reclusius de re paroch. part. 1 tit. 9 a n. 76 resolutionem commendans a Sacra Congregatione vulgatam in dicta Spiren. reaedificationis Ecclesiae 30 maii 1761, postquam animadvertit, ideo Populum obligatum fuisse prae Patrono, – quia praeter commodum, quod ab Ecclesia spiritualiter perceperat, domum parochialem a fundamentis excitaverat, ac retroactis temporibus volita fuerat contribuere pro Ecclesiae necessariis reparationibus –, ita prosequitur: – At e contrario ad Patronum oratione conversa, ideo fuit a Sacra Congregatione resolutum, illum tertio loco teneri ad Ecclesiae parochialis reaedificationem, quia agebatur de Patrono, qui solam dotem, quae adhuc extabat, pro Rectoris substentatione, non vero pro fabrica Ecclesiae assignaverat, ut legere est in dicto folio §. Spiren in principio, et in §. Triplex, adeoque non poterat, nisi in subsidium post dictam Communitatem compelli ad expensas pro reaedificanda illa Ecclesia, cuius ipse non fuerat Fundator; secus ac dicendum esset, si actum fuisset de nova constituenda dote pro Rectoris substentatione, eo quod ipsa defecerit, ad notata ab Amostaz de causis piis lib. 5 cap. 5 n. 22 – *in Firmana Domus parochialis die 25 Maii 1844 §. Profecto.*

111. Nec itaque Incolae loci, quae duas tantum Familias efformabant, potuerunt cogere Decimatores praefati loci ad Ecclesiam parochialem aedificandam, eamque de Vicario perpetuo aliisque necessariis providendam, cum Plebem non constituerent, quoad alios vero Incolas alterius loci triginta quatuor Familias efformantes, Sacra Congregatio distulit resolutionem iuxta mentem *in Leodien. Vicariae die 10 Maii 1760.*

112. Enimvero Territorium Siunae gallice *Chinne* Diaecesis Leodiensis alios non habebat Incolas praeter duas Familias, quarum una suberat Ecclesiae parochiali de Villers Gambos, altera Parochiae loci De Suricae. Decimae autem eiusdem Territorii percipiebantur a Monasterio Broniensi illiusque Abbate in praesens Episcopo Namurcensi, vigore antiquissimae donationis Monasterio factae anno 1190 a Gerberga nobili matrona loci De Suricae. Proxima huic Territorio Siunae extabat Villa de Merlemont triginta quatuor numerans Familias, quae pariter Ecclesiae parochiali de Villers Gambos subiectae erant. Anno autem 1754 conquesti sunt apud Sacram Congregationem Incolae utriusque Villae de aspero et longo itinere per dimidiam leucam inter loca praedicta et Ecclesiam parochialem De Villers Gambos vallibus rupibus et aquarum inundationibus obsita, praesertim hyberno tempore, ita ut Pueri ad illam accedere non possent pro addiscendis rudimentis fidei, et Adulti plerumque decederent sine Sacramentis, iuxta plurimos casus enunciatos in iurata Scabinorum aliorumqe attestatione in praemissarum comprobationem exhibita; preces itaque adiungebant, ut cogerentur Decimatores assertae antiquae Parochiae de Siuna aedificare prope Castrum De Merlemont Ecclesiam parochialem, eamque de Vicario perpetuo cum debita congrua providere, nulla facta distinctione Decimatorum de Siuna de Merlemont, quia una erat Communitas, ex utriusque Territorii Incolis composita, vel saltem praetenderunt, ab hoc onere eximi

non posse Decimatores Territorii de Merlemont. Contra Decimatores de Siuna sustinuerunt, nullos adesse Incolas in eo Territorio, praeter duas Familias, quarum distantia a Parochiali non probabatur, quaeque, cum non constituerent Plebem novae Parochialis, erectionem petere non poterant; neque confundendos esse Decimatores, etiamsi unica Communitas ab utriusque Territorii Incolis efformaretur, quum nulla fieri valeret illatio a limitibus temporalibus, ad limites spirituales. Et Decimatores de Merlemont inefficaces reputarunt Parochianorum depositiones, quibus datum non erat testimonium ferre in causa propria; alios Testes affectate deponere de asperitate viae, et animarum pernicies non praesumenda contra experientiam plurium seculorum. Capellam dixerunt adesse in Merlemont cum Beneficiato, qui Missam celebrabat diebus festis et cathechesim exponebat de mandato Episcopi; et decessum aliquorum sine Sacramentis evenisse ex repentina illorum morte, vel ex negligentia adstantium.

113. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Decimatores Territorii de Siuna vulgo *De Chinne* teneantur aedificare Ecclesiam parochialem, eamque de Vicario perpetuo aliisque necessariis providere in casu etc. – II. An Decimatores Territorii de Merlemont teneantur aedificare Ecclesiam in loco seu prope Castrum de Merlemont pro exercitio curae animarum, eamque de Vicario perpetuo aliisque necessariis providere in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, dilata; et ad mentem – *in Leodien. Vicariae die 10 Maii 1760.*

114. Qua de re cum vigore cuiusdam assertae transactionis Communitas funeralium emolumenta in fabricam Ecclesiae parochialis conferenda perciperet, sed haec a pluribus annis Archipresbiter perceperit, nec non plures adessent Capellae iurispatronatus laicorum, Sacra Congregatio declaravit, ad dictam Communitatem spectare reparationem praefatae Ecclesiae, eidem tamen reservato iure agendi pro mortuariis contra Archipresbiterum et quos de iure *in Sabinen. Restaurationis Ecclesiae die 17 Aprilis 1706 lib. 56 Decretorum.*

115. Siquidem – in visitatione Diaecesis, quam R. P. D. Bataglinus uti Visitator Apostolicus de anno 1703 explevit, cum inter cetera navim orientalem Ecclesiae S. Mariae Terrae Tarani a novissimo horribili terraemotu valde concussam et fatiscentem compererit, eam infra mensem proximum reparandam esse decrevit per Communitatem, a qua vigore cuiusdam assertae transactionis funeralium emolumenta in fabricam conferenda percipi, eiusque idcirco reparationis onus subeundum esse supposuit. Quoniam vero in dicta Ecclesia tribus navibus distincta plures aderant ex uno latere Capellae, quae ad diversos particulares Patronos pertinent, atque ex alio latere plures laicales Confraternitates Capellas et Altaria sua retinent, emolumenta vero mortuariorum ab annis circiter triginta ab Archipresbitero percepta fuerunt, qui de tempore dumtaxat praemissae Visitationis R. P. D. Battaglini ad favorem Communitatis illa dimisisse dicitur, et a tempore tantum dictae dimissionis in ipsius Ecclesiae restaurationem erogari ceperunt, adeo ut perexigua illorum quantitas praedictae necessariae reparationi longe insufficiens in manibus Quaestorum seu exactorum publicorum modo supersit; propterea Communitas ipsa non habens, unde tam gravem impensam in restauratione eiusdem Ecclesiae requisitam substinere valeat, monitis omnibus dictarum Capellarum Patronis et laicalibus Confraternitatibus eodemque Archipresbitero, qui emolumenta funeralia tam diuturno tempore percepit, ab EE. VV, declarari hodie postulavit:–An et pro qua rata spectet onus reparationis Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Spectare ad Communitatem, reservato iure agendi pro mortuariis contra Archipresbiterum et quos de iure – *in Sabinen. Restaurationis Ecclesiae die 17 Aprilis 1706 lib. 56 Decretorum.*

116. Hinc antequam Sacra Congregatio resolvat, an Monialium Monasterium, cui annexa est cura animarum, pro qua rata teneatur ad restaurationem Ecclesiae parochialis Fontis baptismalis sacrae Pixidis et vasis aquae benedictae, plura scire merito cupit quoad statum praefatae Ecclesiae impensam ad id necessariam nec non summam emolumentorum, quae Moniales et eidem Ecclesiae inservientes percipiunt *in Sorana*

Restaurationis Ecclesiae parochialis die 3 Septembris 1729.

117. Iamvero in Terra Arpini aderat parochialis Ecclesia S. Andreae annexa Monasterio Monialium Ordinis S. Benedicti, ubi Moniales omnes functiones per eas fieri solitas peragebant, Officium divinum quotidie recitabant, Missas audiebant, professiones emittebant, et ipsarum cadavera tumulabantur. In eadem Ecclesia inserviebant quinque Presbiteri Canonicorum titulo insigniti, exercentes curam actualem per turnum, habitualis vero residebat penes Abbatissimam, quod ideo Archiabbatissa nuncupabatur, prout ita pluries resolutum fuisse retulit Episcopus, quod tamen intelligi potest de cura habituali impropria, idest de iure nominandi et deputandi Curatos, cum translatione totius curae in istos, nam cura vere habitualis stare nequit penes feminam, tamquam incapacem huiusmodi iurisdictionis spiritualis, neque per se, neque per alium eius nomine exercendae, prout post plures concordantes notat Emus Petra ad Constitutionem 7 Urbani IV n. 34 et 35 tom. 3. Eidem Abbatissae debebantur decimae, emolumenta parochialia, quarta funeralis et integra intorticia, quae supererant, absolutis exequiis, immo ex candelis associationis, quae regulariter associantibus debebantur, pars quoque Abbatissae tradebatur. Canonici vero praeter eorum Praebendas canonicales annui reditus scutorum sexaginta pro quolibet, ut ipsi asserebant, ingenti numero Missarum et Anniversariorum gravatas, nil aliud percipere solebant, quam candelas exigui valoris funeralium Parvulorum, et adhuc super his pendebat litigium inter eos et Monasterium, ita ut potius Capellani, quam Canonici appellari possent, ceu de his omnibus testabatur Episcopus. Cum autem idem Episcopus in visitatione de recenti facta invenerit, praedictam parochialem Ecclesiam fuisse de novo constructam, seu verius inceptam sumptibus Canonicorum et Universitatis, sed adeo imperfectam, ut praeter parietes laterales et partem fornicis, reliqua desiderarentur, per Decretum mandavit, ut dicta Ecclesia sub poena Interdicti infra sex menses perfici deberet, quodque pro tertia parte sumptuum contribuere teneretur Monasterium praefatum; decrevit etiam, quod idem Monasterium restaurare seu reficere deberet propriis expensis sacram Pixidem Fontem baptismalem et vas aquae benedictae.

118. Reclamarunt Moniales ab huiusmodi Decretis ad Sacram Congregationem; sed propositis dubiis: – An Abbatissa et Moniales Monasterii S. Andreae Arpini teneantur ad restaurationem Fontis baptismalis sacrae Pixidis et vasis aquae benedictae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et scribatur Episcopo pro meliori informatione, iuxta instructionem (1) – *in Sorana Reparationis Ecclesiae parochialis die 3 Septembris 1729.*

119. Alias enim etiam Capitulum Collegiatae, cui unita extat Ecclesia parochialis, eam restaurare tenetur, aut eamdem dimittere debet, si contendit, quod illius reditus sint valde tenues *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae die 12 Decembris 1705 et die 17 Decembris 1707 lib. 55 et 57 Decretorum.*

120. Siquidem – curam Ecclesiae parochialis S. Nicolai Terrae Montis Leonis ab antiquissimo tempore unitae Ecclesiae Collegiatae S. Gregorii Civitatis Spoleti alter de gremio Capituli eiusdem Collegiatae ante Concilium gerebat. Edito autem Concilio, quod in cap.7 sess. 7 de reformatione curam animarum imminentem Beneficiis Cathedralibus aut Collegiatis unitis per Vicarios perpetuos exercendam esse statuit, Capitulum constituto salario quadraginta scutorum ex annuo reditu nonaginta scutorum vel circiter, qui ex dicta Ecclesia S. Nicolai percipiebantur, Vicarium perpetuum oneri eiusdem curae suffecit. Cum vero successu temporum idem annuus dictae Ecclesiae fructus decreverit, salarium usque ad quantitatem, ut supra statutam, ex fructibus suae Mensae supplevit, donec tandem fructus integros eiusdem Ecclesiae S. Nicolai in praefatum Vicarium pro sua congrua

(1) Scilicet Sacra Congregatio scire cupit in quo statu reperiatur fabrica Ecclesiae, et quae impensa requiratur pro illius refectione, rursus ad quam summam ascendant emolumenta omnia, quae annuatim percipiunt ex animarum cura, et ad quam summam ascendant emolumenta omnia, quae recipiunt quolibet anno Canonici ab exercitio curae, et quanti sint annui reditus eorum Praebendarum distincti a supradictis emolumentis, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 17 die 3 Septembris 1729.*

dimisit, et a pluribus retro annis nihil Capitulum ipsum ex dicta Ecclesia unita percepit. Contendente nihilominus Communitate dictae Terrae Montis Leonis, Ecclesiam praedictam a novissimo terraemotu pene dirutam sumptu ipsius Capituli esse reparandam, propterea EE. VV. modo statuendum est: - An et cui incumbat onus restaurandi Ecclesiam parochialem S. Nicolai Montis Leonis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 decembris 1705 responsum dedit: – Spectare ad Capitulum, et ad mentem –. At non acquiescens Capitulum huic resolutioni, sub fundamento tenuitatis redituum praedictae Ecclesiae parochialis, noviter audiri obtinuit, nec non subdelegari in partibus Gubernatorem Spoleti, cum facultate deputandi Peritos pro recognitione status Ecclesiae, de qua agitur, et extrahendi formiter partitas introitus et exitus illius, ac desuper examinandi Testes. In quorum executionem idem Iudex deputatus, servatis servandis, ac cum interventu utriusque Partis Procuratorum, plantam iudicialem transmisit, exhibendam coram EE. PP., ac plures probationes circa reditus fuerunt coram eodem factae, quae in Summario dantur. Quapropter ex his et aliis hinc inde deducendis grave non erit EE. VV. decernere: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 12 decembris 1705 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, aut dimittat Ecclesiam unitam – *in Spoleletana Restaurationis Ecclesiae die 17 Decembris 1707.*

121. Hinc Sacra Congregatio pluries resolvit, quod si Ecclesia parochialis esset alicui Monasterio unita, vel aliter commendata vel sub cura habituali alterius, onus restaurandi pertineret ad Monasterium ad Commendatarium et ad Parochum habitualem, qui reditus Ecclesiae exigunt, non vero ad Vicarium seu Curatum actualem deputatum cum sola congrua tamquam stipendio sui laboris, ceu videre est in Decretis, quae referunt et sequuntur Card. De Luca in Miscell. disc. 29 per totum, Bertacchinus vot. decis. 100 n. 1 et 10, Barbosa de Paroch. part. 1 cap. 3, Rota in Savonen. Restaurationis Ecclesiae parochialis 8 maii 1709 coram Scotto *in Sorana Restaurationis Ecclesiae die 13 Augusti 1729* §. *Sacra.*

122. Quo vero ad alia onera respicientia curam animarum et administrationem Sacramentorum, qualia sunt, exempli gratia, restauratio Fontis baptismalis sacrae Pixidis et vasis aquae benedictae, Sacra Congregatio processit cum distinctione; aut enim Vicarius seu Curatus actualis habet congruam sufficientem nedum pro suis alimentis, sed etiam pro satisfaciendo onere administrationis Sacramentorum, tunc illorum restauratio seu refectio ad eum spectat *in Sorana Restaurationis Ecclesiae parochialis die 13 Augusti 1729* §. *Quo.*

123. Iamvero Sacra Congregatio declaravit: – Omnia onera respicientia curam animarum et administrationem Sacramentorum spectare ad Vicarium perpetuum, cetera vero omnia ad Abbatem seu Commendatarium eiusdem Ecclesiae, in qua est erecta Vicaria - *in Eugubina die 12 Maii 1594.*

124. Aut vero congrua sufficit tantum pro solis alimentis, et in hoc casu nec ad ipsa onera ipse tenetur; quia congrua alimentaria ab omni onere debet esse exempta, ut responsum fuit *in Sabinen. Reparationis Ecclesiae die 13 Maii 1679.*

125. Limita, nisi ultra congruam alimentariam perciperet etiam omnia emolumenta incerta provenientia ab exercitio curae: nam tunc vel id totum, vel ad ratam partem alimentorum, quae percipit, contribuere tenetur ad dicta onera respicientia administrationem Sacramentorum, ut observat Piton. discept. eccles. 50 n. 41 tom. 2 una cum Bertacchino vot. decis. 100 a n. 1 *in Sorana Restaurationis Ecclesiae parochialis die 13 Augusti 1729* §. *Aut.*

126. Hinc Sacra Congregatio ad ea, quae proponebantur, respondit, quod scilicet onus instaurationis Ecclesiae parochialis S. Ruffi atque alia onera eidem Ecclesiae incumbentia non ad Monasterium Cassinense, cui unita erat Ecclesia, sed ad duos Vicarios, de Vicariis perpetuis in ea provisos, pertineret *in Capuana die 16 Novenbris 1634.*

127. Quum igitur ageretur quaestio, an Sacerdos Secularis Vicarius perpetuus Ecclesiae parochialis, seu potius Monachi tenerentur reparare dictam Ecclesiam, Sacra Congregatio primum mandavit, ut coadiuvaretur probatio quoad dimissionem omnium vel par-

tis bonorum factam a Monachis cum Ecclesia, sed inde cum innotuerit, quod iam penes Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium acta fuisset controversia super huiusmodi bonis, nec non Ecclesia esset in statu imminentis ruinae, rem quidem ad praefatam Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium decidendam remisit, sed simul statuit, ut interim per modum provisionis restauraretur Ecclesia expensis Monachorum, et deinde cuius de iure *in Clusina Reparationis Ecclesiae die 12 Februarii 1724 et die 22 Septembris 1725.*

128. Siquidem Parochiani parochialis Ecclesiae S. Leonardi Terrae Arcidossi institerunt, ut Monachis Monasterii S. Salvatoris Montis Amiati demandaretur, ut debitas facerent praedictae Ecclesiae labenti reparationes, iuxta alias ab Episcopo demandata in sua visitatione et comprobata a Sacra Congregatione in responsione ad relationem super statu Ecclesiae suae a dicto Episcopo de more transmissam. Nam bona Ecclesiae per unionem incorporata dicebantur Monasterio, ita ut Vicarius perpetuus Sacerdos Secularis curam animarum exerceret cum modico reditu, quando bona Ecclesiae magni valoris erant in potestate Monasterii. Idcirco cum in facto esse dixerunt, quod maiorem partem bonorum apud se Monachi retinerent, et portio quaedam miserabilis fuerit Vicario antecessori consignata, absque eo quod Vicarius congruam obtineret in summa scutorum octoginta sibi ab Episcopo statutam in numerata pecunia, onus reparationis nunquam ad Vicarium, sed ad Monachos pertinere debebat. Variae quippe extant Sacrae Congregationis resolutiones, sed quae in hoc concordare videntur, ut onus pertineat ad Commendatarium in hypothesi tantum, in qua non fuit assignata Vicario perpetuo portio sufficiens, nedum pro alimentis, verum etiam pro reparationibus, uti colligi potest ex resolutionibus impressis apud Bertacchinum voto 100. Proposito interim dubio: - An Monasterium teneatur ad reparationem Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 februarii 1724 responsum tulit: – Dilata, et coadiuvetur factum; et scribatur Nuncio Florentino pro solicita informatione super praetenso statu Ecclesiae parochialis –. Nuntius Florentinus respondit, Ecclesiam esse in statu imminentis ruinae, et pro eius reparatione esse necessariam expensam scutorum 150. Monachi autem exhibuerunt nonnulla documenta, quibus ostendebatur, introductam olim fuisse in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium controversiam super puncto, an Monasterium omnia bona dimisisset pertinentia ad hanc et alias Ecclesias parochiales, et in eadem Sacra Congregatione resolutum fuisse, quod licuerat Monachis dimittere omnia bona spectantia ad Ecclesias loco congruae alias ab Episcopo Vicariis in pecunia assignatae. Alia quoque documenta ostendebant, Curatum S. Leonardi Arcidossi instetisse pro assignatione congruae in pecunia, eidemque factam fuisse assignationem per modum provisionis, facta tamen per eumdem restitutione bonorum a Monachis dimissorum, sed subsequenter recessum fuisse a decisis, et factam fuisse omnium remissionem ad Nuntium Florentinum, coram cuius tribunali cum ceteri Parochi et etiam ille, de quo in praesens agebatur, comparuissent, ut ostenderent, non fuisse a Monachis dimissa omnia bona ad suas Ecclesias pertinentia. Causa subinde ulteriorem non habuit prosecutionem, et lapsus erat terminus iisdem praefixus ad suam probandam intentionem.

129. His itaque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, et interim per modum provisionis Ecclesia omnino restauretur expensis Monachorum, et deinde cuius de iure, et exequutio committatur Nuntio Florentiae, qui de eadem certioret; et amplius – *in Clusina Reparationis Ecclesiae die 22 Septembris 1725.*

130. Hinc Ecclesiae reditibus deficientibus, vel insufficientibus ad reparationem vel reaedificationem, concurrere quidem debent Ecclesiae Rectores ex Textu in Cap. 1 et cap. 4 de ecclesiis aedificandis, sed in horum subsidium primum tenentur Patroni, deinde Parochiani, ut statuit Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 21 de reformatione *in Assisien. Reaedificationis die 18 Decembris 1819* §. *Ecclesias.*

131. Quum autem Ecclesia Parochialis et Collegiata S. Michaelis Archangeli de iure patronatus Parochianorum pro duabus ex

tribus partibus, et pro tertia comitis Petri Giliucci reparatione indigeret, ac dubitaretur, num in fabricae Ecclesiae commodum cogendi essent Canonici aliique eiusdem Ecclesiae Beneficiarii ad mediae annatae solutionem, iuxta praescriptum in Concilio Romano sub tit. 27 de ecclesiis aedificandis cap. unico, et a Summo Pontifice Benedicto XIII in Constitutione *Pius et misericors,* vel potius Ecclesia reparanda esset sumptibus Parochianorum et Familiae Giliucci, penes quos eiusdem Ecclesiae patronatus adhuc residebat, cumque Archiepiscopus retulisset, Patronos non assentiri solutioni mediae annatae, quia haec nunquam soluta fuerat, et in fundatione dos constituta erat, quae anno 1641 reditum annuum scutorum 500 circiter conflabat, at e diverso Heraclium Pedrini eiusdem Ecclesiae Priorem et Canonicum Natali arbitrari, enunciatam dotem assignatam fuisse pro Praebendis et quotidianis distributionibus, minime vero in finem servandi sarta reficiendique tecta Ecclesiae et adiacentium domorum, quae celeri alioquin reparatione indigebant, proposito dubio: – An et ad quos spectet reparatio Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et scribatur Archiepiscopo pro nova informatione, iuxta instructionem – *in Firmana Reparationis Ecclesiae die 5 Maii 1742.*

132. Ceterum ut finis pluribus ac sumptuosis litibus imponeretur, quandoque Sacra Congregatio transactionem Ecclesiae utilem inter Administratores fabricae Ecclesiae parochialis quoad eiusdem restaurationem et Patronos ineundam probavit *in Patavina Transactionis die 28 Ianuarii 1860.*

133. Enimvero bona immobilia, quae pertinuerant ad suppressum Monasterium Lateranensium Regularium Canonicorum iam Patavii degentium, licitationi exposita fuere labente anno 1784, ita iubente Venetae Reipublicae Senatu, eaque fratribus Petro et Zaccariae Sceriman deliberata extitere: sed inter cetera onera, emptoribus in actu licitationis imposita, singillatim enumeratae fuere praestationes nonnullae, tum reales, tum pecuniariae, erga Parochum Limenae, additumque insuper iuspatronatus emptoribus eligendi Parochum, cum onere manutenendi fabricam Ecclesiae Sacristiae domus parochialis, sacra supellectiles, turrim campanariam, atque campanas. Bona haec post vices transitusque complures, volvente anno 1834, pro medietate possidebantur a Fortunato Taddeo et Rosa Sceriman, pro altera autem medietate ab Israelita quodam Cervo Levi Muia. Oneribus cunctis, quae Parochum respiciebant, semper a possessoribus satisfactum esse constabat, quod forte ex eo quoque repetendum, quod in bonorum translationibus expressa perpetuo mentio de iis facta est. At longe secus accidit quoad onera, quae manutentionem Ecclesiae adnexorumque aedificiorum respiciebant. Ab anno 1834 usque in praesens iudicialibus actis omnigenis ac litibus acerrimis exercebantur, qui Ecclesiae huius administrationi praeerant, quin obulum vel unum a bonorum possessoribus exigere unquam valuerint. Et quidem Ecclesia vetustate fatiscens ruinam undique minitabatur, adeo ut accessus ad eam vetari iampridem debuerit Populum, cui unicum proinde, illudque angustissimum, Sacellum superfuit. Ut finis aliquando tandem imponeretur tot tamque sumptuosis litibus, utque Ecclesiae ius, quod penitus periclitabatur, ex parte saltem tutarentur Administratores, transactionis tractatum cum novissimo Patrono Ioanne Dal Fabro ineundum putarunt. Lubens enim propositionem excepit Patronus. Ac primo e vestigio solutionem obtulit libellarum 6000 pro una tandem vice, et annuum canonem libellarum bis centum. Ea verum oblatione ut minus aequa ab Administrationibus reiecta, utiliores conditiones proposuit Dal Fabro; siquidem praeter solutionem libellarum 6000, supellectiles omnino necessarias Ecclesiae se daturum spopondit ad vim usque libellarum 1760, et canoni annuo libellarum bis centum annuam adiecit quantitatem libellarum centum. Tandem intercedente potissimum municipali auctoritate induci valuit Patronus, ut aliud superadderet augmentum, protestatus tamen est, non ultra progressurum, nisi tertia haec propositio definitive, et cuiuslibet augmenti ulterioris spe reiecta, exciperetur. Privata itaque exarata est syngrapha die 4 novembris 1855, cui Patronus et Ecclesiae Administratores statim subscripserunt. Episcopus vero votum suum contrarium propositae transactioni pandere censuit, ex eo quod novatio

praeiudicialis Ecclesiae per transactionem huiusmodi sanciretur, immutato iure reali in simplex hypotecarium creditum, et hypothecarium ius facile everti atque illusorium reddi posset, ex aliorum creditorum prioritate. Huiusmodi tamen difficultates evanescere poterant, si tutum redderetur Ecclesiae ius seu canon annuus libellarum 300, cum praesertim ius Ecclesiae reapse reale haud esset; nam urgebat solemnis reiiudicatae auctoritas, quae Ecclesiae Administratoribus vel ipsis petentibus ius istud pecuniarium quodammodo creditum, quod hypotecaria inscriptione muniendum esset, convertit; et summam praefinivit, pro qua inscribi poterat. Utilis etiam videbatur transactio, cum quaestionum atque indaginum exitus divinari nemo poterat.

134. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit probanda proposita transactio in casu?, –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus, dummodo per inscriptionem hypotecariam super bonis iurepatronatus affectis, vel in subsidium super propriis Patroni bonis capiendam, securitati Causae piae satis consultum sit – *in Patavina Transactionis die 28 Ianuarii 1860.*

135. Quod si res indubia sit, Ecclesiae reparandae onus eiusque sacris supellectilibus instruendae Patrono incumbit, ex censura Can. 26 caus. 16 quaest. 9, Cap. 13 et 15 de iurepatronatus, Concil. Trid sess. 21 cap. 7 de reformatione, et ex auctoritate Barbos. de potest. Paroch. part. 1 cap. 13 n. 8, Ferrar. in Biblioth. can. verb. Ecclesia art. 3 n. 71 et 72, et verb. utensilia n. 12, Card. De Luc. disc. 52 n. 12 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Ecclesiae.*

136. Nam iure novo Tridentini Concilii sess. 21 cap. 7 de reformatione, deficientibus Ecclesiae reditibus, Patroni ad eius restaurationem tenentur, licet tantum percipiant fructum praesentationis, uti bene ponderat Sperellius in decis. 67 a n. 10 *in Clusina Reparationis Ecclesiae die 18 Decembris 1723* §. *Alias.*

137. Nec igitur aliquo in pretio haberi potest obiectum, quod de patronatu nullum percipiat Patronus emolumentum, cum praecipuum iurispatronatus emolumentum in praesentandi iure exigendique honorificentias consistant, ut post Concilium Tridentinum sess. 21 Cap. 7 tradunt non uno ore Barbosa in dicto Concilio n. 8, Pitonius controv. patron. allegat. 29 n. 19, Bellet. disquis. cleric. part. 1 de cler. debit. §. 14 n. 20 *in Spoletana Celebrationis Missae et Reparationis Ecclesiae parochialis die 24 Aprilis 1847* §. *Assertam.*

138. Amplia, quamvis Patronus ingentem censum Ecclesiae parochiali tribuisset, cum hic pene defecerit, tenetur Patronus novam constituere dotem; nam ipse veluti Pater habetur, Barbos. de potest. Episcop. alleg. 64 n. 16, Piton. de controv. patron. allegat. 12 n. 7: et quemadmodum Pater debet iterum dotare filiam, quae indotata evasit, ita Patronus novam Ecclesiae obstringitur conficere dotem, si vetus forsan deperierit, Piton. de iurepatronat. alleg. 42 n. 19 *in Tiburtina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Septembris 1827* §. *At.*

139. Hinc licet Patronus Ecclesiae parochiali amplam constituerit dotem, si ea subinde perierit, is adhuc tenetur restaurationes peragere, praefixo termino duorum mensium, vel ad eas perficiendas vel ad renunciandum iuripatronatus *in Tiburtina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 16 Decembris 1827.*

140. Siquidem Oppidi *Casape,* quod in Tiburtina extat Diaecesi, iam feudalia olim habuit gens Barberinia, dein obtinuit Familia Pio Civitatis Alones in Regnis Hispaniarum. Unum in eo aderat parochiale Templum a Baronibus e fundamentis erectum, quod nedum intra ipsius familiae Pio palatium situm erat, sed insuper tam a lateribus, quam supra exurgebant palatii cubicula, quae in praesens in horrea commutata erant. Iam inde ab initio ampla Barones ditarunt Praebenda Archipresbiterum, qui totius Oppidi animarum curam gereret. In praesens vero annui Archipresbiteratus reditus, partim temporum iniuria, partim novissimi Archipresbiteri negligentia, adeo tenues effecti erant, ut, subductis oneribus, summam quotannis non excederent scutorum decem. Tiburtinus Episcopus Diaecesim suam ex munere lustrans, cum Casapis Ecclesiam divino cultui indecoram, Fidelibus, ob humiditatem et pavimenti fractiones, imperviam reperierit, necessarias

illico praescripsit restaurationes, et Decretum Communitati Casapensi indici voluit, ut sancita cito exequeretur. Hoc Decretum aegre tulit Communitas autumans, restaurationis onus non sibi, sed Principi Pio incumbere: hunc enim uti Patronum eam reficere debere sustinuit, quin obesset, quod ingentem censum ab initio tribuisset, cum Patronus novam teneatur constituere dotem, si iam constituta perierit. Hisce iuris elementis consonam esse observantiam defendit Communitas, cum ex vetustis monumentis constaret, Patronos ampliasse Ecclesiam eamque necessariis reparasse instaurationibus, uti ex marmoreo lapide, quod in Sacrario Ecclesiae asservabatur, patebat. Insuper ex inventario ab Archipresbitero Reggi confecto habebatur, Familiam Pio anno 1740 adactam fuisse ad fatiscentem Ecclesiae fornicem reaedificandum. Contra qui Principis erat a negotiorum gestione contendit, vetusta et ampla Archipresbiteratus dotatione tam Parochi substentationi, quam fabricae tuitioni provisum fuisse, ideoque non a Principe, sed ab Archipresbitero, et in eius defectum a Populo parochialem Ecclesiam restaurandam esse. Patronus enim post expletam dotationem compelli nequit ad illius supplementum, sive imminuatur, sive perimatur, sed detrimentum periculo Ecclesiae cedere debet, Rot. in Recent. decis. 62 n. 8 part. 11. Hisce addidit observantiam affirmans, Principem Patronum nunquam aliquid contulisse pro Ecclesiae reparatione, sed ipsos Archipresbiteros aut Parochianos necessarias fecisse impensas. Episcopus retulit, in Ecclesiae restaurationem esse impendenda scuta 83 et obulos 93: ac censuit, tam Patronum, quam Communitatem teneri pro rata constituenda, quoniam indiscriminatim Tridentinum utrosque adstringit, omni appellatione remota.

141. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An Patronus teneatur restaurare Ecclesiam parochialem in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative, praefixo Patrono termino duorum mensium, vel ad perficiendas reparationes, vel ad renunciandum iuripatronatus – *in Tiburtina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Decembris 1827.*

142. Patronus enim ad id obstringitur non praecise, sed causative, nempe si ius praesentandi retinere velit, quemadmodum post Sperellium decis. 67 n. 10 et Panimollam decis.6 annot.8 n.15 docet Benedictus XIV Instit. 100 n. 14. Imo is refert, Sacram Congregationem die 3 augusti 1686 rogatam, utrum Metropolitanum Capitulum Ragusae, quod iure suo Parochos nominabat cuiusdam Ecclesiae vehementi terraemotu in terram deiectae, teneretur ad Templum rursus erigendum, seu potius onus illud Populo esset imponendum, responsum dedisse: Praefigendum esse Capitulo terminum sex mensium ad reaedificandum, vel ad renuntiandum iuri praesentandi *in Tiburtina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Septembris 1827* §. *Collabescentes.*

Item *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Postremo; in Praenestina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 28 Ianuarii 1854* §. *At; in Nursina Restaurationis Turris campanariae die 25 Septembris 1858* §. *Ad.*

143. Enimvero quum vehementi terraemotu solo aequata parochiali Ecclesia Oppidi Umblae, quae de Capituli Metropolitani Ecclesiae erat iurepatronatus, et Canonici ad Templum denuo erigendum necessarias expensas conferre recusarent, proposito dubio: – An et cuius expensis aedificanda seu reparanda sit Ecclesia? –, Sacra Congregatio respondit: – Praefigendum esse Capitulo terminum sex mensium ad reaedificandam Ecclesiam, vel ad renunciandum tam iuri praesentandi, quam bonis ad dictam Ecclesiam spectantibus, quatenus illa possideat – *in Ragusina Reaedificationis seu Reparationis Ecclesiae die 3 Augusti 1686 lib. 36 Decretorum pag. 378.*

144. Hinc usu invectum, ut eisdem Patronis consentanenum temporis spatium proponatur, quo Templum restaurent, vel si necessitas postulat, illud rursus aedificent, aut ius nominandi dimittant, Benedict. XIV Inst. 100 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae parochialis et Supellectilium die 6 Decembris 1845* §. *Postremo.*

Item *in Nursina Restaurationis Turris campanariae die 25 Septembris 1858.*

145. Quapropter Patronus tenetur quidem Turrim campanariam reficere, sed optione semper potitur, praefixo tamen termino unius

etiam mensis, vel ad incipiendam et prosequendam restaurationem, vel ad renunciandum iuripatronatus, etiamsi illud eidem obvenerit ex titulo emptionis et venditionis, ac consuetudo atque observantia extet vetustissima, qua id oneris perpetuo tulit, ac Beneficium parochiale sit adhuc plenum *in Nursina Restaurationis Turris campanariae die 25 Septembris 1858.*

146. Siquidem Castri Mevalis, quod in Nursina Diaecesi extat, dominium una cum omnibus iuribus ac pertinentiis suis et patronatu Ecclesiarum, a nobilissima Gente de Alvano, soluto pretio ducatorum auri 7700, emit ineunte seculo XIV Communitas Nursinae Civitatis, quam quidem emptionem venditionem s. m. Bonifacius VIII Apostolicis Literis, quarum initium *Constantis fidei,* expeditis ratam habuit et confirmavit. Recentiori aevo Castrum Mevalis eiusque territotorium a Nursina avulsum Vissi Communitati, Gubernio auctorante, unitum et incorporatum fuit; attamen iuspatronatus Ecclesiae parochialis Castri servavit ac retinuit eadem Nursina Communitas, atque adeo Parochos, vacationibus evenientibus, usque ad postremam perpetuo nominavit ac praesentavit, et reparationis Ecclesiae onus curamque sustinuit. Cum itaque paucis ab illinc annis Turris campanaria Ecclesiae adnexa fatisceret ac proximam minitaretur ruinam, Parochus et Praepositi eiusdem Ecclesiae fabricae penes Nursiae Communitatem institerunt, ut necessarias reparationes conficeret. Constanter tamen id oneris suscipere Communitas renuit, quod illud Castri Incolis, quatenus Ecclesiae reditus deficerent, inhaerere contenderet. Praeses enim Nursinae Communitatis, quamvis id oneris haud negaret, monuit nihilominus, illud nunquam non aegre tulisse Nursinos Cives, postquam ex Gubernii facto illius Castri et Territorii avulsio et ab eadem Communitate segregatio contigit. Hinc rebus in eodem statu haud manentibus, iustitiae vel aequitatis non pati rationem, ut opus huiusmodi sumptibus Communitatis, cui praeerat, absolvi deberet, quae, dissolutis primaevae unionis vinculis, commune nihil amplius habebat cum Castro ipso; et nihil e contra ab huius Incolis conferri in illud deberet, qui omne exinde commodum et utilitatem persentiebant, cum praesertim res Communitatis oeconomica haud in prospera versaretur conditione. At Municipium Mevalis plura attulit documenta, ex quibus constabat, Communitatem Nursinam reparationes, quibus Ecclesia parochialis vel Turris campanaria indigeret, proprio aere perpetuo absolvisse, quod ceteroquin non controvertebatur. Ostendit etiam annuos reditus Ecclesiae parochialis ad scuta viginti circiter pertingere, adeoque expensas, pro novae Turris constructione, quae ad scuta 898 78 evehebantur, ferre non posse; loci vero Incolas, quos tamen indigentia ut plurimum laborare affirmavit, postremo tantum loco compelli posse, ubi cetera nimirum media omnino deficerent. Patere hinc dixit, ex avulsione territorii Mevalis a Communitate Nursina haud consequi, ut ipsa vacua et soluta ab huiusmodi obligatione evaserit, cum firma obligatio maneret, uti in correspectivum iurispatronatus, quo, minime obstante segregatione territorii, Communitas eadem frui perrexit, et pergebat adhuc. Nec pariter prodesse putavit Communitati propositam iurispatronatus renunciationem, quum nedum consisteret titulus huiusmodi obligationis, sive ex pactis conventis in emptionis venditionis instrumento, sive ex consuetudine et observantia vetustissima, sed praeterea renunciatio iurispatronatus nullius efficaciae habenda erat ad eximendum Patronum a reparationum onere, re non amplius integra, ac illius exercitio perdurante, quousque scilicet plenum maneret Beneficium, quod a Patrono de suo Rectore provisum fuit.

147. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An Communitas Nursiae teneatur restaurare Turrim campanariam Ecclesiae parochialis Castri Mevalis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative, praefixo Communitati termino unius mensis, vel ad incipiendam et prosequendam restaurationem, vel ad renunciandum iuripatronatus – *in Nursina Restaurationis Turris campanariae die 25 Septembris 1858.*

148. Quin imo terminus nedum Patronis Ecclesiarum, sed etiam Patronis Capellarum in Ecclesia parochiali erectis praefigendus est ad solvendum, quod per Parochum expen-

sum fuerit in restaurationem Capellarum, quo enim elapso et solutione non facta, Episcopus Patronum cecidisse a iure patronatus declarat, quin propterea locus sit suspensioni Missarum, cum Beneficiorum Rectores ob nimiam reddituum tenuitatem impares sint ad id solvendum *in Firmana Suspensionis oneris Missarum die 14 Decembris 1782.*

149. Enimvero cum parochialis Ecclesia S. Luciae Castri Lauri Firmanae Diaecesis restauratione indigeret, Sacerdos Nicolaus Ciotti eiusdem Ecclesiae Parochus commisit Petro Augustini Architecto, ut peritiam efformaret, qui retulit restaurationum expensas aequare summam scutorum 250, atque ex his scuta 90 expendenda esse pro restaurandis duabus Capellis Sanctorum Iosephi et Philippi Neri in eadem Ecclesia erectis, reliqua scuta 160 eroganda fore pro illis Ecclesiae partibus, quae erant extra praedictas Capellas. Opus praedictum aggressus est Parochus, et aere suo absolvit. Hinc Parochus interpellavit Iosephum Remoli et Fortunatum Carducci Capellarum Rectores, ut eorum quisque scuta 45 rependeret in reintegrationem expensarum, quas ipse in restaurandis dictis Capellis de proprio impenderat. Huic contributioni impares se esse sustinuerunt praedicti Rectores Beneficiorum ob reddituum tenuitatem, qua de re efflagitarunt suspensionem onerum Missarum, quousque constitueretur summa in Capellis erogata. Dixerunt enim, reditus Beneficii S. Iosephi vix pertingere ad annua scuta 14 70, gravatum vero esse oneribus Missarum in scutis 11 80; detractisque aliis oneribus, vix superesse Rectori in unoquoque anno iulios decem. Reditus autem Beneficii S. Philippi Neri quolibet anno computari in summa scutorum 10 50, onera Missarum pertingere ad annua scuta 05 20, et adimpletis aliis oneribus, Rectori obvenire scuta 4 50. Interpellati fuerunt Beneficiorum Compatroni; sed nullus unquam comparuit. Ponderandum tamen erat, an quae de Patronis Ecclesiarum parochialium statuta sunt, servari quoque deberent quoad Patronos Beneficiorum simplicium, et an in praesenti casu cogendi essent habentes ius nominandi ad Beneficia S. Iosephi et S. Philippi Neri, ut vel persolverent expensas factas in restaurandis Capellis, in quibus eadem Beneficia erant instituta, vel illorum patronatum dimitterent. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus suspensioni oneris Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et ad mentem; et mens est, quod praefigatur terminus Patronis ad solvendum, quod revera per Parochum expensum fuerit in restaurationem Capellarum coram Episcopo liquidandum, quo termino elapso et solutione non facta, idem Episcopus Patronum cecidisse a iure patronatus declaret - *in Firmana Suspensionis oneris Missarum die 14 Decembris 1782.*

150. Quod si Parochus ex fructibus suae Ecclesiae non habeat, quomodo vitam sustentet, aliaque deficiant media a sacris Canonibus statuta pro aedificandis ac reparandis Ecclesiis, ad Parochianos confugiendum esse sanxit Tridentina Synodus sess. 21 cap. 7 de reformatione *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Si.*

151. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, Rectorem Ecclesiae parochialis teneri ad eiusdem reparationem et cogi posse ab Episcopo; et si reditus non sufficiunt, tunc cogendos esse Parochianos ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini in cap. 7 sess. 21 de reformatione *in Cathacen. die 16 Decembris 1634 lib. 15 Decretorum pag. 144.*

152. Unde Communitas sive universus Populus, qui Sacramenta percipit, iuxta Sacrum Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 21 de reformatione, adigendus est ad restaurandam Ecclesiam parochialem *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771* §. *Adigendam.*

153. Nam Parochiani tenentur etiam ad ampliandam Parochialem et illam reddendam capacem Populi ipsius Parochiae *in Melphien. Congruae die 27 Iunii 1711 lib. 61 Decretorum.*

154. Enimvero postquam Sacra Congregatio declaraverit, deberi a Parochianis Oppidi Barilis congruam Petro Mazzucca Parocho Ecclesiae S. Nicolai, propositis dubiis:– VI. An Universitas dictae Terrae teneatur ad ampliationem Ecclesiae parochialis, illamque reddendam capacem Populi ipsius Parochiae? *Et quatenus negative.* VII. An et cuius sumptibus spectet dicta ampliatio? –, respondit: – Ad sextum, teneri Parochianos.

Ad septimum, provisum in sexto – *in Melphien. Congruae die 27 Iunii 1711 lib. 61 Decretorum.*

155. Parochiales namque Ecclesiae, labentes et ob Populi incrementum angustiores factae, reficiendae et ampliandae sunt *in Tudertina Restaurationis Ecclesiae Parochialis die 21 Novembris 1772* §. *Sedulo.*

Item *in Viterbien. Census die 4 Aprilis 1767* §. *Synodus; in Assisien. Reaedificationis Ecclesiae Parochialis die 17 Februarii 1838* §. *Profecto.*

156. Quapropter eo vel magis exequendum est Decretum Episcopi in sacra visitatione latum, quo, attenta redituum parochialium tenuitate, adiguntur Parochiani ad resarciendam Ecclesiam parochialem, etiamsi iidem sustineant, de iure et consuetudine ad Parochum spectare, cum haud existere praetensam redituum tenuitatem propugnent, sed potius ipsos maxima premi paupertate, reservatis tamen iuribus prout de iure, et quoad restaurationem domus parochialis, Sacra Congregatio mandavit, ut scriberetur Episcopo iuxta instructionem *in Camerinen. Restaurationis die 28 Ianuarii 1769.*

157. Siquidem iniuria temporis ruinam minitante Ecclesia parochiali S. Gregorii Oppidi S. Genesii, Episcopus sacram agens Visitationem die 31 augusti 1765 hoc edidit Decretum: - Mandavit exhiberi per D. Priorem statum redituum parochialis, quo viso, cum ordinarii reditus non excedant, non deductis oneribus, scuta septuaginta, et onera ad scuta quadraginta duo ascendant, congregari iussit Parochianos, praevia intimatione facienda etc., eligi duos deputatos pro repartimento complendo summae necessariae iuxta peritiam etc., exigi repartitas summas manu Regia et more Camerali etc., et interim onera Missarum, donec fabrica compleatur, adimpleri mandavit in Ecclesia viciniori S. Thomae, ad quam transferri mandavit etiam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum –. At Parochiani contenderunt, de iure primarium restaurationis onus incumbere Parocho, ac iuxta consuetudinem ab annis 1590 1599 et 1612 invectam, quin obesset collatio annis 1723 et 1747 a Parochianis facta in reparationem Ecclesiae, cum id ipsi sponte ac liberaliter fecissent. Respuerunt redituum statum, cum plura in eo deficerent; adeoque haud constare dixerunt redituum tenuitatem; imo Parochum abundis esse ditatum reditibus, et Ecclesiam nonnisi per diutinam ac supinam ipsius negligentiam in tam pessimum statum redactam fuisse. Ceterum adverterunt, ipsos maxima paupertate premi, unde nec in subsidium cogi posse ad onus restaurationis ferendum. Idcirco etiam Parochus ad sarciendam domum parochialem tenebatur, de ea tamen nulla ratio habita fuerat in sacra Visitatione. Parochus vero dixit, Parochianos onus restaurationis sustinuisse annis praesertim 1723 et 1747, cum iidem exempti essent a quolibet decimarum onere sive praedialium, sive sacramentalium. Addidit, parochiales reditus vix ascendere ad annua scuta 30 98; idque probavit ex testimonio Episcopi et ex diligenti et accurato statu per Cancellarium efformato. Hinc de mendacio errore et ignorantia notavit Testes omnes, qui diligentem redituum parochialium statum a Cancellario in re praesenti ac omnia ponderante efformatum redarguere studebant. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An Decretum Episcopi in sacra Visitatione latum sit exequendum in casu etc. II. An domus parochialis S. Gregorii Oppidi S. Genesii sit reficienda et restauranda sumptibus Parochianorum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative, reservatis iuribus, prout de iure. Ad secundum, scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) – *in Camerinen. Restaurationis die 28 Ianuarii 1769.*

(1) Instructio fuit, ut deveniat ad exactam firmationem status Ecclesiae parochialis, et consectarie ad liquidationem omnium redituum, comprehensis emolumentis, quae ratione muneris a Parocho percipi consueverunt, et correspective omnium quoque onerum, quibus ratione curae animarum legatorum et culturae bonorum, aliaque de causa Parochus gravatur. Deveniat etiam ad Peritorum deputationem, ut eorum iudicio in comperto sit, quaenam instauraciones pro Ecclesia, et quae pro domo parochiali necessariae duntaxat sunt, et quot sumptus pro singulis requirantur, secernendo etiam ea damna, quae suapte natura et temporis decursu processerunt ab iis, quibus Parochorum culpa aut incuria causam dedit; tandem Sacram Congregationem instructam reddet de praeteritis contributionibus, an sponte Parochiani eas subierint, vel potius Curiae Episcopalis officio adacti solverint, *ceu videre in Reg. Litt. lib. 33 die 28 Februarii 1769.*

158. Hinc antequam Sacra Congregatio resolveret, an homines plurium locorum tenerentur concurrere ad restaurationem parochialis Ecclesiae alio in loco existentis, mandavit, ut Episcopus conficeret processum iudicialem, citatis citandis, ac Testibus formaliter examinatis, ad effectum probandi praetensas uniones Ecclesiarum illorum cum Parochiali alterius loci *in Lunen. Sarzanen. die 14 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

159. Iamvero - cum Ecclesia parochialis S. Andreae Terrae Maliani fere collabens restauratione indigeret, praetenderunt tam modernus Parochus dictae Ecclesiae, quam Communitas et homines eiusdem Oppidi, ut ad eiusmodi restaurationem tenerentur etiam pro rata respectivae Communitates et Homines trium locorum vicinorum Castelletti Gragnae et Pontecchi tamquam privative subiecti dictae Parochiali, a qua dicuntur Sacramenta suscipere, introductoque iudicio in ea Curia Episcopali, de anno prope defluxo 1710 Vicarius Generalis decrevit, mox dictas Communitates teneri ad ratam concurrere ad restaurationem praefatae Ecclesiae Maliani sub poena Interdicti ab ingressu Ecclesiae. Ab hoc Decreto nihilominus iisdem appellantibus, remissa fuit cognitio Causae a R. P. Auditore Sanctissimi ad hanc Sacram Congregationem, in qua exhibitis actis fuerunt concordata infrascripta dubia, quae Partibus monitis proponuntur hodie, ut ex deducendis hinc inde placeat EE. VV. resolvere: - I. An Homines locorum Castelletti Gragnae et Pontecchi sint subiecti Ecclesiae parochiali S. Andreae Maliani in casu etc. II. An teneantur dicti homines concurrere ad restaurationem dictae parochialis Ecclesiae in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Coadiuventur probatioones, iuxta instructionem (1) - *in Lunen. Sarzanen. Restaurationis Parochialis die 14 Novembris 1711 lib. 61 Decretorum.*

160. Quum autem commodo Ecclesiae parochialis tantummodo perfruantur, qui intra eius limites sedem habent, atque id prospexisse videatur Tridentina Synodus, ex eo quod si fundorum dominis, quamvis alibi domicilium habentibus, onus immineret restaurandae Ecclesiae, nunquam fieri posset, ut propter nimiam egestatem Parochianorum Ecclesiam ad Matricem seu Viciniorem transferenda foret, quaelibet enim Paraecia certum habet territorium, cuius praedia aut a Parochianis aut ab aliis iure dominii possidentur, idcirco non Domini agrorum, sed Coloni, uti Parochiani, ad reficiendam Ecclesiam et Aedes parochiales cogendi videntur *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus parochialis die 21 Februarii 1824* §. *Pro.*

161. Praeterea collecta pro reparandis Ecclesiis inter onera realia recenseri nequit, cum praediis nulla obveniat utilitas refectione Templorum, Mena variar. lib. 1 quaest. 21 n. 90, Amostaz de caus. piis lib. 5 cap. 6 n. 47, sed pertinet ad onera personalia, quia ad animarum salutem Ecclesiae aedificantur; atque ideo ad Ecclesias reparandas dumtaxat cogendi sunt, qui in Paraecia domicilium habent, non autem qui bona in eius territorio possident, sed alteri subsunt Paraeciae, Pekius de reparan. eccles. cap. 11 n. 4, Tondutus quaest. Benef. tom. 1 cap. 38 n. 4, Thesaur. decis. 149 *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus parochialis die 21 Februarii 1824* §. *Praeterea.*

162. Forenses tamen, si bona possideant in loco reficiendae Ecclesiae, a solvenda collecta immunes non videntur, non solum quia non desunt, qui asserant, huiusmodi collectam esse onus rebus inhaerens, quos inter Cencius de censibus quaes. 1 n. 15, Cancerius var. resol. part. 2 cap. 6 n. 198, sed etiam quia bona quaelibet sunt tacite hypothecata pro necessitatibus publicis illius loci, in quo sita sunt, L. 1 Cod. quib. in caus. pig. tacit. contrahen. Labentium vero Ecclesiarum restauratio est necessitas publica, quoniam Religio, quae Templorum aedificatione fovetur ac servatur, publicum respicit bonum, L. 1 §. huius studii ff. de instit., L. *Sunt Personae* ff. de relig. et sumpt. fun. Omnes igitur praediorum Do-

(1) Scilicet, ut Episcopus conficiat processum iudicialem, citatis citandis super legalitate scripturarum, quae dicuntur probare praetensas uniones Ecclesiarum, de quibus agitur, cum dicta Parochiali Ecclesia S. Andreae, et formaliter examinet Testes super exercita administratione Sacramentorum, et quorum et a quo, et super reditibus et oneribus separatim, tam dictae Parochialis S. Andreae, quam praefatarum Ecclesiarum respective, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 24 die 14 Novembris 1711.*

minos, tametsi aliis subsint Paraeciis, contribuere debere pro instaurandis Ecclesiis, docent Barbos. part. 3 alleg. 64 n. 11, Frances de eccles. cathedr. cap. 17 n. 72, quemadmodum Forenses quoque ad collectam obstringuntur pro reparatione murorum viarum pontium territorii, in quo bona possident stabilia, Abbas in Cap. *Non minus* 4 de immun. eccles. n. 38, Barbos. loco citato, Alex. lib. 2 cons. 70. Nec mirum, quod Tridentina Synodus non possessores bonorum, sed Parochianos dixerit cogendos pro restauratione Ecclesiarum: qui in Parochia degunt, fundos ut plurimum possident; idcirco S. Concilium Parochianos adigendos esse sancivit. Cum aliquando Paraeciarum territorium adeo sit angustum, tamque steriles sint agri, ut qui in eo bona possident, sint nihilominus pauperes; hac de causa, non vero ad immunitatem collectarum dominis praediorum tribuendum, Paraecias ad viciniores Ecclesias transferri iussit *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus parochialis die 21 Februarii 1824* §. *Forenses* §. *Nec.*

Item *in Tiburtina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Septembris 1837* §. *Verumtamen; in Fanen. Restaurationis Ecclesiae ac permutationis voluntatis die 6 Iunii 1840* §. *Quidquid.*

163. Unde Benedictus XIV in Inst. 100 n. 12 probe advertit, quod si desint fabricae reditus, nec ullus ex consuetudine vel statuto teneatur Ecclesiam restaurare, in eo casu Parochus ipse expensas subire debeat ex fructibus, qui ex Beneficio supersunt, detractis tamen iis, quae ad Parochum sustentantandum necessaria sunt: prosequitur inde n. 13 et ait, quod eveniente casu, quo Ecclesia Patronum non habeat, nullum in ea Beneficium erectum reperiatur, et Parochiae proventus ita tenues sint, ut ad congruam Parochi sustentationem non sufficiant, tum Populus rependere debet quidquid ad restaurationem requiritur; et hanc contributionem faciendam esse nedum a Parochianis, verum etiam ab iis, qui bona intra fines Parochiae possident, licet extra domicilium habeant. Refert quoque responsum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium hac in re datum Episcopo Placentino die 10 octobris 1681 his verbis: – Si te convenient illi tres vel quatuor, qui ut scribis die prima huius mensis novas afferunt difficultates, ne quidquam cum reliquis pro restauratione Parochiae conferant, ubi sua habent domicilia, illos magno in errore versari dices. Iam tibi significatum fuit curam omnem adhibere, ut Inquilini pro Dominis pecuniam ad id necessariam impendant, ac denique quidquid ob hanc causam expenderint sibi retineant ex pretio, quod pro domo conducenda persolvunt: Sacra Congregatio post accuratum examen ita statuendum censuit, idque pluribus in locis servatur, cum expensae, quae semel indicuntur, perpetuae futurae sunt, veluti Templorum restauratio, cum tamen expensae leves fuerint et annuae, veluti pro sustendando Parocho, aut pro aliis casibus similibus, tunc aliud consilium suscipi poterit. Viam igitur insiste, quam iam ingressus es in hoc negotio peragendo – *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 16 Augusti 1783* §. *Advertit.*

Item *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus Parochialis die 21 Februarii 1824* §. *Itaque.*

164. Nam quum Sacrum Concilium Tridentinum in cap. 7 sess. 21 de reformatione in defectum peculiaris Ecclesiae parochialis reditus Parochi Beneficiatorum et Patroni mandet Episcopis, ut – in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant –, fortasse omnes indistincte ad reparationem Ecclesiae parochialis tenentur Parochiani, sive possidentes, sive non possidentes; nam indefinita Parochianorum appellatio neminem excipit, Fagnan. in lib. 1 Decret. Cap. *Consuetudines* de consuetud. n. 4 *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis super taxatione die 16 Maii 1795* §. *Peculiares.*

165. Atque ita decrevisse videtur Sacra Congregatio per Rescriptum diei 6 septembris 1783 in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis, – teneri Populum et Possidentes in districtu Parochiae per aes et libram –; adhibuit fortasse nomen Populi ad distinguendos possidentes a non possidentibus, omnesque teneri per aes et libram, per aequam nempe distributionem collectae super possidentia et super personis, sive super generibus consummationis *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis super taxatione die 16 Maii 1795* §. *Peculiares.*

166. Hinc ad reficiendam Ecclesiam parochialem tenentur Populus et Possidentes in districtu Paraeciae per aes et libram, idest, secundum facultates, ut docent Pekius de reparan. eccles. cap. 10 n. 2, Frances de eccles. cathedr. cap. 14 n. 131, aliique apud Amostaz lib. 5 cap. 6 n. 3 *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus parochialis die 21 Februarii 1824* §. *Itaque.*

167. Aliter vero nonnulli conciliarem interpretantur dispositionem, ut intelligatur nempe de Parochianis possidentibus, non item de miseris, qui ex industria et labore vivunt, Thesaur. for. eccles. cap. 16 a n. 73, Bellett. disquisit. cleric. part. 10 §. 14 n. 11 *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae super taxatione die 16 Maii 1795* §. *Peculiares.*

168. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, exequendum esse Decretum praecipiens, reaptationem Ecclesiarum parochialium Conventibus Regularium unitarum faciendam esse dictorum Regularium expensis, stante inopia Parochianorum *in Eugubina Reaptationis Ecclesiarum die 15 Ianuarii 1695 die 17 Martii et 14 Aprilis 1696 lib. 45 et 46 Decretorum.*

169. Parochiani enim cogi non possunt ad reparationis onus ferendum, quoties maxima paupertate premantur, Amostaz de causis piis lib. 5 cap. 6 n. 39 *in Camerinen. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 17 Decembris 1768* §. *Asserunt.*

Item *in Assisien. Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 17 Februarii 1838* §. *Facta; in Fanen. Restaurationis Ecclesiae ac permutationis voluntatis die 6 Iunii 1840* §. *Quidquid; in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852* §. *Hisce.*

170. Quapropter Possessoribus taxa imponenda est, ceteris pauperibus Parochianis excitatis ad manuales operas in fabricam conferendas, ceu fieri solet, Guttier. alleg. 10 pract. quaest. lib. 1 quaest. 18 n. 15, Panimoll. decis. 6 adnot. 8 n. 10 et 11 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771* §. *Concilium.*

Item *in Nursina Restaurationis Turris campanariae die 25 Septembris 1858* §. *In.*

171. Quia enim Parochiani omnes utilitatem spiritualem ex reparatione Templi sentiunt, ideo si minus ad pecuniam conferendam propter inopiam, at saltem ad aliquas operas praestandas, uti pro exportatione caementorum calcis tignorum aliisque huiusmodi, compellendi Parochiani non possidentes videntur, Borellus de SS. Eccles. n. 3, Bellius cons. 144, Frances de eccles. cathedr. cap. 13 n. 120 *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus parochialis die 21 Februarii 1824* §. *Quia.*

Item *in Firmana Restaurationis Ecclesiae die 23 Augusti 1834* §. *Animadvertendum.*

172. Difficultas autem est, num possidentium nomine veniant Coloni. Pro negativa urgere posset, quod collecta per aes et libram est onus reale infixum bonis, eosque afficit, qui illa possident iure suo, Rot. apud de Vecch. ad mater. bon. reg. decis. 192 n. 4, quodque Colonorum possessio est precaria et retineri censetur Domino, L. 3 §. *Si Servus,* et L. *Si Colonus* ff. de acquiren. possess. Licet ea vero collecta imponatur bonis, debetur tamen ratione fructuum, per Textum in L. 4 Cod. de censibus, Kloch de aerar. lib. 2 cap. 2 cap. 53 n. 46; ideoque a Colonis etiam, qui fructus participant *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis super taxatione die 16 Maii 1795* §. *Difficultas.*

173. Idcirco si Parochus ex reditibus Ecclesiae nec congruam percipiat ac desint Beneficia aliique ecclesiastici proventus, praediorum Domini in aliis morantes Paraeciis ad reficiendam Ecclesiam et domum parochialem tenentur per aes et libram, Parochiani vero, quum, una dumtaxat Familia excepta, sint omnes coloni, nihil in stabilibus possidentes, operas praestare debent prudenti arbitrio Ordinarii *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus parochialis die 20 Martii 1824.*

174. Siquidem reparatione indigebant ruralis Ecclesia et domus parochialis S. Venantii Spoletanae Archidiaeceseos, atque ex relatione Fabri murarii scuta septem supra centum nonaginta erant impendenda. Parochus ex reditibus Ecclesiae ne congruam quidem percipiebat: deerant Beneficia, aliique ecclesiastici proventus; Populus alienos fundos colebat, et praediorum Domini in aliis morabantur Paraeciis. Archiepiscopus retulit: – Omnibus et singulis interesse habenti-

bus auditis, eruitur 1. quod Patresfamilias, quum, uno excepto, sint omnes coloni, se minime impensis supplere posse fatentur; 2. quod inter se discrepantes agrorum Domini putant, non sumptuum participes esse; 3. Parochum denuo Ecclesiae domusque collabentis alterius sumptui reparationem flagitasse. Miseriae enim et aerumnae hunc die noctuque premunt et obruunt –, prae nimia redituum tenuitate. Patebat autem, ex Synodo Castrucci anno 1621, et Synodi Gaddi anno 1706 habitis, deficientibus Ecclesiae reditibus, ad Parochianos spectare onus reficiendi Ecclesiam et domum parochialem. Disquirere hinc oportebat, utrum qui fundos possidebant, licet alibi degerent, an potius Parochiani impendere deberent quidquid ad Ecclesiam aedesque parochiales instaurandas requirebatur. Nihil sane est in iure exploratius, quam cuiusque rei eum sequi incommoda, quem sequuntur commoda. At commodo Ecclesiae parochialis tantummodo perfruebantur, qui intra eius limites sedem habebant: nam qui alterius loci utebantur domicilio, neque Sacramenta percipere, neque Missam in eadem Ecclesia audire quibant. Atque id prospexisse videbatur Tridentina Synodus, dum non bonorum possessores, sed Parochianos ad reficiendam Ecclesiam compellit, et nimia aegestate omnibus laborantibus, Paraecias ad Matrices seu viciniores Ecclesias transferri voluit. Quocirca non Domini agrorum, sed Coloni uti Parochiani ad reficiendam Ecclesiam et aedes parochiales S. Venantii cogendi videbantur; et si inopia premerentur, Paraecia ad viciniorem Ecclesiam erat transferenda. Collecta enim pro reparandis Ecclesiis inter onera realia recenseri nequit, sed ad onera personalia pertinet. Forenses tamen, si bona possideant in loco reficiendae Ecclesiae, a solvenda collecta immunes non videntur, cum bona quaelibet sunt tacite hypothecata pro necessitatibus publicis illius loci, in quo sita sunt. At labentium Ecclesiarum restauratio est necessitas publica: et agrorum Domini detrimentum caperent, nisi restaurarentur, cum Coloni, deficientibus Ecclesia Sacramentis Sacro et Cathechesi, facile rure discederent, agrique deserti manerent. Ceterum quidquid sit de huiusmodi quaestione, teste Benedicto XIV Instit. 100 n. 15, mos obtinuit, ut Forenses solvat tantum pecuniam pro his bonis, quae possident in loco, ubi collectiones a Magistratu praescribuntur; ideo in discrimen vocari minime potest, quod bonorum Domini sive intra, sive extra Paraeciam moram ducant, compelli possint ad reficiendas Ecclesias. Itaque in eo tantum controversia esse poterat, utrum praeter agrorum Dominos, ad reficiendam Paraeciam S. Venantii, tenerentur quoque Coloni. Profecto ipsi ab omni onere exempti videbantur, cum nullis fruerentur bonis stabilibus. Quia vero Parochiani omnes utilitatem spiritualem ex reparatione Templi sentiebant; ideo si minus ad pecuniam conferendam propter inopiam, at saltem ad aliquas operas praestandas, uti pro exportatione caementorum calcis tignorum aliisque huiusmodi, compellendi Parochiani non possidentes videbantur.

175. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo possidentes teneantur ad reparandam Paraeciam in casu etc. II. An et quomodo teneantur Coloni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative per aes et libram. Ad secundum, Affirmative; et operas praestare teneri prudenti arbitrio Archiepiscopi – *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae et Domus parochialis die 20 Martii 1824.*

176. Unde quoties peculiares deficiant parochialis Ecclesiae reditus, impares sint Parochus et Beneficiati illius reparationi, et nulli existant Patroni, Populus et Possidentes sive forenses sive incolae pro portione colonica et dominicali per aes et libram ad Ecclesiae parochialis restaurationem tenentur *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 6 Septembris 1783 die 10 Ianuarii 1784 et in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis super taxatione die 16 Maii 1795.*

177. Enimvero Sacerdos Franciscus Braga Parochus Ecclesiae S. Michaelis de Puteo ab anno 1777 institit penes Sacram Congregationem, ut taxa super Populum et reliquos possidentes in districtu Parochiae imponeretur, cuius ope restaurationes, quae necessariae forent, perfici possent in Ecclesia in parte iam collapsa, et in parte ruinam minitante. Ad occurrendum imminenti Ecclesiae

periculo, die 18 iulii 1778 per modum provisionis impertita fuit Parocho facultas imponendi censum scutorum centum et viginti super bonis Ecclesiae, ut haec summa impendi posset pro restauratione turris campanariae, reservatis tamen tam Parocho, quam Populo iuribus in Sacra Congregatione deducendis, ad effectum decernendi, cuinam onus restaurationis incumberet. Parochus itaque subinde contendit, attenta paupertate suae Ecclesiae et exiguis reditibus duorum Beneficiorum, quae in illa existebant, Populum et Possidentes in districtu Parochiae teneri ad extinctionem census eiusque fructus persolvendos et ad alias restaurationis expensas. Nam reditus unius ex dictis Beneficiis non excedebant annua scuta sex, et alterius licet pertingerent ad scuta sexdecim quolibet anno, gravabatur tamen Beneficiatus onere celebrationis Missarum et manutentionis propriae Capellae, quae cum Ecclesia nihil commune habebat. Proventus Parochiae, computatis etiam incertis emolumentis, vix ascendebant ad annua scuta sexaginta, quae ad congruam Parochi sustentationem et onerum Parochiae inhaerentium satisfactionem non sufficiebant. Congrua autem Parocho pro alimentis assignanda inferior esse non debet summa a Concilio constituta, praesertim quia S. Pius V mandavit, ut congrua persolvenda Vicariis Curatis pro honesta eorum sustentatione non sit maior scutis centum, nec minor scutis quinquaginta: hinc si a scutis sexaginta, quot erant reditus Parochiae, demerentur expensae pro adimplemento onerum, quibus gravabatur, nedum dicta congrua exorbitans non erat, sed imo nec ad scuta quinquaginta pertingeret libera, quin obesset, quod taxa Synodalis statuta esset in annuis scutis triginta sex. Nam huiusmodi taxa respiciebat constitutionem patrimonii sacri, nunquam vero protendebatur ad Parochorum congruam, cum magna inter utrosque intercedat differentia, quia gravioribus oneribus et laboribus gravantur Parochi, quam simplices Clerici. Nec Parochianorum paupertas obstare poterat, cum ad expensas restaurationis contribuere deberent etiam alii, qui bona in eadem Parochia possidebant. Proposito hinc dubio: – An et quis teneatur ad reparationem Ecclesiae parochialis et respective ad extinctionem census eiusque fructuum solutionem in casu etc. –, Sacra Congregatio die 6 septembris 1783 responsum dedit: – Teneri Populum et Possidentes in districtu Parochiae, per aes et libram –. Huic resolutioni non acquieverunt Populus et Possidentes; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 10 Ianuarii 1784.*

178. In executionem huiusmodi Rescriptorum distributa fuit inter Possidentes collecta pro sorte census eiusque fructibus decursis ad mensem augusti 1785 in summa scutorum 33. Aegre distributionem hanc tulerunt Possidentes exteri; ideoque supplicarunt anno 1786 Sacrae Congregationi pro aequiori distributione inter omnes sive forenses, sive incolas pro portione colonica et dominicali, pro taxatione ceterorum omnium Parochianorum, et pro recognitione operis, quod inconcinne expletum asserebant. Diu post haec siluerunt: sed inde adversus eos relaxavit Imolensis Curia anno 1790 mandatum executivum. Hoc tandem excitati primaevas Sacrae Congregationi renovarunt preces; eisque Emus favit Episcopus, quoad distributionem collectae inter forenses et incolas possidentes eorumque colonos, non item pro illius impositione in capita, neque pro recognitione operis. De comprehensione quippe agens colonorum, haec habuit: – Parochialis Ecclesiae reparationem inter onera realia censendam esse, nemo sane mentis in dubium revocare audet, quum ad eam teneantur vel locupletes Parochi ex decimis aut aliis reditibus eorum Parochiae, vel Beneficiati ex fructibus Beneficiorum, vel universitas Populi, imposito aestimo super proventibus universi agri, ad instar cuiuscumque alterius publicae collectae. Prono hinc descendit alveo ineluctabilis consequentia, ut, sicuti ceteris subsunt coloni impositis gravaminibus in causam publicam, ita etiam ratione fructuum, quos ex agro percipiunt, vectigalis indictionem sustinere debeant, reparationi parochialis Templi apprime debitam –. Neque obesse dixit, quod coloni possidere censeantur dominis, quum hoc intelligatur de dominio fundiario, non item de utili seu perceptione fructuum, –

quorum intuitu ad decimas coloni quoque tenentur, aliaque onera mere realia. Ex ipsa vero reali quantitate collectae inferebat, eam non deberi a reliquis non possedentibus, seu ratione Sacramentorum -. Ac de recognitione operis ita conclusit: - Quod spectat ad accusatam lateritii operis qualitatem, utpote ineptam et inconcinnam, sumptusque in ipsa profusos, quemadmodum recte novit praedecessor Antistes, e conspectu huiusce obiectionis tamquam liquidae haud retardandam esse Parocho consignationem pecuniae ad aes alienum liberandum recollectae et Cancellario concreditae, ita in praesentiarum Partibus nec denegandum existimo experimentum iurium suorum in congruo et separato iudicio, non retardata interim opportuna collectione universi territorii -. Atque alias subinde addidit rationes, ut exceptiones inconcinni operis et immoderati sumptus omnino reiicerentur. - Agitur enim (sunt eius verba) de exigua quantitate scutatorum 120 in reparationem Ecclesiae tunc proximam minantis ruinam, utpote senio confectae, adeoque nonnisi perperam expensa huiusmodi obiurgatur tamquam immodica; multoque minus reprehendi merentur expleta reaptamenta veluti iusufficientia aut arti adversantia, quoniam sexdecim abhinc annis et ultra firmitatem propriam patefaciunt. Quapropter inutilem conspicio deputationem Periti ad ipsa nunc temporis recognoscenda -. Advertebatur autem, Sacram Congregationem decrevisse, - teneri Populum et Possidentes in districtu Parochiae per aes et libram -; hinc adhibuit fortasse nomen Populi ad distinguendos possidentes a non possidentibus, omnesque teneri iussit - per aes et libram -, per aequam nempe distributionem collectae super possidentia et super personis, sive super generibus consummationis. Nonnulli tamen Doctores sentiunt, non teneri Parochianos miseros, qui labore vivunt. Coloni vero pro possidentibus haberi videbantur, cum fructus perciperent, quin obesset, quod collecta - per aes et libram - censeretur onus reale infixum bonis, eosque afficeret, qui illa possidebant iure suo; licet enim collecta imponeretur bonis, debebatur tamen ratione fructuum per Textum in L. 4 Cod. de cens., Kloch de aerar. lib. 2 cap. 53 n. 46.

179. Propositis itaque dubiis: - An et quibus sit imponenda collecta in casu etc. II. An sit locus deputationi Periti pro recognitione operis in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum et secundum, Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Episcopi - *in Imolen. Restaurationis Ecclesiae parochialis super taxatione die 16 Maii 1795.*

180. Qua de re multo magis exteri possidentes, cum constet de paupertate Parochi et Ecclesiae parochialis, nec non desint Patroni aliique, qui fructus ex illa percipiunt, ad reparationem Ecclesiae parochialis tenentur, si si iusta ac legitima adsit consuetudo *in Sarsinaten. die 31 Iulii 1790.*

181. Siquidem quum in actu sacrae Visitationis animadvertisset Sarsinatensis Episcopus in pessimo statu - totum corpus Ecclesiae - parochialis S. Mamantis de Falcino, hoc sub die 14 septembris 1788 edidit Decretum. - Visitavit totum corpus Ecclesiae, et in pessimo statu repertum fuit, ob magnas et multas rimulas et fixuras in ea existentes et denotantes instabilitatem loci. Ideoque mandavit, intra tempus proximi veris firmiter reaptari, facta peritia expensarunn occurrentium ad effectum notificandi eas Populo et Possidentibus, ut unusquisque pro rata concurrat. Alias iuxta etiam consuetudinem contra morosos relaxabitur mandatum exequutivum -. Taxationem per aes et libram (cuius ignorabatur summa) omnes solverunt, praeter Laurentium Rocchi exterum possidentem, qui ob passum Episcopalis Curiae iudicatum manusque regiae exequutionem ad Sacram Congregationem detulit gravaminis querelam. Rocchius enim Testibus impugnavit consuetudinem, qua etiam exteri possidentes ad Ecclesiae reparationem tenerentur; de qua tamen testabatur Episcopus, ex eo sane invecta, quod - Incolae et habitantes in dicta Paraecia Falcini in eadem possident tantummodo scuta 2558 62 2, exteri (ad sextam supra decimam familiam adscendentes) summam scutorum 5070 24 2. Testabatur etiam Episcopus de paupertate Parochi et parochialis Ecclesiae, nec non tacite Patronos aliosque excludebat, qui fructus aliquos ex illa percipe-rent. His igitur perpensis, proposito dubio: - An sit exequendum Decretum Sacrae Visitationis diei 14 septembris 1788 in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum tulit: - Af-

firmative – *in Sarsinaten. die 31 Iulii 1790.*

182. Quum igitur Sacra Congregatio declaraverit, Communitatem Nursiae patronam teneri restaurare Turrim campanariam Ecclesiae parochialis Castri Mevalis, praefixo tamen eidem termino unius mensis, vel ad incipiendam et prosequendam restaurationem, vel ad renunciandum iuripatronatus, proposito dubio: – II. An a quo et quomodo sit providendum restaurationi in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – In casu renunciationis, teneri Populum et Possidentes etiam exteros per aes et libram, ad tramites Institutionis 100 s. m. Benedicti XIV – *in Nursina Restaurationis Turris campanariae die 25 Septembris 1858.*

183. Hinc si Patronus, qui parochialem Ecclesiam reficere tenetur, iuripatronatus renunciat, etiam exteri possidentes tenentur per aes et libram; his enim in terminis proposito dubio: – II. An a quo et quomodo sit restauranda Ecclesia parochialis in casu etc.–, Sacra Congregatio respondit: – Ad secundum, in casu renunciationis teneri possidentes etiam exteros per aes et libram – *in Tiburtina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Decembris 1827.*

184. Populus itaque ac Possidentes in districtu Paraeciae tenentur per aes et libram ad reaedificationem Ecclesiam parochialis terraemotu eversae, cum Parochus nec congruam conciliarem ullatenus nanciscatur, facta etiam ipsi facultate accipiendi interim mutuo pecuniam, ne fabrica detrimentum patiatur *in Assisien. Reaedificationis Ecclesiae Parochialis die 24 Martii 1838 et die 22 Augusti 1840.*

185. Iamvero curionalis Ecclesia divo Vitali sacra in Assisiensi Civitate anno 1832 e fundamentis terraemotu eversa die 31 maii eiusdem anni cepit restitui: sed necessaria erat vis argenteorum 3607; unde ex tota Diaecesi eleemosynae conquisitae et collectae sunt in scutatis nummis 94 40; habita, ex legati cuiusdam ab hereditate Brunoriae proventis suspensione ad decennium a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium obtenta, annua scuta 50; ex Abbatia Sanctorum Benedicti et Pauli intra Paraeciae fines posita, scuta 50 pro una vice; ex publica, quae pro domibus terraemotu dirutis area fuerat constituta, scutata decem; ex Parochianis scutatis 51 $1/^2$; ex Parochi contributo scutata 252 ; in totum scuta 1136 23. Ast quum iam eousque erogata fuissent in eamdem fabricam scutata 1486, debitrix fabrica inventa est in argenteis nummis 349 97 usque ad diem 21 iunii 1837. Licet aeris huius alieni dimissionem sibi assumeret Episcopus, qui cathedraticum incepti anni 1838 fabricae attribuit in summa scutorum 80, et Parochus, qui et sibi hoc nomine debitum ultro remisit, reliquum vero e penu suo solvere pollicitus est, multa tamen desiderabantur adhuc, ut ad exitum fabrica posset perduci: quare postulavit Parochus a Summo Pontifice, ut taxam super bonis ecclesiasticis intra limites Paraeciae existentibus imponeret. Nam vix congrua potiebatur scutorum 30, subductis oneribus. Ast abnuit omnino Capitulum Cathedralis Ecclesiae, qui intra limites Paraeciae possidebat scuta circiter 2000 aestimi catastralis: abnuit quoque Parochus S. Mariae Rosarum, alter fortasse ex possessoribus intra Paraeciae S. Vitalis fines, de novae Ecclesiae ampliatione querimoniam faciens. Proposito autem dubio: – An et quomodo providendum sit reparationi Ecclesiae Paraecialis S. Vitalis in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et teneri Populum et Possidentes in districtu Paraeciae per aes et libram, iuxta votum Episcopi – *in Assisien. Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 24 Martii 1838.*

186. Sentiit at vero Parochus, eiusmodi remedium, etsi legitimum ac valde utile, attamen impar et nimis serotinum fortasse necessitati praesenti futurum, quae haud exiguam pecuniae vim in continenti imperabat. Hinc petiit, ut Confraternitas S. Stephani eidem mutuo daret scuta 606 deposita, ob dotes non solutas ex defectu Puellarum, quae in Domino, sive in seculo nubere debuissent ad mentem Fundatoris. Episcopus precibus arrisit lubenti animo: nam oportebat, quam citius tectum nonnullosque parietes perfici, cum alias Ecclesia nequiret a pluvia nive ventis aliisque hyemis incommodis satis defendi; quin obesset, quod Confratres capitulariter auditi et per secreta suffragia contra ipsius Parochi desiderium stetissent, cum

quidam, qui in illis agebant, concedere mutuas pecunias idem esse ac amittere significaverint. Ceterum iuxta legantis mentem pecunia illa in sacro Pietatis monte deponenda esset; unde conclusit Episcopus: – Quatenus haec summa Parocho mutuaretur, cum iste legitime se obstringat ratam portionem restituere, prout Puellae vel nupserint, vel optimam partem elegerint, nullum propterea praeiudicium inferretur. Emissa ergo obligatione in forma iuris valida, ac idoneo praestito fundo, super quo hypotecaria inscriptio imprimenda, posse arbitror Oratoris precibus indulgeri –. Proposito igitur dubio: – An et quomodo sit annuendum Oratoris precibus in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo – *in Assisien. Reaedificationis Ecclesiae die 22 Augusti 1840.*

187. Qua de re si Parochi congruam a iure statutam non habeant, Sacra Congregatio indulget etiam facultatem statuendi decimam praedialem pro manutentione Paraeciarum per aes et libram solvendam etiam a possessoribus non residentibus, et exigendam nec non administrandam a Parochis, docto tamen quotannis coram Episcopo de erogatione; quod si olim ad aliquam Personam conservatio Ecclesiae parochialis spectabat, is tenetur eam manutenere, qui illius bona non proprio, sed alieno nomine possidet, nec anni quadraginta effluxerunt, ex quo media huiusmodi non suppeditavit *in Brictinorien. Paraeciarum die 29 Maii 1824.*

188. Siquidem reditus adeo tenues habebant Paraeciae Bonaldae et Montisveteris Brictinoriensis Diaecesis, ut earum Rectores restaurare Ecclesias aedesque parochiales nequirent; Parochiani autem tam difficiles in annuis ferendis impensis pro earumdem conservatione se exhibebant, ut contentiones identidem exorirentur, ad quas imposterum eliminandas Episcopus facultatem postulavit, certam decimam decernendi, a praediorum Dominis quolibet anno persolvendam. Nam ex relatione Vicarii Foranei Oppidi Voltri constabat, fructus omnes Paraeciae Bonaldae una cum incertis emolumentis ad scuta 27, ex statu vero activo et passivo a Parocho transmisso, detractis oneribus, ad scuta 10 80 vix pertingere: Patresfamilias annuam summam fere scutorum 80 50 pro manutentione Ecclesiae novem ab illinc annis suppeditarunt, ac plerique assentiebantur impositioni decimae, sed propter inopiam in annuis tantummodo scutis 4, excepto casu fortuito, ab omnibus bonorum possessoribus, licet in aliis Paraeciis morantibus, pro ratione fructuum praestandis. Episcopus autem experientia doctus necessariam censuit decimam praedialem scutorum 10 in tritico pendendam. Parochus quoque Montisveteris congrua a iure statuta carebat, cum reditus, comprehensis incertis emolumentis, ducto calculo per decennium, annuam dumtaxat conficerent summam scutorum 26: plures vero Patresfamilias assensum praebebant pro decimae constitutione, sed ad summum in annuis scutis 4 a bonorum possessoribus solvendis atque ab idoneo viro exigendis, qui, expletis annuis reparationum impendiis, reliquam pecuniae vim servaret, ac deinde in fundo emendo erogaret, ut Populus inopia laborans onere manutenendi Ecclesiam et parochialem domum tandem levaretur. Episcopus necessariam arbitrabatur decimam praedialem scutorum 8, quam summam praeteritis temporibus solverunt Parochiani. Advertebatur autem, pro manutentione Paraeciae Montisveteris Marchionem Guidi Caesenatensem, Oppidi Baronem, sumptus necessarios sustinuisse, sed a contributione cessasse, quando feuda abolita fuere, ideoque Familia Guidi ad id adigi non posse videbatur, cum ex largitate tantum sumptus praedictos suppeditaverit: similiter olim pro conservatione Ecclesiae Bonaldae Abbatem Monasterii Nullius S. Elleri a s. m. Pio VI anno 1784 suppressi sumptus tulisse, sed Mensa Episcopalis Brictinoriensis, ad quam pars bonorum dictae Abbatiae post suppressionem spectabat, vix annua scuta triginta ab huiusmodi bonis percipiebat, et pluribus de causis eadem aere alieno gravata erat. Episcopus tamen Brictinoriensis ab onere manutentionis sese eximere non posse videbatur, quin obesset, quod post suppressionem Abbatiae Paraecia nulla ab Episcopis receperit subsidia. Ad praescribendum enim requiritur possessio non alieno, sed proprio nomine, et quadraginta saltem annorum spatio continuata. At Episcopi Brictinorienses, qui probe noscere debebant, partem bo-

norum Abbatiae non fuisse eorum Mensae applicatam, ut lucrum sibi quaererent, sed ut fructus in subveniendis miserabilioribus Ecclesiis conferrent, eadem bona veluti administratores retinuerunt, atque ideo non suo, sed Ecclesiarum miserabilium nomine possederunt. Nec ab anno 1780 ad mensem septembris 1822, quo praesens controversia suum habuit exordium, anni quadraginta effluxerant, eoque certius si detraheretur tempus vacationum Paraeciae, quae interim fortasse contigerunt. Neque pariter modernus Episcopus praescripsit contra Populum, qui novem tantummodo ab illinc annis impensas pro manutentione Parochiae Bonaldae suppeditaverat.

189. His mature perpensis, propositis dubiis: - I. An et quomodo sit concedenda Episcopo facultas statuendi decimam praedialem pro manutentione Paraeciarum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An cui et quomodo committenda sit exactio et administratio decimarum in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, quoad Paraeciam Montisveteris, Affirmative pro annuis scutis octo per aes et libram solvendis etiam a possessoribus non residentibus; quo vero ad Paraeciam Bonaldae, acceptis scutis quatuor sponte oblatis a Parochianis, in reliquis teneri Episcopum. Ad secundum, Affirmative a Parochis, docto quotannis coram Episcopo de erogatione - *in Brictinorien. Paraeciarum die 29 Maii 1824.*

190. Hinc praeter Parochum Communitatem et Beneneficiatos etiam Sodalitates secundum vires merito concurrunt, ut parochialis Ecclesia in ampliorem commodioremque formam restituatur, atque Caemeterium construatur, concessa etiam reductione Missarum, donec aes alienum dimittatur *in Ripana Restaurationis Ecclesiae parochialis et translationis Missae die 21 Novembris 1801 et in Ripana Redditionis rationis die 30 Maii 1829.*

191. Enimvero apud Oppidum Cryptae ad mare vicus erat, sive Suburbium, quod *nuovo incasato* Incolae vocabant. Una tamen erat rerum publicarum procuratio, una parochialis et matrix Ecclesia S. Ioannis Baptistae, in qua institutae erant plures Capellaniae et Beneficia, unde Missae fere undecim quotidie celebrabantur. Unus Parochus, qui omnes Incolas regebat, Oppidanos scilicet per se ipsum, Vicanos autem per Capellanum, qui in parva Ecclesia S. Pii in Suburbio extructa Sacrum in singulos dies conficiebat. Episcopus in sacra Visitatione parochialem Ecclesiam S. Ioannis Baptistae, cum fatiscens esset et divino cultui indecora madens et Populo incommoda, interdixit. Accersito Perito Architecto Petro Maggi, hic liquidavit expensas necessarias in summa scutorum 1786 10, ut Parochialis in ampliorem commodioremque formam restitueretur. Hinc Sodalitates Beneficiati Communitas patrona iam vacantis Beneficii sub nomine S. Andreae et Iacobi, et Parochus secundum vires ad praefatam Ecclesiam ampliandam reficiendamque sponte concurrebant, ita ut summis in unum collectis haberetur summa scutorum 2000, quae utique excedebat dictam summam scutorum 1786 in scutis 263 90, sed ad construendum Caemeterium necessaria censebantur. Interea habitantes Suburbii sive *del nuovo incasato* postularunt translationem praedicti Beneficii Sanctorum Andreae et Iacobi a parochiali in Ecclesiam S. Pii, quo facilius illius Vici Incolae duas Missas audire possent. Communitas vero proponebat, ut scuta 350 ex Beneficio SS. Andreae et Iacobi sumerentur, ad effectum statuendi stipendium Sacerdoti, qui secundam Missam celebraret. Unde Episcopus necessariam censuit suspensionem praefati Beneficii ad annos septem, vel ad annos quatuordecim, iuxta rerum pretia, cuius reditus administrari deberent per virum ecclesiasticum ab Episcopo eligendum. Qua de re Sacra Congregatio die 21 novembris 1801 resolvit, - prospiciendum esse reparationi Ecclesiae parochialis S. Ioannis Baptistae iuxta votum Episcopi, nec non iuxta votum eiusdem Episcopi providendum Incolis Suburbii ad effectum habendi alterum Sacrum, atque administrationem dandam esse Personae ecclesiasticae ab Episcopo eligendae -. Sed res cum haud recte gesta fuerit, Sacra Congregatio plura subinde statuit (1); atque propositis dubiis: - XI. An et in quem usum sint eroganda scuta 79 11 ex fructibus Beneficii

(1) Totam rerum seriem cum respectivis resolutionibus habes in verb. *Administrator,*] §. V, n. 65 ad 73

SS. Andreae et Iacobi ultra praestitutam summam perceptam in casu? XII. An et quomodo sit constituendus fundus pro secundo Sacro in Ecclesia S. Pii offerendo in casu? XIII. An et ad quod tempus sit protrahendum indultum reductionis Missarum et subsidium a Sodalibus de Planctu ac Sanctissimi Sacramenti praestandum ad aes alienum fabricae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae dimittendum in casu? XIV. An et quomodo sit concedenda reductio Missarum ad augendam congruam Parochi S. Ioannis Baptistae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad undecimum, Affirmative; et eroganda esse in usum fabricae, facto verbo cum Sanctissimo. Ad decimum secundum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris, facto verbo cum Sanctissimo. Ad decimum tertium, Affirmative in omnibus, donec extinguatur cambium Ravenna, firmis remanentibus super Praebenda parochiali memoratis censibus scutorum 300 et scutorum 200, facto verbo cum Sanctissimo, et Vicarius Apostolicus incumbat omnimode praemissorum executioni, transmissa ad Sacram Congregationem redditione rationis per Administratores singulis annis eidem exhibenda. Ad decimum quartum, dilata; et Vicarius Apostolicus mittat statum activum et passivum Paraeciae S. Ioannis Baptistae, referat quaenam Missae sint reducendae, et an aliis rationibus prospici queat congruae Parochi – *in Ripana Redditionis rationis die 30 Maii 1829.*

192. Novum enim non est, Confraternitates, quae partem Populi constituunt, vocari in partem oneris Populo incumbentis, praesertim si accedat Sodalium assensus, Crispin. de visit. part. 2 n. 5, Bass. de sodalit. miscell. n. 31, ubi refertur, quod Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in Vestana 13 martii 1604 et in Cornetana 28 iunii 1645 decreverit, deficientibus Ecclesiae reditibus, et attenta Canonicorum inopia, ad Cathedralis reparationem nedum Confraternitates concurrere debere, sed ipsa etiam Hospitalia, prout in Sarzanen. 5 februarii 1602 *in Nullius seu Nonantulana Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 16 Maii 1778* §. *Novum.*

193. Siquidem Sacra Congregatio die 3 februarii 1776 pro restauranda Ecclesia Prioralis S. Marci Terrae Pergulae Abbatiae Nullius Nonantulanae concessit applicationem tertiae partis ex reditibus superextantibus Societatis Sanctissimi Crucifixi nuncupatae S. Vitalis eiusdem Terrae et Paraeciae, Sodalibus ipsis assentientibus, ut ex lib. 126 Decretorum pag. 225 *in Nullius Nonantulanae Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 16 Maii 1778* §. *Novum.*

194. Quin imo praeter Parochum et Sodalitia etiam Religiosi, qui Conventum Ecclesiamque habent in loco Paraeciae, pro modo redituum pecuniam in restaurationem Ecclesiae parochialis, mediis ordinariis deficientibus, conferre tenentur, cum praesertim Summus Pontifex id probaverit *in Pisauren. Reparationis Ecclesiae super exequutione Decreti die 12 Februarii 1803.*

195. Enimvero ut Archipresbiter et Parochus Bastianelli repararet parochialem Ecclesiam SS. Viti et Modesti in Oppido Montis Birotii, quae maximum damnum ceperat ex turbine in nocte 30 decembris 1801 suscitato, preces obtulit Summo Pontifici, ut sua auctoritate probaret ad reparationem proposita. Haec huiusmodi erant: scilicet, ut ipse Archipresbiter super fundis parochialibus censum imponeret scutorum centum, et praeterea in annos singulos scuta viginti quinque subministraret in reparationem Ecclesiae; ut Sodalitia, quae in dicto Oppido, extabant, pro modo redituum in eamdem causam pecuniam conferrent; ut tandem Eremitae Congregationis Beati Petri a Pisis, qui in eodem Oppido Conventum Ecclesiamque S. Marci possidebant, ex superextantibus reditibus fatiscenti Ecclesiae opitularentur. Episcopus Administrator Pisaurensis retulit, quod sumptus necessarios ad scuta 2652 23 ascendere; Patres Congregationis Beati Petri a Pisis – in id devenere consilii, ut quatuor e suis Religiosis alio mittant alendos, quo possint superstites Conventus reditus per sex annorum spatium cedere in aedificanda Ecclesia, qui, detractis detrahendis, ad summam scutorum 200 vel ad 300 aestimantur ascendere –; Sodalitium S. Antonii offerre pretium retrahendum ex venditione domus, alterum Sanctissimi Sacramenti scuta 263, et alterum Sanctissimi Rosarii 319; et tandem Confratres S. Mariae de Monte Carmelo spondere conferre

augmentum, quod ex suis reditibus sperabant futurum. Hinc Sacra Congregatio ex audientia Sanctissimi diei 20 iunii 1802 precibus rescripsit: – Sanctissimus, audita relatione Episcopi Administratoris Ecclesiae Pisaurensis et infrascripti Pro – Secretarii, benigne commisit eidem Episcopo, ut, veris existentibus narratis, pro suo arbitrio et conscientia Oratoribus gratis indulgeat, et ad enunciatam taxam procedere et devenire possit, iuxta votum ipsius Episcopi, facta tamen etc. –. Episcopus itaque die 13 iulii 1802 Decretum tulit exequutoriale. Religiosi vero obstiterunt; sed Sacra Congregatio die 17 iulii 1802 mandavit, ut – acquiescant Rescripto Sanctissimi –. Mox ab Auditore Sanctissimi die 7 septembris eiusdem anni obtinuerunt, ut iidem uti possent suo iure coram Sacra Congregatione Concilii. Hinc Religiosi contenderunt, ad reficiendam Ecclesiam haud esse necessaria scuta termillia, cum ex relatione Fabrimurarii satis esse scuta quingentum; a veritate abesse, quod Pater Generalis potestatem fecerit P. Priori Carloni emittendi obligationem pro contribuenda pecunia ad sexennium ex reditibus Conventus, adeoque Rescriptum fuisse obreptitium. Nec autem necessitas aderat reaedificandi Ecclesiam; ideirco ad id cogi non poterant. Et posita etiam necessitate, grave fuisset, maiorem sumptuum partem ex reditibus Conventus deducere, et Religiosos dimittere, ut alio sustentationem reciperent. Contra Archipresbiter mordicus Rescriptum Pontificium defendit: ex testimonio Architecti probavit, necessariam esse expensam scutorum fere termillium; consensum P. Generalis clare erui dixit ex epistola, in qua Priori Carloni iniunxit, ut rationes Conventus conferret ad designandam summam contribuendam. Ceterum haec epistola sicut et alia documenta exhibita fuerunt Sacrae Congregationi, priusquam Rescriptum prodiret.

196. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo Rescriptum diei 20 iunii 1802 eiusque exequutio sint observanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative pro annuis scutis 250, et Episcopus curet invenire redemptorem operis cum idoneis fideiussionibus – *in Pisauren. Reparationis Ecclesiae super exequutione Decreti die 12 Februarii 1803.*

197. Nam etiam Regulares per aes et libram ad restaurationem Ecclesiae parochialis tenentur, etiamsi Conventus extra Paraeciae fines existat, et nullam domum colonicam, sed tantum fundum aliquem intra Paraeciae limites possideat *in Feretrana die 19 Decembris 1818.*

198. Siquidem quum anno 1816 reparanda esset Ecclesia parochialis Domagnani in territorio Reipublicae S. Marini posita Diaecesis Feretranae, factum est repartimentum ab illius Moderatoribus, adstante deputato ecclesiastico, taxae super aes et libram, eique Episcopus suam adiecit approbationem his verbis: – Intimetur per decem dies antea Personis nostrae iurisdictioni subiectis, et postea quatenus opus fuerit exequatur manu regia de mandato Auditoris nostrae Camerae, cui ad hunc effectum facultates omnes opportunas et necessarias concedimus et impertimur –. Inter ceteros, quorum nomina complectebatur repartimentum, erant Patres Servitae S. Marini, qui intra fines Paraeciae Domagnani parvulum tantum possidebant fundum, absque ulla domo colonica. Aegre quidem Patres Servitae, sed ne manus regiae mandato compellerentur, impositam sibi taxam solverunt; at timentes novas in dies taxas imponi contra proprii Ordinis privilegia et exemptiones postularunt, ut Sacra Congregatio declararet; primum, an Ordinarius pro fabricis parochialibus taxare possit Regulares; secundum, an id valeat, dum Conventus extra Paraeciae fines existit; tertium denique, an idem possit, quando Conventus nullam domum colonicam, sed tantum fundum aliquem intra Paraeciae limites possidet. Episcopus censuit, posse taxam etiam Regularibus imponi, cum praesertim consuetudo vigeret distribuendi ut plurimum tales expensas super censu, ut in praesenti casu accidit. Nam in sess. 21 cap. 7 de reformatione committitur Episcopis etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatis reparatio Ecclesiarum parochialium, quacumque appellatione exemptione et contradictione remota. Contra vero PP. Servitae suam exemptionem defenderunt, ex quo Regulares inter Parochianos adnumerari nequeant, nec ipsi Coenobitae quidquam

utilitatis ex Paraecia percipiunt; quin imo ab ipsius Episcopi iurisdictione exempti sunt, et nonnisi Summo Pontifici immediate subiecti, uti colligitur ex Literis monitorialibus de mandato s. m. Pauli V expeditis die 3 aprilis 1614, quod privilegium extenditur etiam quoad bona eiusdem Coenobii, ceu videre est in iisdem Literis. Huic exemptionis privilegio famulabatur observantia, ex qua deducebatur, Episcopos Feretranos super Conventu Servitarum, vel super illius personas et bona nullam unquam exercuisse iurisdictionem.

199. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Patres Servitae teneantur ad solutionem taxae, de qua agitur, in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Feretrana die 19 Decembris 1818.*

200. Unde Ventriglia de rer. eccles. lib. 2 adnot. 18 demonstrat, Parochianos teneri in subsidium ad restaurationem Ecclesiarum non per capita hominum, nec per capita domorum, neque secundum Personarum numerum, sed per aes et libram et iuxta facultates, cum aedificationes ac restaurationes parochialium Ecclesiarum ad publicum usum et omnium utilitatem fiant; ex quo infert, ad eas indistincte Milites Nobiles Magnates Clericos omnes, vel alios quantumvis exemptos, nec non exteros quoque ratione bonorum, quae in territorio Ecclesiae reparandae possident *in Feretrana die 29 Septembris 1818* §. *Pro.*

201. Onus autem restaurandi Ecclesiam quo gravatur Parochus vel Beneficiatus, procedit etiam pro manutentione et renovatione sacrarum supellectilium, Actolin. resol. 47 n. 69, Balmased. de collect. quaest. 56 n. 9, et Constant. vot. decis. 251 n. 16 *in Spoletana Restaurationis Ecclesiae parochialis et sacrarum supellectilium die 19 Februarii 1780* §. *Addit.*

202. Qui enim Ecclesiam aedificare ac reficere tenetur, is vasa sacra ornamenta aliaque ad divinum cultum necessaria comparare, et domum parochialem manutenere cogitur, ex unanimi Doctorum sententia, uti monet Barbosa in 3 part. alleg. 64 n. 9, Amostaz de caus. piis lib. 5 cap. 6 n. 59, Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 43 n. 26 *in Brictinorien. Paraeciarum die 8 Maii 1824* §. *Si.*

Item *in Fanen. Restaurationis Ecclesiae ac permutationis voluntatis die 6 Iunii 1840* §. *Porro; in Firmana Domus parochialis die 25 Maii 1844* §. *Cum.*

203. Nomine enim fabricae venire etiam ornamenta cultui divino necessaria probat Textus expressus in Cap. fin. de testamentis, Covarr. in cit. Cap. ult. n. 4, Solarzan. de iur. Indiar. tom. 2 lib. 3 cap. 33 n. 11, Frances de eccles. cathedr. cap. 20 n. 48, Zerola in prax. Episcop. verb. Fabricae Ecclesiae, Bellett. disquisit. cler. part. 1 de Cler. §. 13 n. 13 et 14, Niccol. prax. can. tom. 1 de eccles. aedif. §. 2 n. 39 *in Fanen. Restaurationis Ecclesiae ac permutationis voluntatis die 6 Iunii 1840* §. *Porro.*

204. Qua de re Communitas sive universus Populus nedum tenetur ad reparationem Ecclesiae parochialis, sed etiam sacrarii, domus parochialis, pavimenti, quo praecipue Parochiani utuntur, et turris campanariae, quae illorum commodo inservit, Mans. consult. 248 n. 18 et 19, Genuen. in prax. Eccles. quaest. 242 n. 1 *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771* §. *Adigendam.*

Item *in Maceraten. die 24 Martii 1787* §. *Ait.*

205. Licet enim loquatur Concilium de reparatione Ecclesiae, eius tamen dispositio etiam parochialem comprehendit domum, quae pars est Ecclesiae ac membrum, ac aeque ad eam reparandam illos obligat, qui ipsam reficere tenentur Ecclesiam, Can. *Boni Principis* dist. 96, Pignatell. consult. 126 n. 10, et Rota in Constantien. Reaedificationis Ecclesiae 3 Martii 1758 §. 7 coram Ratto *in Tudertina Restaurationis Domus Archipresbiteralis die 21 Novembris 1772* §. *Sustinet* §. *Quae.*

Item *in Sarsinaten. die 10 Iulii 1790* §. *Dubitari; in Senogallien. Reaedificationis Aedium parochialium die 13 Septembris 1806* §. *Nititur; in Balneoregien. Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Septembris 1838* §. *Atqui; in Firmana Domus parochialis die 25 Maii 1844* §. *Cum.*

206. Nam domus parochialis ita unum cum ipsa Ecclesia consideratur, ut sub nomine Ecclesiae venire et domum parochialem tradant Barbosa de offic. et potest. paroch. part. 4 cap. 18, Garcias de Benef. part. 3

cap. 2 n. 199, tum ob arctissimam connexionem et contignationem domus cum Ecclesia, tum ob eadem, quibus fruitur, privilegia, ne ipsa quidem immunitate seclusa, ad Gloss. in Can. *Secundum canonicam* caus. 23, Gonzalez ad Cap. 1 censibus, Card. Petra ad Constit. 2 Paschalis II sect. 2 n. 25 tom. 1, Rot. in Recent. decis. 339 n. 4 part. 6, et S. Congregatio in Theatina 31 iulii 1674, et in Praenestina Immunitatis 1 aprilis 1704 *in Alatrina Domus parochialis die 20 Septembris 1845* §. *Ex ipsa.*

207. Si vero titulo locationis ab aliis, quam a Parocho inhabitetur, privatur immunitate, sicut legitur in Instructione Benedicti XIV super immunitate et iurisdictione, quam refert Reclus. de re paroch. part. 1 tit. 3 n. 157 *in Alatrina Domus parochialis die 20 Septembris 1845* §. *Incommoda.*

208. Compertissimum propterea in iure canonico est, leges, quae pro Ecclesiarum parochialium aedificatione et conservatione sancitae sunt, easdem domibus parochialibus legitime accomodari, ut disertissime definivit Sacra Congregatio. Quandoquidem – Congregatio Concilii censuit, scribendum ad Abbatem, ut domum pro necessaria Parochi habitatione curet aedificari ex fructibus et proventibus quibuscumque ad Parochialem ipsam pertinentibus, qui, si non fuerint sufficientes, Patronos, si qui sint, vel alios, qui fructus aliquos ex dicta Parochiali percipiunt, et in eorum defectum Parochianos ad id remediis opportunis compellat, quemadmodum cavetur Decreto Concilii Tridentini sess. 21 cap. 7 de reformatione. Quod Sacra Congregatio declaravit habere locum etiam in refectione vel aedificatione domus necessariae ad Parochi habitationem – *in Castri Durantis die 11 Iulii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 130.*

209. Unde Episcopus prout de iure providere debet pro restauratione domus parochialis: quandoquidem cum Vicarius Generalis divisisset ac dismembrasset Ecclesiam S. Mariae *ad Soffianam* cum situ pro construenda domo parochiali ab Ecclesia praepositurali S. Martini, et univisset Ecclesiae parochiali S. Stephani *ad Intrainum,* cuius Parochus in dicto situ domum aedificavit, ipso instante, Sacra Congregatio, postquam unionem et dismembrationem huiusmodi nullam ac irritam declaraverit, proposito dubio: – III. An et cuius sumptibus facienda sit restauratio novae domus parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad tertium, Episcopus provideat prout de iure – *in Sancti Miniatis Unionis die 16 Novembris 1715 lib. 65 Decretorum.*

210. Idcirco Parocho nedum primario inest onus reparandi Ecclesiam parochialem, sed etiam pro reaedificatione domus parochialis, Sperell. decis. 68 n. 4, ac turris campanariae, Constantin. vot. decis. 251 n. 16, Rot. in nuperr. decis. 43 et decis. 171 n. 3 tom. 2; ea potissimum ratione, quia huiusmodi aedificia sic adnexa sunt et Ecclesiae unita, ut unum idemque aedificium reputetur *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771* §. *Ex parte.*

211. Quum autem Rector parochialis Ecclesiae S. Ioannis in Michelwinenden. indigeret reparare suas Aedes parochiales et sufficientes reditus ad hunc effectum non haberet, adeoque institerit coram Ordinario Constantiensi pro coactione omnium condecimatorum dictae Ecclesiae et praecipue Commendatarii Altschusiani inclyti Ordinis Theutonici et Monasterii Sorritani Ordinis Praemonstratensis ad contribuendum reparationi huiusmodi, prout contra Monasterium praefatum, quod unice contradixit, mandatum relaxari obtinuerit, sed re ad Sacram Congregationem delata, Monasterium contenderit, quod onus reparationis unice spectaret ad praedictum Commendatarium Ordinis Theutonici, quia haec parochialis Ecclesia erat unita et incorporata praefatae Commendae, Commendatarius habebat curam habitualem, percipiebat omnes proventus Ecclesiae, excepta tantum congrua assignata Vicario, et administrabat etiam reditus fabricae, et decimae possessae ab ipso Monasterio non erant decimae ecclesiasticae provenientes ab Ecclesia, sed erant mere laicales seu annui canones debiti ratione territorii, qui nuncupabantur decimae, quia consistebant in decima parte fructuum, proposito dubio: – An Monasterium Sorretanum Ordinis Praemonstratensis teneatur contribuere ad reparationem Aedium parochialium S. Ioannis Evangelistae in Michelwinenden. in casu etc. –, Sacra Congre-

gatio respondit: – Dilata, et citetur Commendatarius, non retardata interim executione Decreti Episcopi, sine praeiudicio iurium Partium, et scribatur eidem Episcopo iuxta instructionem – *in Constantien. Reparationis Aedium parochialium die 3 Septembris 1729.*

212. Deficientibus hinc Ecclesiae parochialis reditibus, Patronus tenetur reaedificare Aedes parochiales *in Senogallien. Reaedificationis Aedium parochialium die 13 Septembris et die 29 Novembris 1806.*

213. Iamvero Ecclesia parochialis Deiparae Virgini nuncupata, quae erat in Pago Vallonis, pertinebat ad Communitatem Senogalliae. Cum anno 1793, defuncto Parocho Antonio Bedinelli, vacasset Paraecia, novit Communitas, indecoram esse parochialem Ecclesiam fatiscentes Aedes et incultos fundos parochiales. Quare ut hisce malis subveniret, (inutiles enim erat persequi heredes defuncti Rectoris inopia laborantes) deprecata est ab Sacra Congregatione veniam imponendi censum pro sorte scutorum 600 super fundis ad Paraeciam spectantibus. Demissae fuerunt preces huiusmodi Rescripto: – Peracta provisione Paraeciae, supplicet novus Parochus –. Nominatus hinc a Communitate fuit Sacerdos Hieronymus Salvatori, ea in nominatione interposita conditione, ut fundum pro censu imponendo praestaret fructus solveret sortemque redimeret. Sed in Bullis collationis a Curia ecclesiastica relaxatis atque in actibus institutionis de hoc onere a Communitate imposito nulla mentio facta est. Quare Parochus Salvatori, ut in possessionem venit, statim supplicavit Sacrae Congregationi, ut compelleretur Communitas patrona ad perficiendas reparationes Ecclesiae aediumque parochialium. Sed cum actum esset de compositione inter Parochum et Communitatem, conventum fuit per instrumentum, rogatum die 15 aprilis 1795, ut Communitas titulo eleemosynae, et dummodo in exemplum non transiret, scuta bis centum Parocho rependeret, qui sese obstrinxit de suo impendere, si quid amplius foret necessarium. Unde Parochus aere proprio in fundos sacram supellectilem Ecclesiam aedesque impendit scuta 127, ultra altera praedicta scuta 200 a Communitate accepta. Iterum post decennium ad ruinam aedes minitabantur, et repugnante Communitate reaedificationem facere, Parochus ad Sacram Congregationem reclamavit. Emus Episcopus deputavit Peritum, qui expensas pro reaedificatione in scutis 506 11 constituit. Reditus vero Paraeciae attingebant scuta 175 12: sed diminuebantur ad scuta 48 33 ex oneribus in scutis 126 78. Advertebatur tamen, quod inter haec onera adnotarentur scuta 14 in eleemosynis Missae pro Populo, pro qua nihil debetur Parocho, qui eam Missam ratione muneris celebrare tenebatur; itidem adnotarentur scuta 30 pro Clerico Ecclesiae et Famulo Parochi, quae partita nimis gravis videbatur. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et cuius sumptibus sint reaedificandae Aedes parochiales in casu etc. –, Sacra Congregatio die 13 Septembris 1806 responsum dedit: – Affirmative sumptibus Communitatis –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Senogallien. Reaedificationis Aedium parochialium die 29 Novembris 1806.*

214. Quod si Parochus semper domo parochiali caruerit, atque Ordinarius mandaverit Patronis acquisitionem domus parochialis sub poena amissionis iurispatronatus, Sacra Congregatio, attenta etiam asserta Paronorum misera conditione, indulsit suspensionem nominationis et collationis Paraeciae ad decennium, deputato idoneo Oeconomo cum annuo stipendio scutorum sexaginta, ad effectum erogandi superextantes reditus in domus fabricam, sed si quid deesset, Patroni supplere deberent *in Firmana Domus parochialis die 25 Maii 1844.*

215. Siquidem inter Paraecias in Oppido loci Petritoli Firmanae Archidiaecesis extantes recensebatur altera sub invocatioue S. Prosperi, capita complectens fere 275, cuius etsi electionis et fundationis tabulae desiderarentur, constabat tamen de iurepatronatus esse familiarum eiusdem Oppidi Olivieri Brancadoro Vitali Scarsini Palmaroli, cum hae a tempore pervetusto Parochum nominare et praesentare consueverint. Paraecia haec quum domo parochiali perpetuo caruisset, Archiepiscopus in actu Visitationis anno 1841 Patronis indixit onus acquirendi domum paro-

chialem penes Ecclesiam ipsam, sub poena amissionis iurispatronatus. Quo territi Decreto, Patroni Sacram Congregationem adierunt, ac postularunt, ut, attenta ipsorum impotentia, illud revocaret, vel saltem suspensionem nominationis Parochi ad decennium, constituto Oeconomo, indulgeret, ut ex reditibus superextantibus domus pretio scutorum 300 acquireretur, quin ipsi iuspatronatus amitterent. Incertus erat reditus Parochiae: sed ex vacatione anni 1842 et 1843 constare videbatur, quod praedicti reditus, subductis oneribus et scutis sexaginta pro Oeconomo, ascederent ad summam scutorum 40 circiter. Advertebatur autem, quod si Paraecia ab initio potuerit existere absque domo paraeciali, iam praesumi poterat, praefatas familias iuspatronatus acquisivisse ex dotatione tantum Parochi, sive ex assignatione congruae facta Curioni, vel ex dotatione Ecclesiae; adeoque iustum videri poterat, eos iurepatronatus esse honestandos, quousque dos ab his assignata permanserit, quin aliis gravari deberent oneribus in fundatione non susceptis, et extra quasi contractum tunc temporis initum positis. Praeterea haud satis fortasse Patroni dolebant, excussum non fuisse praecipuum obligatum, nempe Parochum, ex cuius reditibus integra summa, haud levis symbola, ad effectum, de quo agebatur, erui potuisset. Aequitas hinc saltem postulare videbatur, ut collatio Paraeciae suspenderetur: nam dum Patronorum miserae, ut asserebatur, conditioni consulebatur, Paraecia et Incolae suo non destituebantur temporaneo Rectore. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Oratorum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et esse consulendum Sanctissimo pro suspensione ad decennium nominationis Paraeciae, deputato idoneo Oeconomo ab Emo Archiepiscopo, cum annuo stipendio scutorum 60, ad effectum erogandi per Administratorem ab eodem Emo Archiepiscopo deputandum superextantes reditus in expositam fabricae causam, docto, ita ut, si quid desit, suppleant Patroni, et notificetur Ministris Datariae Apostolicae – *in Firmana Domus parochialis die 25 Maii 1844.*

216. Praeterea quum nedum deficiant Ecclesiae reditus statutum vel consuetudo, sed nec Patronus extet, Parochiani aedificare aut reficere debent aedes parochiales; quandoquidem Sacra Congregatio declaravit, Parochianos teneri ad aedificandam domum Parocho, si non habet, et reditus Parochiae sint tenues, ita ut, detracta sustentatione Parochi, ad hanc expensam subeundam sint insufficientes *in Bisinianen. die 16 Ianuarii 1638 lib. 15 Decretorum pag. 648.*

217. Hinc Sacra Congregatio, exulante consuetudine, qua ad restaurationem domus parochialis Communitas adstringi praetendebatur, declaravit quidem, Populum, attenta redituum tenuitate, ad id teneri, facta taxatione per Communitatem; sed probato exinde per Populum pingui reditu parochiali, Sacra Congregatio recessit a decisis, atque declaravit, reparationes, de quibus agebatur, spectare ad Parochum *in Spoletana Restaurationis Domus parochialis die 18 Decembris 1847 et die 26 Augusti 1848.*

218. Enimvero ubi primum anno 1844 Sacerdos Marcus Bruschi possessionem iniit parochialis Ecclesiae S. Mariae Terrae Syllani in Spoletana Archidiaecesi domum parochialem ita instaurationum indigere comperiit, ut habitationi neutiquam apta haberetur. Cum autem Municipium id oneris ferre recusaret, Summum adiit Pontificem. Episcopus retulit, parochiales reditus huiusmodi expensas sustinere haud posse; adeoque censuit, Communitatem, uti Patronam, vel Populum obligari ad domus pro Parocho reaptationem, iuxta Concilium Tridentinum et Constitutiones Synodales. Parochus itaque contendit, ad Municipium id spectare nedum ob redituum parochialium tenuitatem; sed praesertim ob consuetudinem, quam ad probandam valde insudavit. Municipium contra consuetudinem pro viribus respuit, cum etsi ab initio extitisset eadem iam defecerat penitusque perempta erat per desuetudinem, quae centum annorum spatio constituebatur. Proposito hinc dubio: – An et cui competat onus reficiendae domus parochialis S. Mariae loci Syllani in casu? –, Sacra Congregatio die 18 decembris 1847 responsum tulit: – Affirmative Populo, facta taxatione per Communitatem –. At vero illius loci Homines, qui Parochiae S. Mariae suberant, penes Sacram Congregationem institerunt, ut Causae

cognitio instauraretur. Nam contenderunt in primis, antiquissimorum monumentorum testimonio constare, Ecclesiae ac domus parochialis conservandae onus Communitati ac Sanctesibus inhaerere. Quod autem eorum magis referre videbatur, reditus erat Beneficii parochialis, quem multo pinguiorem faciebant, quam a Parocho Bruschi descriptus fuerat. Distinctis enim reditibus atque oneribus prolatis, liberi proventus summam scutorum 125 06 pertingebant. Advertebatur tamen, errorem calculi irrepsisse in computandis insimul bonis rusticis Paraeciae et bonis Beneficiorum: valorem siquidem ea efformabant scutorum 2263 79, adeo ut fructus parochiales augmentum capere deberent. Nec praetereundum, in Ecclesia S. Mariae Fontem baptismalem exurgere, ad quem Baptismatis recipiendi causa accedebant Infantes aliarum quinque Parochiarum, quae in Pago Syllani recensebantur. Hinc hoc etiam titulo Parochum emolumenta percipere affirmarunt, quin tamen ulla ratione quantitatem emolumentorum determinarent. E contra misserrimam omnium Parochianorum conditionem probarunt ipsius Parochi testimonio, qui 18 ianuarii 1848 perhibebat, omnes Parochianos, paucissimis exceptis, maximis laborare indigentiis; quod confirmabat P. Custos Coenobii Capuccinorum obtestans, omnes dictae Paraeciae Familias, una tantum excepta, esse *miserabilissime*. Et Faber murarius testabatur, praefatam domum pluries ex pecunia defuncti Parochi restaurasse, quin anno 1842 ulla indigeret reparatione. Nec aliter deponebat Faber lignarius. Asseruerunt denique Parochiani, Parochum arbores numero plurimas ac frugiferas caecidisse, unde subductis expensis summam scutorum centum retraxit, quam sibi perperam vindicavit. Addiderunt, etiam litem calumniosam a Parocho fuisse susceptam, in eamque scutata 250 insumpta fuisse; cumque Parochus Causa ceciderit, censum fundis parochialibus dictae pecuniae respondentem impositum fuisse; haec autem omnia, semper insciis Parochianis, ut nihil ad se ipsos de Parochiae reditibus et oneribus pertinere concluderent.

219. His igitur perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Recedendum a decisis, et reparationes, de quibus agitur, spectare ad Parochum – *in Spoletana Restaurationis Domus parochialis die 26 Augusti 1848.*

220. E contra ad Communitatem et homines loci spectat reparatio domus parochialis, si eam ex consuetudine iidem restaraverint, et Parochus ne congruam quidem ex Ecclesiae reditibus percipiat *in Tudertina Restaurationis Domus archipresbiteralis die 19 Decembris 1772.*

221. Siquidem per obitum Sacerdotis Francisci Trombetti sequutum anno 1762 archipresbiteralem Ecclesiam Oppidi Montis Castrilli obtinuit Sacerdos Romualdus Angelucci. Is cum parochiales aedes ruinam minantes reperiisset, in propriam domum sese recepit, et contra Praedecessoris hereditatem pro emendatione damnorum iudicialiter instetit. Verum inani cognita actione contra obaeratam defuncti Archipresbiteri hereditatem in pia legata insuper consumptam, instetit contra Communitatem et singulos Paraeciae Homines, ut ad restaurationem domus Archipresbiteralis compellerentur. Sed licet nonnulli eorum quotam in reaedificationem sese collaturos professi fuerint, alii tamen atque ipsa Communitas petitioni restiterunt. Sustinuit enim Archipresbiter, nonnullis Testium depositionibus resultare, parochialem Ecclesiam Montis Castrilli a Communitate semper fuisse restauratam; adeoque ad eam quoque spectare debere contendit restaurationem domus, quum ea pars esset et Ecclesiae membrum, ita ut ii teneantur domum restaurare, quibus onus reparandi Ecclesiam incumbit. Addidit, Beneficium archipresbiterale ne congruam quidem pro Archipresbitero praebere; nam deductis expensis, illius reditus vix ad scuta 30 pertingebant. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et ad quem spectet reparatio domus Archipresbiteralis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Spectare ad Communitatem et Homines – *in Tudertina Restaurationis Domus Archipresbiteralis die 19 Decembris 1772.*

222. Nam Parochiani tenentur praestare domum etiam Capellano Curato; quandoquidem Sacra Congregatio, postquam declaraverit, non esse locum dismembrationi parochialis Ecclesiae S. Nicolai Villae Mensae ac

respective erectioni Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Angelorum Terrae Canutii in novam Parochiam, proposito dubio: – II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, providendum esse per translationem Capellani Curati ab Ecclesia S. Eleuterii ad Ecclesiam S. Mariae Angelorum, facta obligatione ab Hominibus Villae Canutii praestandi domum eidem Capellano Curato; et amplius – *in Ravennaten. Dismembrationis die 5 Aprilis 1783.*

223. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, – ad refectionem Ecclesiarum cogendos esse earumdem Ecclesiarum Rectores: quod si reditus ipsarum Parochialium non sufficiunt, Episcopum iuris remediis iuxta formam cap. 7 sess. 21 ipsos Parochianos cogere debere, et interim curare, ut ipsi Rectores intra limites suarum Parochialium in domibus conductis, vel aliis permaneant – *in Catacen. die 16 Decembris 1634 et die 3 Ianuarii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 144.*

224. Nam – ad secundum, circa Parochos intra limites suarum Parochialium domus non habentes, Emi Patres censuerunt, si vera sunt, quae in ipsarum relatione exponuntur, posse Episcopum pro suo arbitrio et conscientia permittere, ut Parochi, qui neque ex fructibus Parochialis, nec alio modo Aedes in Parochiali construere, seu alias intra suarum Parochialium fines conducere possent, inhabitent domos in alienis Parochiis vicinioribus sitas – *in Litteren. die 19 Ianuarii 1636 lib. 15 Decretorum pag. 30.*

225. Hinc Parochiam posse absque domo parochiali et erigi et consistere disserit Reclusius de re paroch. part. 1 tit. 3 a n. 140: – Cum sola experientia doceat, numero plurimas inveniri Parochias propria habitatione destitutas, et quotiescumque parochialis Ecclesia adnexam non habeat pro Parochi habitatione aedificium, permittitur Parocho, ut ad illius libitum in aliqua domo, dummodo congrua et commoda, valeat habitare, quemadmodum Rota declaravit in Senogallien. Parochialium 14 ianuarii 1737 §, Hactenus coram Harrach *in Firmana Domus parochialis die 25 Maii 1844* §. *Verum.*

226. Alias enim qui curam animarum exercent, domos parochiales Ecclesiae adnexas inhabitare debent; quandoquidem Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Archangeli Firmanae Civitatis, curam animarum habentes, tenentur habitare Aedes Ecclesiae adnexas, quin aliis locare vel concedere valeant, nec non servare debent Decretum in visitatione latum ab Ordinario; propositis enim dubiis: – III. An dicti Canonici animarum curam habentes teneantur habitare Aedes Ecclesiae adnexas eisque destinatas, nec aliis illas locare aut quomodolibet concedere valeant in casu etc. – IV. An quoad easdem Aedes parochiales servandum sit Decretum Visitationis cl. me. Card. Paracciani, quo prohibetur, in iis uvis premi mustum excoqui laetamina coacervari stabula sues et gallinas retineri in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad tertium, Affirmative. Ad quartum, Affirmative – *in Firmana die 8 Iunii 1782.*

227. Idcirco domus Parochialis in fructibus Praebendae non computatur: in ipsa enim Parochus tenetur inhabitare et residere, ac proinde non eis commodo, sed potius oneri aestimari debeat, Rot. in decis. 354 coram Buratto *in Alatrina Domus parochialis die 20 Septembris 1845* §. *Praesidium.*

228. Quum autem Parochus duas simul unitas possideret Paraecias, et in utriusque dimissione reservati ei fuerint reditus unius etiam domus, inter paraeciales illos reditus computari debet *in Alatrina Domus parochialis die 20 Septembris 1845.*

229. Iamvero anno 1816 Sacra Congregatio suspendit collationem Paraeciae Sanctissimi Salvatoris in Civitate Alatrina ad decennium, ut reditus in Ecclesiae et domus parochialis sarcitionem impenderentur. At quoniam paraeciales reditus sumptuoso operi omnino impares dignoscebantur, labente anno 1821 Summus Pontifex praedictae Paraeciae administrationem concessit ad vitam Thomae Santucci tunc Rectori vicinioris Paraeciae S. Laurentii, qui data idonea fideiussione adstipulabatur, se aere proprio supplere quidquid ultra reditus paraeciales necesse foret ad reparationes perficiendas, adiecto hinc per Pontificem ipsi Thomae onere – Ecclesiam eiusque domum parochialem in perfectum soliditatis statum redigendi –. Susceptae obligationi iam satisfecerat Santuccius, quum an-

no vertente 1830 ex sententia Supremae Inquisitionis utramque Paraeciam fuit coactus dimittere, reservata tamen eidem ad sui vitam fruitione redituum Paraeciae Sanctissimi Salvatoris, nec non annua pensione scutorum 25 super Paraecia S. Laurentii, quam subinde assequutus est Ioannes Baptista Lisi, cui et Paraeciae Sanctissimi Salvatoris administratio commissa fuit. Porro acriter renuente Santuccio curionalis Sanctissimi Salvatoris domus, quam inhabitabat, possessionem deserere eo sub obtentu, quod illa inter paraeciales reditus sibi tributos esset computanda, ipse Parochus Lisi una cum Promotore Fiscali ad controversiam finiendam Sacrae Congregationis oraculum sciscitatus est. Lisius itaque ex strictissima obligatione residendi in propria Ecclesia seu domo parochiali arguit, necessario ad ipsum exclusive spectare domum parochialem, quin obesset existentia duplicis domus parochialis, cum in optione Parochi sit residendi in qua maluerit ex Paraeciis unitis, si praesertim necessitas sibi assumendi Coadiutorem prae numerositate ac diffusione Populi urgeat, vel ingruente morbo seu pestilentia in una magis Ecclesia, quam in altera. Alias quippe gravissima etiam incommoda inde secutura, cum Santuccius locare potuisset, et conductor illam convertere in usum sibi magis benevisum, ac etiam in stabulum, in tabernam, atque in peioris notae officinam, magno cum dedecore ac irreverentia adnexae parochialis Ecclesiae, nec non si pendente triennio locationis, Santuccius obiisset, novus Parochus domum habere non poterat, quae unum cum Ecclesia de iure consideratur. Insuper Santuccius satis abundeque provisum esse dixit per amplam fructuum ac pensionis reservationem, sibi e contra, qui totum sustinebat pondus diei et aestus, vix unde decenter viveret, reliquum esse. At Santuccius se tuebatur effatu – possideo, quia possideo –, quin obstare posset praedicta unio, cum esset temporanea et accessoria; ideoque Lisius in principali S. Laurentii residere tenebatur. Nec hinc obligatio residendi in Ecclesia parochiali ad domum extendenda esse videbatur, ob notissimam regulam, quod cessante legis fine, et lex ipsa cessare debet. Incommoda vero et absurda, quae Lisius iactavit, evanescere videbantur, cum Santuccius non ad locandam domum sibi retinere quaereret, sed ad inhabitandam, uti eousque fecerat; quae autem de domo Lisius disseruit in eventum Santuccii mortis ob locationem non finitam, dici etiam potuissent de reliquis Paraeciae bonis, quod sane nemo affirmare valet. Advertebatur etiam, domum parochialem gaudere privilegiis et immunitate, quatenus habitationi Parochi inserviat, non vero si ab aliis, quam a Parocho titulo etiam locationis retineatur. Demum cum fructus paraeciae reservati fuerint Santuccio titulo alimentorum, quorum hinc causa contineri etiam habitationem palam habetur ex L. *Legatis* ff. de alim. et cib., cum praesertim pro dictae domus restauratione sese Santuccius obligatione devinxerat aere proprio supplendi quidquid occurreret ultra reditus Paraeciae.

230. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et cuius favore adiudicanda sit domus paraecialis in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative favore Santucci – *in Alatrina. Domus parochialis die 20 Septembris 1845.*

231. Hinc licet Summus Pontifex in erectione parochialis Ecclesiae in insignem Collegiatam attribuerit Praeposito, cui relicta fuit cura habitualis tantum, cum onere praestandi annuum stipendium duobus Vicariis perpetuis, qui curam animarum exercere deberent, omnia bona, quae ante erectionem Collegiatae ad Plebanum spectabant, domus tamen parochialis ad praedictos Vicarios Curatos spectat, quin interim vero amoveri debeat modernus Praepositus, sed illis alia domus magis proxima Ecclesiae assignanda et approbanda est ab Ordinario *in Firmana Domus Praeposituralis die 2 Aprilis die 21 Maii et die 30 Iulii 1757.*

232. Siquidem Summus Pontifex in erectione parochialis Ecclesiae S. Stephani Terrae Montis Sancti in insignem Collegiatam Praeposito, qui antea Plebanus erat, quem totius Capituli caput esse voluit, et cui habitualis tantum cura animarum relicta fuit, omnia et singula bona, quae antea ad parochialem Ecclesiam pertinebant, attribuit, cum onere tamen praestandi duobus Vicariis perpetuis, qui curam animarum exercere deberent, annuam

summam septuaginta ducatorum auri de camera et iuliorum quindecim monetae Romanae. Inter bona, quae ad parochialem Ecclesiam, quae ante erectionem in Collegiatam spectabant, erat domus Ecclesiae adnexa octo constans cubiculis, quam Praepositus pridem Plebanus habitabat cum sua familia, quaeque illi vix satis erat, licet sua pecunia eam et reparaverit et auxerit. Hanc inde appetebant duo Vicarii Curati, non contenti ea, quam longe commodiorem ipsis comparavit Praepositus, quaeque passibus 162 distabat ab Ecclesia. Licet enim eam habitaverint a die erectionis, contenderunt tamen, tradendam ipsis esse domum Praeposituralem; quia ipsi curam habebant, non Praepositus, qui habitualem dumtaxat habebat. Praepositus contra disputavit, sibi deberi omnia bona, quae ad Ecclesiam spectabant, priusquam in Collegiatam erigeretur, cum onere praestandi Vicariis annuum stipendium; satis esse, si Vicarii habitarent domum intra fines Paraeciae, quae non longe distabat ab Ecclesia, quaeque amplior erat Praepositurali, quae dividi non poterat cum Vicariis; hos frustra Doctores allegare, qui docent, domum parochialem a Parocho esse habitandam, cum id habeant de Paroche, qui talis sit actu et habitu, non de Vicariis. His interim perpensis, proposito dubio: – An Vicarii Curati S. Stephani Montis Sancti praeter summam in Bulla assignatam valeant etiam expetere habitationem in domo Praepositurali, posthabita illa in viciniis assignata et actu ab eis inhabitata in casu etc. –, Sacra Congregatio die 2 aprilis 1757 responsum tulit: – Dilata ad secundam post Agnos –. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 21 maii 1757 respondit: – Iterum proponatur –. Reproposito hinc praedicto dubio, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et ad mentem; et mens est, quod non amoto moderno Praeposito a domo parochiali assignetur Vicariis alia domus magis proxima, approbanda ab Archiepiscopo – *in Firmana Domus Praeposituralis die 30 Iulii 1757.*

233. Qua de re si pius Testator suam reliquerit domum Parocho pro tempore ad illam pro commoditate Parochianorum cohabitandam, nemo alius eamdem praetendere potest, quatenus ipsam Parochus inhabitare velit, qui tamen tenetur ad solutionem melioramentorum intra vires summae perceptae, nec non ferre onus Missarum ab Testatore impositum, dum eam inhabitat *in Ferentina Domus parochialis die 23 Novembris 1844.*

234. Enimvero elogium voluntatis suae postremum conficiebat Andreas Caprinius Ferentinas usque ab anno 1707, et legati titulo reliquit Abbati S. Mariae maioris pro tempore domum suam ea adiecta conditione, ut illam Abbates pro tempore inhabitarent, quin ius ullum praetendere possent eiusdem Ecclesiae Beneficiati, nec non praedicti Abbates pro tempore praefatam domum semper pro Parochianorum commoditate inhabitare deberent, alias mandavit, ut praedicta domus – vada e ritorni – Confraternitati S. Antonii Patavini, atque dicti Abbates quotannis in perpetuum die anniversaria ipsius obitus Missam cantatam aliasque duas Missas lectas celebrare tenerentur. Anno 1812 dicta domus extremam minitabatur ruinam; quapropter Ordinarius loci statuit, ut eadem concederetur cuidam Carolo Datti ad effectum eam reficiendi utendique, depacta annua pensione pro oneribus implendis, – sub obligatione quam citius illam resarciendi in omnibus, ita ut ad usum proprii Parochi suo tempore reducatur, et sic melioratam proprio Parocho pro tempore restituendi, non retardata tamen durante afflictu dictae domus obligatione persolvendi a dicto Carolo Datti quotannis de mense augusti scutata decem et obulos decem Oratori Administratori Paraeciae –. Quum primum de anno 1805 Ecclesia S. Mariae maioris ad Collegiatae honores evehebatur, unio Paraeciae facta est, eaque habitualiter penes Capitulum permansit, quod per Vicarium Curatum actu exercitam voluit. Uno alterove sibi succedentibus huiusmodi Vicariis, haud ab istis inhabitata domus est, et quoniam Capitulum putabat, universa Paraeciae bona eidem in Apostolicis Literis fuisse addicta, ita ea inter domunculam Capriniam accensebat, supportatis oneribus ab pio Testatore demandatis. Res tali pacto processerat usque ad iulium anni 1841: tunc Sodalitium divi Antonii Patavini apud Vicarium Generalem iudicialiter petiit, ut fieret locus comminationi in testamento appositae, et domus ipsa cederet favore Confraternitatis. Mo-

derna Vicarius Curatus Iacobus Pilotti ab Episcopo petiit possessionem praedictae domus, quae Iacobo a Capitulo retinebatur, et donec illa restauraretur, postulavit domum, quae intra fines Paraeciae existeret. Nam Apostolicae Literae nullam faciebant de domuncula commemorationem, sique fecissent, eam semper Parocho servassent, et quia id urgebat Testatoris voluntas, et quia de iure est, ut Ecclesiae reditibus parochiales aedes aedificentur. Nec obesse censuit Episcopus petitionem Sodalitii, nam – ex verbis « vadi e ritorni » colligitur, mentem Testatoris eam fuisse, ut aedibus suis uteretur Parochus S. Mariae Maioris pro sui habitatione, sin minus illis frueretur Societas S. Antonii, quae tamen Parocho successori illas postulanti tradere teneatur. Noverat enim, nullum Successori per Antecessoris factum praeiudicium inferri posse –.

235. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et cui spectet domus legata Parochis in casu? *Et quatenus negative pro Parocho.* II. An concedenda sit facultas Oratori conducendi domum intra vel in ipso limine Paraeciae in casu? III. An et in qua summa is teneatur ad solutionem melioramentorum in casu? IV. An et cuius sumptibus adimplenda sint onera Missarum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, et spectare ad Parochum, quatenus eam inhabitet. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, teneri intra vires summae perceptae. Ad quartum, teneri Parochum quoad futurum, quatenus domum inhabitet – *in Ferentina Domus parochialis die 23 Novembris 1844.*

236. Quum autem Abbas Monasterii Waldsassen contendisset, nullimode ab Episcopo perturbari posse in iure deputandi Parochos amovibiles, etiam Monachos praedicti Monasterii, proindeque liberum quoque sibi ipsi esse, collapsam assertam prioralem domum in Civitate Tursenreut a fundamentis restituere pro uberiori animarum beneficio, Sacra Congregatio resolvit quidem, posse dictum Abbatem deputare Parochiis, de quibus agebatur, Vicarios temporaneos etiam Monachos Monasterii, sed proposito dubio: – III. An sit locus aedificationi domus prioralis in Civitate Tursenreut in casu etc. –, responsum dedit: – Ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium – *in Ratisbonen. Iuris deputandi Vicarium die 28 Iulii 1713 lib. 63 Decretorum.*

237. Id insuper, quod de Ecclesiis statutum est, ad Turrim quoque campanariam pertinere videtur, Constant. vot. decis. 251 n. 16, Rota in Nuperr. decis. 43, et decis. 171 n. 3 tom. 2, ea potissimum ratione, quia huiusmodi aedificium adeo adnexum est et Ecclesiae unitum, ut unum idemque aedificium reputetur *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771 §. Ex parte.* Item *in Nursina Restaurationis Turris campanariae die 25 Septembris 1858 §. Concilium.*

238. Hinc et nullo quidem iuris canonici loco cavetur, ad Parochum ne potius, vel ad Parochianos expensae extructionis Caemeterii pertineant: Canonistae vero in diversam abeunt sententiam; alii enim putant, quod haec controversia dirimi debeat ex Decreto Concilii Tridentini sess. 21 cap. 7 de reformatione, quo decernitur, ut Ecclesia reparetur primum sumptibus ipsius Ecclesiae seu Rectoris et Beneficiatorum, deinde Patroni, et tandem in subsidium expensis Parochianorum sive Communitatis. Cum vero haec Tridentini dispositio extendatur etiam ad reparationem aedium parochialium, ita quoque porrigi debeat ad extructionem Caemeterii, quod sive remotum sit, sive adiacens Ecclesiae, semper tamquam eiusdem accessorium consideratur, ex Textu in cap. unico de consecr. ecclesiae, Barbos. de iur. eccles. univ. lib. 2 cap. 9 n. 7. Quare Parochiani non tenentur, nisi in subsidium quoad principale, ita quoque in subsidium cogendi sunt ad extructionem Caemeterii, quod est accessorium, ut censet Reclusio de re Paroch. part. 1 tit. 9 n. 100 *in Firmana Reaedificationis Caemeterii die 15 Ianuarii 1803 §. Verum.*

239. Alii vero, quorum frequentior opinio est, putant, expensas huiusmodi extructionis Caemeterii pertinere praecipue ad Parochianos, licet Parochus dives sit. Nam Caemeterium respicit Parochianorum commodum et utilitatem, ut Defuncti componantur et sit eis sepulchrum, ut tenent Salod. de visit. cap. 25 per totum, Crispin. de visit. part. 2 §. 13 n. 6, Sperell. decis. 68 n. 8, Panimoll. dec. 8 annot. 8 n. 31, decis. 15 annot. 1 n. 44, Monacell.

form. leg. part. 2 tit. 13 n. 95 *in Firmana Reaedificationis Caemeterii die 15 Ianuarii 1803* §. *Verum.*

240. Qua de re multo magis ad Communitatem incumbit onus reaedificandi Caemeterium, cum iam antea ex mandato Ordinarii illud eadem extruxisset, et fructus Parochiae cuicumque impendio impares omnino sint *in Firmana Reaedificationis Caemeterii die 15 Ianuarii 1803.*

241. Siquidem Caemeterium in Portu S. Georgei sive *Porto di Fermo* quamquam extructum esset anno 1768, iubente Archiepiscopo cl. me. Card. Paracciano, sumptibus eiusdem Communitatis, attamen cum esset cadaveribus refertum de anno 1800 pene fatiscebat. Frustra tum actum est de illo ampliando, vel novo aedificando inter Communitatem dicti Portus, et Communitatem Civitatis Firmi, quarum altera in alteram onus extructionis reiiciebat. Interea novis illatis cadaveribus, odor exhalavit per Ecclesiam et ipsum Oppidum, ita ut ad emendandum foetorem cadavera aqua et calce conspersa fuere, quo citius consumpta pessimam valetudini expirationem emittere desinerent. Sed fermentata calce, cadavera combusta foetidiorem fecerunt aerem, et parietes Caemeterii detrimentum ceperunt. Idcirco Tribunal Consultae Parocho Vincentio Veneranda, immissae calcis auctori, confiscationis poenam indixit. Verum cum Parochus strenue crimen diluisset, absolutus fuit Rescripto: – Aboleto praecepto quoad confiscationem, ulterius non molestetur –. Inde Parochus penes Sacram Consultam iterum institit, et impetravit, ut Communitas Portus Firmi ad extructionem novi Caemeterii adigeretur: at Communitas Sacrae Congregationi supplicavit, ut hoc aedificationis onus in Parochum reiiceret, cum propter calcis et aquae immissionem muri Caemeterii detrimentum tulerint. Archiepiscopus Firmanus vero advertit, non quaeri in praesens de restaurando veteri Caemeterio, ita ut statuendum esset, num Parochus ruinae causam dederit, quamquam enim Caemeterium staret, attamen esset inutile, quippe quod cadaveribus refertum et novum construere esset omnino necessarium. Quaestio hinc erat, utrum Parochus, vel Parochiani ad extructionem Caemeterii tenerentur. Testabatur autem Archiepiscopus, quod – Parochiae fructus, etiamsi incerta uniantur, cuicumque impendio pro re, de qua agitur, detractis oneribus, impares omnino sunt, prout per indubia documenta ostendit Parochus –. Insuper Communitas iam anno 1768, iubente Archiepiscopo, aere proprio in ampliorem formam Caemeterium extruxerat. Proposito hinc dubio: – An constructio Caemeterii fieri debeat sumptibus Communitatis, seu potius Parochi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In casu, de quo agitur, Affirmative sumptibus Communitatis – *in Firmana Reaedificationis die 15 Ianuarii 1803.*

242. Quum itaque Summus Pontifex portiones spoliorum, Sede Episcopali vacante, assignaverit Seminario, ac inde vi asserti Indulti Apostolici, quin tamen authographum vel exemplar reperiretur, eaedem assertae portiones applicatae fuerint pro erectione Ecclesiarum parochialium, atque demum ipsarum Administrator applicaverint pro constructione Caemeterii respectivae Ecclesiae, Sacra Congregatio, urgente reparatione dictarum Ecclesiarum aediumque parochialium, concessit sanationem quoad praeteritum ad cautelam, nec non facultatem pro ea vice erogandi dictas portiones in restaurationem Ecclesiarum ac domorum parochialium et in acquisitionem sacrarum supellectilium, firma tamen indubia praedicta assignatione Pontificia, nec non declaravit, non potuisse praefatum Administratorem aliquid erogare in fabricam Caemeterii, nisi infra duos menses doceret de Apostolico Beneplacito, eumdemque per Episcopum omnibus iuris et facti remediis esse cogendum ad redditionem rationis *in Ampurien. et Civitaten. Indulti et Sanationis die 14 Iunii 1817.*

243. Iamvero peramplus Ager Galluriensis in Diaecesi Civitatensi carebat Ecclesiis parochialibus, ita ut Pastores per eum vagantes destituti cathechesi et spiritualibus subsidiis vitam pene ferinam agerent et multi etiam decederent, quin Sacramenta, immo nec Baptismum suscepissent. Tot malis opem tulit Rex Carolus Emmanuel, qui anno 1772 auctor fuit Episcopo Civitatensi Praesuli Guiso, ut quatuor erigeret rurales Ecclesias, in quibus Beneficiati Ecclesiae Collegiatae *di*

Tempio, quae Parochialis erat Agri Gallurae, per turnum in ea regione Parochi munere fungerentur. Ob hanc causam auctus fuit Beneficiatorum numerus, eorumque substentationi consuluit Sardiniae Rex ex pensionibus, quae imponebantur Mensae Episcopali Ampuriensi et Civitatensi, quae ab iisdem pensionibus immunis facta est, usque dum alii reperirentur fundi, unde Sacerdotes huiusmodi ruralibus Ecclesiis praefecti uti possent. Ut vero expensis fabricae Ecclesiarum et sacrarum supellectilium fieri posset satis, impetratum fuisse ferebatur a Sede Apostolica indultum die 30 septembris 1780, quo in hanc causam applicatae fuere eae portiones spoliorum, quae vacante Ecclesia Civitatensi assignatae fuerant Seminario Ampuriensi ex Literis Apostolicis datis a s. m. Clementis XIV octavo idus augusti anni 1769, quarum initium *Affectuosa dilectio.* Ex his igitur spoliorum portionibus extructae fuerunt quatuor Ecclesiae rurales S. Mariae *de Arzaghena,* S. Paschalis *di Porto Puzzo,* S. Theodori *de Ovvide,* S. Francisci *de Aglientu.* Subinde Ecclesiae huiusmodi reparationibus indigebant carebantque sacris supellectilibus. Ne autem in has expensas erogari possent portiones spoliorum, duo obstabant. Primum, quod Indulti Apostolici obtenti anno 1780 neque authographum, neque exemplar reperiri potuit. Alterum, quod portiones spoliorum erogatae fuerunt in constructionem Caemeterii Castri Tempii, annuente, ut dicebatur, Sardiniae Rege, auctorante Episcopo Bossanensi, tunc in Sardiniae Regno delegato Apostolico. Hinc Sacerdotes Paraecias rurales exercentes postularunt sanationem quoad erogationem in praeteritum factam portionum in fabricam Ecclesiarum ruralium et sacras supellectiles, quatenus non constaret de Apostolico Indulto diei 30 septembris 1780, tum etiam exorarunt, ut ex integro Indultum huiusmodi concederetur. Episcopus retulit, praefatum indultum omnino latere, – licet de eius impetratione nulla occurat occasio dubitandi, quemadmodum facta ipsa et diuturna temporis observatio demonstrant contra dispositionem Constitutionis Apostolicae s. m. Clementis XIV –; Parochos rurales satis esse provisos, assignata singulis congrua scutorum quadraginta monetae Romanae: sed auditis iisdem Parochis constabat, Ecclesias esse omnino sordidas et carere supellectilibus, ita ut sacra Eucharistia in eis custodiri non posset; aedes Parochorum adeo fatiscentes esse, ut inimicum imbrem tempore hyemis, et furentes calores tempore aestatis repellere nequirent. Unde concludebant Parochi, non posse in aliam causam converti portiones spoliorum, quae pro fundo ruralium Ecclesiarum applicatae fuere. Affirmavit etiam Episcopus, deficere Rescriptum Episcopi Bossanensis cum respectivis precibus eidem porrectis, quoad facultatem applicandi reditus praedictarum Ecclesiarum favore praefati Caemeterii. Decanus Collegiatae Demartis dicti loci *di Tempio* Administrator praedictarum Ecclesiarum in scriptis fassus est, se ex portionibus spoliorum pro extruendo Caemeterio insumpsisse scuta 816, et quae superfuerunt librae tercentum duodecim, Capitulo mutuasse. Cum vero Episcopus de his, quae dixit Decanus Demartis, audierit Capitulum Collegiatae Tempii et Fabrum murarium, qui Caemeterium extruxit, illud prorsus negavit vel assem a Decano Demartis mutuo accepisse, Faber vero murarius affirmavit recepisse scuta tantum 790, et creditum adhuc vigere in scutis 360. De his certior iterum factus Decanus Demartis respondit, se debitum Capituli documentis probaturum, quae adhuc desiderabantur.

244. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de Indulto a S. Sede concesso pro erogandis in fabricam ruralium Ecclesiarum Galluriae et sacras supellectiles portionibus spoliorum applicatis Seminario Ampuriensi in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione quoad praeteritum in casu etc. III. An sit consulendum Sanctissimo pro concessione eiusdem Indulti ex integro in casu etc. IV. An Decanus Demartis erogare potuerit in fabricam Caemeterii portiones spoliorum in casu etc. V. An et quomodo idem Decanus Demartis cogendus sit ad redditionem rationis et restitutionem portionum spoliorum perceptarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, provisum in sequenti. Ad secundum, Affirmative ad cautelam. Ad tertium, Affirmative ad effectum erogandi portiones spoliorum pro hac vice in restau-

rationem Ecclesiarum et domorum parochialium nec non in acquisitionem sacrarum supellectilium, firma iis expletis Constitutione s. m. Clementis XIV *Affectuosa dilectio*. Ad quartum, Negative, nisi infra duos menses doceat de legitimo Beneplacito Apostolico. Ad quintum, Affirmative in omnibus; et Episcopus omnibus iuris et facti remediis cogat Decanum Demartis ad redditionem rationis - *in Ampurien. et Civitaten. Indulti et Sanationis die 14 Iunii 1817.*

245. Firmum hinc omnino perstat, quod primo loco Ecclesiarum parochialium statui prospiciendum est ex fructibus et proventibus Ecclesiae. Secundo sumptibus eorum, qui ex constitutione aliqua vel statuto ad id obligantur. Tertio loco eorum expensis, si qui sunt, qui ex antiqua ac certa consuetudine obstringuntur: haec tamen ad coactionem inducendam esse debeat idonea; inter illos quemadmodum nedum privatae personae, sed et moralia, ut aiunt, corpora, exempli gratia Municipia, comprehenduntur. Quarto expensis Parochi, si tamen idem Parochus amplo censu potiatur, et postquam necessarii ad eiusdem alimoniam sumptus deducti fuerint: quod si congruo censu destitutus sit, a reparationibus onere exemptus abire permittitur. Ex hac quidem in sede una cum Parocho locum habere debent non solum ii, qui pensiones (dummodo hae liberae adsignatae non fuerint) ex parochiali dote percipiunt, sed etiam qui Beneficia simplicia in Ecclesia parochiali possident. Quinto loco onus reficiendi parochiale Templum Patronis imponitur, si nimirum patronatus iura retinere voluerint. Sexto loco ad taxationem Populi et Possidentium in districtu Paracciae per aes et libram deveniendum est. Exceptio fit, si Paraeciae Incolae pauperrimi sint, tunc enim adigi nequeunt. Septimo loco, si parochialis Ecclesia censu divite praedita sit, quia Parochi reditus nequaquam distinguantur, census huiusce partem alienandi facultas postulari poterit, ad sacras Aedes reparandas, vel a fundamentis extruendas *in Tiburtina Restaurationis Ecclesiae parochialis die 15 Septembris 1827* §. *Collabescentes.*

Item *in Assisien. Reaedificationis Ecclesiae parochialis die 17 Februarii 1838* §. *Quapropter; in Fanen. Restaurationis Ecclesiae et Permutationis voluntatis die 6 Iunii 1840* §. *Quidquid; in Spoletana Restaurationis domus parochialis die 18 Decembris 1847* §. *Itaque; in Nursina Restaurationis Turris campanariae die 25 Septembris 1858* §. *Ad tramites.*

246. Siquidem etiam facultas alienandi bonorum peti potest, cum Aedes sacrae reparandae vel a fundamentis excitandae sunt, Girald. tom. part. 2 sect. 59; multo magis si agatur de mero hypothecario vinculo, nam minoris reputatur praeiudicii, quia largam potius ac impropriam alienationem importat, Card. De Luc. in conflict. legis etc. observ. 312, praesertim si de generali hypotheca agatur, nam huiusmodi species alienationis, si non deducatur in exercitium, non cadit sub prohibitione alienationis bonorum, ubi potissimum ex legitima causa contracta fuerit, Card. De Luc. disc. 1 de alien. n. 40, potissimum cum haud facile inveniantur creditores, qui necessarias pro sacro aedificio pecunias mutuentur, nisi in aliis bonis Ecclesiae liberis hypotheca concedatur: verum nec hypotheca concedenda, si Ecclesiae praiudicium inferatur *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852* §. *E contra.*

247. Unde Sacra Congregatio, deficientibus ordinariis mediis, permittit etiam alienationem censuum nec non suspensionem Officiorum et Legatorum, ad effectum dimittendi aes alienum pro Ecclesiae parochialis fabrica contractum *in Camerinen. Fabricae Ecclesiae die 31 Ianuarii 1835* (1).

248. Qua de re necessaria cum esset novae Ecclesiae reaedificatio, Sacra Congregatio, praeter contributionem Parochi et oblationem Fidelium, permisit venditionem trium censuum totidemque domuncularum ad Paraeciam spectantium atque bonorum pii Legati, imposito tamen perpetuo onere respectivi numeri Missarum, nec non permutationem domus cum Sodalitio Sanctissimi Sacramenti *in Fanen. Reaedificationis die 12 Iunii et die 18 Septembris 1819.*

249. Enimvero Vincentius Monti Ecclesiae sub titulo S. Mariae Nosciani Fanensis Diae-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Alienatio*, §. IV, n. 139 ad 142, Tom. I.

cesis Parochus postulavit a Sacra Congregatione facultatem vendendi nonnullas domunculas et tres census ad Paraeciam spectantes ac insuper bona Legati pii Pedruzzi, ut ex congesta pecunia posset novam a fundamentis erigere Ecclesiam in area, quam ipsi cedere exhibuerant Confratres Sanctissimi Sacramenti, quia actualis iam vetustate fatiscens, nimium ad excipiendos Parochianos angusta, nec refici, nec ampliari poterat. Episcopus censuit, novam Ecclesiae aedificationem necessariam esse, quum vel illa infirma indecoraque esset; ac retulit, Paraeciae Incolas suum praestitisse assensum, Confratres Sanctissimi Sacramenti in eamdem convenere sententiam, cedendo pro area novae Ecclesiae domum ipsius Societatis pactionibus eidem proficuis (1); impensam ad fabricam necessariam esse scutatorum 1650 circiter, ut declaravit Peritus ex officio deputatus; reditus Paraeciae impares esse ad eam substinendam, neque alia suppetere remedia a Sacro Concilio Tridentino praescripta; sed alienationem quarumdam domuncularum trium censuum ac bonorum hereditatis Pedruzzi summam conficere scutatorum circiter sex centum, et praedictos census totidemque exiguas domos gravari annuis legatis Missarum centum, atque bona Petruzzi subiacere oneri tot Missarum, quot ex eorum fructibus poterant celebrari. Hinc die 14 ianuarii 1818 rescriptum fuit: – Doceat de mediis conficiendi sumptus pro explenda fabrica ad formam peritiae –. Novas tunc Parochus obtulit preces, quibus syllabum retulit largitionum a piis Fidelibus oblatarum in summa scutatorum 650, et Parochianos gratuito manuum opere subsidium aedificationi praestare paratos esse. Episcopus iterum exquisitus dixit, Parochum in prima instantia nonnulla media eidem exhibuisse, ex quibns retrahi poterat summa scutatorum 808 71, et in praesens alia scutata 855 in promptu habere, quae ex largitate emanabant piorum Virorum, quibus maximopere cordi erat Religio et Templi decor: unde summa pecuniarum una cum alia prius exhibita, facto calculo, respondebat summae in peritia contentae; ideoque praesto erant, quae necessaria evadebant, pro expensis aedificationis Ecclesiae. Parochus autem licet non haberet congruam scutorum centum, nihilominus summam scutorum 140 promisit, ac sese exhibuit paratum suscipere annuum onus Missarum quindecim, quoad onus centum Missarum super domos et census impositum, sed Episcopus putavit, numerum Missarum ad sexaginta esse producendum, et pro hereditate Pedruzzi, cuius reditus erant in annuis scutis 11 40, Parochus decem tantum Missas celebrandas proposuit, e contra Episcopus quadraginta. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo Ecclesia parochialis, de qua agitur, sit reaedificanda in casu? II. An et quomodo sit concedendum indultum pro venditione bonorum, de quibus agitur, in casu? III. An et quae onera Missarum sint perpetuo imponenda Oratori et Parochis successoribus in casu? IV. An et quomodo sit approbanda permutatio, de qua agitur, in casu?–, Sacra Congregatio die 12 iunii 1819 respondit: – Dilata in omnibus, et scribatur Episcopo ad mentem –.

250. Scriptum hinc fuit Episcopo, ut referret per Peritum ex officio de valore domus Sodalitii, et de eiusdem reditu ex decennio; an Sodalitium teneretur providere Ecclesiae parochiali supellectilia et Capellanum; quomodo supplendum in casu admittendae conditionis appositae cessioni, nec non de expensis necessariis per Peritum ex officio, et quomodo ipsis suppleri quiret pro reducenda parte veteris Ecclesiae in commodum eiusdem Sodalitii, et alia parte in Parochi habitationem. Episcopus retulit, iuxta aestimationem Periti fabri murarii, valorem domus praefati Sodalitii constitui in summa scutorum bis centum, et reditus praedictae domus ex decennio desumptos esse scutorum septem et obulorum quinquaginta, non comprehensa pensione alterius mansionis, quae a dicto Sodalitio minime locabatur, cum ea uteretur pro Congregationibus. Retulit etiam, quod onus

(1) Scilicet Sodalitium resolvit – di permutare la casa della Compagnia in Chiesa parrocchiale col cedere la Chiesa parrocchiale alla Compagnia infino sotto i due Altari della Madonna e di S. Francesco col tirarci un tramezzo con muro divisorio, ed adattarla per casa della Compagnia per fare le Congregazioni, assumendosi il Rettore per se e per gli altri l' obbligo di mantenere a proprie spese il Cappellano e l'Altar Maggiore con suppellettili, togliendone quest'obbligo alla Compagnia, cui incombe –.

erat Confraternitati praedictae omnia subministrare supellectilia pro manutentione Altaris maioris in Paraecia et Capellanum retinere pro servitio Confratrum, et cum obligatione celebrandi Missam quolibet die festo, statuta eleemosyna obulorum viginti quinque pro qualibet. Attenta hinc cessione domus, Parochus Rosciani sibi obligationem assumebat pro subministratione omnium supellectilium, nec amplius Sodalitium in posterum huic oneri debebat esse obnoxium. Pro manutentione vero Capellani et pro satisfactione aliarum expensarum, etiamsi deficerent pensiones domus, poterat tamen a Sodalitio suppleri aliis reditibus. Pro reductione partis veteris Ecclesiae ad commodum dicti Sodalitii, iuxta peritiam Fabri murarii, necessaria erant scuta quindecim, et huic expensae Parochus ipse satisfacere promittebat, quin Sodalitium pro confectione dictae reductionis ullum sentiret incommodum. His adimpletis, Episcopus Parochi votis etiam vota sua adiunxit, cum necessaria esset novae Ecclesiae aedificatio. Repropositis igitur dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative, servatis de iure servandis. Ad tertium, Affirmative, imposito perpetuo onere Missarum quadraginta pro legatis impositis super censibus et domunculis, et aliarum viginti pro bonis Pedruzzi in singulos annos celebrandadarum. Ad quartum, Affirmative iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo quoad omnia: et ad mentem – *in Fanen. Reaedificationis die 18 Septembris 1819.*

251. Hinc ut consulatur fabricae Ecclesiae parochiali nedum imponitur census super omnibus bonis parochialibus nec non pensio annua in collatione Paraeciae iniungitur novo Parocho et congrua contributio Beneficiatis eiusdem Ecclesiae, sed etiam e vivis erepto Parocho ipsa Paraeciae collatio ad tempus suspenditur, atque demum ad promptiorem fabricae finem assequendum, expleto dictae suspensionis tempore, alia quoque media approbantur *in Ferentina Pensionis et Reparationis Ecclesiae die 11 Iunii 1825 et die 30 Martii 1833.*

252. Siquidem cum parochialis Aedes S. Mariae Gaudentium vetustate labefactatae ruinam minaretur, ad impensas pro ea sarcienda necessarias Nicolaus Buschius Ferentinorum Episcopus ex Sacrae Congregationis auctoritate facultatem fecit Parocho, Rescripto diei 18 maii 1803, – sumendi ad censum summam scutorum mille fideliter erogandam in expressam causam reparationis Ecclesiae parochialis, depositis tamen per Oratorem annuis scutatis quadraginta, et per singulos Beneficiarios annuis scutatis tribus ad formam Rescripti diei 9 iulii 1796 usque ad integram census exstinctionem –. Hinc ab ipso die summam scutorum sex centum subministravit Ludovicus Tanius Marchio, inito census contracto, quo annui scutorum sex fructus in singula centena pacti fuerunt; sed nec in tabulis de eo confectis mentio de deposito facta est, nec praestituta pecunia deinceps unquam deposita fuit. Quae enim et a Parocho et a Beneficiariis ad Rescripti legem persolvebantur, ea integre in fabricae sumptus, constabat, fuisse impensa. Cum vero in Apostolicis Literis de Paraecia Presbitero Zaccardio collata silentio fuerint praeteritae obligationes singulae, quibus Parochus adigebatur, summam annuam deponere et statos fructus Marchionibus Taniis persolvere cessatum fuit a solutione qualibet, proindeque forensi actione institerunt Tanii ad scuta centum quinquaginta duo repetenda, quae sibi eo nomine debita comprobarunt. Controversia, Episcopo auctore, composita fuit anno 1821 ea cum primis conditione, ut Taniis in crediti ac fructuum extinctionem tribuerentur annua scutata sexaginta, illa nimirum decennalis pensio, quae Parocho Zaccardio in ipsa Paraeciae collatione anno 1819 imposita fuerat in Aedis fabricam iudicio Episcopi addicenda. At Parochus anno 1825 supplex adiit Sacram Congregationem, et Parochialis census tenuitatem causatus postulavit cessationem decerni illius pensionis, cui sustinendae impares asserebat Parochiae reditus. Contendit itaque Zaccardius, se Paraeciam decennali gravatam pensione acceptasse, et Ecclesiam haud reparari potuisse, qui praedictam pensionem, quae per Literas Apostolicas fabricae Ecclesiae accenseri debuisset, heredibus Tanii exolvere fuit coactus. Addidit, quod si scuta sexaginta quotannis fabricae complendae impensa, quin soluta

Taniis fuissent, iam pene instaurata esset Ecclesia S. Mariae Gaudentium, quae tamen adhuc indigebat reparatione. Elapso vero decennio, pensionis onere solutum se dixit Parochus Zaccardi, cum in Literis Apostolicis de censu et eius fructibus nulla inciderit mentio, ac tantummodo de pensione in manibus Episcopi relaxanda, ad Ecclesiae fabricam absolvendam, dissereretur; et Parochus ubi quotannis, Episcopo auctore, sexaginta scuta Taniis persolvisse constaret per decennium, ad alia onera obstringi non posse videretur. Advertebatur tamen, omnimode Ecclesiae reparationem esse absolvendam ex Paraeciae et Beneficiorum reditibus, in casu praesertim, ubi Parochus decessor Pisani censui sex centum scutorum subiecerat bona omnia parochialia, super quibus, ipso referente Episcopo, ius erat Taniis acquisitum, quod neque laedi, neque minui ullo modo poterat. Quamobrem licet pro census extinctione nihil unquam a Parocho Pisani depositum fuerit, iuxta leges ipsi a Sacra Congregatione datas; attamen summam, quam deponi oportuisset, Ordinarii consensu in fabricae reparationem impensam fuisse admonebat Episcopus, ita ut de scutis 1800, quae ad Ecclesiam instaurandam necessaria delectus Peritus aestimaverat, solummodo pendenda superessent scuta 230, quae facile colligi valebant, si iuxta Episcopi sententiam aliquid persolvendum imponeretur Beneficiariis Parochiae et aliquid e Sacrarii reditibus desumeretur. Indulgeri enim superiorum temporum calamitatibus efflagitavit Episcopus, – ut quae secus atque lex praescriberet gesta neglectave reperiantur, ad animarum aeque et ad familiarum quietem sanentur –. Insuper Praebendae parochialis reditus, inito calculo per decennium, omnibus deductis expensis oneribus ac etiam pensione scutorum sexaginta, qua gravabantur, summam annuam attingebant scutorum 115 24,dum congruam scutorum centum honestae Parochorum sustentationi sufficientem censuit Tridentina Synodus in sess.24 cap.13 de reformatione.

253. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An tollenda, vel reducenda sit pensio in casu etc. II. An Parochus, elapso decennio, teneatur persolvere fructus usque ad census extinctionem in casu etc. III. An post decennium praeter fructus census aliqua Parochus gravandus sit pensione pro Ecclesiae fabrica et census extinctione in casu etc. IV. An et quomodo providendum sit pro fabrica complenda et extinguendo census in casu etc. –, Sacra Congregatio die 11 iunii 1825 respondit: – Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, Affirmative. Ad tertium, Affirmative prout in sequenti. Ad quartum, Affirmative, firma remanente pensione scutorum sexaginta a Parocho solvenda; in reliquis iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo –. In eam scilicet sententiam venerat Episcopus, ut Beneficiarii septem in illius Ecclesiae cultum adsciti annuam summam conferrent in fabricae sumptus, itemque ex Sacrarii reditibus in id causae impenderetur quidquid impletis oneribus superesset reliquum, ac demum usque ad absolutam aedificationem deposita praescripta intermitterentur. E vivis autem erepto Parocho Zaccardio, precibusque a Promotore Fiscali de ea re datis, placuit Sacrae Congregationi Rescripto diei 21 iunii 1826 decernere, ut, firmis remanentibus ceteris, quae in comitiis superioris anni fuerant constituta, vacans ad sexennium perstaret Parochia, et Praeposito Oeconomo, qui Parochi munere interea perfungeretur, ecclesiasticus Administrator, impletis Paraeciae oneribus, quidquid superesset, ad fabricam perficiendam insumeret. Potuit hoc pacto erogari summa scutorum sexaginta ex reditibus annorum quinque, quae ad properandam Aedis instaurationem impensa est. Feliciter quidem ea intrinsecus absoluta conspiciebatur: at retulit Promotor Fiscalis, ex Architecti iudicio impensam scutatorum circiter sex centum ad opus perficiendum adhuc desiderari, licet etiam de parochiali domo nulla in praesens deliberatio esset instituta. Cum vero neque Populo expedire longiorem Paraeciae vacationem, neque Fabricae prodesse eam paullatim curari, diuturna plurium annorum experientia edocuerit, preces iterum a Promotore Fiscali allatae sunt, quibus ad promptiorem operis finem assequendum plura Sacrae Congregationi sancienda proponebantur (1). Rogatus de sententia Episcopus rem

(1) Scilicet – 1. Che si crei un nuovo debito per la somma di scudi 500, alla quale vuolsi sperare, che riesca di restringersi la spesa accennata nella perizia o almeno supplirvi con ricorrere alla divozione de' Parrocchiani,

plane probandam censuit. Proposito hinc dubio: - An et quomodo sit annuendum precibus Promotoris Fiscalis pro fabrica Ecclesiae S. Mariae Gaudentium absolvenda in casu etc. -, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative in omnibus, iuxta votum Episcopi - *in Ferentina Pensionis et Reparationis Ecclesiae die 30 Martii 1833.*

254. Hinc tametsi Episcopus pluribus de causis adversaretur et commode pensio imponi posse super Paraeciae reditibus videretur, nihilominus Sacra Congregatio merito censuit, locum esse suspensioni provisionis Paraeciae ad triennium, deputato idoneo Oeconomo, ut ex superextantibus reditibus Ecclesia et aedes parochiales reficerentur *in Tudertina Suspensionis provisionis Paraeciae die 24 Novembris 1804.*

255. Iamvero vacata per obitum Rectoris Octavii Bacci Paraecia S. Faustini, praeter instantiam illius partis Parochianorum, qui habitabant in Castro Turris Laurenzettae, quique dismembrationem postularunt, et obtinuerunt, accesserunt etiam preces Incolarum Castri S. Faustini, qui deprecabantur, ut suspenderetur provisio Paraeciae, donec ex reditibus Ecclesia et aedes parochiales reficerentur, cum ex Peritorum relatione omnino necessaria esset summa scutorum tercentum. Repugnavit vero Episcopus, cum periculosum esset tum curae animarum, tum administrationi bonorum, si precarius Oeconomus, quem difficile esset idoneum reperire, praeficeretur. Unde duo alia media Episcopus proposuit; scilicet ut congrua pensione gravaretur Parochus, vel census imponeretur bonis ratatim extinguendis una cum annuis fructibus Paraeciae ex eiusdem reditibus. Id tamen deterrere poterat idoneos Viros, ne Paraeciam onere gravatam consequi vellent. Opportunius itaque putavit Episcopus, parvo sumptu scutorum 25 aptare alteram Ecclesiam S. Mariae de Succursu, et in eam transferre exercitium functionum parochialium. Ea enim loci opportunitate decore amplitudine idonea erat, ut in eam Populus ad sacra facienda conveniret. Hoc si fieret, tum minor restauratio necessaria fuisset pro Ecclesia parochiali, ita ut in utramque reparationem non plus impenderetur, quam scuta centum, si trabes ex nemoribus Paraeciae evellerentur. Advertebatur vero, quod ita fere deserta maneret Ecclesia parochialis, et licet verbo tenus transferri vellet exercitium functionum, revera tamen ipsa Paraecia transferretur, cum Ecclesia parochialis relinqueretur tantum pro tumulatione cadaverum. Quod si reparanda esset Parochialis, ut sacris functionibus inserviret, tum quidem superflua videbatur expensa pro aptanda altera Ecclesia S. Mariae de Succursu. Videndum hinc erat, utrum magis expediret pensionem Parocho imponere: nam reditus Paraeciae attingere poterant annua scuta bis centum, teste ipso Episcopo, vel ad

o qualche residuo di rendite arretrate. 2. Che il nuovo Parroco da eleggersi debba sostenere il peso del pagamento de' frutti dell' antico debito di scudi 600 verso l' eredità del Marchese Ludovico Tani, del quale peso debba rimanere esonerato, allorchè si estinguerà esso debito. 3. Che a pagare i frutti del nuovo debito, che si propone a fare per la somma di scudi 500 si destinino in conformità alla risoluzione della Sacra Congregazione degli 11 giugno 1825 le conrribuzioni tassate sopra li sette Benefizii nella tangente di scudi 3 per cento per ciascuno ascendenti in tutto a scudi 21 ed il sopravvanzo di scudi 10 sopra i fondi della Sagrestia, con avvertirsi bensì, che la contribuzione imposta su i Benefizii da devolversi, come si dirà in appresso alla Sagrestia, e quindi ridursi alla metà, cioè a scudi 10 50 sino alla vacanza del secondo, risultando ciò dalla transazione stipulata fra Parrochi e la Collegiata per gli atti del Notaro Michelangelo Pace sotto il 19 novembre del 1804. 4. Che siccome in forza della Bolla Apostolica *In supremo Apostolatus officio* spedita ai 4 luglio 1801 per l' erezione della Collegiata di S. Maria maggiore alla ricadenza generale de' Benefizii addetti alla Chiesa di S. Maria de' Gaudenti, due d' essi, cioè il primo e secondo, la rendita de' quali netta da pesi vien calcolata per annui scudi settanta in circa, dovranno incorporarsi alla sagrestia della medesima chiesa de' Gaudenti; in tal evento, che pel corso naturale dell' età umane si prevede non molto lontano, l' intero frutto d' essi Benefizii debba impiegarsi in contemplazione dei debiti creati per la fabrica, con fissarsi cioè che per la rata di scudi 30 da unirsi ai sopraddetti scudi 10 gravitanti sopra i fondi antichi della Sagrestia, si eroghino a pagare i frutti del secondo debito, e per l' altra rata di scudi 50 vengano depositati per l' effetto dell' estinzione d' ambedue i debiti ascendenti alla somma di scudi 1100.

Le quali cose così esposte, il surriferito Promotore Fiscale supplica l' EE. VV. RR. a degnarsi di autorizzare l' Ordinario locale a far creare pel dichiarato effetto, e sotto le sopra espresse condizioni, il nuovo debito di scudi 500, e d' imporre sulla prebenda parrocchiale da conferirsi la pensione di scudi 34 da cessare, allorquando avvenga e si realizzi l' estinzione del primo debito, con diminuirsi anche per metà, quando per metà il medesimo, secondo la natura de' censi, venga ad estinguersi -.

minus scuta 175. Si pensio demeretur scutorum quinquaginta, ac alia scuta viginti assignata Parocho Collis Petracei, pro dismembratione petita et obtenta, semper pro Rectore salva remanerent scuta centum. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus suspensioni provisionis Paraeciae, seu potius et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Esse locum suspensioni ad triennium, deputato idoneo Oeconomo; et Episcopus incumbat restaurationibus ex superextantibus reditibus – *in Tudertina Suspensionis Paraeciae die 24 Novembris 1804.*

256. Qua de re Sacra Congregatio ad perficiendam Ecclesiae Parochialis et Collegiatae fabricam nedum indulget suspensionem et prorogationem provisionis Archipresbiteratus et Canonicatus, cui inest onus coadiuvandi Archipresbiterum in cura animarum, sed et modum statuit, quo citius ac rectius fabrica Ecclesiae absque discordiis et pecuniae subreptione perficiatur *in Viterbien. die 7 Februarii 1784.*

257. Siquidem Parochialis et Collegiata Ecclesia S. Mariae Terrae Bledae ruinam minabatur, eiusque restauratio incepta fuit, collatis pluribus tum Cleri, tum Populi subsidiis. Cum vero anno 1765 vacasset Dignitas Archipresbiteratus dictae Collegiatae, quae curam etiam habebat animarum, suspensa ad decennium fuit illius provisio, vigore Rescripti Sacrae Congregationis diei 2 martii eiusdem anni, ut reditus in restaurationem et perfectionem operis erogari possent. Suspensa tamen provisio fuit ea lege, ut interim deputaretur Oeconomus, qui cum Canonico Archipresbiteri Coadiutore curam animarum exerceret. Expleto decennio, prorogata fuit gratia ad aliud quinquennium, quo completo, nova prorogatio indulta est ad alium annum cum dimidio. Vacavit interim Canonicatus, cui inerat onus coadiuvandi Archipresbiterum in administratione Sacramentorum, et huius quoque Canonicatus provisio suspensa fuit, ut reditus in fabricam erogarentur. Mense novembris 1782 exhibitae fuerunt preces Sacrae Congregationi, nomine Cleri et Populi Oppidi Bledae, quibus narratum est, imminere iam tempus, quo cessabat indultum suspensionis provisionis tum Archipresbiteratus, tum Canonicatus Curati, Ecclesiae vero fabricam ad finem haud esse perductam, et aliquo adhuc subsidio indigere, ut illa perficeretur, supplicarunt propterea, quod demandaretur provisio Archipresbiteratus, et per aliquod tempus suspenderetur collatio Canonicatus Curati, eiusque reditus fabricae applicarentur, cum reliqui Canonici et alii Sacerdotes parati essent per turnum coadiuvare Archipresbiterum in exercitio curae animarum. Episcopus retulit, pias Communitatis et Fidelium largitiones satis fuisse ad fabricae complementum, sed Oeconomum deputatum consumpsisse pecunias, et decoctum obiisse; adeoque adhuc requiri summam scutorum bis mille et ultra. Addidit, maiorem Cleri partem Canonicatus suspensioni assentiri, sed Communitatem provisionem Archipresbiteratus et Canonicatus exposcere: hinc ad dissidia tollenda existimavit, utramque Praebendam conferri debere. Ad consulendum vero expensis fabricae retulit, provisum iam esse pro summa scutorum 1100 ex piis largitionibus, et ex nonnullis fructibus nondum exactis. Pro residuo autem medium proposuit, quod scilicet imponeretur census scutorum quingentorum super Praebendis Archipresbiteratus et Canonicatus, et ad solutionem fructuum atque ad extinctionem sortis, pro tribus ex quinque partibus adigeretur novus Archipresbiter, pro aliis duabus partibus Canonicus noviter provisus.

158. Hinc Sacra Congregatio die 5 aprilis 1783 rescripsit: - Quoad suspensionem lectum; in reliquis pro facultate iuxta votum Episcopi, et idem invigilet pro fideli pecuniarum erogatione in causam solicitae perfectionis Ecclesiae –. Novae tamen subinde excitatae sunt querelae, novae item exhibitae sunt preces. Vicarius Capitularis censuit, suspendendam esse Canonicatus provisionem, non vero Archipresbiteratus, ne cura animarum detrimentum pateretur. Unde Sacra Congregatio die 6 septembris 1783 iniunxit Vicario Capitulari, – ut statim procederet ad indictionem concursus pro electione Archipresbiteri cum assumptione Coadiutoris, assignata eidem provisione usque ad electionem Canonici Curati; et in reliquis ad mentem –, quae fuit, ut Emus Card. de Comitibus rem totam perpenderet, et Sacrae Congregationi opportuna media pro-

poneret ad componenda in Oppido dissidia, et ad fabricam perficiendam. Itaque Emus Card. De Comitibus Viterbium se contulit, et omnia summa cum prudentia consilio et diligentia perfecit. Congressum hinc habuit, cui, praeter Vicarium Capitularem, interfuerunt etiam Deputati Cleri et Communitatis ad id specialiter electi, in eoque haec fuerunt resoluta: – I. ut unus tantum fabricae praesit, sitque ecclesiasticus. Huic aptior oneri ferendo visus est Canonicus Franciscus Sandoletti, cui omnes ad hanc rem necessariae opportunaeque facultates dandae erunt. II. ut unus aeque sit Exactor atque Depositarius, sitque laicus; utrique muneri praefici potest, ut fuit praeelectus, Nicolaus de Sanctis. III. ut Exactor iste atque Depositarius rationem quolibet anno reddere teneatur coram duobus Syndicis, quorum alter pro Clero sit Ecclesiasticus, alter vero pro Communitate sit Laicus; ille sit novus Archipresbiter, iste autem sit Angelus Gigliotti, et huiusmodi expletae redditionis rationis Episcopi accedat auctoritas -. Haec Emus Relator censuit adprobanda esse et confirmanda, e medio vero sublato Commissario, qui discordias pariebat fovebatque; ac dixit: – Animadvertebatur denique, necessarium omnino esse ad dimittendum Fabrorum Praefectum vulgo *Capo Mastro* conspicuae liquidandae summae creditorem, nec non pro expensis pecunia numerata perficiendis, ut aliquis crearetur census, qui extinguatur deposito quotannis faciendo ex assignatorum compendio. At vero hac super re iubendum esse videtur, ut fabricae Praefecti et Deputati, liquidato Fabrorum credito, recursum habeant opportunasque facultates expostulent –.

259. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Emi Relatoris, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo iuxta mentem – *in Viterbien. die 7 Februarii 1784.*

260. Hinc nedum gratia suspensionis concursus et collationis Paraeciae ad biennium, sed et indultum prorogationis ad octennium conceditur, ut, deputato Oeconomo deductisque oneribus, superextantes reditus ad fabricam domus parochialis perficiendam erogentur *in Camerinen. die 2 Iunii 1804.*

261. Enimvero fatiscentibus aedibus, quae adiunctae continentesque erant Abbatiali et Parochiali Ecclesiae S. Mariae di *Rio sacro* Castri Aquae Caninae, anno 1668 regente Ecclesiam Abbate Hieronymo Pisellio incepta est restauratio sumptibus Communitatis, quae cum impar esset expensis ab opere perficiendo destitit. Factum hinc est, ut Abbates, qui posteriori tempore Ecclesiam tenuerunt, parochialem domum habitare non potuerint, et in propriis quisque residens aedibus Episcopum visitantem eiusque comites hospitio excepit. Vacata Abbatia anno 1800 per obitum Iulii Faricelli, nonnulli ex oppidanis Aquae Caninae preces Summo Pontifici dederunt, ut ad perficiendam imperfectam fabricam, pro qua ex Peritorum relatione requirebatur impensa scutorum 155 90, suspenderetur concursus et collatio Parochialis, ut, deputato Oeconomo deductisque oneribus, superextantes reditus in restaurationem erogarentur. Repugnante licet maiori parte Parochianorum, sed annuente Archiepiscopo Camertino, indultum ex audientia Sanctissimi diei 13 augusti 1800 exoratum fuit per organum Sacrae Congregationis: – Sanctissimus benigne annuit pro gratia suspensionis concursus ad biennium, arbitrio et conscientiae Archiepiscopi, deputato etc., et ad effectum deponendi reditum et erogandi in causam expressam, docto, et notificetur Ministris Datariae –. Nondum expirato biennio, iterum preces nomine Populi Aquae Caninae porrectae fuerunt, ut impetratum indultum ad biennium prorogaretur. Archiepiscopus retulit, ad perficiendas restaurationes adhuc necessariam fore expensam scutorum 378 45: nam anno 1800 ideo statuta fuerat expensa in scutis 155 96, quia tum Periti egerunt de reparanda domo in statu, quo reperiebatur; in praesens vero ex crevere sumptus, quia agebatur de ampliando domo, ut in ea commode Abbas eiusque Capellanus habitaret, et hospitari posset Episcopus, dum visitationem faciebat. Ceterum ipse, facto calculo accepti et expensi in eo biennio, putavit, expendenda adhuc esse scuta 527 06, praeter iam factam expensam in superioribus annis 1800 1801 in scutis 130, et praeter mercedem Perito Architecto statuendam. Idcirco conclusit, nedum prorogandum esse indultum pro annis iam decur-

sis, sed saltem requiri etiam alios quatuor annos. Proposito hinc dubio: – An et ad quod tempus sit prorogandum indultum diei 13 augusti 1800 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad octennium a die expirati indulti, absque spe ulterioris prorogationis, et notificetur Ministris Datariae– *in Camerinen. Prorogationis Indulti die 2 Iunii 1804.*

262. Unde ad reaedificandam Ecclesiam parochialem applicantur reditus Paraeciae, reservata congrua pro Parocho nec non mercede pro duobus Coadiutoribus, Sodalitia et Beneficia in eadem erecta, non vero quae alibi erecta sunt, contribuere tenentur, inde annua pensione gravatur Parochus, mox pro celeriori fabricae complemento imponitur census, ac tandem etiam suspensio collationis Paraeciae, e vivis erepto Parocho, indulgetur *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 25 Maii 1805 die 22 Iulii 1826 die 22 Novembris 1828 die 22 Augusti 1831 die 19 Aprilis 1834 die 13 Augusti 1836 et die 23 Martii 1839.*

263. Siquidem quum Ecclesia parochialis S. Valentini in Civitate Ferentina ruinam minaretur, audita Episcopi sententia, constitit, omnino necessariam esse suspensionem translationem et restaurationem, quae fieri poterat per contributum ex reditibus Paraeciae in annuis scutis 70, ex taxa scutorum quatuor pro singulis Beneficiis, quorum septemdecim erant, scilicet novem in ipsa Ecclesia S. Valentini erecta, octo vero in Ecclesiis filialibus S. Agathae S. Andreae S. Pancratii: atque compelli posse ad contributum putabat Episcopus quatuor ex novem Capellanias de iurepatronatus laicali erectas in Ecclesiis sitis intra ambitum Paraeciae. Tandem pro hisce sumptibus annua scuta 20 obtulit per decennium Sodalitium Sanctissimi Rosarii in altare maiori dictae Ecclesiae erectum, et pro annuis scutis centum taxari poterat alterum Sodalitium S. Antonii Patavini, quod erat in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium, quippe habebat annuos reditus, detractis oneribus, in scutis 164. Hinc die 10 aprilis 1802 prodiit Rescriptum: – Scribatur Episcopo, qui constito de necessitate reaedificationis procedat ad formam sacrosancti Concilii Tridentini sess. 21 cap. 7 de reformatione –. Hisce facultatibus auctus Episcopus suspensionem Ecclesiae S. Valentini edixit, et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum una cum animarum cura transtulit ad filialem Ecclesiam S. Andreae, quae tamen angusta et incommoda erat pro sacris functionibus. Quamdiu vixit Parochus S. Valentini Andreas Bernola infecta omnino fuit restauratio Ecclesiae, sive eius socordia, sive eorum, qui ad contributum tenebantur. Quo inde defuncto, preces porrectae sunt, ut collatio Paraeciae suspenderetur et superextantes reditus, detractis oneribus et stipendio Oeconomi interim deputandi, per decennium in fabricam Ecclesiae erogarentur. Episcopus retulit, ex Periti relatione ad Ecclesiae constructionem necessaria esse scuta 3080; fabricam Ecclesiae habere reditus annuos in scutis 18, qui satis non erant ad ordinariam manutentionem, unde Parochus de proprio annua scuta 12 supplere consuevit; Paraeciam vero habere reditus certos ex fundis in annuis scutis 368 12 1/2, incertos ex stola in scutis 80, in totum scuta 448 12 1/2; et pecunias ex contributo a Beneficiatis Sodalitiis et Capellaniis quaerendas in annuis scutis 117 60. Hinc censuit, frequentissimae Paraeciae ultra 2200 animarum consultius providendum fore mediante destinatione novi Rectoris, praevio concursu ad formam Tridentini, et cum congrua in scutis 116, et huiusmodi per decennium, cum onere retinendi duos Coadiutores, quibus assignaretur merces in scutis 72. Hac enim ratione, subducto exitu in scutis 237, supererant annua scuta 358 72 1/2 eroganda in fabricam, quae per annos decem multiplicata producebant summam scutorum 3587 25, quae superabat pro scutis 507 25 impensam scutorum 3080; sed hunc excessum erogari posse monebat Episcopus in expensas inopinatas et fructus aeris alieni contrahendi. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo providendum sit fabricae Ecclesiae S. Valentini in casu etc. –, Sacra Congregatio die 25 maii 1805 responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, exceptis a contributo Sodalitio S. Antonii Patavini et Beneficiis et Capellaniis extra Ecclesiam erectis; et Episcopus curet, ut reliqui reditus Paraeciae et contribuentium integre omnino impendantur in reaedificationem Ec-

clesiae, exacta singulis annis redditione rationis –.

264. Manus quidem novo operi admota iam fuerat: sed in ea rerum perturbatione, quae post annum 1808 facta erat, dissipatis praesertim, vel ad alias cogitationes reductis operis eiusdem Curatoribus, non parum ea de materia periit, vel in profanum usum conversa dicebatur. Imo etiam reditus Paraeciae et fabricae in parandos equos Gallorum copiis aliosque similes in usus ferebantur impensi. Rebus subinde compositis, dissidia obortа sunt inter Parochum De Dominicis et Beneficiatos: sed ope transactionis peremptа fuerunt. Contributum autem exolvere renuentibus praedicto Parocho et quatuor Beneficiatis secundae erectionis, Promotor Fiscalis postulavit, ut Parochus ceterique Beneficiati ad novum contributum pro fabricae absolutione compellerentur. Episcopus censuit, Parochum, attenta provecta iam aetate ac infirma valetudine, adigendum esse ad annuam pensionem snppeditandam scutorum 60, eius vero Successorem ad annuam pensionem scutorum 120; inde subdidit: – Beneficia novem in Ecclesia S. Valentini erecta ad decennium dabunt annua scutata octo supra decem, hoc est decennio integro scutata octoginta supra centum. Sodalitas Deiparae sub titulo Rosarii sacra ex reditibus, quae superant, praebebit itidem ad decennium annua scuta viginti, ducenta nimirum integro decennio. Quae summa ex toto constaret scutorum bis mille tercentum octoginta, quae ad perfectam operis absolutionem necessaria videtur –. Verum Parochus De Dominicis animadvertit, reditus Ecclesiae et fabricae, dum ipse ab anno 1810 ad annum 1814 patria exulare coactus fuerat, quod vetito a Sede Apostolica iureiurando fidem suam obligare noluisset, non in Ecclesiae reaedificationem, sed in profanos usus fuisse collatos: Beneficiatos nunquam satisfecisse imposito tributo pro Ecclesiae reaedificatione, et Administratorem Augustinum de Sere damna fabricae Ecclesiae illata nondum refecisse; ipsum per decennium persolvisse, quod ex mandato Sacrae Congregationis eidem fuerat iniunctum, adeoque se amplius non teneri contendit ad suggerendos sumptus pro Ecclesiae reaedificatione, quoniam extinguitur omnis obligatio praestatione eius, quod debetur, L. 49, L. 52 de solutione, et L. 4 §. 3 de regulis iuris, cum praesertim podagrae doloribus vexatus et in aetate annorum septuaginta constitutus ea indigeret vitae exhibitione, quae communem excedit vitae alimoniam, ac reditus Paraeciae valde decrevissent, ita ut singulis annis vix summam conficerent scutorum 195 08. Proposito autem dubio: – An et quomodo sit providendum fabricae Ecclesiae in casu? –, Sacra Congregatio die 22 iulii 1826 responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi –. Sed Parocho graves adhuc de praestitutis conditionibus querelas ingeminante, in comitiis diei 22 novembris 1828 res iterum in examine deducta est; ac reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, responsum fuit: – In decisis die 25 maii 1805 et 22 iulii 1826 iuxta modum, nempe annua scutata 60 durante vita tantum Parochi De Dominicis reducenda esse ad annua scutata 40 incipiendo ab anno 1826; et teneri ad reaedificationem Capellarum iurispatronatus Capellanos, quatenus reditus sufficiant, sin minus Patronos –.

265. Providentissimum hoc Decretum Parocho haud arrisit, qui, Episcopum de minus vera relatione incusans, iterato in illud preces festinavit, quas tamen ex Pontificis maximi auctoritate die 22 augusti 1831 reiectas indoluit eo Rescripto: – Orator pareat resolutioni Sacrae Congregationis sub die 22 novembris 1828, sin minus Episcopus deputet ecclesiasticum Virum, qui bona et reditus Paraeciae, comprehensis etiam incertis stolae, administret, solutaque Oratori congrua scutorum 130 in singulos annos, ac supportatis ceteris oneribus, quidquid reliquum fuerit eroget cum dependentia ab Episcopo in reaedificationem Ecclesiae durante vita Oratoris, firma in reliquis remanente citata resolutione, et notificetur eidem Episcopo –. Parochus paullo post, ineunte scilicet anno 1832, supremum diem obiit: hinc Curatores operis ab Episcopo adlecti iterum institerunt, ut Paraeciae collatio ad quinquennium prorogaretur. Rogatus Episcopus de sententia; iussusque interim, ut fructus Paraeciae deponeret, – ad effectum vel eos tradendi novo Parocho, vel erogandi favore fabricae, prout Sacra Congregationi satius visum foret –, se

quidem ancipitem diu in deliberatione haesisse fassus est; tandem de animarum salute solicitus censuit, concursum indicendum ita tamen, ut declararetur, sustinendum a Parocho fore onus annuae pensionis scutorum 120, sancitum Decreto S. Congregationis die 22 iulii 1826. Cum vero experientia constaret, valde molestum difficilemque esse praefatam pensionem a Parocho exigere, modum proposuit, ut scilicet – ex omnibus Praebendae fundis tot neque pessimi omnes, neque optimi segregentur, quot, iudicio Peritorum ab Ordinario eligendorum, fructus 120 seu 100 scutatis aestimandos quotannis laturi ex agrariis regulis censeantur: hos autem fundos sibi privatim servet Curator fabricae, nullo in praesens relicto in eos iure Parocho –. Propositis tamen dubiis: – I. An et quomodo sit providendum fabricae Ecclesiae S. Valentini in casu? *Et quatenus affirmative pro impositione pensionis super Paraecia.* – II. An et quomodo ipsa exigenda a Parocho sit, an potius proportionati fundi secernendi, iuxta votum Episcopi in casu? –, Sacra Congregatio die 19 aprilis 1834 respondit: – Ad primum et secundum, dilata; et scribatur Episcopo, qui referat, an pro celeriori fabricae complemento expediat censum imponere scutorum 2000 super Paraeciae fundis, deposita quotannis congrua summa in extinctionem eiusdem –. Cum autem Sacrae Congregationi provisionem satis opportunam declaraverit Antistes, modumque indigitaverit censum contrahendum extinguendi, repropositis eisdem dubiis, Sacra Congregatio die 13 augusti 1836 respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi –. Obiit subinde novus Parochus: qua de re fabrica Deputati suspensionem collationis Paraeciae ad triennium postularunt. Episcopus retulit, sumptus eousque fabricae erogatos ab anno 1835 ad summam ascendere scutorum 1512 et obulorum 44: sed ad fabricam perficiendam necessaria esse scutata bis mille octingenta, quae ex suspensione collationis Paraeciae haberi poterat, addens: – Curae animarum nullum detrimentum futurum esse spero, sicut antea timebatur –. Proposito igitur dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus super suspensione Praebendae paraecialis pro Ecclesiae reaedificatione in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo; et notificetur Ministris Datariae Apostolicae – *in Ferentina Reaedificationis Ecclesiae die 23 Martii 1839.*

266. Quinimo quum Ecclesias rite ac pro sacrorum maiestate et substrui et sancte ac summo studio haberi et excoli oporteat, inter causas illas, ex quibus Beneficiorum unio sanciri consueverit, impensae recensentur in earum tuitionem necessariae, Pyrrhus Corrad. prax. Benef. lib. 2 cap. 8 n. 13, Garcias part. ult. de Benef. n. 79 *in Brictinorien. Unionis die 25 Maii 1833* §. *Cum.*

267. Hinc deficientibus mediis omnibus ordinariis, indulgetur ad tempus suspensio Beneficii simplicis ac inde annua perpetua pensio; quandoquidem quum Ecclesia parochialis S. Mariae ad Burgum in Pago Civitellae ita reditibus destituta extiterit, ut Praebenda parochialis, subductis oneribus, congruam pro Archipresbitero haud praebere videretur, atque ad eius restaurationem necessaria esset summa scutatorum ducentorum et septuaginta quatuor, quin Populares, licet mille et ducenti numerarentur, ob nimiam rei familiaris aegestatem aliquid conferre possent, unde Archipresbiter postulaverit unionem Beneficii simplicis S. Mariae in Castello, ex quo haberi poterant annua scuta nonaginta, propositis dubiis: – I. An et quomodo annuendum sit precibus Archipresbiteri Gregorii Paransani in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit occurrendum impensis pro Ecclesia Archipresbiterali restauranda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro suspensione Beneficii ad quadriennium, quando vacare ipsum contigerit, ut, supportatis oneribus, erogetur quod superest in dimissionem census imponendi super bonis Paraeciae in summa scutorum ter centum pro fabrica, et aliis in eiusdem cultum necessariis impensis, ita tamen, ut fructus persolvantur ex reditibus Archipresbiteratus, ac si quid praeterea desit summae necessariae, suppleat Parochus, docto; itemque supplicandum Sanctissimo pro impositione annuae perpetuae pensionis scutorum viginti super Beneficio favore Ecclesiae

parochialis in ipsius tuitionem – *in Brictinorien. Unionis die 22 Iunii 1833.*

268. Antequam vero Sacra Congregatio ad restaurandam Ecclesiam parochialem indulgeat suspensionem Beneficiorum Capellaniarum Missarum et legatorum, plura merito mandat ac rescire examussim satagit *in Firmana Restaurationis Ecclesiae die 23 Augusti 1834.*

269. Enimvero Ecclesia parochialis sub titulo S. Luciae Urbis Firmanae, cum humida irregularis et insalubris ita existeret, ut, tempore praesertim hyemali, convenire in ipsam grave admodum esset Populo numeroso quatuor millium animarum, de ea instauranda cogitatum est: sed cum necessaria esset impensa scutorum 2313 84, nec ullo ipsa reditu in fabricae tuitionem potiretur, nemini iuripatronatus subesset, et curionalis census liber, deductis oneribus, scutata quatuor et quinquaginta haud conferret, Philippus Vitalius anno 1817, consentientibus Beneficiariis et omnibus interesse habentibus, postulavit, ut proventus universi nonnullorum Beneficiorum ac Capellaniarum et Missarum legatorum, ibidem existentium, ad Ecclesiae aedificationem addicerentur, intercepta ad quindennium satis iisdem faciendi obligatione, ut inde congruens expensis suppeteret pecuniae vis. Hinc ab eo tempore, quum omnium sermone falso percrebuisset, hisce votis Summum Pontificem annuisse, nullum ex oneribus impletum est, annuique reditus apud Caietanum Cardonam operis curatorem depositi fuerunt, e quibus scutata plus minus octingenta praesto essent, nisi vel in alias causas ea impendisset, vel alieno aere obrutus iis reddendis impar plane fuisset. Tanta calamitate perculsus Franciscus Paglialunga, qui eam tunc Paraeciam moderabatur, supplex adfuit, ut et de omissa eousque onerum legatorumque exequutione absolutio et necessaria eorumdem suspensio ad decennium decerneretur, de quo Beneficiarii aliique, ad quos pertinebat, pristinum consensum ratum habebant, nonnullis dumtaxat in contrarium sententiam obeuntibus. Propositis tamen dubiis: – I. An et quomodo consulendum sit instaurationi Ecclesiae parochialis S. Luciae in casu etc. II. An et quomodo concedenda sit absolutio pro praeteritis omissionibus in casu etc. III. An et quomodo agendum sit contra Cardonam pro depositae summae repetitione in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et Emus Archiepiscopus omnibus iuris et facti remediis cogat Philippum Cardona ad restitutionem pecuniae apud eum depositae, et in casu illius insufficientiae agat contra fideiussorem, eoque deficiente, contra auctores huiusce deputationis; et referat, num et quomodo per peritiam ab Architecto confectam arceantur cuncta Ecclesiae incommoda, insuper quot sint Beneficia Capellaniae pia Legata, quae eorum onera et quanti valeant eorum reditus, et quantum colligi possit ex collectis Parochianorum, ut ex iis omnibus habeatur pecunia necessaria ad restaurationem Ecclesiae – *in Firmana Restaurationis Ecclesiae die 23 Augusti 1834.*

270. Hinc licet Parochus se ad inopiam reduxerit pro impensis in fabricam Ecclesiae parochialis erogatis ac in easdem etiam fundum dotalem ad eius Sororem spectantem insumpserit, non propterea Sacra Congregatio, ad levandam ipsius inopiam et ad suppeditanda eidem media pro solvendis debitis eiusdemque conscientiam sanandam, approbare censuit contractum, quem is cum dicta Ecclesia parochiali ineundum proponebat, ex eo quod non leve damnum eidem Ecclesiae inferebat *in Casalen. die 22 Martii 1823.*

271. Siquidem Ioannes Baptista Zellio Rector Paraeciae S. Caroli Ronzoni Suburbii Civitatis et Diaecesis Casalensis, ut novam Ecclesiam parochialem construeret, quia angustum existens Oratorium incapax erat Incolas eidem Paraeciae subiectas continere, domumque ei adnexam aedificaret, quae omnino deerat, magnam impendit pecuniae summam, quam ut sibi pararet, non solum duo capita censualia, quae partem dotationis eiusdem Paraeciae efficiebant, alienavit, sed etiam dotalem fundum ad Sororem spectantem, nec non alium, quem ab Amita sub fideicommissi onere acceperat, consumpsit. Postulavit obtinuitque a Summo Pontifice per Rescriptum diei 22 novembris 1818 ad relationem Secretarii S. Congregationis R. Fabricae sanationem alienationis et approbationem applicationis praedictorum censuum in summa libellarum 4891. At nihilominus cum adhuc plurimo gravaretur aere alieno, supplex iterum

rogavit Summum Pontificem, ut ex fundis ad Paraeciam spectantibus sibi in perpetuum cederentur aliqua eius designata bona, cum onere solvendi in perpetuum dominis Parochis pro tempore annuum canonem libellarum bis centum, praeter cessionem terreni proprii fabricae Ecclesiae contigui. Episcopus retulit, summam pro fabrica erogatam ascendere ad quatuor mille scuta Romana circiter, et necessariam adhuc esse pro complemento summam bis mille quingentorum scutorum; contractum propositum unice redundare in utilitatem Oratoris, eo quod bona Paraeciae producerent reditum annuum maiorem annuo canone et fructu terreni ab eodem oblati. Ast quum Orator ad inopiam se reduxerit pro impensis, ut supra factis, et insuper in easdem insumpserit libellas septem mille circiter, super quibus eius Soror ac Nepos ius habebant, censuit, aequum ac iustum esse eiusdem votis indulgere. Post haec iterum exquisitus pro nova informatione, idem Episcopus affirmavit: – Mihi constitit; I. bona dictae Paraeciae favore Parochi cedenda esse quantitatis modiorum viginti ac mediocris qualitatis; 2. eorumdem valorem capitalem computari posse in scutis Romanis bis mille circiter, ac reditum annuum nitidum scutorum octoginta seu libellarum quadringentarum; 3. necessitatem adesse ineundi contractum, de quo agitur, tum ad levandam inopiam domini Oratoris, tum ad ei suppeditanda media pro solvendis debitis imprudenter contractis in reconstructione domus et Ecclesiae parochialis eiusque conscientia sananda; 4. nullum aliud medium in praesens adesse, quo suppleri possit sumptibus necessariis pro fabrica Ecclesiae ac dimissione aeris alieni a Parocho, ut supra, impensi. Quibus praemissis, quamquam supraenunciatus contractus non leve damnum Paraeciae sit allaturus, attamen cum Orator gravibus in angustiis existat, idcirco in votis essem, ut a Sacra Congregatione Concilii eius precibus annueretur –.

272. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An et quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Casalen. die 22 Martii 1823.*

273. Quum vero Ecclesia parochialis dote pro Ecclesiae asservatione et sacrorum supellectilium comparatione destitueretur, atque Parochus aliique Beneficiati in id parum aut nihil impendere possent, nec non Parochiani inopia premerentur, Sacra Congregatio permisit, ut pro impensis actu necessariis applicarentur fructus piae hereditatis in officia generalia Missarum iuxta Testatoris mentem impendendi, pro ea tantum vice subministrata a Parocho ceterisque Beneficiatis designata pecuniae summa, et quoad futurum mandavit, ut Episcopus curaret expensarum reformationem et proponeret alia media *in Fanen. Restaurationis Ecclesiae ac Commutationis voluntatis die 11 Iulii 1840.*

274. Enimvero inter bona, quae post constitutam, Gallica vi deiecta, Ecclesiae pacem addicta fuerunt a Pontificio Gubernio Ducali Familiae Leuctenbergensi, illa etiam extiterunt, quae pertinebant ad insignem Collegiatam Ecclesiam Terrae S. Constantii, quae satis locupleti censu olim ditabatur. Eorumdem vero loco tantum Archipresbitero, cui animarum cura incumbebat, annua pensio titulo congruae scutorum 171, quam publici Thesauri Praefectus in decimis assignavit, ex frumento ac vino constantibus, nec non in exactione monetae, quae vulgo dicebatur *Carlini* pro summa scutorum 6 21. Proventus incerti ex stola utraque obvenientes non Archipresbitero, sed duobus curionalibus Capellanis, uti ante Collegiatae suppressionem, reservati fuere, quibus adiutoribus munere suo defungebatur Parochus necessario in loco, ubi sub uno Parocho Incolae degebant ultra 2700; ac praeterea nihil pro Ecclesiae asservatione designatum est. Unde, labentibus annis, aedificium latae structurae fatiscere, et Sacrarium rebus omnibus ad divinum cultum rite explendum necessariis, indigere cepit quam maxime. Idcirco Parochus, in irritum cessis Decretis in sacra Visitatione latis, adiit Summum Pontificem, ut huic necessitati occurreret. Episcopus retulit, Parochum scutatis nummis 171 perfrui, quae tamen nunquam exigebantur integra, ob Paraecianorum inopiam; binos Coadiutores ex incertis annuis scutata cumulative percipere septuaginta; Canonicum unum etiam adesse de cessato Collegio, qui sua pensione fruebatur ad eius su-

stentationem vix idonea; huic accessisse ex nuperis fundationibus tres alios, quorum primus scuta 58 e sua Praebenda retrahebat, ceteri, satisfactis Missarum etiam oneribus, argenteos nummos viginti quinque sibi pro aequa parte diribebant; demum extare etiam tres Mansionarias, quarum una reddebat quotannis scuta 31 36, satisfactis omnibus, Sacrorum non exceptis, oneribus, ceterae scutata 26 inter duos dividenda. Novas interim Archipresbiter admovit preces enixe postulans, utpote administrator cuiusdam piae hereditatis Bolognesi, ut superextantes quoque reditus huiusce hereditatis in praesens scutorum 10 in annum, post legatarii vero mortem ad 25 circiter perventuros, quique ex Testatoris mente essent impendendi in tot officia generalia in eadem Ecclesia in suffragium Animae propriae ipsius uxoris ac parentum, pro fabrica cultuque Ecclesiae adsignare dignaretur Summus Pontifex, seu potius unire mediis iis, quibus tam gravi huic negotio esset consulturus, imposito onere unius tantum Missarum Officii in die anniversario Testatoris celebrandi. Exposuit deinde, penes se manere scuta 40 eiusdem piae hereditatis, quae ipse nonnullis ab illinc annis retinuerat ad vires sibi comparandas pro lite quadam retundenda, quae contra hereditatis iura fuerat contestata, quaeque postea quievit; propterea hanc quoque summam pro Ecclesiae suae necessitate erogare adprecatus est.

275. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit providendum pro reparatióne et asservatione fabricae et sacrorum supellectilium et pro Ecclesiae dotatione in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative pro impensis actu necessariis, erogatis quadraginta scutatis ex deposito hereditatis Bolognesi, nec non aliis scutis decem in praesens superextantibus, atque pro hac vice tantum subministratis a Parocho et a ceteris Beneficiatis pro rata scutatis 30, celebratis decem Missis lectis et una cum cantu cum adsistentia Cleri, facto verbo cum Sanctissimo; quoad futurum Episcopus curet expensarum reformationem, et proponat alia media – *in Fanen. Instaurationis Ecclesiae ac Commutationis voluntatis die 11 Iulii 1840.*

276. Unde quando media ordinaria deficiunt, Sacra Congregatio ad absolvendam fabricam Ecclesiae parochialis permisit, ut applicarentur fructus inexacti piarum hereditatem, quibus Canonicatus et Capellaniae erigi deberent, ex eo praesertim quod fere impossibilis esset erectio Canonicatuum et pro Capellaniis erigendis reditus abundaret *in Lucana die 21 Iunii 1766.*

277. Siquidem Curatores Fabricae Ecclesiae parochialis S. Petri Castrinovi Diaecesis Lucanae exorarunt, ut favore fabricae concederentur scuta centum, quae exigi deberent ex fructibus hereditatis Ioannis Baptistae Iusti per testamentum multiplicandae hereditati destinatis, ut erigerentur quatuor Canonicatus, cum obligatione in singulos Canonicos Sacrorum quatuor qualibet hebdomada, aliisque oneribus. Similem concessionem in eamdem causam postularunt scuta 203 ex fructictibus hereditatis Horatii Bertacchii, qui totam substantiam pro erigendis octo Capellaniis quotidianis ac in alios pios usus legavit. Consentiebat Sodalitium Sanctissimi Sacramenti, quod legatum Iusti administrabat, ac Sodalitium S. Nicolai Tolentinatis, quod Bertacchii heres erat. Nam de primo legato praefati Curatores dixerunt, haud fere possibilem esse Canonicatuum erectionem, quae alias inutilis quoque esset. Necessitatem autem cepti iam operis perficiendi ostendebat, quod, nisi ea subsidia suppeditarentur, compleri nequiret. Ac propterea alia scuta 203 ex dicta hereditate Bertacchii facilius concedenda, nam impletis oneribus testamentariis, abundabant. Vicarius Capitularis, ac inde novus Archiepscopus eisdem annuere posse censuerunt, cum huiusmodi applicatio necessaria censeretur. Alias enim deficientibus mediis ordinariis, nunquam dicta fabrica absolveretur. Propositis hinc dubiis: – I. An sit locus applicationi scutorum centum ex fructibus inexactis hereditatis Antonii Iusti favore fabricae Ecclesiae parochialis in casu etc. II. An pariter favore eiusdem sit locus applicationi scutorum 203 ex fructibus inexactis hereditatis Horatii Bertacchi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative – *in Lucana die 21 Iunii 1766.*

278. Idcirco quum impares essent Parochianorum vires ad restaurandam ab imo ad summum seu ad novam Ecclesiam parochialem re-

aedificandam, Sacra Congregatio indulsit, ut eisdem liceret uti in partem sumptuum hereditate Mulieris in pios usus relicta, reductis etiam Missarum oneribus *in Albinganen. Aedificationis Ecclesiae parochialis die 3 Februarii 1787.*

279. Iamvero ad restaurandam Ecclesiam parochialem Borgii ab imo ad summum cum grandior requireretur impensa scutorum 5000, quam aedificatio novae in situ praeterea commodiori scuta 4000 non excedens, atque impares essent Parochianorum vires, iidem a Summo Pontifice postularunt, ut sibi liceret uti in partem sumptuum hereditate quondam Mariae Fenocchio in pios usus relicta; quae enim heredem scripserat animam suam, iubens assem totum, quem ad libras circiter 14900 efferri compertum fuit, in Locis Montium S. Georgii aut Camerae Ianuensis collocari; ex reditibus bis mille librarum Ianuensium occurri Aegrotantibus egenis Pagi; Aegroti si deessent, tantundem panis distribui in Pauperes in annos singulos Kalendis maii; ratam aliarum librarum 1600 implicari in construenda Capella in hac ipsa fatiscente Ecclesia, inscripto nomine et cognomine suo, et de his, quae ex praedictis libris 1600 superessent, emi lampadem argenteam pro usu dictae Capellae; de reliquis assis fructibus solidos triginta dari singulis annis a Parocho pro uno Sacrificio in expiationem animae suae Kalendis maii celebrando, et superextantes erogari in totidem Missis lectis, cum eleemosyna solidorum quatuordecim. Tribus Exequutoribus testamentariis per biennium, quo duraturum erat eorum munus, reliquit annuas libras duodecim pro unoquoque; mox Parocho et Priori Consulum, in quos transitura erat suae voluntatis executio, annuas itidem libras sex pariter pro unoquoque. Ut Populus Borgii faciliorem gratiae viam sterneret, publicis coactis comitiis, renunciavit distributioni fructuum librarum 2000 erga infirmos egenos et panis in pauperes, cum eo in Pago nullus esset dives, nullus esset miser. Promisit aedificare Capellam ad mentem Testatricis, ac satisfacturum alicui numero Missarum, quarum reductionem efflagitabat. Episcopus aequam censuit instantiam; nam - Populi vires longe superat praesens summa ad alterutrum necessaria -. Proposito hinc dubio: - An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, reservato onere Anniversarii Kalendis maii a Parocho implendi cum eleemosyna solidorum triginta, et celebratis quotannis nonnullis Missis lectis arbitrio Episcopi et cum eleemosyna ab Episcopo taxanda, et ipse incumbat aedificationi Ecclesiae cum appositione lapidis, et administrationi hereditatis - *in Albinganen. Aedificationis Ecclesiae parochialis die 3 Februarii 1787.*

280. Hinc ad dimittendum aes alienum in fabricam domus parochialis erogatum, cum impares omnino essent reditus parochiales, Sacra Congregatio declaravit, locum esse commutationi voluntatis Testatorum, qui totam hereditatem in tot Missarum celebrationem distribuendam mandaverant, imposito tamen Parocho eiusque Successoribus certus annuus Missarum numerus in perpetuum *in Macraten. die 24 Martii 1787.*

281. Siquidem ut pene collabentem restitueret parochialem domum Ecclesiae S. Georgei Maceratae, alienum aes scutorum 538 contraxit Archipresbiter Dominicus Balè, Sacra auctorante Episcoporum et Regularinm Congregatione, quae assuetam dedit depositi legem pro illius extinctione. Dum haec exequenda erat lex, improles eadem in Civitate decesserunt Coniuges Carlini, qui sese invicem heredes hoc pacto instituerant, ut bonorum tandem omnium pretium in tot Sacrorum eleemosynam erogari deberet, ipsumque Ecclesiae S. Georgei Archipresbiterum pro tempore piae eorum voluntatis exequutorem dederant. Inventario confecto bonisque divenditis, ad scuta quadringenta et obulos sexaginta hereditatem ascendere compertum fuit. Opportunam hanc occasionem nactus, Sacram Congregationem exoravit Archipresbiter Balè, ut, commutata Testatorum voluntate, facultatem sibi concedere dignaretur erogandi scuta illa 400 60 in extinctionem supradicti aeris alieni, sub sua suorumque Successorum obligatione celebrandi pro Testatoribus ipsis perpetuum hebdomadale Sacrum. Instantiae favit Episcopus, cum adeo tenues essent parochialis Ecclesiae reditus, ut impares omnino forent alieno aeri dissolvendo; quandoquidem testatus est Episcopus, praefatos reditus vix, omnibus detractis one-

ribus, ad annua scuta triginta ascendere. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit annuendum commutationi voluntatis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, cum onere celebrandi annuas Missas quadraginta in perpetuum – *in Maceraten. die 24 Martii 1787.*

282. Nam extraordinario etiam modo consuevit saepe Sacra Congregatio Ecclesiae paraeciali instaurationi occurrere per onerum imminutionem et Missarum suspensionem, uti probant exempla in Veliterna suspensionis Missarum 18 septembris 1790, in Placentina suspensionis onerum 22 novembris 1794, in Tiburtina suspensionis Capellaniae 13 ianuarii 1816 *in Camerinen. Absolutionis et Reductionis die 18 Februarii 1832* §. *Sed.*

Item *in Fanen. Restaurationis Ecclesiae ac Commutationis voluntatis die 6 Iunii 1840* §. *Extraordinario.*

283. Quin imo Sacra Congregatio saepe aequam censuit pro fabrica Ecclesiae parochialis nedum dimidiam Missarum reductionem, sed integram etiam illarum suspensionem modo ad sexennium, modo ad decennium, ut in Interamnen. 29 novembris 1777, in Nucerina Paganorum 5 septembris 1778, in Maceraten. 24 martii 1787 *in Ripana die 16 Iunii 1787* §. *Hoc.*

284. Quapropter deficientibus Ecclesiae reditibus aliisque mediis ordinariis, indulgetur suspensio celebrationis Missarum ad effectum ampliandi Ecclesiam parochialem, cum nimis angusta ea sit ac necessaria eiusdem ampliatio *in Lauden. Aedificationis Ecclesiae parochialis die 18 Novembris 1837.*

285. Enimvero Aloisius Gallotta Parochus in Oppido S. Columbani Diaecesis Laudensis exposuit, iam ab anno 1833 paraecialem Aedem sibi concreditam admodum exiguam extare, prae Ruricolarum numero ad millena fere et amplius assurgentium; atque hinc aerem ibidem effici graveolentem morbosque approperare saepe saepius rem divinam facientibus atque eidem adstantibus. Quare petiit, ut eidem Ecclesiae ampliandae facultas fieret erogandi iacentem summam scutorum 2743, quae pervenerat ex eleemosynis Sacrorum 16000 nunquam celebratorum ex Sacerdotum defectu: obtinuit autem ex audientia Sanctissimi die 7 decembris eius anni Rescriptum: – Celebratis 50 Missis et una cum cantu collective applicanda in suffragium Benefactorum, pro quibus Missae erant celebrandae et celebratae minime fuerunt ad totum annum 1834, pro gratia absolutionis et condonationis reliquarum ad effectum erogandi eleemosynas in expositam fabricae causam, arbitrio et conscientiae Vicarii Capitularis –. At ex Peritorum calculo constitit, ad complementum fabricae scutatos nummos requiri circiter decem mille; exinde quamvis librae 14 mille Mediolanenses impensae fuerint, vix comparari aedes potuerunt propinquae arbores atque alia nonnulla, quae ad constructionem pertinebant. Necessarium huiusmodi opus evasit, cum morbus ex Asiae regionibus profectus caedes ingeminaret in pauperrima illa regione; adeoque petiit temporaneam saltem suspensionem ad decennium Missarum annuarum 1230 provenientium ex triginta quatuor Legatis, unde haberi poterant scutata Romana 2230. Exposita confirmavit undequaque Vicarius Capitularis; atque iis, quae alias edocuerat de ceterorum mediorum defectu et inopia Ecclesiae parochialis, quae fere omni dotatione carebat, haec superaddidit: – Legatorum praefatorum reductio seu suspensio, quam Orator sperat, nullum praeiudicium infert Ecclesiae parochiali, de qua agitur, cum aliis quoque legatis Missarum ad commoditatem Populi, tam pro diebus festis, quam ferialibus sit provisum –. Proposito igitur dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Parochi Gallotta in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative ad decennium, celebratis quotannis Missis 34 in suffragium Fundatorum collective applicandis, docto coram Ordinario de recta erogatione et implemento, facto verbo cum Sanctissimo – *in Lauden. Aedificationis Ecclesiae parochialis die 18 Novembris 1837.*

286. Hinc Sacra Congregatio nedum suspensionem Missarum ad fabricam Ecclesiae Collegiatae et Parochialis perficiendam, sed etiam, urgente adhuc necessitate, indultum prorogationis concessit *in Auximana die 11 Ianuarii 1766.*

287. Siquidem anno 1751 Capitulum Col-

legiatae Parochialis Ecclesiae Montis Fani ad reaedificandam Ecclesiam impetravit, ut suspenderetur ad decennium insignis quantitas Sacrorum 1600 quolibet anno: itidem anno 1753, ut pretium ex redactu quarumdam sterilium arborum in eam causam erogaretur. Anno 1763 Sacra Congregatio novam prorogationem concessionis, favente Episcopo, postulatam die 27 augusti denegavit, rescripsitque: – Lectum, et Episcopus cogat quos de iure ad reddendam rationem –. Retulit propterea Episcopus, rationem accepisse ab Administratoribus fabricae, qui pecunias omnes ex eleemosyna Sacrorum ex auctoribus et ex censu impositio obventas impendisse probarunt. Cum vero multum deesset operi, preces restauratae sunt: die tamen 15 septembris 1764 Sacra Congregatio iterum scribendum Episcopo existimavit, ut referret, quae de necessitate essent fabricae, non autem ornatus, quae bona, qui reditus Ecclesiae mensae Capitularis Canonicorum speciatim et aliorum, qui in Ecclesia Beneficium obtinerent, quid ex Populo haberi posset, aliaque, quae ad Causam essent. Respondit Episcopus, ad solam erigendam ac statuendam fabricam cum tectis scuta 3440 deficere, praeter ornatus: reditus enumeravit, nihil ex Communitate et Populo sperandum. Desperatum proinde opus, nisi nova haec concessio accederet: imo in eum finem suspensionem esse novam Praepositi electionem existimavit. Capitulum exinde ipsi Summo Pontifici preces dedit, tum pro suspensione vacantis Praepositurae ad decennium, tum pro imponenda contributione aliqua super Beneficiis et pensionibus Ecclesiae, tum ut per sex menses cuiuscumque noviter provisi fructus retinerentur, quae ad Sacram Congregationem remissa fuerunt: sed in praesens instabat Capitulum, ut novam Sacrorum suspensionem obtineret. Proposito autem dubio: – An sit locus prorogationi indulti suspensionis Missarum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 iunii 1765 responsum dedit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem –, scilicet – ut melius et distinctius referret super pecuniis usque adhuc erogatis in fabricam, et illarum distincta provenientia, et alia insuper proponeret media, quibus sumptus ad dictum usum perficiendae integrae fabricae comparari poterunt. Interim cogeret ad subministrandos necessarios sumptus eos, qui ad formam Sacri Concilii Tridentini de iure tenentur –. Episcopus distinctius retulit super pecuniis eousque erogatis in fabricam et illarum provenientia. Rursus dixit, Canonicorum reditus insufficientes ad se honeste et congrue alendos: item testatus est de Parochianorum paupertate et communi miseria. Hinc ad evitandas lites et odia hortationibus potius agendum censuit, nec sine fructu: nam Magistratus et Consiliarii collectam per aes et libram imposuere: Populus opera manualia et vecturas promisit, quod praecunti Capituli Praeposito, alacriter praestabat: Canonici et Rectores Beneficiorum pro qualitate loci personarum et temporis aliquod contribuere iussi sunt: Sodalitium S. Benvenuti superfluos reditus cessit, quae omnia conficiebant summam scutorum 2279 91, cui si adiungeretur eleemosyna experitae suspensionis Missarum ad aliud decennium, haberi poterat nedum tota summa scutorum 3440 9, iuxta Periti iuratam expositionem ad fabricam Ecclesiae perficiendam necessaria, sed ex scutis 439 03, quae superessent, consultum foret ornamentis illis, quae omnino requirebantur, ut Ecclesia ipsa benedictionem Episcopalem mereretur. His itaque perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad sexennium absque spe ulterioris prorogationis, et iniunctis Anniversariis, facto verbo cum Sanctissimo; et ad Emum Praefectum ad mentem – *in Auximana die 11 Ianuarii 1766.*

288. Quin imo etiamsi non de necessaria Ecclesiae parochialis restauratione, sed de eadem in magis decentem ornatioremque formam redigenda agi videretur, Sacra Congregatio indulsit, ut in id ad biennium applicarentur reditus a piis Institutoribus ad effectum celebrandi Missas ac recitandi in choro divinum officium specialiter relicti *in Agrigentina Restaurationis Ecclesiae die 17 Decembris 1842.*

289. Iamvero vix paraecialis Ecclesiae in Pago *Sambuca* procurationem assequutus fuit sub anno 1824 Canonicus Vitus Pianeta, incubuit sedulus dominicae paraeciali domui instaurandae, quae graves undique labes passa fuerat, aere hinc proprio primum, subinde et collectitio fatiscens tectum roboravit, lumina

aperuit aliqua, ut Ecclesiae ambitus magis elucesceret, plura perpolivit Altaria, impensis ad hoc operis nummis fere biscentis. Sed anxius Archipresbiter Ecclesiam suam eo, quo par erat decore augendi, Sacrae Congregationi proposuit applicationem redituum, quos plures pii Institutores erogari mandavit in celebrationem Missarum et recitationem divini Officii in choro, nec non suspensionem ad biennium recitationis praedicti officii divini. Episcopus retulit, inter praedictos pios Fundatores Cacioppo dumtaxat expresse mandasse, ut in recitatione divini officii ecclesiastici propinqui ipsius praeferrentur, ac in praesens haberi Sacerdotem Iosephum Cacioppo, qui huiusmodi proventuum seu distributionum titulo sacros Ordines susceperat. Difficultas tamen in eo tota forsan erat, quod in themate res praecipue esse non videretur de instauratione necessaria Ecclesiae parochialis, sed de eadem in magis decentem ornatioremque formam redigenda. Proposito tamen dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus ad biennium, celebratis tribus Missis, et firmo remanente patrimonio favore Iosephi Cacioppo, facto verbo cum Sanctissimo – *in Agrigentina Restaurationis Ecclesiae die 17 Decembris 1842.*

290. Hinc deficientibus mediis ordinariis, Sacra Congregatio suspendit Missarum et functionum legata, concedit condonationem quoad fructus patrimoniorum pro suscipiendis sacris Ordinibus relictorum et subsidiorum dotalium in usum fabricae parochialis Ecclesiae erogatos, eorumdemque suspensionem et applicationem fructuum Beneficiorum pro tempore vacationis indulget, nec non potestatem tribuit hypothecandi bona eiusdem parochialis Ecclesiae, ac insuper perdurantibus eisdem legitimis causis, horum omnium prorogationem concedere haud renuit, quin tamen, iustis exulantibus causis, permittat contrahere novum aes alienum ac recipere pecunias pro celebratione Missarum relictas cum dimissione oneris inposterum favore gravatorum, nec non indulgere velit condonationem capitalium Ecclesiae in usum fabricae erogatarum *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 9 Martii 1835 die 9 Iulii 1842 et die 31 Iulii 1852.*

291. Siquidem cum parochialis Ecclesia Terrae Mustae in Melevitana Diaecesi pro multo Oppidanorum incremento nimis angusta evasisset, atque etiam ingentissimis instaurationibus indigeret, Felix Calleia eiusdem Paraeciae Rector supremo elogio mandavit, ut omnia bona sua pro aedificatione novae Ecclesiae in rotundam speciem conformandae insumerentur. Itaque eodem vita functo, anno 1833 Ioannes Maria Schembri eiusdem Successor aliique in hoc opus ab illo deputati, legitimis facultatibus rite impetratis, non sine magnificentia operi manum imposuerunt. Sed e vestibulo cum compertum fuerit, Calleiae hereditatem, utpote quae ad 25000 scuta Melitensia, quae singula respondebant Romanis obulis quadraginta, vix ascendebant, longe imparem esse maximis aedificii sumptibus perferendis, primo quidem Parochus ipse modernus ac Presbiteri servitio paraecialis Ecclesiae mancipati, ut ceteris exemplo praeirent, cesserunt eiusdem fabricae favore, quousque ad exitum perduceretur, eleemosynam, quam ex praecipuis quibusdam sacris functionibus percipiebant, quae quidem quoad Parochum summam importabat scutorum Melitensium circiter 250, quoad Presbiteros autem cumulative scutorum circiter 320. Subinde vero cum ista satis non esse sentirent ingenti operi absolvendo, etsi Parochiani, qui erant pauperes, manuum laborem gratis suppeditare non renuerint, supplices adstiterunt Sacrae Congregationi usque ab anno 1835 adprecantes, ut usquedum fabrica Ecclesiae absoluta fuisset, legatorum piorum, quae in eadem Ecclesia constituta erant, implementum suspenderetur. Cum Episcopus retulisset cuiusque ordinarii remedii defectum, Sacra Congregatio die 9 martii 1835 precibus ita rescripsit: – Supplendo de thesauro Ecclesiae, et firmis remanentibus legatis respicientibus dotationes Puellarum et Patrimonia sacra, quatenus adsint passive vocati ad ea assequenda, et firma celebratione sex Missarum cum cantu quolibet mense, firmaque eleemosyna Missae quotidianae pro singulis Sacerdotibus de Clero enunciatae Paraeciae, aliisque emolumentis reservatis Parocho iuxta votum Episcopi, pro gratia suspensionis ceterorum legatorum, ad effectum erogandi reditus in Ecclesiae fabri-

cam ad quindennium arbitrio et conscientiae eiusdem Episcopi, docto etc. –. Ast Sacrae Congregationis concessio parum opportuna visa est Parocho aliisque pro Ecclesiae fabrica deputatis, nedum quia tarde nimis praesenti necessitati occurrebat, sed etiam quia errore facti innitebatur. Ex deductis arguerunt hinc, Sacram Congregationem ita exiguam dedisse provisionem Rescripto diei 9 martii 1835 legata dumtaxat Missarum et functionum, uti existimabant, suspendendo, ut opus habuerint et patrimoniorum dotiumque vacantium fructus per aliquot annos in usum fabricae impendere usque ad vim scutorum Melitentium 2000, ut ita urgenti necessitati satisfacerent. Quare postularunt condonationem eorum nec non suspensionem nominationum et electionum futurarum dictorum patrimoniorum dotiumque, donec fabrica absolveretur, atque facultatem hypothecandi aliquot fundos liberos Ecclesiae, ac demum potestatem percipiendi fructus Beneficiorum liberae collationis de loci consuetudine Successoribus reservatos, quae in posterum vacarent in universa Diaecesi, exceptis Curatis, tempore vacationis usque ad diem provisionis decurrentes, ut in fabricae ipsius utilitatem converterentur. Inter haec Beneficia favore fabricae applicanda bina comprehendebantur, pendente ad Sacram Congregationem recursu, suo Rectore viduata, nempe Canonicatus a Sancta Venera nuncupatus, et Beneficium, quod audiebat Kala. Haec dum parabantur, adfuit Sacrae Congregationi Clericus quidam Carmelus Alford, qui uti passive vocatus ad patrimonium ab eius Auctore nuncupatum nominatus fuerat, conditione adiecta ad formam fundationis, ut fructus adipisci posset, cum ad sacros Ordines pervenisset; ac petiit, ut saltem ex gratia illico eius fructus obtineret.

292. Haec cum ita essent, propositis dubiis: – I. An et quomodo concedenda sit condonatio quoad fructus patrimoniorum et subsidiorum dotalium in usum fabricae erogatos in casu? II. An et quomodo concedenda sit suspensio eorumdem patrimoniorum in casu? III. An et quomodo concedenda sit suspensio subsidiorum dotalium in casu? IV. An et quomodo concedenda sit applicatio fructuum Beneficiorum, quae vacatura erunt in casu? V. An et quomodo concedenda sit applicatio fructuum Canonicatus S. Venerae in casu? VI. An et quomodo concedenda sit applicatio fructuum Beneficii Kala in casu? VII. An et quomodo concedenda sit facultas bona paraecialis Ecclesiae hypothecandi in casu? VIII. An et quomodo sit annuendum precibus Carmeli Alford in casu? –, Sacra Congregatio die 9 iulii 1842 respondit: – Ad primum, Affirmative, salvo iure Puellarum, quae iam electae fuerunt, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative, salvo iure passive vocatorum de certo genere, quatenus adsint ad formam Rescripti diei 9 martii 1835 etiam quoad tempus, facto verbo cum Sanctissimo. Ad tertium, Affirmative, durante indulto praecedenti Sacrae Congregationis, firmis tamen dotationibus Puellarum consanguineorum, quae legatum iam expostularunt, facto verbo cum Sanctissimo. Ad quartum, Affirmative quoad Beneficia tantum in districtu Paraeciae erecta, facto verbo cum Sanctissimo. Ad quintum, Affirmative iuxta concordiam, facto verbo cum Sanctissimo. Ad sextum, recurrant ad Datariam Apostolicam praeventam. Ad septimum, Affirmative, ita tamen, ut congrua Parochi sit salva, et cum solitis clausulis, nimirum minori, quo fieri possit, interusurio, facto deposito scutorum centum Melitentium, incipiendo post cessationem indulti anni 1835 sub poenis etc. docto etc. et persolutis interim fructibus. Ad octavum, Negative –. Ast haec etiam indulta haudquaquam sufficere innotuit ad aedificium perficiendum. Quamobrem Parochus fabricaeque Deputati anno 1844 a Summo Pontifice postularunt facultatem accipiendi pecunias pro celebratione Missarum relictas, cum dimissione oneris in posterum favore gravatorum. Idem Parochus die 7 decembris 1847 cum retulisset, pecuniam haud facile creditam iri ab iis, qui ultro eam dare polliciti sunt ob iam existentem hypothecam in bonis parochialibus, nisi facultas fieret hypothecandi etiam alia bona Ecclesiae libera, idcirco declarari exoptabat, quod per bona parochialia intelligerentur etiam ea, quae pertinebant ad animas purgantes, Sanctissimum Rosarium, aliasque huiusmodi fundationes, quae in praefata Ecclesia existebant. Tandem praefatus Parochus ac Deputati die

8 martii 1850 preces instaurarunt pro obtinenda prorogatione ad alterum quindennium indultorum circa legata Missarum de anno 1835, nec non circa subsidia dotalia patrimonia sacra Beneficia vacantia ac omnia pia relicta existentia intra fines Paraeciae de anno 1842 ad hoc, ut omnium reditus in fabricae opus impenderentur. Praeterea liberationem postularunt ab onere iterum investiendi nonnulla capitalia a debitoribus Ecclesiae restituta, et per eos in usu fabricae, absque ulla praecedenti habilitatione erogata, quae ascendebant ad valorem scutorum Melitentium 3905.

293. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo concedenda sit prorogatio indulti anni 1835 in casu? II. An et quomodo concedenda sit prorogatio quoad patrimonia sacra ac subsidia dotalia in casu? III. An et quomodo iterum concedenda sit applicatio fructuum Beneficiorum vacantium in casu? IV. An et pro qua summa sit danda facultas contrahendi novum aes alienum, et quae Ecclesiae bona hypothecanda sint in casu? V. An et quomodo concedenda sit facultas recipiendi summas pro celebratione Missarum relictas cum dimissione oneris in posterum favore gravatorum in casu? VI. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro absolutione ac condonatione capitalium Ecclesiae, quae a Deputatis in usum fabricae erogata sunt, vel potius iterum sint investienda in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, Affirmative ad quindennium ad formam praecedentium, facto verbo cum Sanctissimo. Ad quartum et quintum, Negative in omnibus. Ad sextum, quoad condonationem, Negative; in reliquis, Affirmative, et esse locum annuo deposito in summa scutorum centum Melitentium, inchoando post expletum quindennium – *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852.*

294. Nam quando pro reaedificatione Ecclesiae parochialis deficiant media per Concilium Tridentinum praescripta, Sacra Congregatio permittit, ut ad hunc effectum etiam extraordinaria media adhiberi valeant *in Camerinen. Aedificationis Ecclesiae die 19 Decembris 1807 die 14 Decembris 1816 die 25 Ianuarii 1817 die 12 Iunii 1819 die 31 Ianuarii 1824 et die 20 Decembris 1828.*

295. Enimvero terraemotu labefactata concidit anno 1799 Ecclesia parochialis Villae Frontilli, quae ut instauraretur, necessaria erant ex iudicio Peritorum Fabri murarii lignarii et ferrarii scuta 1083. Ad inchoandam molitionem s. m. Pius VI largitus est scuta quingentum ex bonis communitativis; sed cum operi manus admotae fuerint, nonnisi anno 1801 haec scuta quingentum ob pecuniarum discrimen redacta sunt ad scuta 313 35, quibus additis scuta quinquaginta, quae Dominicus Bartolini in hanc causam obtulit, ceptum est opus, erogata hac summa scutorum 363 35, et adhibitis caementis dirutae Ecclesiae et Aedium parochialium et operibus Parochianorum, qui gratis eos praestiterunt. Ita a fundamentis extructa fuit parochialis Ecclesia, sed adhuc perfecta non erat, cum deficerent scuta 721, 87. Quare Deputati supplicarunt Summo Pontifici pro applicatione legati a Petro Bartolini relicti, reductis Missis, et unius alteriusque Montis frumentarii, qui erant in Villa ad subsidium Pauperum instituti. Iis tamen applicatis, deficiebant adhuc scuta 451. Hanc summam supplendam putabat Archiepiscopus ex impositione census et taxa imposita super bonis Civitatis et Ducatus Camerini pro reaedificatione Ecclesiarum parochialium, quae terrae motu collapsae erant. Sed Dominicus Bartolini idem, qui iam scuta quinquaginta in fabricam largitus est, paratus est suppeditare deficientem summam ad perficiendam fabricam, pluribus adiectis pactis et conditionibus. Unde Archiepiscopus, ut Bartolinio restitueretur sors et solverentur fructus, proposuit, ut prorogaretur taxa praedicta, quae imposita fuit super fundis rusticis Civitatis Camerini, obulorum quinque in singula centum scuta, et obulorum septem cum dimidio super fundis Ducatus Camerini. Haec taxa suprema auctoritate imposita fuit, ut erogaretur in fabricam Metropolitanae Hospitalis et Ecclesiarum parochialium ruralium, sed integra postea applicata fuit pro fabrica Metropolitanae. Hac absoluta, proposuit Archiepiscopus prorogationem taxae, ut ex ea reintegrarentur legatum Missarum Bartolini et Montes frumentarii. Proposito interim dubio: – An et quomodo providendum sit fabricae Ecclesiae et Aedium parochialium Villae Frontilli in casu etc. –,

Sacra Congregatio die 18 iulii 1807 responsum tulit: – Dilata et scribatur Archiepiscopo iuxta mentem –. Mens autem fuit, – ut referret ex quibus pecuniis solvendi sint fructus aeris alieni cum Bartolinio contrahendi, an census Sodalitii Sanctissimi Rosarii alienari queat per Oratores pro integro pretio eius sortis scutorum bis centum, et utrum alia suppetant media inveniendi integram, summam occurrentem perfectioni fabricae –. Archiepiscopus retulit, necessaria esse media extraordinaria, scilicet pretium retrahendum ex alienatione unius et alterius montis frumentarii, et alienatione seu cessione census scutorum 200 in sorte impositi favore Petri Angeli Bartolini et scutorum quatuor cum dimidio pro quolibet centenario et anno ratione fructuum, nec non prorogationem praedictae taxae in vim Decreti ex audientia Sanctissimi diei 11 septembris 1803 impositae, ac erogandae arbitrio Eñorum Antonelli et Corandini ad effectum restituendi sortem et fructus Bartolini, nec non reintegrandi legati Missarum et Montis frumentarii. Reproposito hinc dubio sub eadem forma, Sacra Congregatio die 19 decembris 1807 respondit: – Affirmative iuxta votum Archiepiscopi, celebrata in menses singulos Missa pro legato Bartolini usque ad eius reintegrationem, et ad EE. delegatos Antonelli et Corandini cum Sanctissimo –.

296. Editum itaque a s. m. Pio VII die 12 ianuarii 1808 fuit Rescriptum: – Sanctissimus mandavit, taxam impositam super territorio Camerini pro fabrica Ecclesiae Cathedralis, hac expleta, erogandam esse praeceteris favore Ecclesiae Frontilli, ad effectum reintegrandi Dominicum Bartolini subventorem sumptuum, adeam explendam fabricam occurrentium –. Hoc fretus Rescripto Dominicus Bartolini propriis impendiis operi manus admovit, et erogatis scutis 488 60, Ecclesiae constructionem absolvi curavit. Interea ob publicarum rerum vicissitudines taxa census abrogata, et Metropolitanae Ecclesiae aedificatio fuit intermissa. Cumque etiam, post reditum Pontificis Pii VII ad Sedem Apostolicam, taxa in antiquum statum non restitueretur, proindeque Cathedrali Ecclesiae extrema manus haud admoveri posset, supplicavit Bartolinius, ut pecuniae caementa ac ligna pro aedificatione Ecclesiae Metropolitanae a Deputatis Fabricae parata ipsi concederentur. Obstiterunt Deputati contendentes, expectandum esse, donec Cathedralis Ecclesiae constructio ad exitum perduceretur, ac praeterea a summa scutorum 488 60 detrahendos esse sumptus odei, sive *Coretto,* in eadem Ecclesia a Bartolinio in proprium commodum extructi. Hinc die 14 decembris 1816 proposito dubio: – An et quomodo providendum sit in casu etc. –, Sacra Congregatio die 25 ianuarii 1817 respondit: – Provisum per Rescriptum Sanctissimi diei 12 ianuarii 1808 –. Iterum institit Bartolinius; sed Sacra Congregatio die 12 iunii 1819 rescripsit: – In decretis sub die 25 ianuarii 1817 –. Itaque Bartolinius petiit, ut saltem in bona Ecclesiae Frontilli atque Parochianorum iura sua experiri posset: sed Archiepiscopus retulit, proventus Paraeciae Frontilli ita tenues esse, ut Parochus percipere non valeret, quod ei de iure deberetur; deesse Beneficia Capellanias et Sodalitates, atque Parochianos, una vel altera Familia excepta, in egestate vitam degere. Necessarium hinc esse videbatur, ut suprema potestas alium fundum assignaret ad huiusmodi aes alienum dissolvendum, cuius fructus iam excesserunt sortem, atque in dies augebantur. Proposito hinc dubio sub formula: – An sit standum; vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 31 ianuarii 1824 respondit: – Dilata, et scribatur Archiepiscopo ad mentem –. Mens autem fuit, ut Archiepiscopus – exquirat a Dominico Bartolinio indultum construendi Odeum, et quatenus exhibeatur, et nondum determinata fuerit summa ab eodem solvenda Ecclesiae in compensationem servitutis Odei, de eadem conveniat cum Bartolinio, qua summa dempta una cum altera erogata in constructionem Odei, referat de liquido ipsius credito, nec non de annua quota resultante ex nova annua taxa imposita favore Ecclesiae Metropolitanae, ac de tempore, quo erit perduratura –. Archiepiscopus retulit, Bartolinium indultum construendi Odeum obtinuisse a s. m. Pii VII die 20 ianuarii 1803, et quinquaginta scutata solvisse in compensationem servitutis praefati Odei: hinc demptis omnibus, creditum eius summam scutorum 488 60 pertingere ; additis vero fructibus decursis, ad

ingentem summam eiusdem creditum consurgere. Retulit etiam, quotam annuam novae taxae summam scutorum 5298 aequare; hanc usque ab anno 1820 percipi incepisse, atque sub finem anni 1827 cessavisse. Reproposito igitur dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, nempe Dominicum Bartolini reintegrandum omnino esse de suo credito per taxam impositam fabricae Ecclesiae Metropolitanae, ad formam Rescripti Sanctissimi diei 12 ianuarii 1808 – *in Camerinen. Aedificationis Ecclesiae die 20 Decembris 1828.*

297. Certum hinc equidem est, deficientibus pro parochialis Ecclesiae reaedificatione aliis remediis, concessam quandoque fuisse Missarum suspensionem; ast cum agitur de capitalium extinctione, haud eadem videtur adhibenda ratio. Constitutum namque reperitur, Missarum legata non deberi facile converti in diversum fabricae usum *in Novarien. die 25 Ianuarii 1794* §. *Applicationi.*

Item *in Melevitana Reaedificationis Ecclesiae die 31 Iulii 1852* §. *Aliquid.*

298. Idcirco cum necessitas haud urgeret, Sacra Congregatio non permisit applicationem hereditatum in pios usus ac eleemosynas Pauperum distribuendarum, sed mandavit, ut reparationi aedium et Ecclesiae parochialis provideretur ex pecunia cumulata per cessionem et transactiones initas cum R. Fabrica S. Petri *in Feretrana Applicationis die 27 Augusti 1796.*

299. Siquidem heredes instituit Gratiosius Calbini anno 1742 germanos suos Fratres, quibus Nepotes primum masculos deindeque feminas substituit. His autem omnibus deficientibus, modum praescripsit, quo integri hereditatis fructus distribui deberent in Missarum celebrationem in subsidia dotalia et pauperes suae Paraeciae S. Michaelis Archangeli Maceratae Feltriae. Eius exemplo Sacerdos Angelus Remigius Calbini, alter ex ipsius fratribus, et Rector olim dictae parochialis Ecclesiae S. Michaelis Archangeli, heredes scripsit anno 1744 reliquos fratres cum eadem Nepotum substitutione, et in casu, quo omnes occumberent absque successione, mandavit, ut omnes hereditatis fructus in pauperes eiusdem Parochiae distribuerentur. Hereditas Gratiosi annua ex decennali calculo reddebat scuta 37 69, altera Angeli Remigii scuta 39 22, in unum 76 91; et ab extincta familia Calbini exequutae semper fuerunt piae dispositiones. Nam anno 1766 Sacrae Congregationi supplicavit Ioannes Franciscus Calbini superstes Testatorum frater pro facultate erogandi hereditaria bona in constructionem Ecclesiae in suburbio Maceratae Feltriae, cum assignatione dotis, et in manutentionem Capellani, qui quotidianum pro Testatoribus offerret Sacrum: sed proposito dubio: – An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 decembris responsum dedit: – Quoad dispositiones Gratiosi et Angeli Remigii, Negative; in reliquis utatur iure suo –, etiamsi Ordinarius retulisset, necessariam esse ac perutilem Incolis loci alterius Ecclesiae erectionem in dicto suburbio. Quum eamdem Ecclesiae constructionem subinde meditarentur potentiores quidam, rem idcirco pauperes Oppidi ad Sacram Congregationem detulerunt, ac pro recta supplicarunt piarum dispositionum executione, prodiitque die 27 februarii 1790 Rescriptum: – Episcopus utatur iuris remediis, quoad rectam legatorum executionem, firmo remanente Decreto Sacrae Congregationis 1766 –. Demum cum primum in Rectorem S. Michaelis Archangeli assumptus fuerit Sacerdos Dominicus Ravogli, fatiscentia invenit parochialia et Ecclesiae aedificia; sed nulli erant Ecclesiae reditus, nec sumptui pares fructus Parochiae. Qua de re cum plerisque Oppidanis, quorum intererat distributio eleemosynae et dotium, convenit Parochus de impetranda ab EE. PP. applicatione utriusque legati fabricae Ecclesiae, pluribus sub pactis. Hinc Parochus Ravogli supplicavit pro perpetua dictorum legatorum applicatione et facultate alienandi praedium *Persena* in praesentem parochialium aedium et Ecclesiae reparationem. Reiectis vero precibus quoad alienationem praedii, et in reliquis pro informatione remissis sub die 25 ianuarii 1795, denuo petitioni consensum praestiterunt 52 Oppidani, quibus alii sexdecim deinde adhaeserunt. At eorum sexdecim, quasi capitula conventionum per fraudem obsignassent, restiterunt; nec non Praetor loci, qui alter erat executor testamentarius. Nam iidem necessitatem excluserunt. Unde

defensor censuit, necessarias saltem aedium et Ecclesiae reparationes fieri posse cum exuberanti pecunia, per cessionem et transactiones initas accepta. Nam anno 1794 R. Fabrica cesserat scuta 87 07 1/2 in reparationem dictae Ecclesiae parochialis, et Archipresbiter Ravogli acceperat per duplicem transactionem scuta 49 82 1/2 in refectionem damnorum, quae Decessor intulerat praediis rusticis et urbanis. Episcopus tamen Parocho favit.

300. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - An et quomodo sit locus applicationi hereditatum Calbini in casu etc. II. An et quomodo sit providendum praesenti reparationi aedium et Ecclesiae parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative ex pecunia cumulata, et quatenus opus, aliis etiam remediis a Sacro Concilio Tridentino praescriptis - *in Feretrana Applicationis die 27 Augusti 1796.*

301. Quoties vero necessitas urserit, Sacra Congregatio aequam etiam censuit pro fabrica Ecclesiae parochialis suspensionem Subsidiorum dotalium, ut in Hispalen. 7 septembris 1680, in Syracusana die 8 februarii 1713 in Magdalunen. 22 aprilis 1719, in Romana subsidiorum dotalium 9 iulii 1746, in Amerina 15 decembris 1764, in Aquilana die 17 iunii 1780 *in Auximana die 18 Maii 1765* §. *Ad.*

Item *in Ripana die 16 Iunii 1787* §. *Hoc.*

302. Hinc Sacra Congregatio, cum abesset subreptio, et necessitas pro ampliatione Ecclesiae parochialis urgeret,mandavit, exequendam esse gratiam, qua Summus Pontifex indulsit, ut pro constructione novae Ecclesiae parochialis erogari valeret summa, quae debebatur Montibus frumentariis, nec non annua summa assignata pro duabus Puellis, quae vellent profiteri in Religione, quatenus non adessent, quae nubere vellent in Domino, ad decennium, atque commisit Episcopo, ut eius exequutioni sedulo incumberet, invigilando praesertim, ne in constructione Ecclesiae fierent ornatus superflui, ac procederet etiam prout de iure, quatenus opus esset *in Amerina die 10 Iunii 1741 et die 26 Ianuarii 1743.*

303. Iamvero Hieronymus Mattei Dux Terrae Iovii sub annum 1738 binos s. m. Clementi XII porrexit supplices libellos, alterum, quo rogavit, sibi fieri potestatem applicandi centum tritici rubra ex augmento Montis Frumentarii, quae existebant penes Debitores, qui erant difficillimae exactionis, pro fabrica Ecclesiae parochialis dictae Terrae, ruinam minitantis et incapacis totius Populi, dum remanerent alia quinquaginta rubra penes ipsum Montem Frumentarium ab initio ex capitali viginti octo rubrorum a Paulo Parco anno 1677 fundatum, quia hac ratione praefata Ecclesia reaedificari posset, et pauperes debitores ex proprio labore debitum persolvere valerent, cum respectivarum familiarum commodo ac utilitate: alterum vero, quo postulavit, sibi impertiri facultatem impendendi in eiusdem parochialis Ecclesiae aedificium annuam summam scutorum 120, quae ex hereditariis bonis Ducissae Barbarae Mattei Bevilacqua deberent quotannis duabus Puellis in Domino nupturis distribui, quando tamen non adessent duae Puellae, quae habitum religiosum sumere vellent, aut erogandi summam scutorum sexaginta, ut supra, quando una dumtaxat Puella Oratoris subdita existeret, quae dictum habitum religiosum sumere vellet. Episcopus Amerinus, attenta aedificationis Ecclesiae necessitate, precibus Hieronymi favit. Hinc ad priorem libellum die 5 iunii 1738 hoc prodiit Rescriptum: – Sanctissimus, auditis informatione et voto Episcopi, benigne annuendo indulsit, ut pro constructione novae Ecclesiae, de qua in precibus, erogari valeat summa, quae debetur Monti sive Montibus frumentariis eiusdem Terrae Iovis; pro eo tamen solummodo, quod superest ultra sortem erectionis, quae integra et intacta servari debeat pro capitali et fundo dictorum Montis seu Montium frumentariorum, quibuscumque in contrarium non obstantibus –. Alteri petitioni pariter annuit Summus Pontifex sub eadem die 5 iunii 1738 hisce verbis: - Sanctissimus, auditis informatione et voto Episcopi, benigne annuendo petitis indulsit, ut pro constructione Ecclesiae, de qua in precibus, erogari valeant annua scuta 120 assignata pro duabus Puellis de Terra Iovii, quae nubere velint in Domino, non concurrentibus de illa Terra Iovii Puellis de anno in annum, quae velint profiteri in Religione; si autem una saltem Puella

concurrat ex praedictis, unum subsidium dotale tantum scutorum sexaginta de anno in annum erogari valeat pro constructione dictae Ecclesiae ad decennium, quibuscumque in contrarium non obstantibus –. Huiusmodi haec Rescripta impugnavit subinde Communitas et Populus dictae Terrae Iovii, hunc-que in finem nonnulla attulit documenta, quibus putavit evinci, a veritate aberrare, tum quod vetus parochialis Ecclesia, ut in precibus memorati Ducis Mattei fuit iterato expositum, ruinam minitaretur nimiumque angusta esset, tum quod Parochiani novae Ecclesiae erectioni suum praebuerint assensum, illamque magnopere exoptarent; ac proinde memorata Rescripta veluti falsis suggestionibus impetrata contendit executionem non promereri. Addidit praeterea, quod si forte controversa gratia sustineri posset, nonnisi centum rubra frumenti spectantis ad Montem a Paulo Parca institutum, nulla vero quantitas illius, quod ad alios pertineret frumentarios Montes eiusdem Terrae, censenda forent sub eiusmodi indulto comprehensa, adeoque vetari saltem deberet Duci Mattei, ne quidquam ex aliis Montibus derivandum in propositam erogaret causam.

304. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An gratia, de qua agitur, sit exequenda, seu potius constet de illius subreptione? *Et quatenus affirmative ad primam, et negative quoad secundam partem.* II. An comprehendat etiam, ultra Montem denominatum Parca, alios Montes frumentarios Communitatis Terrae Iovii in casu etc. –, Sacra Congregatio die 10 iunii 1741 respondit: – Coadiuventur probationes, et scribatur Episcopo iuxta instructionem –. Datae itaque fuerunt ad Episcopum Literae, quibus iussus est Sacrae Congregationi referre, – an Populus hodie assentiatur Fabricae novae Ecclesiae, et an ulla spes affulgeat, quod Parochiani manus adiutrices, aliquodve subsidium pro eadem fabrica libenter imposterum sint praestituri, itidemque exprimat, quae summa verisimiliter exigi possit a debitoribus Montis frumentarii a Paulo Parca instituti –. Renunciavit autem Episcopus, quod convocato Populo, nempe uno pro qualibet domo, in Ecclesia Sanctissimi Suffragii, exploratoque separatim illius animo, – triginta novem pro fabrica novae Parochialis assensum praestiterunt, manusque adiutrices ac pro viribus subsidium pro eadem fabrica libenter praestare promiserunt, septuaginta vero et octo eidem fabricae dissensi fuerunt –. Disquisitione etiam debitorum Montis frumentarii Pauli Parca a tribus Deputatis ad id electis – fuerunt adiventa rubra 65 et quartar. 2 1/2 frumenti a debitoribus restituenda, quae ab Archipresbitero eiusdem Terrae a R. Ioanne Petro Baranzone et Ioannae Antonio Celsi inexigibilia prorsus existimantur. Alia vero rubra 77 quart. 2 et ottaiol. 6 1/2 frumenti apparet fuisse tradita de anno 1738 in tot bollectenis Prioribus eiusdem Terrae. Supradicta vero quantitas frumenti in bollectenis tradita videtur comprehensa in erectione et dilatione erectionis eiusdem Montis, qui fuit erectus de anno 1676, cum 28 circiter rubris frumenti, et deinde auctus iuxta dispositionem eiusdem Parca, cum alio rubro frumenti quolibet anno eidem Monti tradito –. Postremo retulit Episcopus, Ecclesiam parochialem festivis praecipue solemnioribus esse incapacem ad recipiendum totum Populum; adeoque eiusdem aedificationem necessariam esse censuit. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Gratiam esse exequendam etiam quoad alios Montes frumentarios arbitrio Episcopi, qui eius exequutioni sedulo incumbat, invigilando praesertim, ne in constructione Ecclesiae fiant ornatus superflui, et pro eiusdem Ecclesiae tutiori ac celeriori absolutione, quatenus opus sit, procedat etiam prout de iure ad formam resolutionis editae anno 1707; et amplius – *in Amerina die 26 Ianuarii 1743.*

305. Qua de re quum vires Communitatis et Populi, quibus inerat onus reparandi Ecclesiam parochialem, ad id oneris haud satis essent, Sacra Congregatio, attento consensu Patroni, indulsit, ut ad eam restaurandam non solum applicarentur ad decennium duo subsidia dotalia, sed etiam dotes non collatae *in Civitatis Castellanae Applicationis die 25 Maii et die 23 Novembris 1805.*

306. Siquidem Communitas et Populus Carboneani, quibus onus spectabat reparationis Ecclesiae parochialis, iamdiu ab anno 1780 instaurare ceperunt fatiscentem paro-

chialem Ecclesiam S. Petri, sed perficere illam non potuerunt, primum calamitate temporum, mox impotentia distracti. Inde ut fastigium imponerent, requirebatur adhuc ex relatione Periti impensa scutorum quinque millium. Qua ex re Deputati fabricae, ut suppetias undique quaererent, postularunt, ut in hanc fabricae causam applicarentur duo subsidia, quae duabus Puellis indigenis, sorte ductis, quotannis in scutis decem et octo singulis distribui debebant ex fundatione Principissae Laviniae della Rovere, quaeque in praeteritum non collata deposita manebant in scutis 298. Patronus assensum praestabat, favebatque Episcopus saltem per decennium,– cum necessitas hoc suadeat, ac Populi commodum urgenter expostulet–. Proposito interim dubio: – An et quomodo sit locus applicationi subsidiorum dotalium in fabricam Ecclesiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 25 maii 1805 responsum dedit: – Dilata, et ad mentem: mens est, quod Episcopus, audito Capitulo et publicis Repraesentantibus, referat de mediis certis et opportunis pro explenda fabrica –. Episcopus retulit, – Communitatem quotannis assignasse scuta tercentum super datio a venditoribus vini persolvendo, nuncupato *il quattrino a foglietta* ad hoc imposito, nec non alia scuta triginta in quolibet anno sumenda ex impositione, ut vulgo dicitur *del quattrino a carne*, prout ex originali declaratione Communitatis firmata signo, quam adiungo. Aliae insuper suppetiae minime desunt, quibus Populus et Loca Pia se adstrinxerunt. Quaelibet enim Terrae Carboneani Familia ter in anno unius Operarii laborem ad evehenda fabricae caementa gratis praestare promiserunt, et Loca Pia antiquata nomina debitorum favore fabricae cedere non dubitarunt, quam cessionem, in mea sacra visitatione, confirmare nec in minimum haesitavi. Haec igitur media pro explenda fabrica certa possunt appellari, quae insimul coagmentata vix aut ne vix quidem annua scuta quatuor centum efformant –. Ostendebatur quoque testimonio Secretarii Communitatis, quod vectigal super vino et carnibus approbatum fuit a Sacra Congregatione Boni Regiminis. His igitur perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad decennium etiam quoad dotes non collatas, attento consensu Patroni, docto – *in Civitatis Castellanae Applicationis die 23 Novembris 1805.*

307. Nec enim ius Puellarum attendendum e conspectu iustae ac necessariae urgentis causae, Gratian. discept. foren. cap. 458 n. 4 ad 9, Piton. discept. 69 n. 25, Rota in Melevitana Nullitatis Brevis 20 ianuarii 1727 §. Siquidem coram Cornelio, et in Nepesina applicationis 8 ianuarii 1733 §. 19 coram Aldrovando; maxime cum agatur de publico incepto aedificio, L. *Praetor ait* de novi operis aedificatione, ac praesertim de incepto aedificio Ecclesiae, quod tendit ad maiorem divini cultus augmentum, semper praeferendum cuicumque privato commodo, ut dixit Rota coram Molin. decis. 1068 *in Amerina die 24 Novembris 1764* §. *Ad* §. *Maxime.*

308. Quin imo Sacra Congregatio indulsit, ut etiam pro manutentione fabricae Ecclesiae parochialis sacraeque supellectilis applicarentur plura subsidia nondum collata, cum praesertim nemini ius esset quaesitum *in Novarien. die 8 Februarii 1794.*

309. Enimvero postremis tabulis anni 1692 mandavit Franciscus Viarana heredi scripto Carolo Philiberto Scolari, ut annuum constitueret reditum libellarum imperialium 700 seu scutorum 84 monetae Romanae pro duplici quotidiana Missa in parochiali Ecclesia S. Iacobi Matiati superioris, una nempe in commodum Villicorum sub auroram, altera circa secundam vel tertiam diei horam arbitrio celebrantis; eique insuper praecepit, ut alias quotannis erogaret libellas 300 seu scuta 36 in sex dotandas pauperiores Puellas. Utrumque hoc pium legatum neglectum aliquando fuit ab ipso Carolo Philiberto, multoque magis a Sacerdote Iosepho Scolari eius successore, et de anno 1785 ascendebat omissio ad dotes octoginta tres, et Missas 3022, quae summam libellarum in unum constituebant libellarum 7072 seu scutorum 848 64. Monitionibus vero decessoris Episcopi Novariensis in sacris visitationibus conscientiaeque stimulis incitatus anno tandem 1791, quo Episcopalis Sedes vacabat, cessit Sacerdos Ioseph parochiali Ecclesiae, annuente Vicario Capitulari, tot bona valoris libellarum 7072 cum onere supplendi omissiones. At Parochus

Franciscus Maria Minelli, et curator Fabricae Ecclesiae Ioseph Vignola, Sacrae Congregationi supplicarunt pro applicatione dictorum bonorum in manutentionem fabricae sacraeque supellectilis, et postulavit Sacerdos Scolari absolutionem a praeteritis omissionibus, quas per cessionem supplevit. Episcopus retulit, dotem non habere parochialem Ecclesiam, aliaque ad illius manutentionem deficere media, modicam esse Parochi substentationem, ita ut ob defectum congrui subsidii – Ecclesiae fabricae aere alieno pernecesse praegravetur, cui nescio quomodo et quando satisfieri valeat –; super dotibus, quarum solutio omissa proponebatur, nemini ius quaesitum. – Nihil propterea sanctius, quam si in domus Dei dotationem convertantur –. Advertebatur tamen, annua fabricae ex oblationibus esse quindecim scutata, et alia consequi debere scuta duodecim pro utensilibus duplicis quotidianae Missae: nam praestanda erant ex testamento annua scuta 42 pro qualibet, seu scuta sex ultra eleemosynam manualem. Quae ergo deficiebant scuta 18 ad complendam summam scutorum 45 pro manutentione Ecclesiae necessariam, suppleri potuissent et suppleta forsan fuerant ante cessionem bonorum, ab illius Rectore, qui annua in Oppidulo habebat scuta 82 cum incertis, deductis deducendis.

310. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus applicationi bonorum in casu etc. II. An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative quoad quantitatem tantum capitalis correspondentis octoginta tribus subsidiis dotalibus nondum collatis. Ad secundum, Affirmative – *in Novarien. die 8 Februarii 1794.*

§. II.

ECCLESIA PAROCHIALIS QUOAD COLLATIONEM SEU PROVISIONEM

1. Ecclesia parochialis sine Sponso et Oves sine Pastore diu manere non debent, ex firmatis per Rotam in Salutiarum Parochialis die 23 februarii 1739 §. 2 coram Vicecomite *in Vaden. Parochialis die 5 Septembris 1778* §. *Ab hoc.*

2. Siquidem iuxta receptam Ecclesiae disciplinam sex mensium intervallum dederat Alexander III in Lateranensi Concilio ad providenda Beneficia quocumque modo illa vacarent, et sive per collationem, sive per electionem danda illa essent, Cap. 2 de concess. Praeben. Periculum tamen animarum ex tam diuturna vacatione perpendens Innocentius III, eam Ecclesiae indulgentiam ad Archiepiscopatum vel Episcopatum non solere extendi declaravit, Cap. 12 de conces. Praeb. Mox vero idem Innocentius III in altero Lateranensi Concilio reformatis sex mensium induciis, infra tres menses Episcopales Cathedras provideri iussit, nihil quoad Paraecias aliaque Beneficia decernens, Cap. 41 de electione. Itaque usque ad Tridentini Concilii tempora incorrectae manserunt ampliores illae sex mensium induciae, proindeque sapientissime Tridentini Patres diuturnae vacationis incommoda praecaventes omnemque in Episcopo fiduciam tamquam in rem praesentem versanti merito collocantes voluerunt, ut, vacante Paraecia, quaecumque illa esset, statim Episcopus per designationem Oeconomi viduae Paraeciae consuleret *in Urbevetana die 9 Septembris 1786* §. *Nec.*

3. Quum autem Parochus sustineret, quod ipse, tempore Causae criminalis in eumdem institutae, nominare deberet ad formam Constitutionis Synodalis Vicarium in exercitio curae animarum, adeoque sibi restituendi essent et assignandi fructus parochiales nec non restituenda omnia mobilia et supellectilia ab Episcopo nulliter distracta, Sacra Congregatio rem ad Iudicem iam pro dicta Causa delegatum remisit, ut procederet cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis *in Mindonien. die 23 Augusti et die 13 Septembris 1749.*

4. Enimvero Thomas Moscoso Omagna y Lenus, Parochus S. Eulaliae de Lacu et S. Bartholomaei de Iove, quae duae Parochiales unitae erant, ubi cognovit, Episcopum adversus eum processum instruere, quod Concubinam domi retinuisset pro Famula, eamque utero plenam reddidisset, et praeter negligentiam in officio Parochi nimia auri fame duriter et acerbe Parochianos compulisset ad solvenda eidem emolumenta, plusquam debita essent, constituit Vicarium Parochialium unitarum usque ad finem Causae Sacerdotem Hyacinthum Paleo, cui ex parochialibus reditibus certam partem assignavit, reservata sibi reliqua parte, ut vitam et Causam substinere posset. At Episcopus primo Thomam Moscoso in carceres compegit, eumque in illis fere ad tres menses detinuit, inde Sacerdotem Hyacinthum Paleo a Vicaria amovit, suffecitque Sacerdotem Gonzalez Pardo, qui, ut contendit Parochus Thomas Moscoso, reditus omnes parochiarum percepit. Post tres fere menses carceribus Thomas egressus demum Canonici Moscoso fratris sui habuit in loco carceris, et demum ad Nuncium Apostolicum confugit, a quo reiectus fuit ad proprium Episcopum. Obtinuit tandem Thomas, ut Vicarius Generalis Toletanus per appellationem de causa cognosceret uti Delegatus Apostolicus, et ab eo domum habuit Matriti carceris loco, necdum Causa definita est. Coniectio in carceres, amotio Hyacinthi Paleo, et deputatio Gonzalez Pardo evenerunt anno 1741; sed anno 1745 Gonzalez Pardo petiit ab Episcopo sequestrationem bonorum mobilium et fructuum quorumdam ad Thomam spectantium pro stipendio Vicariae trium annorum, obtinuitque non solum sequestrationem, sed etiam adiudicationem eorumdem mobilium, praevia Peritorum aestimatione. Questus est in iudicio Thomas de deputatione Gonzalez Pardo cum assignatione fructuum contra legem Synodalem (1), et de venditione seu adiudicatione mobilium, sed nihil obtinere potuit ab Episcopo. Decessit interim Sacerdos Hyacinthus Paleo, et Episcopus amovit Gonzalez Pardo, Thomas Moscoso petiit itaque a Sacra Congregatione restitutionem fructuum perceptorum a Gonzalez Pardo et assignationem redituum parochialium sibi debitam iuxta legem Synodalem, restitutionem mobilium et fructuum, quae nulliter distracta fuerunt ab Episcopo favore Gonzalez Pardo, et denique ut ei liceret, iuxta eamdem legem Synodalem, nominare Sacerdotem, qui Vicarium gereret Parochiarum, donec Causa, quae erat coram Delegato Apostolico, finem atque exitum haberet.

5. His interim perpensis, propositis dubiis:- I. An sint restituendi et assignandi fructus Parochialium Thomae Moscoso in casu etc. II. An sint restituenda omnia mobilia supellectilia et fructus nulliter distracta? III. An in exercitio curae sit deputandus Sacerdos ex approbatis ad nominationem Parochi Moscoso usque ad exitum Causae ad formam Constitutionis Synodalis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 augusti 1749 reponditi: – Omnia ad Iudicem Delegatum –. Repropositis dein dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et Iudex Delegatus procedat cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis – *in Mindonien. Parochialis die 13 Septembris 1749.*

6. Plures itaque unius Ecclesiae Rectores simul dari nequeunt, ad tradita per Lotterium de re Benef. quaest. 20 n. 110 et 144, et Rotam in Recent. decis. 225 n. 4 part. 19 *in Montis Alti Applicationis Missarum die 30 Iulii 1763* §. *Oratores.*

7. At quum ex vetusta consuetudine pro una Paraecia duo constituerentur Parochi, diviso per hebdomadas curae animarum exercitio, sed exinde inter eos dissensiones iurgia lites ferverent, Sacra Congregatio primum noluit quidem indulgere reductionem duorum Parochorum unius eiusdemque Parochialis ad unum solum Parochum, mandans

(1) Siquidem cautum erat in praefata Synodo, – che a qualsivoglia Curato Beneficiato, quantunque stia carcerato e accusato per qualsivoglia delitto, non se li possa porre nè nominare Economo, che percepisca gli usufrutti e le entrate dell' Altare e offerte, se non quando per sentenza sia privato del Beneficio o sospeso dall' amministrazione de' Sacramenti, e che non essendo in simili casi, adempisca il riferito Curato in nominare un Sacerdote approvato per l' amministrazione delli suoi Popolani sotto il nostro beneplacito e conferma, acciocchè nell' istesso tempo possiamo riconoscere la sua idoneità e sufficienza –.

exerceri dietim curam animarum per utrumque, sublata alternativa, et constituta massa communi ex incertis emolumentis aequaliter dividendis, sed mox malis, quae ob id eveniebant, ab altero Episcopo expositis, concessit constitutionem unius Parochi cum duobus Vicariis perpetuis ac inde amovibilibus, qui Parochum coadiuvare tenerentur in animarum cura nec non eidem supplere in Evangelii explicatione et cathechesi, cum ille impeditus foret, Missa vero pro Populo ad Parochum pertineret *in Tyburtina Parochiarum die 9 Iulii 1757 die 16 Iunii 1792 die 21 Novembris 1801 die 30 Augusti 1817 die 11 Aprilis 1818 die 27 Iulii 1822 die 21 Ianuarii 1826 et die 22 Decembris 1838.*

8. Enimvero una erat in Castro *Madama* Tyburtinae Diaecesis Parochia, una parochialis Ecclesia, in qua tamen non unus, sed duo Parochi erant, diviso per hebdomadas curae animarum exercitio. Perpetuae hinc erant inter eos dissensiones iurgia lites: hinc maximo salutis aeternae dispendio negligentia in administratione curae. Praesto erat uterque Parochus, ubi de lucro agebatur: nullus occurrebat, ubi onus erat subeundum, neque Populus parem utrique Parocho praestabat obedientiam, neque par erat in Populum utriusque Parochi affectus; saepe Baptismata, saepe Matrimonia in aliam hebdomadam non sine Infantium aut pudicitiae periculo transferebantur, ut unus, aut alter Parochus emolumenta percipiperet. Ut his morbis medicinam pararet Episcopus, quum iam alter ex his Parochis obiisset, statuit duos Parochos ad unum dumtaxat redigere, unita portione vacantis portioni superstitis, dato onere perpetuo assumendi Capellanum ab Episcopis approbandum, qui eum adiuvaret in cura animarum. Consiliis Episcopi restitit Populus illius Castri contendens, Parochianorum numero satis non esse Parochum, parumque esse gratum, qui tunc solus erat. Preces igitur tam Populus, quam Episcopus obtulerunt Summo Pontifici; ille, ut nihil mutaretur; hic ut exequeretur eius propositum, cum necessaria esset reductio numeri Parochorum, quin obesset consuetudo, quia abusus et corruptela censeri debebat. Proposito autem dubio: – An sit locus reductioni duorum Parochorum unius eiusdemque Parochialis Castri Madamae ad unum solum Parochum, qui onus habeat retinendi Capellanum coadiutorem in cura animarum ab Episcopo approbandum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 9 iulii 1757 respondit: – Negative, et Episcopus incumbat exerceri dietim curam animarum per utrumque, sublata alternativa, et ad mentem; et mens est, ut fiat massa communis ex incertis emolumentis aequaliter dividendis –. Plura deinde successor Episcopus Natali occasione visitationis sacrorum Liminum anni 1767 memoravit mala, quae in tribus eius Diaecesis Oppidis ex duplici eiusdem Ecclesiae Parocho oriebantur; obtinuitque a Sacra Congregatione, – ut quum alter ex his Parochis vita functus fuerit, unus constituatur superstes Parochus, nulla ipsi accessione emolumentorum facta, sed datis eidem duobus Capellanis vel Vicariis perpetuis, qui eum adiuvent in cura animarum, ab Ordinario pro tempore approbandis, reditus vero tam certi, quam incerti vacaturae portionis, iisdem aequaliter inter eos dividendi assignarentur –. Id itaque modernus Episcopus explevit anno 1789 per obitum Parochi Caponetti; ac praevia portionis suppressione et concursu, in Capellanos coadiutores elegit Sacerdotes Andream Panardo et Bernardo Delmirani, quorum favore Summus Pontifex gratiam signavit. Ad impediendam Literarum Apostolicarum expeditionem supplicavit Communitas Castri Sacrae Congregationi, pro divisione potius Parochiae. Andreas Panardus statim egit adversus superstitem Parochum Antonium Giusti pro manutentione in possessione exercendi functiones et iura parochialia iisdem modo et forma, quibus exercebantur a suo Antecessore. Communitas hinc defendit, non potuisse id Episcopum peragere, cum in promptu adesset res iudicata Sacrae Congregationis anni 1757, et facultatem obtentam subreptitiam dixit, ex eo quod praedicta res iudicata reticita fuerat. Unde nec ipse Episcopus Natali huiusmodi facultate usus fuit, dum altera sub annum 1769 portio vacavit; idque etiam accedebat, quod eam impetravit Episcopus Natali pro Parochiis, in quibus hebdomadalis inter Parochos servabatur alternativa, quae iam per anteriorem resolutionem anni 1757 sublata fuerat in Parochia Castri Madamae. Contra Promotor Fiscalis advertit, Vicarios auctoritate Sacrae

Congregationis ad tollendas simultates inter duos Parochos fuisse institutos; ideoque illius ordinatio perinde ratione causae piae haberi debebat, ac si motu prodiisset proprio, licet ad petitionem Episcopi, ac omnis propterea subreptionis et obreptionis vitio vacabat. Ex pluribus tamen reticentiam excusavit reiudicatae anni 1757, atque ex hoc potissimum, quod agebatur in eius casu de subrogando in locum Parochi unico mercenario Capellano, non de duobus perpetuis Vicariis: ubi enim cessat praeiudicium, gratiam non vitiat alieni iuris reticentia. Notavit insuper, quod anno 1781 Communitas id probavit, cum Episcopus Natali ei tribuerit facultatem creandi in reparationem Ecclesiae censum sub lege, ut, purificato institutionis Vicariorum casu, annua Parochus deponeret scuta decem, totidem Vicarii in extinctionem sortis. Vicarium Panardum vero sibi iura parochialia absolute adrogare non posse satisque superque compertum erat, cum Vicarii Parochum adiuvare deberent, ex praescripto Sacrae Congregationis.

9. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sustineatur suppressio unius ex duobus Parochis Ecclesiae parochialis Castri Madamae, et respective erectio duorum Vicariorum Curatorum in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quorum iurium parochialium exercitium competat iisdem Vicariis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 16 iunii 1792 respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, Negative, nisi de licentia et consensu Archipresbiteri; et amplius –. Hinc Panardus ratus, se Parochum non esse, cessavit ab applicatione Missae pro Populo. Proposito igitur dubio: – An Vicarii perpetui Castri Madamae teneantur alternatim cum Archipresbitero Dominicis et diebus Festis applicare Missam pro Populo, seu potius hoc onus spectet ad unum Archipresbiterum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 novembris 1801 responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam –. Post haec silentium consequutum est ad annum 1816, quo vacante per obitum Andreae Panardo altera ex Vicariis, Communitas enixis precibus Summo Pontifici oblatis iterum iterumque postulavit, ut ad tollenda iurgia, et ne ulterius animarum cura detrimentum pateretur ex administratione unius Parochi cum duobus Vicariis, iuxta praedictam resolutionem Sacrae Congregationis, unus et alter Parochus constitueretur, diviso tamen per assignandos limites Populo Castri Madamae, ac duae erigerentur Paraeciae, in duabus separatis Ecclesiis, Vicarius Capitularis censuit: – Necessitas aliqua est ad vitanda iurgia inter Archipresbiterum et Curatos Vicarios, non autem vera necessitas –. Propositis autem dubiis: – I. An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16 iunii 1792 in casu etc. II. An et quomodo sit locus divisioni curae animarum, ita ut sit erigenda Ecclesia S. Laurentii Martyris Castri Madamae in novam Parochiam, et ad eamdem sit transferendus alter ex duobus Parochis in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An et quomodo novae Paraeciae et iurium parochialium exercitium sit tribuendum actuali Vicario Curato superstiti in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 augusti 1817 respondit: – Ad primum, recedendum a decisis, ut in sequenti. Ad secundum, Affirmative in omnibus, facta divisione Populi per confinia, assignatis novo Parocho pro congrua reditibus Vicariorum et incertis stolae, et Episcopus curet ante erectionem compleri omnia quoad domum parochialem et turrim campanariam, reservato favore Ecclesiae Matricis aliquo signo honoris ab eodem Episcopo praefiniendo. Ad tertium, Affirmative per Bullas, facto verbo cum Sanctissimo –. Tunc iterum audiri postulavit Archipresbiter Giusti, qui tamen subinde petiit dilationem; adeoque repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio die 7 martii 1818 respondit: – Dilata ad sequentem omnino et in fallanter –. Reproposito hinc praefato dubio, Sacra Congregatio die 11 aprilis responsum dedit: – Recedendum a decisis sub die 30 augusti 1817 –. Defuncto exinde mense decembri anno 1820 Parocho Giusti tertio Magistratus Castri Madamae adfuit Sacrae Congregationi, expostulans Paraeciae divisionem, prout anno 1817 fuerat constitutum. Verum quum Communitas litis definitionem non amplius urgeret, ex eo quod Congregatio Boni Regiminis eidem prohibuerat, ne pecuniam ob id impenderet, e contra rem definiri

instaret Promotor Fiscalis, ut malis ex Parochi deficientia fluentibus medela poneretur, proposito dubio: – An et quomodo sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 iulii 1822 respondit: - Dilata, et indicetur concursus pro Archipresbiteratu sub conditione, ut novus Parochus teneatur admittere divisionem Paraeciae, quatenus exequenda sit decisio 30 augusti 1817, et ad mentem; mens est, ut facto verbo cum Sanctissimo Vicariae rediganturamovibiles ad nutum Episcopi, cum dependentia a Parocho, et absque expeditione Literarum Apostolicarum –. Quam resolutionem Summus Pontifex plenissime approbavit et confirmavit.

10. Arrisit resolutio haec Episcopo Canali, qui, haud mora concursum indixit ad vacantem Archipresbiteratum, instituitque Sacerdotem Aloisium Scrocca, cuius favore literas Bullares, sine ulla tamen reservatione, expeditae fuerunt. Mox vero cum die 3 aprilis 1825 decessisset Ioannes Paulus Borella, alter ex Vicariis Curatis in Castro Madamae, ac Episcopus Sacrae Congregationis mandatis vellet obsequi, Capellanum ad nutum amovibilem constituendo, concursum indicere neglexit. Quod aegre ferentes Municipes, conclamantes alte, in eorum contumacia Sacrae Congregationis resolutionem super amovibilitate Capellanorum latam fuisse ac spirituali Oppidanorum bono adversari, illico die 3 septembris 1825 petierunt, ut concursus indiceretur. Sed quoniam satis provisum fuisse spirituali auxilio Populanorum retulisset Episcopus, alio (nempe Sacerdote Paulo Pucci) - provisorie in eo munere substituto, quousque de meliori spectatis circumstantiis provideatur –, Rescriptum prodiit die 21 ianuarii 1826: – Lectum ad instantiam, et scribatur eidem Episcopo, qui incumbat exequutioni praecedentis resolutionis Sacrae Congregationis die 27 iulii 1822, et de resultantibus certioret –. Post haec omnia pacifica fuerunt ad diem 22 iulii eiusdem anni. Tunc enim in scenam prodiit Aloisius Orsini Egizzi actualis Vicarius eiusdem Ecclesiae S. Michaelis Archangeli; ac postquam longa oratione mala significaverit, quae ex movibilitate Capellanorum in eum Populum derivarent, ac bona, quae ex Vicariis perpetuis redundabant, istorum confirmationem a Sacra Congregatione efflagitavit, sin potius ut Parochia divideretur. Episcopus, pro informatione requisitus, censuit, non esse audiendum. At die 9 maii 1838 adfuit etiam Archipresbiter Andreas Rotondi, qui plura, contra Vicarios curam animarum negligentes, exposuit. Propositis itaque dubiis: – I. An et quomodo sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu? *Et quatenus sit standum in primo loco decisis.* II. An et quae onera incumbant Vicariis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, servata tamen amovibilitate Vicariorum post obitum actualis Vicarii ad formam resolutionis Sacrae Congregationis anni 1822, eisque adsignato ab Episcopo certo reditu etiam pro stolae reditibus, quibus deinceps privabuntur, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative; nempe Vicarii teneantur Parochum coadiuvare in omnibus in animarum cura, nec non eidem supplere in Evangelii explicatione et cathechesi, cum ille fuerit impeditus, Missam vero pro Populo pertinere ad Parochum ad formam resolutionis anni 1801, et Episcopus curet omnibus iuris et facti remediis executionem praesentis resolutionis – *in Tyburtina Parochiarum die 22 Decembris 1838.*

11. Hinc dispositio Concilii Tridentini in cap. 13 sess. 24 de reformatione non habet locum in illis Parochialibus, quae licet certos fines non habeant, habent tamen certum Populum et per certas Familias distinguuntur *in Dubium ad Cap. 13 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

Item *in Pistorien. lib. 3 Decretorum pag. 2.*

12. Indubium siquidem, est quod Parochiae, per certas familias distributae et certum Populum habentes, licet non habeant certos fines, non comprehenduntur sub dispositione Concilii in Cap. 13 sess. 24 de reformatione *in S. Severini mense Aprilis 1587 lib. 4 Decretorum pag. 252.*

Item *in Pisauren. anno 1588 lib. 5 Decretorum pag. 185; in Civitaten. anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 125; in Casertana die 28 Maii 1594 lib. 8 Decretorum pag. 40.*

13. Ecclesia vero parochialis non est con-

vertenda in simplex Beneficium, etiam erecta in ea Vicaria perpetua, obstante Concilio Tridentino in Cap. 16 sess. 25 de reformatione *in Regien. mense Februarii 1593 et anno 1597 lib. 7 Decretorum pag. 91 et lib. 9 Decretorum pag. 20.*

14. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, Ecclesiam Parochialem non posse dari ab Episcopo in commendam ad tempus, obstante Concilio Tridentino in Cap. 18 sess. 24 de reformatione *in Bergomen. lib. 1 Decretorum pag. 85.*

15. Iustis tamen intercedentibus causis ac rationibus, indulgetur permutatio Ecclesiae cum domo parochiali: quandoquidem quum ex constructione Collegii Societatis Iesu per dispositionem Canonici Cicognini splendide iam incepta et mirifice aucta illiusque in dies elevatione ingens pateretur detrimentum Ecclesia parochialis S. Petri Forelli eidem fabricae proxima, ex amissione luminis aliisque incommodis, eo quod reperiretur in situ depressiori, et Patres Iesuitae, qui in dicta Civitate propriam Ecclesiam non habebant, prospicientes nedum utilitati propriae, verum etiam spirituali Civium commodo, cuperent dictam Ecclesiam et domum parochialem cum omnibus adiacentiis obtinere eo consilio, ut possent sacras functiones peragere, donec novam et longe ampliorem Ecclesiam, uti meditabantur aedificaverint, exhibentes Parocho aliam Ecclesiam et domum parochialem omniaque adiacentia intra Parochiae limites, quae cuncta aequivalerent et responderent Ecclesiae et domui permutandae, Sacra Congregatio concessit praefatam Ecclesiam parochialem cum domo et suis pertinentiis Collegio Societatis Iesu Prati pro exercendis in ea sacris functionibus ad normam instituti eiusdem Societatis, constructa per Patres nova Ecclesia et domo pro Parocho in loco commodo eiusdem Parochiae, praevio consensu Parochi et Parochianorum aliisque conditionibus; proposito enim dubio:– An et quomodo Beneplacitum sit concedendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Transmissa copia minutae concordiae, arbitrio Emi Praefecti – *in Praten. Beneplaciti die 24 Maii 1710 lib. 60 Decretorum.*

16. Quum itaque Ecclesiae parochialis collatio suspensa fuerit a Summo Pontifice, ut eiusdem reditus erogarentur in fabricam Episcopii et Sacrarii atque Capellae Ecclesiae Cathedralis, Sacra Congregatio mandavit, non esse exequendam supplicationem eius, qui subinde a Summo Pontifice obtinuerat collationem praefatae Ecclesiae parochialis *in Vaden. Parochialis die 19 Septembris et die 12 Decembris 1778.*

17. Siquidem anno 1752 per obitum Archipresbiteri Vincentii Castelli vacata Archipresbiterali et Parochiali Ecclesia S. Laurentii *di Selva nera* nuncupata, sitaque in campestri loco Vadensis Diaecesis, Magistratus Civitatis S. Angeli in vado supplicem libellum exhibuit Benedicto XIV, narravitque defectum commodi Episcopii in dicta Civitate, ac postulavit, quod interim vacanti parochiali Ecclesiae idoneus eligeretur Oeconomus, illiusque reditus, qui eorum dempta portione pro sufficienti Oeconomi stipendio, superesse poterant in annuis scutis centum, erogarentur pro construendis Episcopio Sacrario et Capella Ecclesiae Concathedralis, iuxta peritiam Architecti; nec non quod impertiretur facultas mutuo accipiendi quingenta scutata super praefata Ecclesia hypothecis supponenda, ut solicite opus incipi ac perfici posset. Precibus annuit Summus Pontifex, iuxta votum Episcopi. Hinc in Oeconomum deputatus fuit Parochus S. Martini, fueruntque non unus tantum census, uti Pontificium indultum praeseferebat, sed duo census impositi in sorte scutorum 500 pro quolibet, ac inceptа fuit Episcopii constructio, in quam erogati fuerunt residuales Ecclesiae reditus, ascendentes pro primo anno ad scuta 135 92. Anno vero 1754 Promotor Fiscalis ecclesiasticae Curiae S. Angeli in Vado a Summo Pontifice petiit facultatem imponendi secundum censum in sorte scutorum 500, quem sine facultate iam imposuerat pro finali perceptione scutorum mille, non obstante, quod ex residualibus reditibus antedictae parochialis Ecclesiae fuissent anterioribus annis 1752 et 1753 percepta scuta 170 et in fabricam erogata. Narravit insuper, quod Episcopii constructio pro illius absolutione esset adhuc extollenda ad alios tres palmos, et sicuti residuales Ecclesiae reditus, omnibus demptis oneribus, non excederent annuam summam scutorum triginta; hinc et

iam postulavit, quod ea erogari possent primo loco pro absolvendo aedificio, et subinde ad effectum deponendi usque ad summam scutorum mille pro impositorum censuum redemptione, votique compos in suis petitionibus evasit Promotor Fiscalis ex Decreto Sacrae Congregationis, ad quam novae illius preces remissae fuerunt. Res siluit usque ad annum 1776, quo tempore Summus Pontifex de vacanti parochiali Ecclesia sub reservatione pensionis annuorum scutorum quindecim providit Sacerdotem Franciscum Mariam Ridarelli ad animarum curam approbatum. Ne autem huius Apostolicae collationis supplicatio relaxaretur, in contradictorem se praebuit Promotor Fiscalis. Antistes Vadensis retulit, pro fabricae perfectione ex Peritorum iudicio adhuc esse necessaria alia scuta mille bis centum quinquaginta, recepta autem a Deputatis fabricae redditione rationum de perceptis ex reditibus vacantis Ecclesiae et erogatis in aedificium Episcopii, constare, quod – demptis impensis in fabrica usque modo erogatis, salario Oeconomi, aliisque sumptis pro Ecclesiae praedictae illiusque bonorum manutentione necessariis, remanent in praesens pro aedificio Episcopii scuta quadringenta sexaginta septem obuli octoginta sex –, ita ut eousque ad dicta scuta 1250 86 pro fabricae complemento necessaria esset alia summa scutorum 782 et obuli 13, praeter alia scuta mille pro dictorum censuum redemptione. Subdiditque his verbis: – Ego totis viribus incumbam, adiuvantibus etiam Concivibus, qui plures amoris significationes mihi ostendunt, celeriori fabricae perfectioni, ne Ridarellus ulterius moram fabricae obiicere queat –. Quare Sacra Congregatio die 19 aprilis 1777 rescripsit: – Quoad Franciscum Ridarelli ostendatur, et scribatur Episcopo iuxta mentem, quod nempe, cum se contulerit ad Civitatem S. Angeli in Vado Concathedralem, curet absolutionem fabricae Episcopii; itemque curet reperire alia media, ut aes alienum dissolvatur hac de causa contractum, ut celerius quo fieri possit deveniri liceat ad collationem Paraeciae S. Laurentii *di Selvanera*, et certioret –.

18. Ab hoc Rescripto lapsi iam erant sexdecim menses, absque eo quod Episcopus de praedictis certioraverit Sacram Congregationem, eaque propter Ridarellus instabat, ut Causa definiretur. Sustinuit enim, exequendam esse gratiam collationis Paraeciae per ipsum a Summo Pontifice reportatae, ne diutius Ecclesia maneret sine Sponso, et Oves sine Pastore. Proposito interim dubio: – An sit relaxanda supplicatio in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 septembris 1778 responsum dedit: – Dilata, et reproponatur omnino in prima post aquas –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Negative, et amplius; et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo, qui exigat ab Oeconomo et Administratoribus expensarum fabricae exactam redditionem rationis, nec non referat de praecisa expensa necessaria ad complementum eiusdem fabricae, et interim instet pro repetitione debiti tam ab heredibus defuncti Episcopi, quam ab aliis Debitoribus locorum Piorum S. Catharinae et S. Sebastiani, et interim prosequatur fabricam depositis scutis 7467 86, et super his omnibus solicite informet, et epistola detur eius Agenti – *in Vaden. Parochialis die 12 Decembris 1778.*

19. Quin imo urgente adhuc necessitate, Sacra Congregatio nedum suspensionem collationis Parochiae, sed et plures prorogationes indulget, ad effectum, ut constituto Oeconomo, superextantes reditus parochiales in fabricam Ecclesiae parochialis erogentur *in Perusina Prorogationis Indulti die 28 Iulii 1804.*

20. Iamvero Parochiani S. Angeli in Porta Herburnea, seu ut vulgo aiebant *Borgna* Civitatis Perusiae, ut angustam parochialem Ecclesiam ampliarent, a Summo Pontifice obtinuerunt indultum, ut, deputato Oeconomo in vacante Paraecia, superextantes reditus ad triennium erogarent in fabricam Ecclesiae, ut ex Rescripto diei 14 iunii 1800 ex audientia Sanctissimi. Huius indulti prorogationem, antequam triennium expiraret, ad alios tres annos postularunt. Episcopus affirmavit, necessarias adhuc esse expensas, ut fabrica perficeretur; hinc Summus Pontifex prorogationem concessit ad annum a die expirati indulti. Nihilominus fabrica adhuc imperfecta iacebat, iterumque Parochiani institerunt pro prorogatione indulti ad aliud biennium. Episcopus censuit, petitam prorogationem biennalem con-

cedi posse, cum id necessitas postularet. Proposito hinc dubio: – An et ad quod tempus sit prorogandum indultum diei 24 augusti 1803? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, absque spe ulterioris prorogationis – *in Perusina Prorogationis Indulti die 28 Iulii 1804.*

21. Ceterum Sacra Congregatio permisit quidem collationem Paraeciae assignata congrua scutorum sexaginta una cum incertis ad effectum erogandi reliquos reditus usque ad complementum fabricae Ecclesiae, sed eam per concursum expleri mandavit *in Ariminen. Ecclesiae parochialis die 24 Novembris 1792.*

22. Siquidem ad parochialem reaedificandam Soliani Ecclesiam terraemotu anni 1786 ruinosam, sumptus Peritorum iudicio requirebatur scutorum 54 35. Nulli pro eius fabrica erant reditus, eique impares parochiales: nam omnibus detractis necessariis oneribus, vix annua cum incertis attingebant scuta 99 53. Totum itaque reaedificationis onus in Solianensem recidebat Communitatem Loca Pia et Populum: assignavitque Communitas de licentia Sacrae Congregationis Boni Regiminis scuta 1200, Incolae scuta 200, et Sodales Sanctissimi Sacramenti et Suffragii superextantes reditus. Cum his subsidiis inceptum est opus, sed multum ad illud perficiendum deficiebat. Impetrata igitur venia in Congregatione Boni Regiminis, addidit Communitas superextantes reditus Hospitalis in annua summa scutorum circiter triginta per annos tresdecim, ac de Sacrae Congregationis licentia utrique Sodales scuta 800 per respectivam creationem censuum scutorum 400. Neque hoc tamen satis. Quapropter Summo Pontifici Solianensis Populus supplicavit pro deputatione Oeconomi ad decennium vacanti Paraeciae cum mediocri stipendio et applicatione reliquorum redituum fabricae. Precibus vero ad Sacram Congregationem remissis, mercenarium Sacra Congregatio, iuxta votum Ariminensis Episcopi, reprobavit Ministrum per Rescriptum diei 28 maii 1791. Supplicavit ergo Populus pro approbatione Sacerdotis Francisci Giannei in Parochum sub oblata conditione percipiendi per duodennium ex reditibus Parochiae annua scuta sexaginta ac incerta, atque erogandi reliquos reditus in fabricam. Episcopus his precibus favit. Proposito itaque dubio: – An et quomodo sit locus provisioni Paraeciae et applicationi reddituum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative per concursum, assignata congrua scutorum sexaginta una cum incertis usque ad complementum fabricae – *in Ariminen. Ecclesiae parochialis die 24 Novembris 1792.*

23. Nam Tridentina Synodus, postquam in sess. 24 cap. 18 praemiserit, animarum saluti maxime expedire, ut a dignis et idoneis Parochis regerentur, edixit, vacantes parochiales Ecclesias illis dumtaxat ab Episcopo conferendas, qui in experimento seu examine coram Episcopo aut Vicario Generali aliisque Examinatoribus non paucioribus, quam tribus instituendo fuerint approbati et idonei renunciati *in Caesenaten. die 24 Novembris 1770* §. *Tridentina.*

24. Accessit deinde Constitutio S. Pii V *In conferendis,* quae ad tollendas fraudes adversus Tridentini legem adinventas, declaravit, quod si Episcopus minus habilem, posthabito magis idoneo, elegerit, possit reiectus provocare et appellationem vel ad Metropolitanum, vel ad S. Sedem interponere, non retardata tamen interim possessione illius favore, qui ab Episcopo fuerit electus *in Verulana Archidiaconatus die 16 Septembris 1769* §. *Accessit.*

25. Hinc Sacra Congregatio mandavit, ut ad curam animarum exercendam in posterum nemo admitteretur, nisi approbatus fuerit, praevia forma examinis per concursum, iuxta formam Cap. 18 sess. 24 de reformatione *in lunen. die 27 Aprilis 1630.*

26. Nam Beneficia ecclesiastica conferenda esse dignioribus, eisque qui aetate moribus doctrina et prudentia ceteris antecellunt, statutum habetur in Can. *Si forte* dist. 63, Cap. *Quoniam* de iurepatronatus, et Cap. *Constitutis* de appellatione. Id autem ut exacte impleretur in collatione Ecclesiarum, sive eae sint de iurepatronatus ecclesiastico, sive de libera Ordinarii provisione, certam normam omnino servandam praescripsit Concilium Tridentinum, cum in sess. 24 cap. 18 de reformatione praecisam formam indixerit concursus habendi coram Examinatoribus Synodalibus, ac statuerit, ut, – peracto examine, renuncientur quotquot ab his idonei iudicati

fuerint aetate moribus doctrina prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: ex his Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit, atque illi et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre – *in Verulana Archidiaconatus die 16 Septembris 1769* §. *Beneficia.*

27. Hinc parochiales Ecclesiae Capitulo Collegio vel Monasterio alicui quoad temporalia dumtaxat unitae veluti de iurepatronatus ecclesiastico debent per concursum conferri, ad tradita per Garziam de Benef. part. 9 cap. 2 n. 36, Ventrigl. in prax. part. 2 annot. 5 §. 2 a n. 2, Barbos. de Paroch. part. 2 a n. 124; secus vero si illae fuerint subiective, tam scilicet quoad temporalia, quam quoad spiritualia incorporatae, tunc enim ad earum regimen et curam, praevio dumtaxat examine et approbatione Episcopi, deputantur Vicarii perpetui, iuxta Constitutionem 47 S. Pii V §. 4, et Resolutiones Sacrae Congregationis in Burgi S. Sepulchri 13 novembris 1601 lib. 10 Decretorum pag. 14, in Vasionen. 22 augusti 1637 lib. 15 Decretorum pag. 580 *in Portugallen. Parochialis die 30 Martii 1737* §. *Praeterea.*

28. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, provisionem per concursum requiri in Ecclesiis parochialibus de iurepatronatus ecclesiastici, secus autem in Ecclesiis parochialibus Monasteriis Regularium unitis, etiamsi a perpetuis Vicariis cura in eis exerceatur *in Gandaven. die 7 Februarii 1643 lib. 16 Decretorum pag. 140.*

29. Unde Sacra Congregatio respondit, Parochialem unitam Monasterio Regularium, etiamsi administretur per Vicarium perpetuum, non esse conferendam per concursum in casu vacationis, sed nominato per Regulares, quatenus Episcopus praevio examine eum idoneum reperiat *in Nullius die 29 Martii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 112.*

30. Quin imo parochialis Ecclesia iurispatronatus mixti, idest partim laicalis et partim ecclesiastici, non subiicitur formae examinis per concursum praescriptae Decreto Concilii in Cap. 18 sess. 24 de reformatione, quamvis pro pluribus partibus sit iurispatronatus ecclesiastici *in Bracharen. anno 1604 lib. 10 Decretorum pag. 89.*

Item *in Arianen. die 19 Aprilis 1605 lib. 10 Decretorum pag. 112; in Carthusiae 1624 lib. 12 Decretorum pag. 203.*

31. Amplia, etiamsi cum alternis vicibus modo ecclesiasticus, modo laicus praesentet *in Lamacen. anno 1611 lib. 11 Decretorum pag. 112.*

32. Nec est a Concilio Tridentino praescriptum tempus decem dierum ad praesentandum quoad Parochiales iurispatronatus laicorum, sed tantum quoad eas, quae sunt iurispatronatus ecclesiastici vel liberae collationis *in Dubium anno 1604 lib. 10 Decretorum pag. 94.*

33. At Parochialis iurispatronatus laici, quae iure devoluto est conferenda, subiicitur praedictae formae examinis per concursum, nec in hoc laeditur Patronus, quia in illo tantum casu est exclusus *in Patavina anno 1600 lib. 9 Decretorum 110.*

34. Alias itaque multi dantur casus provisionum Ecclesiarum parochialium sine concursu et tantum praevio examine, de quibus apud Ventrigl. in prax. part. 2 annot. 5 §. 2, et apud Card. De Luca in adnot. ad Concil. Terid. disc. 31, et inter hos enumeratur etiam sequens, quando videlicet conferenda est Parochia, quae adeo est exigui reditus, ut operam non ferat concursus, uti expresse habetur sess. 24 cap. 18 de reformatione *in Caesenaten. die 15 Maii 1723* §. *Quoad provisionem.*

35. Quin imo si Ecclesia parochialis ita tenuis reditus est, ut, proposito primo edicto pro concursu habendo, nemo comparuerit, conferenda est absque concursu, praevio secundo edicto, ei, qui reputatus fuerit idoneus ab Episcopo cum Deputatorum consilio, servatis tamen temporibus praescriptis a S. Pio V in sua Bulla super collatione Parochialium. Ita Sanctissimus, audita sententia Sacrae Congregationis, annuit *in Vercellen. lib. 2 Decretorum pag. 14.*

Item *in Placentina lib. 2 Decretorum pag. 55.*

36. Si vero illius onus nemo vult subire, Episcopus curare debet, ut saltem aliqui mercenarii diurni, vel hebdomadarii, aut vicini Parochi curam animarum exerceant *in Solamantina ad cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

37. Hinc Ecclesia parochialis, quatenus habet reditus et exiguum Parochianorum numerum, potest conferri non habenti tantam habilitatem, quemadmodum in Parochialibus pinguibus, et magni numeri Parochianorum requiritur; sed habenti habilitatem sufficientem ad curam animarum et Sacramentorum administrationem exercendam *in Squillacen. die 27 Maii 1591 lib. 7 Decretorum pag. 12.*

38. Quod si de huiusmodi Ecclesiis haud res sit, Sacra Congregatio declaravit, in parochialibus Ecclesiis, quorum collatio spectat ad Inferiores, habere locum Decretum Concilii Tridentini cap. 18 sess. 24 de reformatione, et Bullam S. Pii V, eamdemque formam per concursum esse servandam *in Avenionen. mense Martii 1586.*

39. Idcirco Ecclesia parochialis in Diaecesi Adriensi existens, cuius collatio spectat ad Patriarcham Venetiarum uti Abbatem S. Cypriani, debet conferri praevio examine per concursum, ab Examinatoribus Synodalibus Diaecesis Adriensis faciendo *in Dubium sive Adrien. ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

40. Nam collatio Parochialis, facta non servata forma Concilii, sicuti est nulla, ita et vacat, sicut ante collationem vacabat, et Sedi Apostolicae reservata existit ad mentem Constitutionis S. M. Pii V de collatione Parochialium *in Assisien. et Forosempronien. mense Iunii 1592 lib 7 Decretorum pag. 59.*

Item *in Toletana mense Martii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 112.*

41. Hinc etiam Parochiales vacantes perliberam resignationem in manibus Legati sunt conferendae per concursum, qui haberi debet coram Ordinario, ac eis sunt adiudicandae, quos Ordinarius digniores Legato praesentaverit *in Avenionen. mense Octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 187.*

42. Amplia, Ecclesiae parochiales, vacantes in mensibus Apostolicae Sedi reservatis, vel per Regulas Cancellarias, subiiciuntur concursui coram Ordinario faciendo, transmissa Summo Pontifici fide approbationis cum Examinatorum iudicio et Episcopi electione *in Avenionen. mense octobris 1586 lib. 4 Decretorum pag. 187.*

43. Unde Sacra Congregatio respondit, parochialem Ecclesiam esse de novo Parocho providendam ad formam Concilii, si is, qui in concursu renunciatus dignior, supplicatione porrecta et signata per Summum Pontificem, incidit in amentiam, et nulla sit spes convalescentiae Provisi, non obstante, quod fuerint expeditae Bullae in forma gratiosa cum commissione Ordinario *in Florentina die 23 Novembris 1680 lib. 31 Decretorum pag. 279.*

44. Alias enim ne levissimum quidem dubium, quin collatio Parochialis facto a Papa in forma gratiosa sit valida, etiamsi expresse non fuerit derogatum dispositioni Concilii in cap. 18 sess. 24 de reformatione *in Dubium ad cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

45. Hinc Sacra Congregatio declaravit, Parochialem vacantem, eo quod nulliter fuerit unita alteri Parochiali ab Episcopo ad effectum erigendi Collegiatam, non esse conferendam a Dataria per impetrationem, sed praevio concursu faciendo coram Episcopo *in Syracusana Collegiatae die 8 Iulii 1713 et die 13 Aprilis 1715 lib. 63 et 65 Decretorum* (1).

46. Idcirco quum Sacra Congregatio nullam declaraverit unionem Ecclesiae parochialis S. Adhoeni pene collabentis alteri similiter parochiali S. Andreae factam ab Episcopo, eamque iam Parochiani restauraverant, proposito inde dubio: – III. An et quis terminus sit praefigendus ad faciendum concursum ad Ecclesiam parochialem S. Adhoeni eamque consecrandam sive benedicendam in casu etc. –, responsum dedit: – Ad tertium, instent coram ipsomet Episcopo; et amplius – *in Aversana Dissolutionis Unionis die 3 Octobris 1705 lib. 55 Decretorum.*

47. Quum itaque unio Parochiae cum Archipresbiteratu anno 1643 ab Episcopo in actu sacrae visitationis expleta ad effectum, pluribus de causis, perducta haud fuerit in tam longo quinque et octoginta annorum spatio, videntibus quoque et acquiescentibus Archipresbiteris, unde Episcopus, huiusmodi unione non obstante, concursum indixerit atque Ecclesiam contulerit Nicolao Vecchio, eumque in ipsius Ecclesiae possessionem posuerit, propositis dubiis: – I. An constet de legitima unione Parochiae S. Mariae de Pinta cum Archipresbiteratu Civitatis Amantheae?

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Ecclesia Collegiata*, §. II, n. 16 et 17.

Et quatenus affirmative. II. An collatio eiusdem Ecclesiae S. Mariae de Pinta favore Nicolai Vecchio substineatur, seu potius an et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, collationem substineri; et amplius – *in Tropien. Unionis die 18 Augusti 1731.*

48. E contra cum quis obtinuerit Literas Apostolicas ad obtinendas Ecclesias parochiales, quae a spatio duorum fere seculorum iam unitae extabant, sed iam lis introducta erat pro earumdem dissolutione, Sacra Congregatio iustis de causis mandavit, ut, praefata litis pendentia non obstante, procederetur ad exequutionem Literarum Apostolicarum coram Iudice exequutore *in Compostellana Parochialis die 25 Februarii 1747.*

49. Siquidem postquam spatio duorum fere seculorum unitae fuerunt duae parochiales Ecclesiae de Gres et S. Mariae de Bendana Diaecesis Compostellanae, altera de iurepatronatus laicalis, altera de iurepatronatus ecclesiastico, inceptum fuit, vivo adhuc earum Pastore et pleno Beneficio, iudicium separationis et disiunctionis earumdem in Archiepiscopali Curia Compostellana, instante Promotore Fiscali, cui adhaerebant Parochiani S. Iacobi de Gres. Hoc iudicio pendente, obiit Parochus, et Patronis scissis in praesentatione, maior pars convenit in nominatione Sacerdotis Andreae Toxo, qui anno 1744 obtinuerat a S. Sede gratiam pro praesentando, cum derogatione medietatis vocum, expressa in Literis Apostolicis lite introducta et adhuc indecisa, quarum exequutio demandata fuit Vicario Generali Compostellano. At Promotor Fiscalis a Sacra Congregatione postulavit, ut ex causa litis pendentis supersederetur quaelibet provisio usque ad illius exitum. Rescripserunt Emi Patres die 19 septembris 1744: – Archiepiscopo pro informatione et voto, auditis Partibus –. Sed Archiepiscopus, qui Literas Apostolicas probe callebat, nunquam respondit; eo defuncto, novus libellus oblatus fuit ab eodem Promotore Fiscali Amplissimis Patribus, in quo exprimebatur, nullam mentionem haberi in Literis Apostolicis pendentiae litis, et die 26 martii 1746 rescriptum fuit: – Dentur novae Literae Archiepiscopo pro informatione et voto, auditis Partibus –. At cum post lapsum fere unius anni nec praesentatae fuerint Literae Sacrae Congregationis, nec responderet Archiepiscopus, plurimumque interesset rem expediri, cum detrimentum inferret Parochiali administratio Oeconomi mercenarii, petiit idem Andreas Toxo, ut Emi Patres declararent, litem, quae pendebat, dissolutionis duarum Parochialium non impedire exequutionem Literarum Apostolicarum coram Exequutore ex pluribus rationibus, quae afferebantur. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit procedendum ad exequutionem Literarum Apostolicarum coram suo Iudice in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative – *in Compostellana Parochialis die 25 Februarii 1747.*

50. Quum vero Sacerdos Antonius Cardamonus novam ab Episcopo Marturanensi sibi conferri obtinuisset parochialem Ecclesiam sub titulo S. Michaelis Archangeli ab eodem paulo ante erectam in Villa S. Thomae aliisque conterminis Pagis, praevia istorum dismembratione ab antiqua Parochia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Sciliani Pedivilliani, sed Thomas Angotti veteris Parochiae Rector contenderet, Literas Apostolicas ab eo, lite super dismembratione pendente, expeditas haud esse exequendas, proposito dubio: – II. An Literae Apostolicae sint exequendae in casu etc. –, Sacra Congregatio, postquam declaravit, dismembrationem substineri non posse, die 9 septembris 1741 responsum dedit: – Ad secundum, Negative; et amplius –. Cardamonus novae audientiae beneficium impetravit; sed reproposito dubio sub formula: – An quoad secundum dubium sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Marturanen. Dismembrationis die 24 Augusti 1743.*

51. Unde si quis obtinuerit Literas Apostolicas, quibus ipsi collatio Ecclesiae parochialis indulgetur, quin locus factus fuerit ad formam Constitutionis *In conferendis* devolutioni, Episcopus nedum legitime concursum indixit, sed et ad ulteriora procedere tenetur *in Valven. Parochialis die 16 Februarii die 16 Martii et die 4 Maii 1743.*

52. Enimvero postquam Sacra Congregatio die 23 septembris 1741 declaraverit, Ecclesiam

parochialem Castri Hyllaris esse liberae collationis Episcopi, Administratores Universitatis loci, transactis aliquot mensibus, postularunt in Curia Episcopali concursum indici, ac praeterea ob multitudinem Populi praedictae Ecclesiae subiecti duos Coadiutores a Parocho eligendos constitui. Deinde vero quum iidem Administratores rescivissent, impetratas fuisse die 15 mensis ianuarii 1742 a Sacerdote Camillo Paschali Apostolicas Literas eidem decernentes collationem Beneficii ipsius parochialis Ecclesiae veluti ad Apostolicam Sedem devoluti, iuxta praescriptum Constitutionis S. Pii V, quae incipit: *In conferendis*, earumque Literarum executionem delegatam fuisse Vicario Generali Episcopi, rursus in eius Curia institerunt publicari indictum edictum pro habendo concursu, Literis vero Apostolicis, si quae ab impetrante exhiberentur, veluti obreptionis vitio laborantibus executionem denegari; eaque de re curarunt etiam nonnullas protestationes ipsorum nomine editas cum quibusdam Curiae Episcopalis Decretis praedicto Sacerdoti Paschali nunciari. Denique die 31 martii 1742 obtinuerunt ab Episcopo Decretum, quo parte ex adverso minime comparente, mandavit expediri solitas Literas edictales pro concursu habendo infra legitima tempora ad formam Sacri Concilii Tridentini pro Ecclesia parochiali Castri Hyllaris, salva tamen provisione facienda, prout de iure tam super deputatione Coadiutoris Curati, quam super Examinatoribus Valven. loco Synodalium Auctoritate Apostolica suffectis, stante suspicione in actis deducta. Praefatum Decretum commovit Sacerdotem Paschali ad exhibendum in Curia Episcopali binum exemplar, alter scilicet Literarum Apostolicarum, quas ipse a Dataria impetravit, alterum vero Literarum Auditoris Camerae, quas monitoriales et inhibitoriales vocabant. Verum Universitas Castri Hyllaris, ne ob hanc causam aditus praecluderetur exoptato concursui, per organum Emi Pro-Datarii obtinuit a Summo Pontifice controversiam remitti ad Sacram Congregationem.

53. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An ad formam Constitutionis S. Pii V Incipien. *In conferendis* factus fuerit locus devolutioni Ecclesiae parochialis, de qua agitur, in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An sit procedendum ad ulteriora in convocatione concursus in casu etc. –, Sacra Congregatio die 16 februarii 1743 respondit: – Dilata ad primam post cineres –. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 16 martii 1743 respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative –. Verum quum idem Sacerdos Paschali obtinuerit novae audientiae beneficium, repropositis dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Valven. Parochialis die 4 Maii 1743.*

54. Collatio vero Parochialis facta ab Episcopo cum Examinatoribus ab ipso deputatis, omissis Synodalibus, est nulla; quia facta non servata forma Concilii *in Toletana mense Martii 1595 lib. 8 Decretorum pag. 112.*

55. Iusta tamen concurrente causa, indulgetur gratia revalidationis titulorum beneficialium, cum Parochi examinati fuerint ab Examinatoribus per Archiepiscopum nominati, approbante Capitulo, non vero in Synodo Diaecesana electis *in Bracharen. Dubiorum die 26 Ianuarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

56. Siquidem – in visitatione Sacrorum Liminum, quam pridem Archiepiscopus Bracharensis peregit, pluribus expositis, ordinaria auctoritate in eius Diaecesi commendabiliter praeordinatis, super his praeterea Apostolicam auctoritatem quam demisse imploravit; I. cum Diaecesana Synodus inde a pluribus annis coacta non fuerit, Examinatores Synodales nominari ab Archiepiscopo consueverunt, approbante Capitulo; summa igitur ratione dubitari contigit super legitima provisione parochialium Ecclesiarum, ex defectu formae a Sacro Concilio praescriptae cap. 18 sess. 24 de reformatione. Quoniam vero Provisi integra fide Ecclesias possident, neque huiusmodi defectus ex eorum culpa evenit, quin etiam maxima litium iurgiorumque scandala procul dubio insurgerent, si iterum examini ipsi subiicerentur, hinc SS. D. N. praelaudatus Archiepiscopus exoravit, quatenus beneficiales titulos revalidare dignaretur, perinde ac si ab initio legitimi existerent, praevia sanatione omnium et quorumcumque defectuum, cum ceteroquin pastorali muneri non defuerit

convocata ultimis hisce temporibus Diaecesana Synodo –. His itaque perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo sit consulendum quoad primum postulatum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Affirmative pro gratia iuxta modum, facto verbo cum Sanctissimo – *in Bracharen. Dubiorum die 26 Ianuarii 1715 lib. 65 Decretorum.*

57. At Literae Apostolicae impetrationis Paraeciae haud sunt relaxandae favore eius, qui in concursu ad obtinendam praedictam Paraeciam fuit reprobatus, dum alter approbatus magisque idoneus renunciatus iam provisionem dictae Paraeciae a Dataria reportavit *in Syracusana Parochialis die 19 Iunii 1717 lib. 67 Decretorum.*

58. Enimvero – cum Episcopus Syracusanus anno 1710, inconsulta Sede Apostolica, Matricem Ecclesiam S. Nicolai Oppidi Militelli in Collegiatam erexerit eique univerit parochialem Ecclesiam Beatae Mariae de stellis eiusdem Oppidi tunc vacantem, Sacerdos Malacria instetit apud S. Sedem, signari ad sui favorem supplicationem impetrationis eiusdem Parochialis, attenta nullitate erectionis Collegiatae ac unionis respective, cui se opponentibus assertis Canonicis novae Collegiatae, Emus Pro Datarius controversiam remisit ad hanc Sacram Congregationem, in qua disputato dubio: « An sit locus erectioni in Collegiatam, seu potius relaxanda supplicatio? » prodiit sub die 8 iulii 1713 Rescriptum: « Negative ad primam partem iuxta modum petitum, et quoad secundam, Negative; et fiat novus concursus coram Episcopo », confirmatum die 13 aprilis 1715 cum alio Rescripto: « In decisis in omnibus; et amplius ». Convocato concursu per Episcopum, fuit in eo reprobatus praedictus Sacerdos Malacria, et approbatus et magis idoneus renunciatus Sacerdos Vincentius Calabrò, qui successive provisionem a Dataria reportavit, et Parochialis possessionem adeptus fuit, adversus quem iterum insurrexit Sacerdos Malacria, et reportatis prius a Vicario Generali Emi Archiepiscopi Montis Regalis Metropolitani testimonialibus super bonis vita et moribus ac idoneitate ad curam animarum ab illius Examinatoribus Synodalibus in privato examine recognita, supplicationem Sanctissimo porrexit pro impetratione eiusdem Parochialis ex capite expressionis falsi valoris per dictum Provisum narrati per non excessum ducatorum 24 auri de Camera, exponendo verum valorem ad summam ducatorum 35 similium ascendere, et impetrationis literas dicto Vicario Generali Metropolitani directas obtinuit in forma dignum cum solitis clausulis « vocatis vocandis, et si per diligentem examinationem adhibitis Examinatoribus idoneum esse repereris ». Cum autem relaxationi huiusmodi Literarum se opposuerit praedictus Calabrò actualis Parochus, Emus Pro-Datarius etiam huius novae controversiae decisionem EE. VV. delegavit. Hinc idem Malacria plurium Testium fidibus et documentis in Summario EE. VV. exhibendis, suam demonstrare idoneitatem, tam ratione scientiae, quam probitatis ad curam animarum, contendit, praecipue cum ab Ordinario ad confessiones audiendas sit approbatus, et uti Capellanus Curatus in munere Parochi sese exercuerit, et monito Procuratore dicti Vincentii Calabrò, ab EE. VV. declarari supplicat: – An Literae Apostolicae impetrationis sint relaxandae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Syracusana Parochialis die 19 Iunii 1717 lib. 67 Decretorum.*

59. Unde supplicatio eius, quem Episcopus inter concurrentes uti digniorem Summo Pontifici, cui Paraeciae collatio competebat, recte ac merito commendavit, relaxanda est, non vero alterius, qui suam diginoritatem haud probavit, signari debet *in Aprutina Parochialis die 27 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

60. Siquidem – in concursu per Episcopum indicto ad Ecclesiam parochialem S. Pauli in Villis Turricellae, cuius vacatio in mense iulio superioris anni Sedi Apostolicae reservato contigit, Examinatores Synodales Ioannem Antonium Turcum, Antonium de Montibus, Antonium Mazza idoneos renunciarunt, sed Episcopus primum pro suo iudicio et conscientia uti digniorem praeeligens, illum in consuetis Literis Testimonialibus digniorem inter ceteros asseruit; ideoque idem Turcus supplicationem suam pro habenda collatione dictae Parochialis Sanctissimo exhibitam signari promeruit. Apposito autem ad

instantiam praedicti Antonii de Montibus cooppositoris « Nihil transeat », Emus Pro-Datarius, apud quem Turcus, praevia dicti Antonii citatione pro laceratione illius instetit, exceptiones obiectivas honestatem moresque dicti Ioannis Antonii Turci respicientes proponi intelligens, Partes ad Sacram Congregationem pro voto remisit; ideoque accepta iam consueta informatione Episcopi referentis, vera non esse ea, quae eidem Turco obiiciuntur, ex iis, quae per easdem Partes informantes deducuntur, ab EE. VV. hodie statuendum erit: - An supplicatio Ioannis Antonii Turci sit relaxanda, vel potius sit signanda supplicatio Antonii de Montibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Aprutina Parochialis die 27 Februarii 1706 lib. 56 Decretorum.*

61. Nam Ecclesia parochialis ei adiudicanda est, qui magis idoneus inter alios in concursu examinatos, singulis ad rem perpensis, recensetur *in Viterbien. Parochialis die 15 Decembris 1742 et die 18 Maii 1743.*

62. Iamvero plures inter, qui propriae facultatis ad animarum curam gerendam experimentum fecere in concursu indicto pro vacante parochiali Ecclesia S. Andreae in Plascarano Civitatis Viterbii, electus ab Episcopo fuit Clericus Antonius Colaina, id temporis necdum aetatem agens 25 annorum, ab ea electione provocavit ad Sacram Congregationem Sacerdos Placidus Secoli, alter ex oppositoribus. Hinc die 11 mensis augusti 1742 propositis dubiis: – I. An constet de irrationabili iudicio Episcopi, sive potius sustineatur collatio parochialis Ecclesiae S. Andreae in Plascarano ab eodem Episcopo facta favore Antonii Colaina? *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* II. An et cui dicta Parochialis sit adiudicanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, collationem ab Episcopo factam non sustineri –. Alterius vero dubii resolutionem ad preces Sacerdotis Valentini Iusti suspendendam fore censuit Sacra Congregatio. Nam Sacerdos iste quum in concursu fuisset ab Examinatoribus approbatus, sibi quoque licere arbitrans uti beneficio provocationis a Sacerdote Secoli interpositae adversus collationem ab Episcopo factam favore Clerici Colaina, spatium temporis imploravit, quo posset edocere, se veluti ceteris digniorem in istius Parochialis Ecclesiae assecutione fore praeferendum. Protulit itaque se civem esse Viterbii, per quadriennii tempus, post emensum humaniorum literarum ac philosophiae curriculum, impensam a se fuisse Theologicae facultati tum scolasticae, tum morali sedulam operam; sexies in concursibus parochialium Ecclesiarum ipsum fuisse idoneum ad eas electum, anno scilicet 1727 ad Vicariam perpetuam Ecclesiae Cathedralis Viterbii, et anno 1737 ad Archiepresbiteratum Ecclesiae Tuscanellae, quo in munere omnes Pastoris partes accurate prudenterque ab eo fuisse gestas nonnulli Testes affirmabant, donec ob infesti aeris causam eumdem Archipresbiteratum cum pensionis reservatione patriam reversurus dimisit. Addidit subinde testimonia, quibus plurimum commendabatur de cantus Gregoriani peritia, de bene rectique expleto munere Confessarii tum ordinarii, tum extraordinarii Monialium, ac in ipsa etiam Cathedrali Ecclesia, in qua una omnium Canonicorum consensione fuerat ad id muneris electus, itidemque de saepius a se peractis per Adventus et Quadragesimae tempora concionibus, deque aliis spiritualibus exhortationibus, sive in Ecclesiis Monialium, sive alibi cum plausu, nec sine animarum profectu habitis. Eiusmodi hinc documentis instructus contendit, Parochialem praedictam sibi fore adiudicandam, tametsi Antonius Colaina per puncta vigintiquinque, Placidus Secoli per puncta viginti duo, ipse vero per puncta viginti unum dumtaxat fuerit ab Examinatoribus adprobatus. Nedum enim conquestus est de iudicio Episcopi et relatione Examinatorum, sed Clericus Colaina tempore concursus aetatem assequendae Parochiali idoneam non attigerat, ac deinde eadem Parochiali indignum sese reddiderat, quum diu, post factam pendente hoc iudicio deputationem Oeconomi, voluerit obfirmato animo parochiales aedes inhabitare, fructus et emolumenta Parocho debita exigere, denunciationes Matrimoniorum instituere, primum locum in processionibus occupare, et etiam demum Parochi munia obire. Placidus Secoli vero utpote non civis Viterbii, sed loci Balneariae indigena, ibique Beneficio Curato iamdiu provisus, et

in praesens in decrepita ferme aetate constitutus, regendae huic Parochiali haudquaquam erat aptus. At Sacerdos Secoli se veluti prae ceteris in concursu examinatis digniorem ad Parochialem praedictam institui debere propugnavit, praesertim quia ipsius studium in philosophicis ac theologicis rebus mores pietas ac munus Parochi, summo cum omnium plausu iam ab se gestum per 35 annorum spatium in Terra Balnearia, pluribus tum quorumdam Religiosorum, tum etiam Sacerdotum ac Civium nec non Magistratus eiusdem Terrae Balneariae testimoniis, itidemque antecessoris Episcopi Literis pridem sibi datis, commendabantur.

63. His itaque perpensis, propositis dubiis: – An, non obstante resolutione capta sub die 11 augusti 1742, sit relaxanda favore Antonii Colaina supplicatio Sanctissimo porrecta provisionis parochialis Ecclesiae S. Andreae in Plascarano Civitatis Viterbii? *Et quatenus negative.* II. An et cui sit adiudicanda dicta Parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 decembris 1742 respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, adiudicandam esse Placido Secoli –. Repropositis exin dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 15 decembris 1742? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Viterbien. Parochialis die 18 Maii 1743.*

64. Siquidem Sacra Congregatio mandavit, ut in posterum Beneficia Curata ab Episcopis nonnisi idoneis ad munus suum per seipsos peragendum conferantur, iuxta Decretum Concilii Cap. 18 sess. 24 et Constitutionem S. Pii V *in Mileten. mense Februarii 1590.*

65. Quapropter collatio Parochialis facta ab Episcopo non magis idoneo ex concurrentibus ab Examinatoribus idoneis renunciatis, sed alteri etiam novo instituto examine, est nulla et irrita; quia facta non servata forma Concilii *in Assisien. mense Iunii 1592 lib. 7 Decretorum pag. 59.*

66. Nedum imo reprobati vel minus idonei, sed nec consanguinei vel affines aut familiares Ecclesiam parochialem assequi debent; quandoquidem S. Congregatio declaravit, Constitutionem S. Pii V incipien. *Quanta Ecclesiae Dei incommoda*, qua prohibetur Episcopis Beneficia eorum manibus resignata consanguineis vel affinibus aut familiaribus conferre, habere locum in Parochialibus dimissis ob alterius Parochialis assequutionem *in Dubium die 19 Decembris 1620 lib. 12 Decretorum pag. 58.*

67. Amplia, habet locum in Parochialibus vacantibus per resignationem et conferendis per concursum *in Aurien. mense Iunii 1589 lib. 6 Decretorum pag. 13.*

68. At vers. *Ceterum praecipimus* non comprehendit Beneficia iurispatronatus *in Novarien. lib. 3 Decretorum pag. 7 a tergo.*

69. Hinc nec Constitutio S. Pii V super collatione parochialium Ecclesiarum habet locum, nisi in Diaecesibus, in quibus coacta Synodo fuerunt ad formam Concilii deputati Examinatores *in Volaterrana anno 1589 lib. 5 Decretorum pag: 265.*

70. Neque habet locum in Beneficiis iurispatronatus laicorum, quae licet sint curata non conferuntur per concursum *in Legionen. lib. 3 Decretorum pag. 43.*

Item *in Signina mense Iunii 1609 lib. 11 Decretorum pag. 58.*

71. Alias Ecclesiae, quae sunt verae parochiales, non autem Coadiutrices Ecclesiae Cathedralis, conferri debent in titulum praevio concursu; quandoquidem postquam Sacra Congregatio declaraverit, Ecclesias SS. Cosmae et Damiani et S. Nicolai et S. Petri esse vere Parochiales, non vero Coadiutrices Ecclesiae Cathedralis, proposito dubio: – VIII. An supradictae quinque Ecclesiae sint omnes conferendae in titulum praevio concursu, vel tantum earum tres, videlicet SS. Cosmae et Damiani S. Nicolai *la Capuana* ac S. Petri, seu potius aliter quomodo sit providendum?–, responsum dedit: – Ad octavum, Affirmative quoad tres Ecclesias supradictas – *in Venusina die 30 Iulii 1763.*

72. Itaque – quaerit Episcopus Cremonae I. An si infra tempus in edicto praefixum unus comparuerit, examinari omnino debeat, si petierit et institerit, vel an Episcopus si ita expedire iudicaverit dictum tempus ad alios 10 in alio edicto proponendo prorogare possit, et examen interim differre saltem vigore Constitutionis S. Pii V editae super collatione parochialium Ecclesiarum et examine faciendo? II. An si ille, qui infra tem-

pus in praefato edicto praefixum solus comparuerit, examinatus et approbatus fuerit, Episcopus praefatam prorogationem facere valeat? III. An secundum praedictum tempus incipere debeat statim a fine praecedentis, vel an Episcopus secundum edictum proponere et novum tempus etiam longius decem diebus arbitrio suo assignare possit, etiam post plures dies post lapsum primum, dummodo infra sex menses a die vacationis perficiatur examen, et dicta Ecclesia magis idoneo provideatur, quando ad ipsum spectet collatio, vel magis idoneus eligatur, et electio Summo Pontifici seu alii Collatori infra quatuor menses iuxta Constitutionis praefatae tenorem significetur? IV. An si nullus in primo vel etiam in secundo tempore, ut supra constituto, comparuerit, vel si aliquis comparuerit, non tamen in examine pro idoneo approbatus fuerit, possit Episcopus per aliud edictum cum longiori tempore alios ad examen vocare, vel potius, si quandocumque aliquis comparuerit, et examini se subiicere voluerit, possit absque novi termini praefixione, sed extra terminum examinare, et si idoneus repertus fuerit, Beneficium ei conferre seu aliis, ad quem spectat collatio, eius sufficientiam significare? —, Sacra Congregatio respondit: — Ad primum secundum et tertium, non esse opus alio edicto, sed illum, qui comparuit, examinandum, et si idoneus expertus fuerit, ei Beneficium conferendum, nisi tamen, qui descripti fuerint, excusent, se legitimo impedimento detentos, quominus valeant ad concursum accedere, quo casu Episcopum posse legitime tempus prorogare. Ad quartum, si Episcopus semel edictum proposuit pro concursu, et ex multis examinatis nullus fuerit idoneus repertus, licet concursus per edictum non videatur a Concilio exquiri, tutius tamen fore, aliud edictum proponere, et si nemo idoneus comparuerit, tunc sine concursu alii, praevio examine, conferendum est Beneficium – *in Cremonen. anno 1582 lib. 3 Decretorum pag. 83.*

73. Nullum tamen dubium, quin parochialium Ecclesiarum collatio ad Apostolicam Sedem devolvatur, si concursus ad eas, pro quibus habendus est, nullo interiecto impedimento intra terminum in Constitutione 33 S. Pii V incipiente *In conferendis* praefinitum, non fuerit habitus, uti constat ex eadem Constitutione 33 S. Pii V §. 4, et tradunt communiter Navarr. in summ. Bullar. comment. 15 n. 3, Ventrigl. in prax. for. eccles. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 4, Antonell. de regim. Eccles. lib. 3 cap. 6 n. 18, Card. De Luca de iurepatronat. disc. 6 n. 4, de Paroch. disc. 37 n. 46, de Benefic. disc. 25 n. 7 *in Portugallen. Parochialis die 30 Martii 1737 §. Praeterea.*

74. Hinc nulla est collatio facta ab Episcopo successore Ecclesiae parochialis vacatae, sede episcopali vacante, cum collatio Parochialium vacantium, sede episcopali vacante, spectet ad Sedem Apostolicam *in Turolen. ad cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

75. Praeterea parochialis Ecclesia nedum conferri debet intra legitimum tempus ad formam Concilii Tridentini et Constitutionis S. Pii V personis magis idoneis, sed et iis dumtaxat, qui legitimam habent aetatem: neminem enim ad parochialis Ecclesiae regimen assumi posse, nisi quintum saltem et vigesimum aetatis annum attigerit, aperte statuit Alexander III in Cap. *Cum in cunctis* §. 7 Inferiora de electione, cui adhaeret Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 12 de reformatione, idque communiter tradunt Massobr. in prax. habend. concurs. ad Paroch. requisit. 10 dub. 11 n. 24, Barbos. de canon. et dignit. cap. 13 n. 18, Panimoll. decis. 89 annot. 1 n. 34, Schmalzgrueb. in ius can. lib. n. 3 *in Viterbien. Concursus die 21 Iulii 1742* §. *Porro.*

76. Collationem autem Beneficii, quae fiat non habenti aetatem a iure praescriptam, viribus haudquaquam subsistere docent Corrad. in prax. dispen. lib. 4 tit. 1 n. 17, Garz. de Benef. part. 7 de aetat. Benefic. n. 82 ad 84, Panimoll. decis. 89 annot. n. 35 *in Viterbien. Concursus die 21 Iulii 1742* §. *Porro.*

77. Nominatus tamen ad Ecclesiam parochialem non est repellendus propter defectum sacri Ordinis, dummodo alias fuerit idoneus, et possit promoveri ad sacros Ordines intra annum *in Tudertina die 9 Iulii 1785* §. *Quod vero.*

78. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, Ecclesiam parochialem conferri posse etiam simplici Clerico *in Dubium ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

79. Quum antem Patroni ad Ecclesiam parochialem primo loco Clericum prima Tonsura dumtaxat initiatum et secundo loco Sacerdotem praesentaverint, sed Ordinarius primum haud dignum reputaverit et secundum admiserit cum clausula – sit et in quantum de iure –, Sacra Congregatio rem detulit ad Emum Praefectum, iuxta mentem *in Fesulana die 18 Novembris 1724.*

80. Siquidem domini de Mozzettis tamquam Patroni Ecclesiae parochialis S. Romuli de Gaville Fesulanae Diaecesis die 5 maii 1723 ad dictam Parochialem seu Plebaniam praesentarunt primo loco Clericum Franciscum de Torsellinis prima Tonsura initiatum praesentem et acceptantem, et secundo loco Ioseph de Pescettis de Maradio Sacerdotem Faventinae Diaecesis et Capellanum Metropolitanae Ecclesiae Florentinae, et petierunt, ut Clericus de Torsellinis institueretur, et Episcopus Fesulanus iustis de causis animum suum moventibus, et praecipue quia illum de Torsellinis non reputavit dignum, ut ad sacros Ordines promoveretur, admisit – si et in quantum de iure – praesentationem Sacerdotis Iosephi de Pescettis, et interim doceri mandavit de iurepatronatus et de idoneitate secundi praesentati. Appellatione ab illis de Mozzettis et a Francisco Torsellino interposita ad tribunal Nuntii Florentini, responsum fuit, causam esse remittendam, vel ad Iudicem ad quem, vel ad Sacram Congregationem. Appellantes itaque exhibitis documentis, idoneitatem primi praesentati suadentibus, contenderunt, eidem dandam esse institutionem, cum ad tramites sacri Concilii Tridentini sess. 25 cap. 9 de reformatione non liceat Episcopis praesentatos a Patronis repellere, nisi in hypothesi, in qua non fuerint idonei: et cum inter duos cumulative a Patronis laicis praesentatos secundus praeferatur primo, si secundus obtinuerit institutionem ab Ordinario, sed cum obligatione conferendi primo Beneficium, si malitiose primum non instituerit, iuxta celebrem Textum in Cap. *Pastoralis* de iurepatronatus, quod tamen erat extraneum a casu praesenti, in quo post admissam cum clausula – si et in quantum – praesentationem secundi, fuit a primo interposita appellatio ad Superiorem, ad quem per consequens spectat iudicium ferre super iustitia, vel iniustitia non admissionis illius, qui primo loco praesentatus fuit.

81. His mature perpensis, proposito dubio: – An praesentatio Torsellini sit admittenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad Emum Praefectum, iuxta mentem – *in Fesulana die 18 Novembris 1724.*

82. Unde Sacra Congregatio statuit, eum, qui vult obtinere parochialem Ecclesiam, debere attingere saltem annum vigesimumquintum, ut, ea obtenta, intra annum ad Sacerdotium promoveri possit *in Bracharen. die 12 Februarii 1601 lib. 9 Decretorum pag. 125.*

Item *in Nullius die 18 Decembris 1627 lib. 13 Decretorum pag. 160.*

83. Quapropter Ecclesia parochialis conferenda non est Clerico in minoribus constituto atque aetatem viginti annorum agenti, licet Episcopus eumdem dignissimum censeat, nec ei, cui obstat familiaris epistola praefati Episcopi, multoque minus, qui pro ipsius impetratione ob praetensam nullitatem concursus instat, sed illius supplicatio signanda est, qui magis idoneus ex actis concursus censetur *in Tyburtina Parochialis die 24 Novembris 1781 die 26 Ianuarii et die 23 Februarii 1782.*

84. Enimvero anno 1780 mense octobris S. Sedi reservato vacavit per obitum Caesaris Bernardini Archipresbiteralis Ecclesia S. Petro Apostolo dicata Terrae Poli Tyburtinae Diaecesis, atque indicto concursu, gemini fuerunt reprobati, tertius approbatus ac praeelectus, nimirum Sacerdos Laurentius Borgia, qui subinde iuri suo solemniter renunciavit. Novo itaque indicto Concursu, ex septem concurrentibus tres dumtaxat in scrutinio quoad scientiam, praetermisso examine quoad mores, quia penes acta non enunciatos, approbati fuerunt ab examinatoribus Pro-Synodalibus, quorum primus fuit Clericus in minoribus Dominicus Carboni annorum viginti; secundus locus fuit assignatus Sacerdoti Laureto Carboni; postremus locus Sacerdoti Carolo Rosci aetatis suae annorum triginta quinque. Ex his approbatis Tyburtinus Antistes praeelegit Clericum Dominicum Carboni, sub spe obtinendae dispensationis super defectu aetatis. Ast facta in Urbe actorum concursus revisione aliter

fuit Revisorum sensus: nam primum locum attribuerunt Laureto Carboni, secundum Carolo Rosci, tertium Clerico Dominico Carboni, ita ut, praetermisso Sacerdote Laureto, cui obstabat familiaris epistola Tyburtini, de vacante Ecclesia provisus fuerit Sacerdos Carolus Rosci, qui pro expeditione Literarum Apostolicarum de sibi collata Archipresbiterali Ecclesia supplicationem obtulit. At Lauretus Carboni ab irrationabili iudicio Episcopi recursum habuit ad Sacram Congregationem. Interea comparuit Sacerdos Ioannes Angelus Carboni, qui supplex etiam fuit apud Summum Pontificem pro impetratione praefatae parochialis Ecclesiae tamquam S. Sedi reservatae, attenta nullitate concursus, ob non servatam formam a Tridentino statutam. Episcopus censuit, Clericum dignissimum esse, cui memoratae Ecclesiae cura demandaretur, quoties super aetatis defectu a Summo Pontifice benigne dispensare contigeret, – quemadmodum ad maiorem Dei Gloriam Ecclesiaeque utilitatem expedire in Domino iudicamus –. Proposito vero dubio: – An et quae supplicatio sit signanda, seu potius sit adiudicanda Parochialis Sacerdoti Laureto Antonio Carboni in casu etc. –, Sacra Congregatio die 24 novembris 1781 responsum tulit: – Quoad supplicationem Dominici Carboni, Negative; in reliquis iterum proponatur –. Angelus Carboni a iudicio interim recessit. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 26 ianuarii 1782 respondit: – Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam –. Novum suorum iurium periculum facere cupiens Sacerdos Lauretus Antonius, facultatem iterum deducendi iura sua postulavit et obtinuit. Reproposito tamen dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Tyburtina Parochialis die 23 Februarii 1782.*

85. Idcirco habens Parochialem unitam Praebendae in Cathedrali ad vitam tantum Praebendati non liberatur a debito suscipiendi ordinem Presbiteratus, etiamsi Praebenda hunc Ordinem non requireret *in Dubium ad cap. 7 sess. 7 de reformatione Posit. 11 et ad Cap. 1 sess. 23 de reformatione Posit. 41.*

86. Nec aliter dicendum quoad Parochialem litigiosam obtinentem, si eius habet liberum exercitium, et lis mota fuit post duos menses ab adepta possessione *in Dubium ad Cap. 17 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

87. Statutum Synodale vero, quo prohibetur, ne quis ad Beneficium parochiale promoveatur, nisi in actuali cura animarum saltem integrum biennium transegerit, nullatenus obstat, quominus Sacerdos huiusmodi destitutus qualitate a Patrono laico Parochialem assequatur, in qua instituendus est, iuxta dispositionem Concilii Tridentini *in Olomucen. Parochialis die 6 Maii 1741.*

88. Siquidem Episcopus Olomucensis inhaerens Synodali Decreto primum edito et novissime a cl. me. Card. Schrattenbach illam regente Ecclesiam innovato, quo cautum erat, – nullum Clericum, nisi qui in actuali cura animarum saltem integrum biennium sedulo transegerit, ad quodcumque Beneficium Curatum promoveri et institui debere –, noluit praesentationem Sacerdotis Augustini Pischelli ad Heralticensem primum, deindeque ad Pirnicensem parochiales Ecclesias ab Antonio Rambaldo comite de Collalto earumdem Ecclesiarum Patrono factam admittere, eo innixus fundamento, quod idem Augustinus veluti recens ad Sacerdotium et quidem ope Apostolicae dispensationis super legitimae aetatis defectu promotus, nullo adhuc vel exigui temporis spatio animarum curam exercuerit. Cum autem id secum iniuria fieri ratus fuerit Comes de Collalto, ad S. Sedem appellationem interposuit. Triplici enim nomine putavit memoratus Comes haud obesse Synodale Decretum supra relatum, quominus Augustinus Pischelli a se praesentatus deberet in parochiali Ecclesia Pirnicensi institui; primo, quia agebatur de Beneficio iurispatronatus laicalis, quod a quacumque lege censetur exceptum, nisi de eo explicita fiat mentio; secundo quia controversa parochialis Ecclesia multo ante enunciatum Synodale Decretum fuerat erecta, ac proinde libera facultas ex fundationis lege iam Patronis acquisita praesentandi personam dignam et idoneam nequiverit adimi aut quoquomodo ex recensita Synodali Constitutione restringi, cum legitima Patronorum iura tollere aequitati consentaneum non sit, ut inquit Tridentinum sess. 25

cap. 9 de reformatione; et tertio, quia eadem Synodalis Constitutio iamdiu absolverat, cum plures Presbiteri in parochialibus Beneficiis fuerint instituti, licet ea qualitate a Synodico Decreto praescripta non reperirentur instructi iuxta testimonium, quod Ioannes Gaspar de Thall iuratus perhibuit. Haec autem eo potiori iure locum autumavit obtinere, dum Augustinus ex variis, quae adferebantur, documentis comprobabatur doctrina morum integritate prudentia aliisque praeditus animi dotibus, quae ultro sufficiebant, ut idoneus dignusque ad assequendam parochialem Ecclesiam reputaretur. His itaque perpensis, proposito dubio: – An obstet Statutum Diaecesanum, ita ut sit retardanda institutio Sacerdoti Augustino Pischellio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Statutum non obstare, et quoad institutionem Sacerdotis Pischelli, servetur dispositio Tridentini – *in Olomucen. Parochialis die 6 Maii 1741.*

89. Praeterea nonnisi Viro Parochianis accepto cura animarum est deleganda, ne ex illius odio gravia forte generentur incommoda, uti colligitur ex Can. *Nullus invitis* dist. 61, et Can. *Si forte* dist. 63, adeo ut ad assecutionem Beneficii Curati sufficiens impedimentum praestet odium et malevolentia Populi, etiamsi irrationabilis, secundum ea, quae cum aliis notat Lambertin. de iurepatronat. part. 2 lib. 2 quaest. 9 art. 11 *in Ianuen. die 10 Septembris 1735* §. *At si.*

90. Qui autem absolutus fuit cum clausula – ex hactenus deductis, tanta adhuc infamiae nota infectus extat, ut ab Ecclesiae parochialis assecutione sit omnino arcendus, donec qualibet abluta criminis macula, melioris vitae specimen non praebuerit, ceu ad Textus expressos in Cap. *Inter delictos* 11 de excess. Praelat. et in Cap. fin. de purgat. canonica docent Reiffenst. in ius can. lib. 5 tit. 37 n. 60, Schmalzgrueb. eod. loc. n. 141, et alii adducti per Ventrigl. in prax. part. 2 annot. 5 §. 2 n. 65 *in Caputaquen. Concursus die 10 Iunii 1741* §. *Iudicium.*

91. Idcirco inter praesentatos ad Ecclesiam parochialem is est admittendus, qui omni vacat culpa, non vero qui de quadam inhonesta cum Muliere conversatione sit diffamatus *in Imolen. Parochialis die 28 Martii 1722.*

92. Iamvero Sacerdos Ioseph Chellinus praesentatus fuit a Communitate Terrae Massae Longobardae ad Ecclesiam Parochialem S. Pauli, et absente a Diaecesi Emo Episcopo, qui in Urbe morabatur occasione electionis Summi Pontificis, admissa fuit a Vicario Generali praesentatio cum clausula, – si et in quantum –. Secuto Emi Episcopi reditu ad Diaecesim, et instante Promotore Fiscali, ne Sacerdos Ioseph ad parochialem admitteretur sub fundamento, quod non esset bonis moribus imbutus, et quod de quadam inhonesta cum Muliere conversatione esset diffamatus, ita ut de recenti eidem inhibitum fuisset, ne ad eius domum accederet et cum ea conversaret, etiam sub praetextu consanguinitatis, Procuratores Communitatis ad novam cumulativam praesentationem devenerunt in persona Sacerdotis Francisci Gallupii, qui de praesenti erat Parochus in Diaecesi Ferrariensi, et haec postrema praesentatio fuit admissa, et simul et semel reiecta est alia, quae facta fuerat in persona Sacerdotis Iosephi. Appellatione a succumbente interposita, institit Promotor Fiscalis pro reiectione praedicti Iosephi, cum non ageretur de privando, sed de repellendo, in quo rerum themate sufficit diffamatio, nec requiruntur probationes concludentes, sed leviores, iuxta late deducta per Rotam decis. 202 a n. 14 coram Alexandro VIII. Proposito hinc dubio: – An et cui adiudicanda sit Parochialis, de quo agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Parochialem esse adiudicandam Sacerdoti Francisco Gallupio; et amplius – *in Imolen. Parochialis die 28 Martii 1722.*

93. Quin imo Sacra Congregatio respondit, Parochialem conferendam esse approbato a duobus tantum Examinatoribus ex tribus, omisso approbato ab omnibus, stante huius diffamatione de vita et moribus *in Mediolanen. seu Alexandrina Concursus die 28 Novembris 1693 lib. 43 Decretorum.*

94. Quum vero in Villa Armellada consuetudo vigeret, quod Rector parochialis Ecclesiae SS. Annuntiationis vini, quod Decurionibus illis, qui ad Rectorem eligendum congregarentur, distribui solebat, pretium solveret, distribueretque vinum et castaneas in festo die S. Stephani, atque Ecclesia illa vacante electus fuerit Ioachim Alvarez, reiecto Marco Alvarez altero candidato, qui

allegavit nominationem simoniae vitio esse infectam, ob illarum, quae statutis anni temporibus praestari solebant, sponsionem, proposito dubio: – An substineatur electio, ita ut concedenda sit institutio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata – *in Oveten. Parochialis die 21 Novembris 1744.*

95. Alias attentis peculiaribus rerum circumstantiis, Sacra Congregatio permisit, ut conferretur Ecclesia parochialis de iurepatronatus laicorum ei, qui fuerat ad eam legitime a Patronis electus, quin leges per Pontifices indictas adimplevisset *in Colonien. Parochialis 26 Novembris 1763.*

96. Siquidem Summus Pontifex Gregorius XIII quaedam ecclesiastica Beneficia univit parochialibus Ecclesiis Civitatis Coloniensis, quae nuncupabantur Pastoratus. Ea occasione constituit, quod nullus ad parochiales Ecclesias praedictas praesentari vel alias assumi, neque illas obtinere vel assequi possit, nisi Magister seu Doctor aut Licentiatus, vel ad minimum de proxime licentiandus in Theologia seu Decretis. Tunc temporis non erat adhuc publicata Coloniae Synodus Tridentina. Hinc mandavit, quod – postquam Concilium Tridentinum in illis partibus publicatum fuerit, providendi de dictis Parochialibus Ecclesiis non amplius a Superioribus et Inquisitore praedictis, sed in concursu ab Examinatoribus inibi iuxta dictam Concilii Tridentini dispositionem deputandis, servata eiusdem Concilii forma examinari et adprobari debeant –. Vacantem anno 1762 unam ex iis, scilicet Ecclesiam parochialem S. Martini de iurepatronatus laicorum, obtinuit Sacerdos Arnoldus Wolff ad electionem Parochianorum. Sed postea existimans se minus tutum eiusmodi provisione, – ex eo quod concursus super dicta parochiali Ecclesia ad formam statuti et ordinationis PP. Gregorii praedecessoris minime habitus fuerit, ipseque Orator tempore provisionis huiusmodi ad Magisterii in Theologia vel Doctoratus aut Licentiatura in Decretis gradum iuxta eamdem statuti et ordinationis huiusmodi formam minime promotus existebat –, supplex Summum Pontificem adiit, et novam provisionem eiusdem Parochialis postulavit. Ordinarius censuit, gratia Oratorem dignum. Sed interim Sacerdos Adolphus Scute, ex quo Ecclesiam assequutus fuerit Arnoldus, – concursu iuxta statutum et ordinationem praedicti Gregorii minime habito –, de Beneficio impetrando eidem Summo Pontifici supplicavit: sed postea multoties interpellatus, haud comparuit. Contendit itaque Arnoldus, relaxandam pro se esse supplicationem, quia passim Apostolica Sedes solebat providere de Ecclesiis parochialibus sine concursu, ac praesertim in Germania, derogando Conciliari sanctioni, cui suppletur per clausulam, – adhibitis Examinatoribus Synodalibus –, ut testatur Rota in Tridentina Archipresbiteratus 3 februarii 1727 coram Calcagnino. Itaque contendit, id multo magis admittendum esse in casu, quia Ecclesiae parochiales Colonienses conferri usu receptum erat sine concursu, ut affirmabat suffraganeus Coloniensis et Canonicus Archidiaconus Actuarius; Pontifices vero novas hasce provisiones Apostolica benignitate concedere consuevisse. Addidit, se necessariis requisitis instructum: hinc sufficere, quod si non forma concursus impleretur, mens et voluntas Pontificis, qui statuit – ut parochialibus Ecclesiis de Viris spectatae doctrinae et probitatis et ad verbum Dei praedicandum et Sacramenta ecclesiastica administrandum ceteraque munia parochialia obeundum idoneis prospiciatur –. Multo magis, quod post provisionem, iuxta stylum Datariae Ordinario committendum, deberet provisus novum sui experimentum facere coram eodem et Magisterii gradum assumere. Ex his propugnavit, reiiciendum fuisse omnino odiosum impetratorem; quia non dicitur Ecclesia parochialis vacans, quousque Pontifex gratiam non denegaverit, atque is non postulavit Parochiam veluti adprobatus in concursu, sive uti Laurea doctorali insignitus. In omnem casum non posse saltem denegari praelationem sibi, qui prior Pontificem adiit, qui munus Cappellani cum Parochianorum et Ordinarii approbatione multo tempore exercuit, qui a Patronis erat legitime praesentatus. Maximum in hac Causa momentum fecit, quod Dataria Apostolica, quae votum exquirebat a Sacra Congregatione, sequuta postmodum alia consimili vacatione, consimilem huic, de qua agebatur, provisionem concessit, de qua monumentum authenticum apud acta proferebatur.

97. His mature perpensis, proposito dubio: – An supplicatio sit relaxanda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et amplius – *in Colonien. Parochialis die 26 Novembris 1763.*

98. Imo sustinenda est nominatio ad Ecclesiam parochialem a legitimo Patrono factam, quin obstet, quod is Religionem ingrediens bonorum renunciationem votumque paupertatis emiserit, sed inde ab ea exierit, cum praesertim eius nomine supplicatum fuisset Summo Pontifici pro dispensatione super dicta renunciatione ac voto paupertatis, eaque concessa fuerit *in Recineten. Parochiae die 12 Iulii et die 20 Septembris 1794.*

99. Iamvero fiduciam, quam a Tiberio acceperat Cruciani, aperuit moriens anno 1786 eius Uxor et usufructuaria Maria, declaravitque, unam ex omnibus illius bonis, vel duas prudenti Recinetensis Episcopi arbitrio erigendas esse animarum curas, sub poena caducitatis favore Sodalitii Sanctissimae Trinitatis Recineti, quatenus intra sexennium, ab eius obitu non fieret erectio. Declaravit insuper, quod si erigerentur duae, activum primae iuspatronatus foret filii seu descendentis maioris Mariae Lucretiae Cruciani viduae Christophori de Turri, activum secundae filii seu descendentis maioris domus Melchiorri, si una, ad utriusque familiae maiores natu alternatim pertineret, incipiendo ab illa de Turri. Huic igitur inhaerens declarationi, unam Vicarius Apostolicus Recineti die 24 iunii 1792 suburbanam erexit Parochiam in regione *di moglie vecchia,* reservata sibi facultate assignandi certa stabilia pro novi Rectoris et Parochi congrua sustentatione, et reservato ad formam fiduciae iurepatronatus: sed ob madentem adhuc parochialis domus et Ecclesiae fabricam, institutionem distulit Parochi, solemni in id per eius Promotorem Fiscalem emissa protestatione, ne exeunte sexennio locus fieret caducitati. Eadem erectionis die exIesuita Dominicus de Turri, natu maior Lucretiae Cruciani filius, in Parochum nominavit Sacerdotem Iosephum Brandoni; eiusque nepos comes Aloisius die 6 augusti Sacerdotem Ignatium Thomam Brunori, deindeque eo renuente Sacerdotem Franciscum Micheloni die 7 septembris eiusdem anni 1792. Ad confirmandam vero nominationem Dominici supplicatum eius nomine fuit Summo Pontifici pro dispensatione super exarata in ingressu ad Religionem renunciatione solemnique emisso paupertatis voto, et die 10 octobris praedicti anni – Sanctissimus benigne annuit pro gratia iuxta petita, salvo iure Iosephi Brandoni primo nominati –. Hoc tamen factum declaravit Dominicus absque eius scientia et voluntate; studioque propterea in Brandonium remisso, alterum ei die 12 decembris 1793 addidit nominatum, Sacerdotem nempe ipsum Micheloni a nepote Aloisio proposito. Summo Pontifici hinc supplicavit Aloisius, ut suam approbaret nominationem, vel committeret saltem Vicario Apostolico electionem magis idonei Parochi inter duos nominatos. Nam ipse contendit, sibi convenire vacationem maioris natu, utpote qui primogenitus erat ex primogenito Mariae Lucretiae Cruciani. Nomen enim maioris natu intelligitur in sensu iuris de primogenito, et in delatione praesertim iurispatroratus Primogenito convenit ex Primogenito ad exclusionem Patrui. Advertebatur tamen, id procedere, ubi ingressum est semel iuspatronatus in lineam primogenialem; sed in casu de ipso agebatur iurispatronatus ingressu inter Patruum et Nepotem. Impensius vero ursit Aloisius emissam a Patrono renunciationem votumque paupertatis. Suam contra Brandonius defendit nominationem. Nam Dominicus de Turri, tamquam filius natu maior Mariae Lucretiae Cruciani, qualitatem habebat fiduciae, et per consequens activum iuspatronatus praelative ad Nepotem, quin obesset bonorum renunciatio votumque paupertatis. Rununciatio enim respiciebat bona, non item iuspatronatus, quod veluti spirituale, extra commercium reputatur. Tacita insuper ei inest conditio perseverantiae in Religione; ideoque per egressum ab illa rediit renuncians ad primaeva iura atque exercere valebat iuspatronatus, Rota coram Bichio decis. 52 n. 18, Barbosa de iur. eccles. lib. 1 cap. 42 n. 203, cum praesertim iuspatronatus institutum fuerit post ingressam Societatem Iesu, et sic veluti habens causam de futuro, comprehensum forsan dici nequibat in praecedenti renunciatione. Votum autem paupertatis, vel non impediebat acquisitionem bonorum post egressum

a Religione saltem quoad usumfructum, vel ad effectum, de quo res erat, sublatum censebatur eius impedimentum per Rescriptum Summi Pontificis 10 octobris 1792.

100. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quae nominatio sustineatur, seu potius sit locus novae nominationi, praevia legitimi temporis praefixione in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 iulii 1794 respondit: - Iterum proponatur –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Sustinendam esse nominationem favore Brandoni, et amplius – *in Recineten. Parochiae die 20 Septembris 1794.*

101. Insuper neque per Concilium, neque per Constitutionem S. Pii V super Parochialium collatione derogatum est quadrimestri laicis Patronis ad praesentandum a iure concesso *in Barbastren. mense Aprilis 1587 lib. 4 Decretorum pag. 247.*

102. Nec potest illud ab Episcopo abbreviari *in Urbinaten. die 5 Decembris 1637 lib. 15 Decretorum pag. 622.*

103. Imo Sacra Congregatio declaravit, non fuisse consumptum turnum per praesentationem factam a Compatrono ad Ecclesiam parochialem vacantem et acceptatam a praesentato, qui tamen institutione nondum habita post decem et septem menses praesentationi renunciavit *in Bononien. Iurispatronatus die 10 Aprilis 1683 lib. 33 Decretorum pag. 111.*

104. Secus vero si ius electionis haud subsistat, sed Ecclesia parochialis sit liberae collationis Episcopi; quandoquidem quum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Valvensis contenderet, parochialem Ecclesiam Assumptionis Beatae Mariae Virginis Oppidi Hyllaris membrum atque granciam esse suae Cathedralis, proindeque sibi competere ius nominandi Vicarium, qui, praevia Ordinarii approbatione, eique ad praescriptum Constitutionis S. Pii V 47 assignata congrua, amovibilis ad eiusdem Capituli nutum animarum curam exerceret, contra Universitas praefati Oppidi propugnaret, Parochialem istam nunquam fuisse Cathedrali subiective unitam, minusque super ea patronatum Capitulo unquam ratione ulla quaesitum, adeoque eiusdem Parochialis collationem libere spectare ad Episcopum, omnesque eius fructus a Parocho in concursu de more eligendo debere percipi, propositis dubiis: – I. An Ecclesia parochialis Castri Hyllaris sit liberae collationis, seu potius eadem Ecclesia spectet ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Valvensis iure unionis granciae, vel iurispatronatus in casu etc. *Et quatenus affirmative ad secundam partem.* II. An ad exercitium eiusdem curae sit admittendus Vicarius seu Parochus perpetuus deputatus a Capitulo cum approbatione Ordinarii, seu potius eadem Ecclesia sit conferenda per concursum in casu etc. *Et quatenus affirmative ad primam partem.* III. An et quae congrua sit a Capitulo assignanda Vicario seu Parocho perpetuo in casu etc. –, Sacra Congretio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum et tertium, provisum in primo; et amplius – *in Valven. Parochialis die 23 Septembris 1741.*

105. Quod si Ecclesia parochialis sit de iurepatronatus ecclesiastico, Sacra Congregatio declaravit, pro Parochiali vacante iurispatronatus ecclesiastici institutionem spectare ad Episcopum, electionem ad Patronum ex renunciatis idoneis ab Examinatoribus Synodalibus *in Barchinonen. lib. 2 Decretorum pag. 100.*

Item *in Attrabaten. mense Februarii 1585 lib. 4 Decretorum pag. 27; in Asturien. mense Iulii 1585 lib. 4 Decretorum pag. 47; in Ordinis S. Bernardi mense Augusti 1586 lib. 4 Decretorum pag. 175.*

106. Hinc ubi institutio spectat ad Episcopum, electio dignioris spectat ad Patronum *in Monopolitana mense Augusti 1588 lib. 5 Decretorum pag. 177.*

107. Si vero institutio spectat ad Summum Pontificem, electio magis idonei ad solum Episcopum pertinet, et non ad alium *in in Bracharen. lib. 1 Decretorum pag. 46.*

Item *in Barchinonen. mense Aprilis 1591 lib. 7 Decretorum pag. 8; in Gerunden. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 31.*

108. Ceterum controversiam inter Episcopum et Metropolitanum vertentem quoad Parochi institutionem, cum hic, eo absente, dictum Parochum in Paraecia ad Populi electionem instituerit, Sacra Congregatio haud dirimere censuit, nisi prius Metropolitanus rursus excitaretur ad deducenda sua iura

in Lauden. Parochialis die 13 Septembris 1800.

109. Siquidem per obitum Sacerdotis Petri Francisci Micheli vacavit die 15 aprilis 1797 Parochialis eaque Collegiata simul Ecclesia sub invocatione divi Blasii Regii Oppidi Cotonei Laudensis Diaecesis. Duobus hinc constitutis Vicariis, nempe Ioanne Antonio Fontana et Antonio Bignami Bartoletti eiusdem Ecclesiae Canonicis, qui vacantis Paraeciae onera sustinerent, concursum indixit Episcopus die 7 augusti. Plures quidem fuerunt concurrentes, quos inter Felix Zambellini sacrae Theologiae et Iuris utriusque doctor, ac Praepositus Ecclesiae Castri novi Buccae - Abduae ibique Vicarius foraneus, et Sacerdos Mola sacrae Theologiae doctor admissus – vitandae (ut aiebat Episcopus) asperrimae vexationis gratia –, quippe qui tum suis ambitiosis precibus, cum maxime gravissimis eorum Literis, qui tunc cisalpinam Rempublicam administrabant, commendabatur, ut ad vacantem Parochiam institueretur. Verum licet ambo ab Examinatoribus Synodalibus renunciati fuissent idonei, Episcopus tamen die 8 eiusdem mensis Zambellinium uti digniorem elegit, eumque in praedicta parochiali Ecclesia, quae liberae atque ordinariae collationis erat, in Parochum instituit. At Populus et Parochiani Cotonienses ex nova quadam lege in Parochum nominarunt praefatum Mola, atque hinc die 2 septembris sequentis anni 1798 de mandato Gubernii Cisalpini publicata fuit eiusdem Paraecia vacatio. Circumstantiis interim imperantibus, a sua Sede recesserat Episcopus, ita tamen, ut omnia suae Civitatis et Diaecesis munia vel per se, vel per suos Delegatos obire commode posset. Hac arrepta occasione, Pro-Vicarium Generalem adiit Sacerdos Mola, atque electioni innixus Populi, per Gubernium approbatae, institutionem postulavit ad Parochiam. At reiecta instantia per Rescriptum: – Non mi trovo abilitato alla istituzione –, convolavit ille appellavitque ad Mediolanensem Metropolitanum, a quo tamquam de iure devoluto impetravit die 3 octobris flagitatam institutionem, delegato ad id Ioanne Dominico Bignani Laudae Veteris Vicario. Redux Episcopus ad suam Ecclesiam, a qua non longe abfuerat, per sententiam diei 23 ianuarii 1800 nullam irritamque declaravit eam institutionem, ideoque praefatum Mola omni iure parochiali caruisse et carere, ipsoque facto suspensum a divinis atque etiam excommunicatum, si quid contra auderet. Qua de re mandavit Canonicis Fontana et Bartoletti, ut parochialem administrare pergerent Ecclesiam, donec aliter ipse provideret, vel illius possessionem Zambellinius caperet. Sententiam hanc Clero et Populo Cotoniensi intimavit, inhibuitque sub poenis Canonicis, ne amplius cum praefato Mola in muniis parochialibus communicarent, nec amplius eum in Parochum agnoscerent. Ab ea vero provocavit Mola ad Metropolitanum, qui Decreto diei 29 eiusdem ianuarii appellationem admisit, eumque deinde ad pristina iura parochialia restituit. Ab hoc vicissim Decreto appellationem interposuit Episcopus die 8 februarii eiusdem ad S. Sedem. Excitatus Archiepiscopus per Literas ad deducenda iura sua in Sacra Congregatione, nullum tamen dedit responsum.

110. Rebus itaque sic stantibus, proposito dubio: – An constitutio Sacerdotis Mola ad Cotoniensem Paraeciam sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Dilata, et dentur urgentiores Archiepiscopo Mediolanensi – *in Lauden. Parochialis die 13 Septembris 1800.*

111. Quum itaque dubium proponeretur, an institutio Parochi, quem Episcopus Oeconomum constituerat, per Pro- Vicarium Geralem ad electionem Populi absque forma a Concilio Tridentino praescripta et absque speciali Episcopi mandato expleta, quin adhuc ipsa Paraecia reapse vacaret, sustineretur, Sacra Congregatio distulit resolutionem et addidit, ad mentem *in Lauden. Parochialis die 28 Martii 1801.*

112. Enimvero Laudensis Diaecesis Pagus, quem vocabant Hospitaletum, exemptus erat a iurisdictione Ordinarii, ob Coenobium Congregationis S. Hieronymi, in quo residebat Pater Generalis, Monachis per Cisalpinos deturbatis positisque sub administratione bonis Coenobii, Parochiam etiam invito Episcopo dimisit Monachus, qui eam ex deputatione Patris Generalis a pluribus annis regebat. In Oeconomum idcirco seu Pro – Parochum destinavit Episcopus Presbiterum Diaecesis; sed hunc Populus ex Cisalpina lege elegit,

et pro – Vicarius extorris Episcopi in Parochum instituit, – forte ratus, sibi a me hanc datam facultatem, quam mihi conscius sum non dedisse –, ut in relatione status suae Ecclesiae idem dixit Episcopus, qui de eiusmodi institutione Sacrae Congregationis oraculum postulavit. Advertebatur itaque, praefatam Ecclesiam neque per formalem dimissionem Parochi vacasse, sed imperantibus circumstantiis desertam fuisse; adeoque novi Parochi institutio sustineri non posse videbatur, quum nulla penitusque irrita sit collatio Parochiae aut Beneficii, de cuius vacatione certo non constat. Institutus praeterea fuit novus Parochus non iuxta formam a Concilio Tridentino sess. 24 cap. 18 et Constitutionibus Apostolicis praescriptam, sed ad electionem Populi; atque ex hoc etiam capite censeri poterat nulla, cum Populus nullo prorsus iure potiretur. Nisi haec de cetero quoad popularem electionem Parochi canonica obstaret sanctio, valida forsan censeri potuisset institutio expleta a Pro–Vicario absque speciali mandato Episcopi, quum non pertineret ad ordinationem, sed ad iurisdictionem Episcopalem, quae per Vicarium Generalem exerceri valet. Eo magis, quia eum ipsum Laudensis Pro–Vicarius instituit in Parochum, quem Episcopus constituerat Oeconomum. His interim perpensis, proposito dubio: – An institutio Parochi, de quo agitur, sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et ad mentem – *in Lauden. Parochialis die 28 Martii 1801.*

113. At Parochialem Ecclesiam non posse retineri simul cum Capellania exigente celebrationem Missarum per se ipsum in diversa Ecclesia rescripsit S. Congregatio in Neapolitana Capellaniarum 14 aprilis 1725 ad 1 dubium lib. 75 Decret. pag. 171, in Romana 17 Ianuarii 1728 lib. 78 Decret. pag. 177 *in Aquilana Capellaniae die 2 Maii 1733* §. *Itaque.*

114. Ubi vero Capellaniae non inhaereat conditio celebrandi Missas in Ecclesia per seipsum, incompatibilem non esse cum Beneficio parochiali respondit S. Congregatio in Novarien. 12 Decembris 1705 lib. 55 Decret. pag. 437, in Civitatis Castelli Legatorum piorum 19 maii 1708 lib. 58 decretorum pag. 177 *in Aquilana Capellaniae die 2 Maii 1733* §. *Itaque.*

115. Alias enim eo vel magis Ecclesia baptismalis Plebania nuncupata non curata residentiam requirit, et est incompatibilis cum alio Curato *in Perusina lib. 2 Decretorum pag. 97 a tergo.*

116. Compertum hinc est, parochialibus liberae collationis Episcopi non posse Capitulares deputari ad exercitium curae animarum, cum illae sint conferendae in titulum, praevio concursu iuxta formam praescriptam a Sacro Concilio Tridentino sess. 24 cap. 18 de reformatione et a S. Pio V in Constitutione *In conferendis,* et ideo incompatibiles sunt cum Beneficiis residentialibus Cathedralis, Cap. *Nonnulli* 3 de cler. non resid. et Cap. *De multa* 28 de praebendis *in Venusina die 25 Iunii 1763* §. *Contendit.*

117. Nec Parochiarum inopia potest illas compatibiles reddere cum Beneficio residentiali in Cathedrali, iuxta censuram Sacri Concilii Tridentini sess. 24 cap. 17 de reformatione, minusque pro tempore exercitii curae possunt Capitulares lucrari distributiones in absentia, cum eas percipere nequeant etiam illi, qui Parochialem obtinent ex dispensatione Apostolica, ut decrevit S. Pius V in Constitutione *Cupientes* 65 §. 1, et notat s. m. Benedictus XIV Instit. eccles. 107 §. 9 n. 56, sed debet Episcopus Parochiarum inopiae consulere modis praescriptis a Sacro Concilio Tridentino sess. 21 cap. 5 et sess. 24 cap. 13 de reformatione *in Venusina die 25 Iunii 1763* §. *Nec.*

118. Unde cura animarum Ecclesiarum parochialium, quae propter redituum tenuitatem reparari nequeunt, nec congruam Rector habere valet, vacatione eveniente, potest ab Episcopo adiungi vicinis Parochis, et interim ex universis Parochiae vacantis fructibus reparatio fiat, habito tamen prius Summi Pontificis Beneplacito, ita tamen, ut, si reparatio compleatur intra biennium, statim Ecclesia conferatur, et si expleto biennio reparatio adhuc imperfecta remaneat, collatio diutius non conferatur, nisi a Summo Pontifice nova gratia impetretur *in Perusina die 2 Aprilis 1595 lib. 8 Decretorum pag. 117.*

119. Nam etiam Ecclesia habitu tantum parochialis est incompatibilis cum parochiali actu curam animarum habente: ita Sanctissimus audita sententia S. Congregationis de-

claravit *in Ulixbonen. lib. 2 Decretorum pag. 45.*

120. Idcirco qui duas Parochiales obtinet, seu potius retinet post Concilium, absque dispensatione Apostolica, est utraque ipso iure privatus, non obstante quacumque consuetudine in contrarium *in Palentina lib. 3 Decretorum pag. 75.*

121. Nec Parochialis tenuissimi reditus obtineri potest cum canonicatu absque dispensatione apostolica, et obtinens sine praedicta dispensatione est utroque beneficio ipso iure privatus, ex Decreto Concilii in cap. 4 sess. 7 de reformatione, debetque a Sede Apostolica novam provisionem de utroque beneficio obtinere *in Nuscana mense Iulii 1600 lib. 9 Decretorum pag. 93.*

122. Non potest enim ab Episcopo conferri Parochialis reditus insufficientis habenti Beneficium simplex sufficiens, et si confert, habita per obtinentem possessione Parochialis, vacat Beneficium *in Dubium ad Cap. 17 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

123. Hinc obtinens Parochialem sufficientis reditus et provisus ab Episcopo de alio Beneficio etiam insufficientis reditus, si utrumque retinet absque dispensatione Apostolica, utrumque ipso iure vacat *in Caurien. ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 17 pag. 298.*

124. Prima tamen parochialis Ecclesia, quae ipso iure vacat post adeptam possessionem secundae, non est reservata Summo Pontifici, nisi secunda esset collata a Sede Apostolica, vel nisi possessio dictae secundae capta fuisset in mense reservato, aut per provisum stetisset, quominus in dicto mense eam caperet, cum posset: quam sententiam Sacrae Congregationis pluries discussam Summus Pontifex probavit *in Dubium ad Cap. 17 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

125. Sacra Congregatio vero declaravit, Concilium Tridentinum in Cap. 17 sess. 24 de reformatione loquens de obtinente duas Parochiales non comprehendit Capellam unitam aeque principaliter vel accessorie alicui Ecclesiae, aut ita ei subiectam vel dependentem, ut unicum dumtaxat effectum sit Beneficium *in Tarvisina anno 1592 lib. 7 Decretorum pag. 38.*

126. Hinc dispensatione Apostolica possunt simul retineri duae Parochiales simul unitae Dignitati perpetuo, maxime si unica collatione ambae conferuntur cum dicta Dignitate *in Cathacen. lib. 2 Decretorum pag. 50.*

127. Alias Ecclesiarum parochialium collatio reservata est Episcopo, Cap. *Accedens*, Cap. *Postulasti*, de concess. praeb., Rot. in decis. 406 n. 1 part. 19 Recentiorum *in Montis Alti Parochialis die 17 Iulii 1802* §. *In secunda.*

128. Nam Ecclesiae parochiales subsunt iurisdictioni Episcopi, etiamsi sit Ecclesia Monasterii, vel Monasterio unita *in Palentina Iuris Visitandi die 4 Iunii 1763* §. *Pro dirimenda.*

129. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, dispositionem Concilii Tridentini in Cap. 1 sess. 23 de reformatione vers. - eadem omnino - habere locum etiam in Parochialibus, quarum collatio spectat ad Inferiores, etiamsi essent Abbates Regulares *in Dubium ad dictum Cap. 1 sess. 23 de reformatione Posit. 41.*

130. Hinc Sacra Congregatio primum mandavit, in collationibus Ecclesiarum parochialium Abbatiae S. Laurentii servandam esse Constitutionem Pianam, quae in ordine est sub numero 47, exinde vero censuit, recedendum esse a decisis, simulque declaravit, electionem Oeconomi tam in casu vacationis Ecclesiarum parochialium dictae Abbatiae, quam inhabilitationis eorum Parochorum ad exercitium curae, spectare privative ad Episcopum *in Nullius S. Severini Iurisdictionis die 11 Aprilis 1682 die 21 Ianuarii et die 17 Iunii 1719.*

131. Siquidem inter Episcopos S. Severini et Abbates Commendatarios Abbatiae S. Laurentii in Dogliolo frequentes excitatae sunt controversiae: nam Card. Antonius Barberinius Abbas Commendatarius nominavit Antonium Fabarium ad parochialem Ecclesiam S. Mariae Castri Petini, et Episcopus S. Severini tamquam Ordinarius, praevio concursu, pro dicta Parochiali nominavit Antonium Boantium, ex quo orta est lis, quae fuit in Tribunali Rotae discussa anno 1660, uti habetur ex decisione 148 part. 13 Recentiorum. Post lapsum decem annorum, anno videlicet 1670, Episcopus S. Severini occasio-

ne visitationis Sacrorum Liminum exposuit nonnulla praetensa praeiudicia suae iurisdictioni illata a Ministris Abbatiae, propositisque in Sacra Congregatione decem dubiis, fuit unicuique data congrua responsio, uti habetur in lib. 26 Decretorum pag. 397 a tergo, et aliis quinque propositis dubiis in Congregatione habita die 14 martii 1682, ex quibus quartum conceptum erat sequentibus verbis: – An et quando in collatione Ecclesiarum parochialium Abbatiae servanda sit forma tradita a Sacro Concilio cap. 18 sess. 24 de reformatione? –, fuit eidem responsum in Congregatione habita die 11 aprilis eiusdem anni 1682 modo, qui sequitur: – Ad quartum, servandam esse Constitutionem Pianam 1a 47 –, uti habetur in lib. 32 Decretorum. Episcopus autem S. Severini institit, ut declararetur: – I. An in collationibus Ecclesiarum parochialium Abbatiae S. Laurentii in Dogliolo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 11 aprilis 1682 in casu etc. II. An electio Oeconomorum tam in casu vacationis Ecclesiarum parochialium dictae Abbatiae, quam inhabilitationis eorum Parochorum ad exercitium curae spectet privative ad Episcopum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 ianuarii 1719 respondit: – Ad primum, dilata; et videatur particulariter de unaquaque Ecclesia. Ad secundum, Affirmative –. Repropositis itaque dubiis: – I. An in collationibus Ecclesiarum parochialium Abbatiae S. Laurentii in Dogliolo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 11 aprilis 1682 in casu etc. II. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, recedendum a decisis. Ad secundum, standum esse in decisis – *in Nullius seu S. Severini Iurisdictionis die 17 Iunii 1719.*

132. Posteriori huic resolutioni inhaerens modernus Episcopus concursum indixit ad vacantem parochialem Ecclesiam S. Blasii Fontis Cupae et S. Antimi de saxo unam ex Parochialibus, quae ad praelaudatam Abbatiam pertinere asserebantur, cumque Sacerdos Mazza fuerit ad animarum curam prae ceteris idoneus renunciatus atque in Rectorem eiusdem Ecclesiae ab Episcopo praeelectus, istius praeelectionis vigore patentalibus Literis collationis sibi factae communitus, Ecclesiae praedictae possessionem adeptus est. At promotor Fiscalis Abbatialis Curiae habita huius rei notitia, statim recursum habuit ad Sacram Congregationem, ut tam collatio ab Episcopo facta, quam possessio dicti Ioannis circumscriberetur, cum dicta Ecclesia ab Ordinaria Episcopi iurisdictione esset exempta, et subiecta iurisdictioni Emi Abbatis Commendatarii, et collatio eiusdem praeviis concursu et approbatione per Episcopum explendis, ad eumdem Emum Abbatem Commendatarium pertineret. Propositis autem dubiis: – I. An collatio Ecclesiae parochialis, de qua agitur, spectet ad Emum Abbatem Commendatarium S. Mariae de Rambona? *Et quatenus affirmative.* II. An Literae collationis expeditae per Episcopum S. Severini favore Ioannis Mazza et possessio ab ipso capta vigore dictarum Literarum de dicta Ecclesia sint circumscribendae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et coadiuventur probationes – *in Nullius seu S. Severini Parochialis die 7 Septembris 1737.*

133. Quum itaque Episcopus Larinensis inter cetera sustineret, iampridem in Abbatia S. Agathae, ad Monasterium Tremitarum Canonicorum Regularium Lateranensium spectante, erectam fuisse Parochiam, eamque ad pristinum statum esse reintegrandam, in loco tamen sibi beneviso et sumptibus Abbatis Monasterii Tremitarum, cumque ad tollendas omnes controversias proposita fuerit et acta concordia inter ipsum et Abbatem, sed Congregatio Canonicorum Regularium noluerit transactioni assentiri, propositis dubiis: – I. An constet de existentia antiquae Parochiae, et in quo loco? *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus reintegrationi? *Et quatenus affirmative.* III. An sit locus dismembrationi et respective erectioni novae Parochiae, seu potius deputationi Vicarii pro exercitio curae animarum existentium tam in loco S. Agathae seu Civitatis ad mare, quam etiam in aliis duobus feudis S. Leuci et Ramitelli eorumque territoriis spectantibus ad Monasterium S. Mariae Tremitarum? *Et quatenus affirmative quoad primam partem.* IV. An et in quo loco et cuius expensis sit construenda dicta Parochia? V. An Abbas Tremitarum, donec constituatur nova Ecclesia

parochialis, teneatur pro exercitio curae animarum praestare commodum in Ecclesia S. Agathae in eodem loco? VI. An et a quo sit subministranda congrua tam in casu erectionis novae Parochiae, quam in casu deputationis Vicarii? VII. An deputatio Parochi seu Vicarii pro exercitio curae animarum debeat esse liberae collationis Episcopi Larinensis, seu potius fieri debeat ad nominationem Abbatis Tremitarum. VIII. An idem Episcopus exercere possit ordinariam iurisdictionem in Clerum et Populum eiusdem Parochiae –, Sacra Congregatio die 23 novembris 1737 respondit: - Ad primum secundum tertium quartum quintum sextum septimum et octavum dilata; et ad mentem –, quae in eo versata est, ut – proponeretur concordia, pro qua ageret Emus Card. Leucari Protector Ordinis, suumque aperiret sensum Sacrae Congregationi, et interim provideretur curae animarum, iuxta capitulum octavum concordiae –. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 1 augusti 1739 respondit; – Servetur Concordia anni 1734 iuxta modum; et modus est, quod Parochus deputandus in Ecclesia S. Agathae appelletur Vicarius, non autem Oeconomus, prout denominatur in capitulo tertio dictae transactionis, quod ius eligendi et deputandi Oeconomum interinum in casu cuiuslibet vacationis praeservetur Rmo Episcopo, quodque demum deleatur capitulo sexto eiusdem transactionis expressio, quod visitatio dictae Ecclesiae parochialis fieri debeat ab eodem Rmo Episcopo iure delegato –; et reproposito dein dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis a primo usque ad nonum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius – *in Larinen. die 19 Decembris 1739.*

134. Qua de re Ecclesia parochialis, quae cum suis pertinentiis et iuribus transiit in dominium Monasterii Regularis, conferenda est per concursum iuxta dispositionem Concilii Tridentini, et vacante huiusmodi Parochiali, deputatio Oeconomi pro exercitio curae spectat ad Episcopum *in Vicen. Iurisdictionis die 18 Novembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

135. Enimvero – parochialis Ecclesia Sanctae Eugeniae de Relat, sive per donationem Geiraldi et Chisilonae coniugum, sive mediante dimissione omnium bonorum facta per Guisadum et Guisilam pariter coniuges, una cum omnibus suis pertinentiis aliisque iuribus transivit in dominium Monasterii Rivipulli Ordinis Sancti Benedicti Vicensis Diaecesis, cuius Abbas praetendens subinde a iurisdictione Episcopi Vicensis nedum exemptionem eiusdem Monasterii, sed omnium Ecclesiarum parochialium ab eodem dependentium, usque ab annis 1308 et 1313 postquam coram diversis Iudicibus diu fuerat litigatum, omnibus compromissis praetensionibus in communes Arbitros, ab istis resolutum fuit, idem Monasterium cum omnibus Prioratibus Regularibus esse prorsus exemptum a iurisdictione Episcopi Vicensis, Ecclesias vero parochiales ab eodem dependentes, et specialiter illam S. Eugeniae de Relat, eidem Episcopo subiectas esse quoad visitationem et moderatam procurationem, iniuncta Patribus obligatione accedendi ad Synodum Vicensem, solvendi cathedraticum, et ab eodem recipiendi Chrisma Oleum benedictum et Ordines. In harum sententiarum arbitramentalium exequutionem Episcopus Vicensis easdem Ecclesias semper visitavit, aliaque iura in eisdem reservata pacifice exercuit, Abbas vero Rivipulli in contigentia vacationum Ecclesiarum parochialium, sive per obitum, sive per resignationem, illas semper contulit Sacerdotibus secularibus. Cum autem post Concilium Tridentinum, quod in sess. 24 cap. 18 de reformatione statuit, parochiales Ecclesias semper per concursum esse conferendas, etiamsi illarum collatio ad inferiores Praelatos pertineret, semel tantum, anno scilicet 1641 in mense Apostolico eadem parochialis Ecclesia de Relat vacaverit per obitum Hyacinthi Camps, ex quo aliis vicibus semper vacaverat per resignationem ex causa permutationum, hinc tunc temporis Episcopus absque ulla contradictione Abbatis concursum indixit, in eoque praeelegit Franciscum Fallader, qui eiusdem praeelectionis vigore suam provisionem ab Apostolica Sede reportaverit, cum successiva pacifica possessione. Pluries pariter vacavit postea semper per resignationem ex causa permutationum, novissime vero per obitum illius ultimi posses-

soris, unde volens Episcopus concursum ad formam Concilii indicere, et suam quasi possessionem anno 1641 acquisitam continuare, se opposuit Abbas Rivipulli praetendens, eamdem parochialem Ecclesiam perpetuo unitam eius Monasterio concursui nullatenus subiacere; verum ad evitandas ulteriores contentiones et litium longaevas perdurationes, unanimi consensu EE. VV. oraculum petunt –.

136. Propositis itaque dubiis: – I. An parochialis Ecclesia S. Eugeniae de Relat sit conferenda per concursum iuxta dispositionem sacri Concilii Tridentini, vel potius sit conferenda per Abbatem absque concursu, et an hoc casu provisus per Abbatem sit approbandus ab Episcopo Vicensi in casu etc. II. An et ad quem spectet, dicta Parochiali vacante, Oeconomum pro exercitio curae deputare in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, conferendam per concursum. Ad secundum, spectare ad Episcopum – *in Vicen. Iurisdictionis die 18 Novembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

137. Unde concursus et praeelectio Parochi quoad Ecclesiam spectantem ad Abbatiam S. Mariae Farfensis, sed intra limites Firmanae Diaecesis sitam, pertinet ad Ordinarium praefatae Diaecesis, institutio vero ad Abbatem Commendatarium *in Firmana Iurisdictionis die 19 Iulii 1704 lib. 54 Decretorum.*

138. Enimvero – indecisa adhuc pendente in hac Sacra Congregatione inter Emos et Rmos DD. Cardinales Abbatem Farfensem et Archiepiscopum Firmanum celebri controversia super executione voti Rotalis quoad ius visitandi quamplures Ecclesias, et inter alias Ecclesiam parochialem S. Petri de Penna Civitatis Firmi, pro parte eiusdem Emi Abbatis in Congregatione habita die 2 iunii superioris anni attentati, et uti tales circumscriptione digni asserebantur actus deputationis Oeconomi et Concursus gesti a Ministris Curiae Archiepiscopalis quoad dictam Parochialem S. Petri de Penna, iuxta dictum votum Rotale eiusdem Archiepiscopi Firmani visitationi inter ceteras iure delegato in omnibus subiectam ex Concilio Tridentino Cap. 7 sess. 8 de reformatione, atque interim de mense aprilis proxime antecedentis proprio Rectore viduatam. Et licet ex parte Emi Archiepiscopi plura deducta usque tunc fuissent tum in facto, tum in iure ad exclusionem praetensorum attentorum, placuit nihilominus EE. VV. super eis decisionem differre usquequo resolveretur Causa principalis, rescribendo: – Quoad praetensa attentata habebitur ratio in resolutione Causae principalis –; idemque placuit in Congregatione die 7 iulii subsequentis, quamvis in ea resolutum fuerit dubium principale super executione voti Rotalis, et pro parte Emi Abbatis iterum assertorum tentatorum purgatio peteretur. At in Congregatione habita die 12 ianuarii proxime praeteriti et de utriusque Partis consensu destinata ab Emo Praefecto, instante eodem Emo Archiepiscopo declarari, non esse attentatos praefatos actus deputationis Oeconomi et Concursus atque ad ipsum pertinere ius eligendi magis dignum, cui per Emum Abbatem facienda esset huius Ecclesiae collatio, prodiit responsum: « Nulla esse attentata », in vim cuius Rescripti remanentibus in suo robore praefatis actibus tum deputationis Oeconomi, tum concursus, Emus Archiepiscopus processit ad declarationem magis idonei in personam Sacerdotis Iosephi Assalti de Castro Aquaevivae Ripanae Diaecesis, eum remittendo ab Emum Abbatem pro huiusmodi collatione, quae non ex alia causa ulterius differtur, nisi quia pro eius contenditur, dictum Rescriptum: « Nulla esse attentata » non esse decisivum pertinentiae.

139. His igitur stantibus, monito per Emum Abbatem Emo Archiepiscopo, EE. VV. in partem solicitudinis vocatae pro sua incomparabili providentia consulere rogantur: – An et quomodo sit procedendum in provisione parochialis Ecclesiae S. Petri de Penna Civitatis Firmi in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Concursum et praeelectionem spectare ad Emum Ordinarium, institutionem vero ad Emum Abbatem – *in Firmana Iurisdictionis die 19 Iulii 1704 lib. 54 Decretorum.*

140. Siquidem Concilium Tridentinum in Cap. 18 sess. 24 de reformatione vers. *Cum vero institutio,* intelligendum est, ut vacante Parochiali Ecclesia in mense Papae reservato ad Episcopum, non autem ad Inferiorem pertineat electio magis idonei *in Barchinonen. lib. 2 Decretorum pag. 12 a tergo.*

141. Hinc dictus vers. *cum vero,* in illis verbis – ab alio – intelligendum est de inferiore Collatore *in Nullius anno 1593 lib. 7 Decretorum pag. 89.*

142. Qua de re collatio Beneficii Curati, facta ab Abbate habente ius instituendi concursum contra formam Concilii Tridentini, est nulla et devoluta ad Sedem Apostolicam *in Adrien. die 12 Iunii 1592 lib. 7 Decretorum pag. 51.*

143. Si vero est facta contra formam Concilii ab Abbate non habente ius convocandi, seu instituendi concursum, est pariter nulla, et Abbas tenetur illud conferre digniori electo ab Episcopo ex approbatis ab Examinatoribus, et si recuset adeunda est Sedes Apostolica, ut compellat *in Adrien. die 12 Iunii 1592 lib. 7 Decretorum pag. 51.*

144. Hinc multo minus Abbas Monasterii Regularis potestatem habet praesentare in Ecclesiis parochialibus, quae censentur Seculares, Regulares sui Ordinis, etiamsi per longum temporis intervallum ex vi unionis eos, ob Clericorum Secularium penuriam, praesentaverit *in Herbipolen. Eccclesiarum parochialium die 27 Aprilis 1720 die*] *17 Septembris 1722 et die 16 Ianuarii 1723* (1).

145. Idcirco Abbas Monasterii Regularis tenetur praesentare Presbiterum Secularem in Ecclesia parochiali, cum adsit consuetudo bis centenaria, uno tantum casu excepto, Ordinarius tamen, ex eo quod dictus Abbas praesentaverit Presbiterum Regularem, haud instituere in ea valet Presbiterum Secularem absque praesentatione praefati Abbatis, quin praefici valeat duabus Ecclesiis parochialis unus dumtaxat Parochus *in Ratisbonen. Iuris praesentandi die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum.*

146. Siquidem - post decisam controversiam in Congregatione diei 19 maii 1708 inter Abbatem Monasterii S. Emerami Ordinis S. Benedicti ex una et Concistorium Episcopale Ratisbonen. ex altera partibus, in qua declaratum fuit, non sustineri praesentationem factam a dicto Abbate ad vacantem parochialem Ecclesiam in Lauterbach in personam P. Ioachimi Millher Regularis, ut in folio eadem die distributo (2), idem P. Abbas sub die 14 novembris praedicti anni praesentari fecit in Vicarium perpetuum dictae parochialis Franciscum Poss Sacerdotem Secularem; qua tamen praesentatione non acceptata per Concistorium Episcopale, sub asserto motivo, quod ex praemissa declaratione huius Sacrae Congregationis Abbas ceciderit a iure suo, ratione alterius iam dictae praesentationis factae in personam Regularis inhabilis, idemmet Concistorium instituit in praefata Parochiali Presbiterum Secularem, absque ulla praesentatione Abbatis. Recursus exinde fuit habitus ad eamdem Sacram Congregationem, in qua pro parte Concistorii altera controversia promota extitit, quod cum in Lauterbach duplex existat parochialis Ecclesia, altera sub titulo S. Andreae in Oberlauterbach, altera vero sub invocatione S. Emerami in Niderlauterbach, propterea-que praetendat de duplici Parocho utramque respective providendam. Itaque pro utriusque controversiae diremptione, concordatis inter Partes infrascriptis dubiis, ea hodie ex utrinque deducendis proponuntur EE. VV. decidenda: - I. An institutio Sacerdotis Secularis facta a Concistorio Ratisbonensi Abbatis ven. Monasterii S. Emerami Patroni Ecclesiae parochialis in Lauterbach sustineatur? II. An sit locus provisioni duorum Parochorum tam in Ecclesia S. Andreae in Oberlauterbach, quam in altera Ecclesia S. Emerami in Niderlauterbach, vel potius provisioni unius Parochi tantum in utraque Ecclesia in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Ratisbonen. Iuris praesentandi die 11 Maii 1709 lib. 69 Decretorum.*

147. Unde Sacra Congregatio potestatem quidem fecit Abbati Monasterii Canonicorum Regularium, ut loco Presbiteri Secularis de more nominandi a praefato Abbate et instituendi per Ordinarium, cura animarum Ecclesiae parochialis conferretur in administrationem ad quinquennium cuidam Canonico Regulari professo, sed id aegreferentibus Magistratu et Populo, cum in dicta Ecclesia prius adfuissent omnes Clerici Seculares, et

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Beneficia,* §. XXII n. 68 ad 74, Tom. III.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Beneficia,* §. XXII, n. 64 ad 67, Tom. III.

bona, quae isti possidebant Regularibus concesserint, nulla facta mentione curae animarum, quae semper remanserat penes Seculares, declaravit, recedendum a decisis *in Ipren. Indulti die 10 Iulii 1706 lib. 56 Decretorum.*

148. Iamvero - supplicante Abbate Monasterii Wastenensis Ordinis Canonicorum Regularium, praevio simplici libello, sine contradictione a Dataria remisso, haec Sacra Congregatio die 27 februarii 1706 facultatem fecit, ut loco Presbiteri secularis de more nominandi per Abbatem et instituendi per Ordinarium in Ecclesia parochiali eiusdem Monasterii Wastanensis, cura conferretur in administratione ad quinquennium Francisco Delbaer Canonico Regulari professo approbato ab Ordinario quoad mores et scientiam; tum ad confovendam maiorem utilitatem, quam Populus hauriret ex tot adiutoribus curae animarum, quot Canonici in eo Monasterio existerent, tum quoque ad dissidia pacanda, quae crebro inter Parochum presbiterum Secularem et Canonicos Regulares in eadem Ecclesia intercedere consueverant, ut idem Ordinarius asseruit. Id aegreferentes Magistratus et Populus praefati Oppidi recursum habuerunt ad Emum Datarium pro impedienda provisione dictae Parochialis modo praescripto, remissaque instantia huic Sacrae Congregationi, humiliter Oratores supplicant pro revocatione praememorati Indulti, ea ratione freti, quod perpetuo talis cura extiterit penes Clericos Seculares institutos ab Ordinario, praevia nominatione Abbatis. Ex particulis autem adductis fundationis et donationum ab Episcopis erga dictam Ecclesiam Wastanensem factarum, illud dumtaxat eruitur, quod in dicta Ecclesia prius adfuerint omnes Clerici Seculares, et ea bona, quae isti possidebant, Regularibus concesserint, nulla facta mentione curae animarum, quae semper remansit penes Seculares. Ea propter summae iustitiae EE. VV. erit decernere: – An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 27 februarii 1706 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Recedendum a decisis - *in Ipren. Indulti die 10 Iulii 1706 lib. 56 Decretorum.*

149. Alias enim licet Episcopus in sacra visitatione decernere valeat, ut Religiosus exercens curam animarum Ecclesiae Conventui ex Apostolica Auctoritate unitae et incorporatae in Parochia resideat, non propterea praescribere valet, ut Prior intra duos menses eligat Sacerdotem secularem, etiamsi asserat, aliquos ex Parochianis sine Sacramentis obiisse *in Regien. die 7 Februarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

150. Siquidem – cum de anno 1520 Prior Conventus Beatae Mariae Virginis Servorum prope et extra Castrum Scandiani existentis Ecclesiam parochialem Villae Clodiae Diaecesis Regiensis, ex dispensatione Apostolica obtineret, Iulius Cardinalis Medices tunc Leonis X de latere legatus, et postea sub nomine Clementis VII ad Pontificatum assumptus eamdem parochialem Ecclesiam dicto Conventui tenues et ad Religiosorum sustentationem insufficientes reditus habenti univit atque incorporavit. Ab eo tempore unus ex Religiosis eiusdem Ordinis et Conventus ad exercendam ibidem animarum curam deputatus fuit, in eodem tamen Conventu extra limites Parochiae, sed in loco parum distanti posito semper resedit. Cum vero superiori anno Episcopus in visitatione ob absentiam praedicti Religiosi ad Sacramentorum administrationem deputati aliquos ex Parochianis sine Sacramentis obiisse acceperit, a Priore supradicti Conventus Sacerdotem Secularem approbatum, qui in Parochia resideat, intra duos menses esse eligendum decrevit. Itaque Patres eiusdem Conventus pro revocatione similis Decreti apud hanc Sacram Congregationem insteterunt, quae pro informatione idem Episcopo rescripsit: licet autem ex ea doceatur de obitu Parochianorum sine Sacramentis ob praedictam Religiosi intra claustra et extra Parochiae limites degentis absentiam, cum tamen Testes ab ipsis Patribus postea inducti deponant distantiam Conventus ab eiusdem Parochiae finibus esse per duos ad summum iactus lapidis, et ab Ecclesia ipsa parochiali per medium milliare, viamque esse planam et aditu facilem, imo ad delicias deambulationi destinatam, et Parochianos, qui sine Sacramentis mortui dicuntur, aut repentino morbo percussos, aut citra Religiosi culpam decessisse, propterea iidem Patres EE. VV. infrascriptum dubium resolvendum proponunt: – An Decretum ab

Episcopo factum in visitatione sub die 16 iulii 1704 sit exequendum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative, praeterquam quoad coactionem deputandi Sacerdotem secularem – *in Regien. die 7 Februarii 1705 lib. 55 Decretorum.*

151. Nam Episcopus debet deputare Vicarium in Ecclesiis parochialibus Monasterio Regularium unitis Monachum ab ipsis Regularibus nominatum, et ad nutum eorum amovibilem, praevio tamen suo examine et approbatione, etiamsi eo in loco alii magis idonei reperiantur *in Compostellana mense Iunii 1586 lib. 4 Decretorum pag. 143.*

152. Quin imo in praedictis Ecclesiis parochialibus unitis Monasteriis Regularium non solum non tenetur, sed nec potest erigere Vicarium perpetuum, cum debeat ad curam animarum exercendam praeponere nominatos ab ipsis Regularibus, postquam praevio examine idoneos repererit, ad ipsorum Regularium nutum amovibiles, iuxta Constitutionem S. Pii V de Vicariis perpetuis *in Cremonen. lib. 3 Decretorum pag. 89.*

153. In Ecclesiis vero parochialibus aliis locis unitis non Regularibus habet arbitrium constituendi amovibiles praesentatos ab eis, quibus Ecclesiae sunt unitae, praevia tamen huiusmodi Episcopi approbatione *in Cremonen. lib. 3 Decretorum pag. 89.*

154. Quum autem in suppressione Conventus eiusdem Prior dimiserit in manibus Ordinarii administrationem et exercitium curae animarum, reservata tamen facultate deputandi et praesentandi eidem Ordinario Sacerdotem Secularem, ac inde nonnullos Religiosos ob redituum tenuitatem praesentaverit, Sacra Congregatio declaravit, constare de Parochialitate, et locum esse deputationi Regularis arbitrio Episcopi, etiamsi praedictus Prior subinde enixe sustinuisset, curam animarum exercitam semper fuisse a Religiosis sui Ordinis titulo charitatis et cum sola conniventia praeteritorum Antistitum *in Praenestina Parochialitatis die 15 Decembris 1703 lib. 53 Decretorum.*

155. Iamvero – praetendentibus Patribus S. Annae Ordinis servorum Beatae Mariae Civitatis Placentinae non constare de Parochialitate Ecclesiae Beatae Mariae Croariae, quae dicto eorum Conventui Sanctae Annae unita reperitur usque de anno 1548, proindeque ipsos non teneri ad nominandum parochum pro dictae Ecclesiae administratione, minusque ad congruam pro illius substentatione assignandam: exquisita fuit de more Ordinarii relatio, qui refert, quod vigore Constitutionis s. m. Innocentii X super extinctione et suppressione parvorum Conventuum, Prior dicti Conventus S. Annae (cui alias perpetuo unitus fuerat Conventus Croariae) dimisit in manibus Ordinarii administrationem et exercitium curae animarum parochialis Ecclesiae praedicti Conventus S. Mariae Croariae, cum reservatione facultatis deputandi et praesentandi eidem Ordinario Sacerdotem Secularem, ab eo approbandum pro exercitio curae praedictae. At quia attenta tenuitate redituum, non facile inveniri potuit Sacerdos Secularis, qui huic oneri satisfaceret, inquit, praesentatos fuisse nonnullos Religiosos eiusdem Ordinis, praevia facultate a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium reportata. Post obitum vero ultimi ex illis novissime sequutum subiungit, modernum Priorem praefati Conventus S. Annae asserendo, curam animarum usque ad praesens exercitam fuisse a Religiosis sui Ordinis titulo charitatis et cum sola conniventia praeteritorum Antistitum, se eximere velle a praesentatione Sacerdotis Secularis, et consequenter ab assignatione congruae pro substentatione eiusdem, quod ab eodem Episcopo denegatur ea ratione, quia id repugnat, tum expressae reservationi factae a Priore S. Annae in actu dimissionis praedictae curae Croariae, tum etiam pluribus coniecturis ab ipsomet recensitis, Parochialitatem dictae Ecclesiae comprobantibus, absque eo quod sit facienda unio illius cum alia Parochia viciniori, quae a dicto Episcopo nimis incongrua reputatur, ex rationibus in eadem relatione deductis, proindeque censet, omnino insistendum pro conservatione parochiae in Ecclesia Croariae, et pro exercitio eiusdem cogendos esse Fratres S. Annae ad praesentationem aut idonei Sacerdotis Secularis ab Ordinario approbandi cum assignatione congrua saltem quinquaginta scutorum monetae Romanae, aut Religiosi eorum Ordinis cum Beneplacito S. Sedis, ut per duas vices hucusque ab edita Constitutione Innocentiana observarunt.

156. Ex his igitur aliisque plenius deducendis, grave non erit EE. VV. doctissime respondere: – I. An constet de Parochialitate Ecclesiae Beatae Mariae loci Croariae placentinae? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; et arbitrio Episcopi quoad deputationem Regularis – *in Placentina Parochialitatis die 15 Decembris 1703 lib. 53 Decretorum.*

157. Ceterum Parochia censetur Secularis, non vero Regularis, si constet, quod aliquando collata fuerit Presbitero Seculari, quin probetur, temporibus subsequentibus fuisse Regularem, adeoque non est locus reintegrationi favore Regularium *in Firmana Reintegrationis die 2 Iulii 1718.*

158. Siquidem anno 1270 a Priore Monasterii S. Petri de Ferentillo donata fuit Ecclesia S. Petri, posita in Castro Montis S. Petri Firmanae Diaecesis, Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci, una cum domibus claustris et cum omni iure parochiali; et haec donatio fuit confirmata anno 1448 a Capitulo Lateranensi, cui unita fuit Abbatia S. Petri de Ferentillo. Quidquid esset, an animarum cura fuerit unquam a Fratribus exercita, qua in re Archiepiscopus Firmanus in sua relatione asseruit, nullum extare legitimum documentum; et e contra Scribens pro Fratribus contendit, et Monachos donatores et Fratres donatarios curam olim exercuisse: hoc unum certum erat, quod usque de anno 1446 Parochia fuerat a Capitulo Lateranensi collata Presbitero Seculari, et quod temporibus subsequentibus non aderat probatio, quod Parochia fuerit Regularis. Unde Conventus et Patres Minores Conventuales S. Francisci Summo Pontifici supplicaverunt pro reintegratione ad possessionem Parochiae, ad effugiendum potissimum lites, quae fere continuo vigebant inter ipsos et Parochum Secularem. Proposito vero dubio: – An sit danda reintegratio in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Negative, et amplius - *in Firmana Reintegrationis die 2 Iulii 1718.*

159. At ius conferendi Parochialem S. Mariae de Circulo Mediolani ei, qui a Monialibus capitulariter congregatis electus et ab Episcopo approbatus fuerit, spectat ad Abtissam Monasterii eiusdem Civitatis, stante immemorabili possessione in hoc iure conferendi favore Abbatissae *in Mediolanen. Iuris conferendi die 18 Decembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

160. Enimvero – Imperiali Monasterio maiori Monialium S. Mauritii Mediolani Ordinis S. Benedicti, pluribus ab hinc seculis, annexum reperitur ius conferendi Beneficium Curatum Ecclesiae parochialis S. Mariae ad Circulum eiusdem Civitatis, eo tamen ordine servato, ut in occurrentibus vacationibus Abbatissa eum Parochum instituat, eidemque possessionem Beneficii tradat, quem Ordinarius, ex nominatis a Monialibus capitulariter congregatis, idoneum approbaverit, istaque observantia adeo inveterata nec unquam interrupta suum plenarium effectum obtinuit in ultimo statu vacationis sequutae per obitum Ioannis Baptistae Floroni de anno 1694, quo inter nominatos ab eisdem Monialibus approbatus extitit a tunc temporis Vicario Generali Sacerdos Populus Legnani, qui, vigore huiusmodi approbationis, a praefata Abbatissa institutionem reportavit, posteaque possessionem curae nactus fuit, ac in ea modo pacifice permanet. Verum quia praefatus Vicarius Generalis postea haesitavit, dictam institutionem intelligi posse de genere institutionis auctorizabilis, et a dignitate Episcopali inabdicabilis, eumdem Paulum, insciis Monialibus, ad renunciandum iam habitae institutioni, et novam ab eo recipiendam induxit. Ne autem huiusmodi actus novae institutionis praeiudicium aliquod Monasterio inferret, supplicem porrexerunt libellum Abbatissa et Moniales huic Sacrae Congregationi, ut declarare dignaretur, ad eas spectare institutionem dictae Parochiae collativam tantum, non autem auctorizabilem, eoque remisso moderno Vicario, iste in sua informatione super exposita confirmans, censet, Oratricum precibus adhaerendum esse. Unde exquiritur modo ab EE. VV.: – An ad Abbatissam spectet ius conferendi Parochialem Curam S. Mariae ad Circulum ei, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbaverit in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative - *in Mediolanen. Iuris conferendi die 17 Decembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

161. Alias Beneficiis Curatis perpetuo uni-

tis Monasteriis Monialium constituendus est Vicarius sive perpetuus, sive amovibilis a Monialibus praesentandus et ab Ordinario approbandus *in Patavina die 3 Augusti 1591 lib. 7 Decretorum pag. 18 a tergo.*

162. Non vero unitis, sed ad collationem Monialium et per personas saeculares deserviri solitis, praeponendus est ille, qui praesentatus a Monialibus et ab Episcopo per concursum praevio examine fuerit approbatus *in Patavina die 3 Augusti 1591 lib. 7 Decretorum pag. 18 a tergo.*

163. Quod si fuerit de iurepatronatus Monialium servandum est Decretum Concilii Tridentini in Cap. 18 sess. 24 de reformatione, nempe si institutio ad Episcopum pertinebit, is, quem Moniales digniorem inter approbatos ab Examinatoribus iudicaverint, praesentatus ab Episcopo instituetur; si vero ab alio, quam ab Episcopo institutio erit facienda, Episcopus solus ex approbatis eligat digniorem, quem Patronus ei praesentabit, ad quem spectat institutio *in Patavina die 3 Augusti 1591 lib. 7 Decretorum pag. 18 a tergo.*

164. Enimvero – Sacra Congregatio Concilii Tridentini censuit, si huiusmodi Beneficium sit liberum, siquidem unitum sit Monasterio Monialium, Vicarium in eo constituendum esse perpetuum, vel amovibilem a Monialibus praesentatum et ab Episcopo approbatum, iuxta Cap. 7 sess. 7; si vero non sit unitum, sed pertineat ad collationem Monialium et per Personas seculares deserviri sit solitum, esse utique conferendum a Monialibus illi, qui ab Episcopo praevio examine per concursum fuerit approbatus; quod si de iurepatronatus Monialium fuerit, servandum esse, quod statuit Decretum Concilii in cap. 18 sess. 24 vers. Si vero iurispatronatus ecclesiastici; nempe ut si institutio ad Episcopum pertineat, is, quem Moniales digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicaverint, Episcopo praesentetur, ut ab eo instituatur. Si vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei praesentet, ad quem spectat institutio – *in Patavina die 3 Augusti 1591 lib. 7 Decrecretorum pag. 18 a tergo.*

165. Quum autem ad regimen parochialis Ecclesiae S. Ioannis Castri Lubriani, Monasterio Monialium S. Bernardini Urbisveteteris unitae, Moniales ipsae deputare consuevissent Sacerdotem amovibilem pro cura animarum, cum annua scutorum 40 provisione, sed quia ab Episcopo visitante in vim sacri Concilii Tridentini cap. 7 sess. 7 de reformatione destinatus fuit Vicarius perpetuus, cum augmento provisionis usque ad scuta 60, appellaverint Moniales ad A. C., qui Decretum visitationis confirmavit quoad perpetuitatem Parochi deputandi, et concessit Monialibus mandatum de manutenendo tam quoad nominationem Capellani, quam quoad congruae taxationem, a qua tamen sententia utrisque partibus provocantibus, Causa adhuc indecisa pendente et nulli alio Iudici commissa, Moniales praedictae devenerunt ad novam praesentationem in personam Sacerdotis Nicolai Orchellae cum eadem annua provisione scutorum 40, quem ulterius gravarunt onere celebrationis nonnullarum Missarum et faciendi quasdam expensas pro servitio Ecclesiae, et ad hunc effectum dicto Orchellae cesserunt ius exigendi decimas consistentes, ut asserebatur, in duobus vel tribus annuis rubris frumenti, Episcopus vero instabat, ut praesentatio reiiceretur, ex eo quod agebatur de deputatione Parochi perpetui, ad quam faciendam requirebatur concursus, proposito dubio: – An praesentatio facta per Moniales in personam Orchellae conditionibus enunciatis sit approbanda, vel potius demandandum executioni praefatum Decretum visitationis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad Iudices suos – *in Balneoregien. Praesentationis die 12 Ianuarii 1704 lib. 54 Decretorum.*

166. Alias Regularis praefici non potest curae animarum ab Episcopo sine Apostolica dispensatione, quae concedi non consuevit, nisi eodem Episcopo instante pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae, uti ex sensu Sacrae Congregationis bene docet Fagnanus in Cap. *Quod Dei timorem* de statu Monachorum n. 17 *in Herbipolen. Ecclesiarum parochialium die 27 Aprilis 1720* §. *Contendit.*

167. Quin imo plura adamussim rescire satagit Sacra Congregatio, antequam, stante Apostolico indulto assumendi Religiosos Re-

gulares ad officium Parochorum, ob Secularium Presbiterorum defectum, resolvat, horum numero exinde multiplicato, an praefatum indultum suffragari amplius possit, an et quomodo consulendum sit in futuris vacationibus, an Vicarii Regulares sint ab Ordinario approbandi et providendum sit circa deputationem Ministrorum, an et quomodo competat Ordinario ius quoad Societates erectas in Ecclesiis Regularium, ac cetera huiusmodi *in Mexicana die 8 Augusti 1722.*

168. Enimvero Archiepiscopus Mexicanus Virum suorum negotiorum gestorem ad Sanctam Sedem ablegavit, ut suo nomine peteret remedium adversus quosdam abusus, quos dixit irrepsisse in sua Diaecesi, et ulterius instaret pro nonnullis providentiis, quas putabat esse necessarias, pro recto dictae Diaecesis regimine, et petitionum examen fuit a Summo Pontifice ad Sacram Congregationem remissum. Archiepiscopus itaque retulit, in sola Civitate Mexicana reperiri 117 Sacerdotes Seculares, praeter Clericos et alios, qui adhuc Sacerdotalem ordinem non fuerunt assecuti, quique cum dictis Sacerdotibus complebant numerum 440, absque eo quod in hoc numero computarentur illi, qui degebant in Oratorio S. Philippi Nerii, vel in Collegio Apostolico. Retulit etiam, parochiales Ecclesias in sua Civitate et Diaecesi, comprehensis etiam Vicariis, administrari a Sacerdotibus Regularibus, 25 videlicet Parochias a Patribus Dominicanis, 73 a Patribus S. Francisci de observatia, et 51 a Patribus S. Augustini. Cumque tam Clerici, quam Sacerdotes Seculares moribus et scientia praestarent, et ad exercendam curam animarum essent idonei, proposuit Archiepiscopus, quod Patribus Dominicanis 15 Parochiae relinquerentur, ut hoc modo remanerent 60 Ecclesiae parochiales Sacerdotibus Secularibus conferendae: licet enim instante Philippo II Hispaniarum Rege, S. Pius V indulserit, ut Religiosi Regulares in partibus novarum Indiarum officio Parochorum fungi valerent, iuxta Bullam 34 eiusdem Pontificis Bullar. tom. 2, id tamen statutum fuit, propter defectum Presbiterorum Secularium, uti legitur in proemio Bullae; quocirca si in praesens multiplicatus fuerit numerus dictorum Presbiterorum, congruum esse videbatur, ut aliquae Parochiae a Regularibus auferrentur, et eorum fieret collatio Sacerdotibus Secularibus, iuxta Constitutionem 32 Innocentii X Bullar. tom. 5: – ibi – Tertio, an Bulla Pii V 34 in ordine tom. 2 Bullar. concessa, instante et supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur, respondit, agendum cum Sanctissimo, an velit declarare, Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum –. De Bulla quoque Gregorii XV quae incipit: *Inscrutabili,* et quae est 18 in ordine Bullar. tom. 4, agitur, an suam debeat habere executionem, urgente Brevi Urbani VIII impresso apud Lezar. cons. 40 n. 116, in quo ad instantiam Ducis Pastranae legati Regis Hispaniarum apud S. Sedem sic dictus Pontifex statuit: – Motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione etc. de Apostolicae potestatis plenitudine Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut in Regnis Hispaniarum praedictis tantum ad executionem insertarum Literarum huiusmodi supersederi auctoritate nostra cures et facias, donec aliter a nobis seu Romanis Pontificibus successoribus nostris provisum fuerit –. Plura a Scribentibus pro Archiepiscopo afferebantur, ad effectum suadendi Bullam Gregorii suum robur sibi vindicari debere, non obstante allegato Brevi Urbani VIII, et signanter quia in famigerata Causa inter Episcopum Angelopolitanum in Indiis Occidentalibus et Clericos Regulares Societatis Iesu Innocentius Papa X in citata Constitutione 32 §. 10 Bullar. tom. 5 iussit, quod in casus contingentia Episcopus procederet ad tramites citatae Bullae Gregorii XV. Ponderari etiam merebatur auctoritas Frassi auctoris hispani, et qui Fiscalis munere in Tribunalibus Regni laudabiliter functus erat; ille enim in suo tractatu de Regio patronatu Indiarum cap. 74 a n. 29 testabatur, Breve suspensivum Urbani VIII non fuisse extensum ad Indias, et ex posterioribus eiusdem Pontificis Brevibus Bullam Gregorii XV esse praxi et usu receptam in Regnis Hispaniarum. Declaravit autem Minister Archiepiscopi ad Urbem transmissus, quod ad tollendam de medio exceptionem, quod intentio esset dandi Presbiteris Secularibus Parochias pinguiores

et pauperiores Regularibus relinquendi, ab eodem praefato Ministro proponebatur, ut daretur arbitrium Regularibns eligendi Parochias, quas pro se intendebant retinere, et ut Secularibus applicarentur illae, quas Regulares pro se non retinebant, cum additione, quod possent Regulares relinquere Secularibus etiam Vicarias, in quibus cura animarum exercebatur.

169. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An Bulla S. Pii V in ordine 34, quae incipit *Exponi nobis* suffragari amplius possit in Civitate Mexicana in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo consulendum sit in futuris vacationibus Parochialium retentarum a Regularibus in casu etc. III. An Vicarii Regulares sive perpetui sive temporales possint institui in Parochiis sine legitima approbatione Archiepiscopi, et respective removeri sine eius licentia in casu etc. IV. An et quomodo sit providendum in illis Parochiis circa deputationem Ministrorum, in quibus adest affluentia Populi et distantia loci in casu etc. V. An et quomodo competat Archiepiscopo ius Societates erectas visitandi in Ecclesiis Regularium, et praesertim illas SS. Deiparae Rosarii et Montis Carmeli in casu etc. VI. An et quo iure procedere possit Archiepiscopus in in casu confugii Regularium in alienas regiones in casu etc. VII. An Archiepiscopo competat ius approbandi Confessarios Regulares aliaque gerendi praescripta in Bulla Gregorii XV, quae incipit *Inscrutabili,* etiam in Monasteriis pleno iure Regularibus subiectis in casu etc. –, Sacra Coagregatio respondit: – Dilata, et scribatur Nuncio iuxta instructionem (1), et acriter moneatur Procurator Generalis minorum observantium et Commissarius Generalis – *in Mexicana die 8 Augusti 1722* (2).

170. Parochialis autem Ecclesia, in qua Ritus Graecus servari consuevit, ita Graeco conferri debet, ut, indicto concursu, in quo sese examini subiecerunt Presbiter Graecus – Latinus, et Presbiter Orientalis, Sacra Congregatio primum mandaverit, fieri novum concursum factis requisitoriis in Diaecesibus alienis pro reperiendo Graeco, iisque expletis et Graeco haud reperto, exinde praeceperit, ut fierent novae diligentiae, iuxta instructionem *in Messanen. Transitus ad Ritum Graecum die 23 Iunii 1708 die 11 Maii 1709 lib. 58 et 59 Decretorum.*

(1) Nempe referat 1. quid in Civitate et Diaecesi Mexicana sint Doctrinae, quid Porochiae, et quid Vicariae; 2. quot sint; 3. quot administrentur a Regularibus, quotque a Presbiteris secularibus; 4. ad quem numerum ascendere possint Presbiteri aliique in sacris constituti ex Clero seculari degentes in Civitate et Diaecesi Mexicana; 5. an iidem sint in tali statu constituti, ut ex eorum coetu assumi aliqui possent ad exercendam curam animarum, tam habita ratione morum, quam literarum; 6. an collatio Doctrinarum Parochiarum et Vicariarum sit libera Archiepiscopi, vel potius an eaedem sint de iurepatronatus Regio, et an omnes sint patronatae, vel aliquae, et a quo descendat hoc iuspatronatus, et an illud sit in viridi observantia, licet enim iuspatronatus Regium fuerit expresse assertum tam voce, quam scriptis, a Ministro Archiepiscopi Mexicano ad Urbem transmisso, Sacra Congregatio nihilominus ex officio procedens de dicto iurepatronatus edoceri cupit; 7. an supposito, quod omnes, vel aliquae sint de iurepatronatus Regio, quomodo et per quem exerceatur ius praesentandi vel nominandi, et an institutio fiat ab Archiepiscopo; 8. An supposito iurepatronatus Regio, regii Ministri in ea sint opinione, quod liberum sit Regi, non obstante Bulla 34 S. Pii V, praesentare et nominare ad quascumque Parochias patronatus nedum illos de Clero Regulari, sed et alios de Clero Seculari, prout praesentanti libuerit, libertas enim haec admissa fuit in scripturis a Regularibus exhibitis in Sacra Congregatione, sed timetur, ne eam parati sint negare in tribunalibus Matritensibus; 9. an regiae Maiestati displicentiam afferre posset, si ad amputandam quamcumque controversiam Summus Pontifex novum ederet Decretum, vel Literas Apostolicas in forma Brevis, in quibus declararet, ut, non obstante Bulla 34 S. Pii V, sit in facultate Regis et eius successorum praesentare ad Beneficia Curata seu Parochias Doctrinas et Vicarias in Urbe et Diaecesi Mexicana nedum Regulares, sed etiam Seculares, prout sibi magis in Domino videbitur. Per hanc etenim viam non immminuitur ius regium, sed clarius redditur, cum a nonnullis praetendatur, posse tantum ad Parochias licet iurispatronatus regii nominari Regulares, propter assertum obstaculum Bullae S. Pii V; 10. An semper approbatio Archiepiscopi Mexicani requiratur et exerceatur, quando assumuntur Regulares ad Doctrinas sive ad Parochias sive ad Vicarias, et an Regulares ad eas assumpti removeantur, nullo facto verbo cum Archiepiscopo. Super his plene instruat Sacram Congregationem, et omnes alias notitias ad rem facientes, quas habere poterit, in eius responsionis Literas inserat et exprimat, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 26 die 29 Augusti 1722.*

(2) Reliqua habes in Verb. *Beneficia,* §. XXII, Tom. III; et in Verb. *Concursus,* Tom. VI.

171. Siquidem – ad mox vacantem parochialem Ecclesiam S. Nicolai Graecorum nuncupatam, in qua Ritus Graecus servari consuevit, per obitum in Curia Francisci Pizzi, indicto per Archiepiscopum concursu, duo dumtaxat examini sese subiicere curarunt, Petrus Palazzottus Presbiter Graeco-Latinus a tribus Examinatoribus Synodalibus approbatus, et Leontius Calzonus Presbiter Orientalis ab iisdem reprobatus. Cum autem idem Palazzottus supplex habuerit recursum ad Datariam, precibus remissis ad hanc Sacram Congregationem, nedum pro assequenda institutione praefatae Parochialis, verum etiam pro gratia dispensationis transeundi de Ritu Latino ad Graecum, eo quod eadem Parochialis haud patiatur regi a Presbitero Latino, fuit requisita de more informatio Archiepiscopi, qui praemissa comprobando, Oratoris precibus annuendum censet, ne Ecclesia illa Rectore careat, nullum alium, asseverans, Orientalem Sacerdotem inibi reperiri, qui eam curam suscipere valeat, metuens ceteroquin Informans, ne si quis forte Orientalis adventaret, deprehendatur porro Schismaticus, quemadmodum contigisse, inquit, tempore sui Praedecessoris. Placeat itaque EE. VV. pro earum summa sapientia resolvere: – An petitis sit annuendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 23 iunii 1708 responsum tulit: – Archiepiscopus curet fieri novum concursum, factis requisitoriis in Diaecesibus pro reperiendo –. Datis autem exinde Literis Archiepiscopo Messanensi, idem nuper retulit, quod requisitis Archiepiscopo Panormitano et Vicario Generali Emi Archiepiscopi Montis Regalis, affixisque edictis cum termino triginta dierum iam effluxo in eorumdem Diaecesibus, in quibus plerique Graeci moram trahunt, nullus ex Grecis comparuerit ad se subiiciendum examini in novo concursu peragendo, ut ex eius relatione et aliis documentis in Summario dandis. Quapropter idem Orator preces hodie renovat pro gratia sub eodem dubio dicta die proposito: – An petitis sit annuendum? –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et fiant novae diligentiae iuxta instructionem – *in Messanen. Transitus ad Ritum Graecum die 11 Maii 1709 lib. 59 Decretorum.*

§. III.

ECCLESIA PAROCHIALIS QUOAD DIVISIONEM ET TERRITORIUM

1. Exemplo Summi Pontificis S. Evaristi, qui, iuxta veriorem opinionem, inchoante secundo seculo Parochiarum divisionem demandavit, quam postmodum sub Valeriani persecutione suppressam S. Dyonisius in fine tertii seculi iterum explevit seu verius restituit, ut ex sua epistola relata in Can. *Ecclesiis* 15 quaest. 1, et post alios observat Emus Petra ad Const. 2 Gregorii XI n. 13 tom. 4; hoc sane exemplo et praecepto fere omnes Ecclesiarum Antistites eamdem executioni demandarunt, distinguendo Populum in certas propriasque Parochias, ac unicuique suum prpetuum peculiaremque Parochum assignando, a quo licite Sacramenta recipi deberent, ut de origine et divisione Parochiarum in provinciis tam orientalibus, quam occidentalibus late disserit Filisacus de origine Paraec. cap. 4 per totum *in Eugubina Iurium parochialium die 12 Martii 1729* §. *Exemplo.*

Item *in Sancti Severini die 25 Ianuarii 1817* §. *Primis.*

2. Una enim per tria fere secula in principe Diaeceseos Civitate erat Ecclesia, ad quam Christiani omnes non modo Urbis illius, sed etiam vicinorum Pagorum confluebant, praesentibusque Eucharistia dispensabatur, absentibus vero per Diaconos mittebatur, S. Iust. martyr. apolog. 1 n. 67 pag. 83 edit. Maur. Parisiis, qui in Episcopi senatu sua munera gerebant. Aucto deinceps Fidelium numero, aliisque in Civitatibus aedificatis Ecclesiis, certi Presbiteri ad eas diebus festis mittebantur, quorum erat, sacra obire munera, Populoque praeesse, qui ta-

men perpetui non erant earum Ecclesiarum Rectores. Serius autem constitutae sunt Paraeciae, primo quidem in Vicis et Pagis, dein in Civitatibus, si maiores quaedam Romani Imperii excipiantur Urbes, ut probant Henric. Vales. in not. ad Sozomen. lib. 1 cap. 15 pag. 31 edit. Taurin. 1747, Petav. in haeres. 69, Arian. tom. 2 pag. 276 edit. Col., et de Eccles. hierar. lib. 2 theolog. dogm. cap. 12 a n. 2 tom. 6 pag. 128 edit. Venet. 1757, Thomass. de vet. et nov. Eccles. disciplin. Cap. 21 et 22 lib. 2, Murator. dissert. sopra le antichità italiane dissert. 74 pag. 324 tom. 3 part. 2 edit. Romae, et Marius Lupus de Parochis ante annum Christi millesimum *in Bovinen. Iurium parochialium die 27 Maii 1820* §. *Et.*

3. Hinc postquam nono seculo omnis ruralis Ecclesia suas proprias decimas et fundos obtinuit, Can. 25 caus. 23 quaest. 8, urbanae quoque Parochiae, ut loquitur Devoti in tit. 14 in not. 1 ad §. 2 Instit. Can. tom. 2, eamdem disciplinam postea acceperunt, et tunc potissimum inducta portione bonorum certa Clericis data sunt praedia, quae ipsi administrarent, et ex quibus ad vitam necessaria perciperent – *in Callien. Administrationis Bonorum die 19 Maii 1821* §. *Ex historia.*

4. Unde Parochiarum faciendam divisionem certis limitibus certoque assignato Populo circumscriptam praescripserunt Sacri Canones et in specie Can. 1 caus. 13 quaest. 1, Can. *Plures* 16 quaest. 1, Cap. 1 de Parochis *in Camerinen. Parochialis die 16 Maii 1778* §. *Et.*

5. Quapropter Parochiarum divisionem etiam Sacra Tridentina Synodus per generale Decretum ubique locorum fieri praescripsit *in Eugubina Iurium parochialium die 12 Martii 1729* §. *Exemplo.*

6 Siquidem in iis quoque Civitatibus et locis, ubi parochiales Ecclesiae certos non habent fines, facultatem Tridentina Synodus in Cap. 13 sess. 24 de reformatione Episcopis tribuit - pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto Populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant, aut utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis Civitatibus ac locis, ubi nullae sunt Parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus – *in Mileten. die 13 Septembris 1721* §. *Parochus.*

Item *in Fabrianen. Fontis baptismalis et Iuris baptizandi die 2 Maii 1733* §. *Accedit; in Cervien. die 16 Martii 1782* §. *Atque; in Reatina Dismembrationis die 31 Maii 1783* §. *In; in Sancti Severini seu Septempedana Visitationis sacrorum Liminum die 28 Novembris 1789* §. *Duo.*

7. Idcirco divisio Parochiarum facienda est utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, iuxta censuram sacri Concilii Tridentini sess. 24 cap. 24 cap. 13 de reformatione *in Andrien. die 23 Aprilis 1763* §. *Ad haec.*

8. Nam Diaeceses et Parochiae distinctae debent esse, ut Pastores suarum Ovium curam habeant; quandoquidem ex altero Concilii Tridentini Decreto in cap. 9 sess. 14 de reformatione cautum est: – Et quia iure optimo distinctae fuerunt Diaeceses et Parochiae, ac unicuique Gregi proprii attributi Pastores, et inferiorum Ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque Ovium curam habeant, ut Ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem Ecclesia duarum quodammodo Diaecesum fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint, Beneficia unius Diaecesis, etiamsi parochiales Ecclesiae Vicariae perpetuae aut simplicia Beneficia seu Praestimonia aut praestimoniales Portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum Beneficiatorum aut alia quacumque de causa, alterius Diaecesis Beneficio aut Monasterio seu Collegio vel Loco etiam pio perpetuo non uniantur; Decretum huius Sanctae Synodi super huiusmodi unionibus in hoc declarando – *in Frisingen. Permutationis seu Unionis die 18 Iunii 1735* §. *Secundo.*

9. Idcirco Sacra Congregatio declaravit, haud esse permittendas Parochiarum confusiones, sed esse dividendas cum assignatione congruae novis Parochis ex reditibus Parochialium seu Matricum, quatenus sint pingues, sin minus per contributionem seu collectas Populorum, vel alio commodiori modo, prout Episcopus iudicaverit *in Ianuen. die 20 Septembris 1642 lib. 17 Decretorum pag. 104.*

Item *in Viterbien. die 2 Septembris 1647 lib. 18 Decretorum pag. 395.*

10. Quum itaque duo Parochi, qui ad diversas Diaeceses pertinebant, sustinerent, sibi suffragari titulum legitimum et immemorabilem possessionem ad effectum exercendi actus parochiales in aliqua Ecclesia ac loco, Sacra Congregatio mandavit, ut ab utraque Parte exhiberetur planta, renovata interim inhibitione ad formam Decreti iam editi ab Auditore Sanctissimi *in Nullius Caven. seu Caputaquen. Iurisdictionis die 12 Ianuarii 1732.*

11. Siquidem in ora maritima Agnonis aliquae existebant Ecclesiae, non tamen Parochiales, pluresque Familiae domicilium habebant. Orta autem est controversia, num hic tractus esset in Diaecesi Episcopi Caputaquensis, an vero in Territorio, cui praeerat Abbas Monasterii Cavensis; itidemque, an ius ibi exercendi parochialia munia competeret Archipresbitero Ecclesiae S. Nicolai in Oppido, quod vocabant Caputgrassorum territorii Cavensis, an vero spectaret ad Parochum Castelli Ortodonici Diaeceseos Caputaquensis. Quamvis autem huius quaestionis cognitio instituta fuisset coram A. C., iam tamen sub annum 1727 per Decretum Auditoris Summi Pontificis commissa fuit Sacrae Congregationi, hoc addito, – quod interim per modum provisionis, et sine praeiudicio iurium ambarum Partium, omnes actus parochiales in locis supra expressis exerceri deberent per Archipresbiterum Oppidi Caputgrassorum nomine delegato eiusdem Sacrae Congregationis, donec aliter fuerit ab ea provisum –. Utraque Pars contendit, sibi suffragari tum legitimum titulum, tum immemorabilem possessionem. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et de cuius bono iure constet etiam ad effectum manutentionis, quoad plenariam iurisdictionem Diaecesanam et respective Parochialem in Ecclesia Beatae Virginis de Monte Carmelo et in tota maritima Agnonis in casu etc. II. An constet de attentatis et quae et quomodo sint purganda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata ad primam post cineres, et exhibeatur planta ab utraque Parte, renovata interim inhibitione ad formam Decreti D. Auditoris Sanctissimi; et ad mentem – *in Nullius Caven. seu Caputaquen. Iurisdictionis die 12 Ianuarii 1732.*

12. Idcirco attentis Ecclesiae necessitate ac utilitate, Sacra Congregatio, licet non ageretur de finibus verae Parochiae, sed tantum de exercitio curae animarum, praeter materialem, etiam formalem expleri mandavit divisionem *in Andrien. die 10 Februarii 1759 die 11 Septembris 1762 die 23 Aprilis die 26 Novembris 1763 die 18 Februarii die 12 Maii 1764 die 20 Septembris die 20 Decembris 1766 die 24 Ianuarii die 19 Septembris 1767 et die 15 Septembris 1770.*

13. Enimvero die 10 februarii 1759 plura quaestionum capita inter Cathedralem et Ecclesiam S. Nicolai Civitatis Andriae proposita fuerunt: – I. An Ecclesia Cathedralis Civitatis Andriae sit unica parochialis totius Civitatis eiusque Territorii, ita ut Ecclesia S. Nicolai sit unica coadiutrix in administratione tantum Sacramentorum in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An possit dicta Ecclesia Cathedralis totam exercere curam etiam quoad totalem Sacramentorum administrationem ex se et in casu? *Et quatenus negative ad utrumque.* III. An sit locus divisioni Parochiarum in casu? *Et quatenus affirmative.* IV. An et quomodo sit facienda divisio, et an Ecclesiae Cathedrali praeservanda sint illa omnia iura parochialia, quae praetendit privative exercuisse et exercere in tota Civitate? –, responsum est: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Negative. Ad tertium, esse locum divisioni quoad exercitium curae animarum tantum. Ad quartum, divisionem faciendam esse ab Episcopo et approbandam a Sacra Congregatione –. Divisionem perfecit Episcopus, uti Sacrae Congregationis delegatus, longo in id prolato Decreto. Sed illam iuxta mentem Sacrae Congregationis haud expletam fuisse contendit Capitulum Cathedralis; et contra Decretum Episcopi duodecim recensuit gravaminum capita. Et primo Capitulum Cathedralis disputavit, Rescriptum Sacrae Congregationis, pro divisione exercitii curae animarum intelligendum esse de divisione facienda in duas partes, quot erant litigantes; et ideo iniustum videri Decretum Episcopi, quo quinque designabantur Ecclesiae, singulae in sin-

gulis Civitatis Regionibus, in quibus exercitium curae committebatur Presbiteris, duobus assumendis ex gremio Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai, et tribus eligendis ex gremio Ecclesiae Cathedralis. Vigore pariter responsi Sacrae Congegationis dati primo dubio, quod Cathedralis esset illius Coadiutrix, postulaverat Capitulum Cathedralis coram Episcopo, ut praeciperet deletionem tituli comparochialis a monumentis Ecclesiae S. Nicolai, illamquo cogeret uti nomine coadiutricis; et quia Episcopus, decreta eiusdem tituli comparochialis deletione a scriptura per Capitulum S. Nicolai producta, pendente lite, controversiam in reliquis definiendam remisit Sacrae Congregationi, inde Capitulum Cathedralis alterum desumit gravaminis caput. Tertio conquestum est, ita fuisse ab Episcopo leges praeordinatas, ut videretur penes ipsum residere animarum curam; quod quidem erroneum putavit Capitulum, quia quando Parochiae sunt distinctae, Ordinarius non est immediatus Parochus universalis. Atque hinc autumavit descendere quartum gravamen Episcopalis Decreti, quo Episcopus censuit, deputandos esse in quinque designatis Ecclesiis totidem Oeconomos Curatos ad sui nutum amovibiles. Quintum gravamen in eo reponebatur, quod Episcopus in divisionis Decreto assignaverit singulis Oeconomis annuos ducatos sexaginta pro congrua cum usu supellectilium, praestanda ex massa chorali utriusque Ecclesiae, Cathedralis nempe tribus, S. Nicolai autem duobus suis Presbiteris; data insuper iisdem Oeconomis participatione emolumentorum parochialium sive illorum, quae pro denuciationibus et testimonialibus percipiebantur. Reprehendit sexto Decretum Episcopi, quod Oeconomis ademerit facultatem cuique Parocho competentem, eis prohibendo, ne sine licentia Episcopalis Curiae committeret Baptismi collationem et Matrimonii assistentiam. Et septimo improbavit idem Decretum, quod permiserit Oeconomis libros status animarum Baptizatorum et Mortuorum conficere, illosque post tempus deferre ad Archivium Cathedralis, retenta copia ad effectum extrahendi requirendas fides. Iniustum octavo asserebatur Decretum Episcopi, quia definivit, Parochianos Ecclesiarum oeconomalium S. Nicolai adimplere posse praeceptum paschale in sola Ecclesia S. Nicolai, vel in Cathedrali, non autem in aliis Ecclesiis, sine licentia Episcopi vel eius Vicarii Generalis; et schedulas Communicantium a respectivis Oeconomis distribuendas esse, et cum illorum interventu recolligendas ab Archipresbitero Cathedralis; atque cedulones contra non parentes praecepto paschali affigendos esse tum in Ecclesiis oeconomalibus, tum in Cathedrali; denunciationes vero pro Matrimoniis contrahendis, vel pro promovendis ad Ordines, aliasque occasione monitorialium pro rebus deperditis, promiscue fieri posse in Cathedrali pro quibuscumque Personis, et in Ecclesiis Oeconomalibus pro habitantibus in respectivis limitibus. Has enim praerogativas, disputavit Capitulum, ad solam Cathedralem unicam parochialem spectare, atque ad eius Archipresbiterum, uti eousque servatum fuerat. Allegabatur nono gravamen Archipresbitero illatum per indultam Oeconomis facultatem exarandi testimoniales, cum perceptione emolumentorum, relaxata sola illorum medietate favore Oeconomi Cathedralis. Decimo conquerebatur de concesso Oeconomis usu stolae et participatione emolumentorum in funeribus. Corripiebat undecimo Decretum Episcopi, quod contra antiquam consuetudinem Testibus probatam facultatem dederit Ecclesiae S. Nicolai ducendi particulares processiones intra limites suarum Ecclesiarum oeconomalium, praevia tamen Episcopi licentia. Et duodecimo increpabat divisionem limitum ea ratione, quod nobilior pars Civitatis et maiori Habitatorum numero referta assignata fuerit pro exercitio curae animarum Presbiteris S. Nicolai, relicta minori parte Ecclesiae Cathedrali, cui ceteroquin ratione matricitatis dignior pars assignanda fuisset. His ergo attentis gravaminibus, postulavit Capitulum Cathedralis, ut, reprobato Episcopi Decreto, alteri committeretur facienda divisio, cum sola assignatione quartae partis Civitatis favore Ecclesiae S. Nicolai pro solo exercitio curae animarum, et cum reservatione omnium praerogativarum favore Cathedralis. Verum Episcopus, ne videretur indebite sibi parochialem tribuisse curam animarum, petiit subscriptionem particularis dubii super illius pertinentia, contendens, quod Civitas Andriae, in qua tota consistebat Diaecesis, divisas non

haberet Parochias, et ideo cura residere praesumeretur penes Episcopum.

14. Rebus sic stantibus, proposito interim dubio: - An sit approbanda divisio in casu etc. -, Sacra Congregatio die 11 septembris 1762 responsum tulit: - Dilata, et subscribatur dubium ab Episcopo porrectum, et omnia simul proponantur -. Propositis hinc dubiis: - I. An Ecclesiae Catedralis unicae in Civitate et Territorio Andriae parochialis Parochus sit Episcopus et ad quos effectus, seu potius Capitulum eiusdem Cathedralis? II. An sit approbanda divisio in casu etc. -, Sacra Congregatio die 23 aprilis 1763 respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem quoad omnes effectus, Negative ad secundam. Ad secundum, dilata; et divisionem esse faciendam ab Emo Praefecto -. Nulla postmodum de hac divisione verba facta sunt. Verum controversia non quievit inter Episcopum et Capitulum, quod meliorem deinde sortem expertum est. Nam die 26 novembris eiusdem anni obtinuit, ut responderetur: - Praevio recessu a decisis, curam animarum habitualem esse penes Capitulum -. Atque iterum post datam dilationem, quam die 18 februarii 1764 petebat Episcopus, proposito dubio: - An sit standum, vel recedendum in primo, vel secundo loco decisis? -, die 12 maii 1764 resscriptum est: - In secundo loco decisis, et amplius -. Ad divisionem autem quod attinebat, Emus Praefectus die 14 ianuarii 1765 decrevit: - In executionem Rescripti Sacrae Congregationis Concilii sub die 23 aprilis 1763 declaramus, quod divisio Populi Andriensis fiat per confinia, et non per familias, ita ut duae ex tribus partibus Populi spectare debeant ad Cathedralem uti unicam parochialem, alia tertia pars ad Ecclesiam coadiutricem S. Nicolai, ad formam resolutionis Sacrae Congregationis Concilii die 10 februarii 1759; ad quem effectum explendi divisionem, ut supra et non aliter, delegamus Metropolitanum Tranensem, cum omnibus facultatibus eiusdem Sacrae Congregationis -. Metropolitanus Tranensis Andriam ivit. Ibi auditis, quorum intererat, ac cognito perspectoque Incolarum numero, statuit die 26 augusti eiusdem anni 1765, divisionem esse faciendam - ex numero animamarum 95m; esse assignandum dictae Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai coadiutrici numerum animarum 3171, quae est pars Populi praedicti huiusmet Civitatis descripti in dictis octo Rionibus -. Actu autem in re praesente partes Civitatis divisit ad eam formam, quae subiiciebatur oculis. Non placuit divisio Capitulo S. Nicolai, quod de ea conquerebatur tamquam iniusta et damnosa, ac reformandam petiit. Contra autem Capitulum Cathedralis optimam esse ac nullo alio modo faciendam vel possibilem esse decertavit. Nam Ecclesia S. Nicolai non erat, nisi adiutrix pro Sacramentis admistrandis. Idcirco satis superque illi datum cum tertia parte Populi, quae non solum sufficiens erat pro Ecclesia adiutrice, verum limites et confinia rectissime, auditis omnibus super ipsa loci facie, determinavit Metropolitanus. Unicuique Ecclesiae conterminas ac magis vicinas domos viasque assignavit, ut ex forma ipsa divisionis manifesto patebat. Falsum esse dixit non habere Ecclesiam S. Nicolai sive spatium, sive vias ad supplicationes agendas, itidem quod in suo circuitu pauperiores ac miseriores homines comprehenderet tantum. Demum postulavit declarari, omnes agrorum habitatores, pro iis colendis conductos, ad se spectare. Advertebatur, divisionem non esse de finibus verae Parochiae, sed tantum de exercitio curae. Verum Capitulum S.Nicolai conquestum est, neque observatam mentem Sacrae Congregationis, neque expressam legem Decreti de tertia parte; partem illam demandatam fuisse, ut aequa in omnibus pro tertia esset, tam de numero Populi, quam de eius qualitate, tam de emolumentis, quam de Civitatis situ; omnia inaequaliter facta; cuncta infima data sibi; non habere emolumenta, quae pro tertia responderent; non vias ad supplicationes agendas; nullam rationem habitam de domorum distantia; datos Cathedrali omnes extra moenia Cives habitatores agrorum. Advertebatur pariter, divisionem non esse de finibus verae Parochiae, sed tantum de exercitio curae. Considerandum hinc unice, quid ad eam gerendam pro salute Populi conduceret; salus enim Populi antehabenda erat omnibus. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An divisio sustineatur, seu potius sit reformanda et quomodo in casu etc. -, Sacra Congregatio die 20 septem-

bris 1766 responsum dedit: — Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, et amplius; et quoad habitatores extra maenia, detur dubium, una cum aliis, et amplius —.

15. His constitutis, reliquum hinc erat, ut ad novas praecidendas controversias, exinde praescriberentur, quae iura ad officium Parochi pertinentia exerceri possent a Capitulo Cathedralis tum in Ecclesia coadiutrice Curae, tum in Populum degentem in circuitu huic praefinito, quibusve obligationibus eadem Coadiutrix, sive Vicarius ibi praeficiendus in iis, quae ad curam pertinebant animarum, obstringeretur erga Capitulum, qua verum Parochum. Multiplex congeries in viginti quinque quaesita disperita fuit ad faciliorem decisionem. Prima inspectio erat de nominatione et electione Vicarii ad exercendam curam in Ecclesia coadiutrice. Undecim mox sequebantur de iuribus funerum quaestiones. Agebant duae controversiae de processionibus gerendis in Ecclesia S. Nicolai. Disserebantur sex aliis de norma servanda in eo, quod pertinebat ad implementum praecepti paschalis. Reliquae respiciebant facultatem delegandi licentiam conferendi Sacramenta Baptismatis et Matrimonii, ius publicandi proclamata literasque monitoriales, asservationem codicum parochialium, ius exhibendorum Sacramentorum degentibus extra Civitatem in Territorio, divisionem denique emolumentorum provenientium ab exercitio curae animarum. Propositis itaque dubiis: — I. An electio unius aut plurium Vicariorum pro exercitio administrationis Sacramentorum in ambitu Ecclesiae S. Nicolai coadiutricis sit facienda a Capitulo Ecclesiae Cathedralis unico Parocho habituali et ad eius nutum in casu etc. II. An in associationibus cadaverum defunctorum in ambitu dictae Ecclesiae S. Nicolai et tumulandorum in quavis Ecclesia sive Seculari, sive Regulari eiusdem ambitus, interveniente tamen Capitulo Cathedralis, munus Parochi expleri debeat a Vicario dictae Ecclesiae S. Nicolai, seu potius a Vicario Capituli Cathedralis in casu etc. III. An et a quo ius parochiale sit exercendum in funeribus cadaverum defunctorum in ambitu Cathedralis et tumulandorum in dicta Ecclesia S. Nicolai, aut in ambitu eiusdem Ecclesiae et tumulandorum in quavis Ecclesia ambitus Cathedralis in casu etc. IV. An et cui competat dictum exercitium parochiale, quando cadavera ex ambitu dictae Ecclesiae S. Nicolai sepelienda sunt in aliqua ex Ecclesiis filialibus Cathedralis in casu etc. V. An Canonicis seu Presbiteris aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis et habitantibus in ambitu dictae Ecclesiae S. Nicolai in casu infirmitatis Sacramenta sint administranda a Vicario Cathedralis, seu potius a Vicario dictae Ecclesiae S. Nicolai in casu etc. VI. An iisdem decedentibus absque electione sepulturae, nec alibi eam habentibus sepulchra, sepeliri debeant in Ecclesia Cathedrali in casu etc. VII. An Presbiteris seu Clericis adscriptis servitio dictae Ecclesiae S. Nicolai et habitantibus in ambitu Ecclesiae Cathedralis in casu infirmitatis Sacramenta sint administranda a Vicario dictae Ecclesiae S. Nicolai, seu potius a Vicario Cathedralis in casu etc. VIII. An iisdem decedentibus absque electione sepulturae, nec alibi eam habentibus, sepeliri debeant in dicta Ecclesia S. Nicolai in casu etc. IX. An decedentes in ambitu dictae Ecclesiae S. Nicolai ab intestato aut cum testamento, nulla facta electione sepulturae, nec illam gentilitiam habentes in dicta Ecclesia, sepeliri debeant privative in Ecclesia Cathedrali, uti unica Parochiali, in casu etc. X. An in associationibus cadaverum defunctorum in ambitu dictae Ecclesiae S. Nicolai et tumulandorum in eadem Ecclesia, vel in alia praeter Cathedralem, et eius Ecclesias filiales, minime interveniente Capitulo Cathedralis, Vicarius dictae Ecclesiae S. Nicolai teneatur levare Crucem parochialem a Cathedrali, seu potius possit uti propria Cruce in casu etc. XI. An Capitulo Cathedralis debeatur quarta funeralis pro omnibus tumulationibus faciendis a dicta Ecclesia S. Nicolai in casu etc. XII. An dicta Ecclesia S. Nicolai teneatur contribuere caballos sexdecim pro singulo cadavere tumulando in ipsa Ecclesia in casu etc. XIII. An in omnibus processionibus etiam solemnibus et funebribus explendis a Presbiteris dictae Ecclesiae S. Nicolai intra proprium ambitum levanda sit Crux parochialis a Cathedrali, seu potius uti possint propria Cruce in casu etc. XIV. An pro dictis processionibus petenda et obtinenda sit

licentia non tantum ab Episcopo, sed etiam a Capitulo unico Parocho in casu etc. XV. An in pagellis distribuendis ad probationem adimplementi praecepti paschalis in dicta Ecclesia S. Nicolai ultra titulum dictae Ecclesiae S. Nicolai addi debeat alter coadiutricis Cathedralis cum subscriptione Archipresbiteri in casu etc. XVI. An et a quo recolligi debeant dictae pagellae in casu etc. XVII. An Vicarius sive Vicarii dictae Ecclesiae S. Nicolai quolibet anno deferre debeant Rmo Archipresbitero Vicario Capituli Cathedralis notulam eorum, qui paschale praeceptum non adimpleverint in casu etc. XVIII. An solus Rmus Archipresbiter certiorare debeat Confessarios illos, quibus iustis de causis Sacramenta non sint administranda in casu etc. XIX. An soli Archipresbitero competat licentiam dare invalidis aut alias legitime impeditis adimplendi praecepto paschali in alia Ecclesia praeter Cathedralem et Coadiutricem in casu etc. XX. An degentibus in districtu dictae Ecclesiae S. Nicolai liceat adimplere praecepto paschali in Ecclesia Cathedrali unica parochiali in casu etc. XXI. An et cui ius competat concedendi licentiam aliis Sacerdotibus coniungendi in Matrimonium et administrandi Sacramentum Baptismi, sive in Ecclesia Cathedrali, sive in dicta alia S. Nicolai, sive in quacumque alia Civitatis Andriae et sui Territorii in casu etc. XXII. An in sola Ecclesia Cathedrali unica parochiali publicari debeant excommunicationes literae monitoriales pro rebus deperditis nec non denunciationes occasione Matrimoniorum contrahendorum et Clericorum promovendorum in casu etc. XXIII. An in fine cuiuslibet anni Vicarius seu Vicarii dictae Ecclesiae S. Nicolai adferre debeant ad Archivium Ecclesiae Cathedralis quinque libros parochiales, in quibus baptizati confirmati in Matrimonium coniuncti mortui ac status animarum fuerint descripti in casu etc. XXIV. An ius administrandi Sacramenta habitatoribus extra maenia Civitatis Andriae competat Capitulo Ecclesiae Cathedralis unicae parochialis totius Civitatis et Territorii in casu etc. XXV. An et quomodo sit providendum super partitione emolumentorum provenientium ab exercitio curae animarum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 decembris 1766 respondit: – Dilata ad primam, et detur dubium iuxta mentem –.

16. Secundam huius Rescripti partem suggessit necessitas explicandi totam divisionem materialem Parochiae Civitatis Andriae in eo, quod Sacramentorum respiciebat administrationem. In Congregatione quippe habita die 20 septembris 1766 certus quidem constitutus fuerat ipsius Civitatis ambitus, intra quem Ecclesia S. Nicolai coadiuvaret in Sacramentis administrandis Ecclesiam Cathedralem unicam in ea Civitate parochialem, nihil autem statutum fuit quoad illius Territorium, de quo quid decernere expediret, Sacra Congregatio sub peculiari dubio una cum aliis proponendo reservavit, postea determinandum. In integrum itaque implementum mentis S. Congregationis definiendum erat ante controversias super divisione formali, qui habitantes extra maenia uni, vel alteri Ecclesiae subiicerentur. Proposito igitur dubio: – An et qui habitantes extra maenia Civitatis pertineant ad Ecclesiam Cathedralem, vel ad Ecclesiam S. Nicolai? –, nec non repropositis dubiis divisionem formalem respicientibus sub eadem formula, Sacra Congregatio die 24 ianuarii 1767 rerpondit: – Ad dubium singulare, tertiam partem domorum extra maenia et in eis habitantes pertinere ad Ecclesiam S. Nicolai, reliquas vero duas tertias partes ad Cathedralem; et scribatur Archiepiscopo Tranensi iuxta instructionem (1). Ad primum, Negative. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad tertium, ius ducendi funus spectare ad Ecclesiam tumulantem cum associatione Vicarii alterius Ecclesiae. Ad quartum, quoad Ecclesias in ambitu Cathedralis, provisum in tertio. Ad quintum, Affirmative. Ad sextum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad sextum, in Cathedrali, si in ea adsit sepulchrum proprium, sin minus in sepulchro Maiorum, alias in

(1) Instructio fuit, ut Archiepiscopus, auditis Patronis omnibusque inspectis documentis, distincte referret de modo, quo hactenus vel super delatione, vel super custodia praedictorum librorum servatum fuit, et ut opportuna documenta transmitteret, et sensum suum aperiret, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 52 die 19 Septembris 1767.*

Ecclesia S.Nicolai. Ad septimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad octavum, ut in sexto. Ad nonum, Negative. Ad decimum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad undecimum, audiatur Episcopus. Ad duodecimum, Affirmative. Ad decimum tertium, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad decimum quartum, Affirmative in omnibus quoad processiones extra ambitum. Ad decimum quintum, Affirmative absque subscriptione Archipresbiteri. Ad decimum sextum, a Vicario S. Nicolai. Ad decimum septimum, Negative. Ad decimum octavum, Negative. Ad decimum nonum, competere unicuique intra proprium ambitum. Ad vigesimum, Affirmative. Ad vigesimum primum, competere unicuique Vicario respective de licentia Episcopi. Ad vigesimum secundum, Affirmative quoad excommunicationes et literas monitoriales arbitrio Episcopi; in reliquis, in utraque Ecclesia respective. Ad vigesimum tertium, servetur solitum. Ad vigesimum quartum, provisum in dubio addito. Ad vigesimum quintum, audiatur Episcopus –. Elargito utrique Ecclesiae novae audientiae beneficio, Causa reproposita est, tam super resolutis, quam super reservatis, circa quae iura sua deducere curavit quoque Rm̃us Episcopus. Repropositis hinc dubiis sub formula: – An quoad primum secundum tertium quartum quintum sextum septimum octavum nonum decimum duodecimum decimum tertium decimum quartum decimum quintum decimum sextum decimum septimum decimum octavum decimum nonum vigesimum vigesimum primum vigesimum secundum vigesimum tertium vigesimum quartum, et quoad dubium singulare sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. XI. An Capitulo Cathedralis debeatur quarta funeralis de omnibus tumulationibus faciendis ab Ecclesia S. Nicolai in casu etc. XXV. An et quomodo sit providendum super partitione emolumentorum provenientium ab exercitio curae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 septembris 1767 respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, in decisis; et amplius. Ad tertium, dilata; et dentur dubia, iuxta mentem. Ad quartum, dilata ut ad proximum. Ad quintum, in decisis; et amplius. Ad sextum, praevio recessu a decisis, Affirmative.Ad septimum, in decisis; et amplius. Ad octavum, praevio recessu a decisis, Negative. Ad nonum, praevio recessu a decisis, Affirmative. Ad decimum, in decisis; et amplius. Ad undecimum, quoad decedentes in districtu Cathedralis, Affirmative; quoad reliquos, Negative; et quoad Episcopum, servetur Decretum Congregationis Episcoporum et Regularium 8 aprilis 1672 (1); et amplius. Ad duodecimum decimum tertium decimum quartum decimum quintum decimum sextum, in decisis; et amplius. Ad decimum septimum, iterum proponatur. Ad decimum octavum in decisis et amplius.Ad decimum nonum, iterum proponatur. Ad vigesimum, in decisis; et amplius. Ad vigesimum primum, iterum proponatur. Ad vigesimum secundum, in decisis; et amplius. Ad vigesimum tertium, scribatur Episcopo iuxtra instructionem. Ad vigesimum quartum et ad dubium singulare, in decisis; et amplius. Ad vigesimum quintum, unicuique competere emolumenta exercitii curae intra proprium ambitum –.

17. Quaestiones itaque plures ad sua specialia dubia reservatae fuerunt, nec non plura dubia ob suffragiorum scissuram in suspenso remansit. Propositis hinc dubiis: – I. An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione Parochianorum defunctorum intra ambitum Cathedralis et tumulandorum in Ecclesia S. Nicolai aut in alia ambitus eiusdem Ecclesiae in casu etc. II. An et a quo excrcitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiae S. Nicolai et tumulandorum in Ecclesia Cathedrali in casu? III. An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiae S. Nicolai et tumulandorum in Ecclesiis Secularibus sitis in ambitu Ecclesiae Cathedralis? IV. An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiae S. Nicolai et tumulandorum in Ecclesiis Regularibus sitis in ambitu Cathedralis in casu etc. An quoad dubia sextum octavum

(1) Quo quippe Decreto, Episcopus percipere debebat quartam funebrem ab Ecclesiis tumulantibus.

et nonum sit standum in primo, vel in secundo loco decisis? An quoad dubia decimum septimum decimum nonum vigesimum primum et vigesimum tertium proposita in Congregatione diei 19 septembris 1767 et non resoluta sit standum, vel recedendum a decisis? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, a Vicario Cathedralis. Ad secundum, a Vicario S. Nicolai. Ad tertium, a Vicario S. Nicolai. Ad quartum, a Vicario S. Nicolai. Ad sextum, in secundo loco decisis. Ad octavum, praevio recessu a decisis, Affirmative. Ad nonum in secundo loco decisis; et amplius. Ad decimum septimum, praevio recessu a decisis, Affirmative. Ad decimum nonum, in decisis; et amplius. Ad vigesimum primum, in decisis; et amplius, dempta clausula de licentia Episcopi. Ad vigesimum tertium, quoad libros status animarum quolibet anno transferendos ad Cathedralem, et amplius; quoad reliquos transferendos ad Cathedralem quolibet sexennio – *in Andrien. die 15 Septembris 1770.*

18. Hinc Episcopus, attento Parochorum consensu, qui in loco promiscue Sacramenta administrabant, nec non Concilio Tridentino in cap. 13 sess. 24 de reformatione, iure ac merito Parochiarum confinia praefinivit, et Sacra Congregatio Decretum ob id latum probavit, quin obesset eorum reclamatio, qui praedium in praefato loco possidebant *in Reatina Dismembrationis et iuris decimandi die 28 Iulii 1781 die 31 Maii 1783 die 10 Ianuarii 1784.*

19. Siquidem cum territorium Oppidi Castri Franchi esset angustum, ampliatum fuit ab ipsamet Civitate Reatina, quae partem sui territorii dicto Castro adiunxit; et haec portio territorium adiunctum Castri Franchi nuncupari cepit. Oppidum distabat quatuor circiter milliaribus a Civitate Reatina, illiusque Archipresbiter finitimas habebat parochiales Ecclesias Sanctorum Eusanii Leopardi et Donati eiusdem Civitatis, quarum Parochi iurisdictionem suam etiam extra Civitatis maenia protendebant. Has inter Parochias et alteram Castri Franchi nulla aderat confinium divisio quoad partem territorii adiuncti, et cura animarum promiscue exercebatur. Episcopus Reatinus, dum die 5 maii anni 1781 in praefato Oppido sacram visitationem ageret, Parochiarum confinia praefinire curavit; declaravitque, spectare ad Archipresbiterum Castri Franchi iurisdictionem per totum territorium adiunctum, iuxta descriptionem a Peritis factam. Parochis vero Sanctorum Eusanii Leopardi et Donati assignavit domos rurales existentes prope Civitatem Reatinam, in descriptione non comprehensas. Ut autem Decretum praedictum suam in posterum haberet firmitatem, Sacerdos Hieronymus Inciocchi Archipresbiter Castri Franchi petiit illius confirmationem a Sacra Congregatione, et audito prius Episcopo et annuentibus Parochis Sanctorum Eusanii Leopardi et Donati, die 28 iulii 1781 sequens prodiit Rescriptum: – Attento consensu trium Parochorum interesse habentium nec non dispositionem Sacri Concilii Tridentini sess. 24 cap. 13 de reformatione, pro approbatione Decreti lati in sacra visitatione ab Episcopo Reatino die 5 maii 1781–.

20. Hanc divisionem, tamquam minus recte factam, acriter impugnarunt Ioseph et Carolus Stola possidentes praedium in territorio adiuncto Castri Franchi. Contenderunt enim Fratres Stola, Praedium, quod ipsi possidebant in territorio adiuncto Castri Franchi, eorumque Colonos nunquam sub Parochia dicti Castri, sed sub altera Parochia S. Eusanii fuisse comprehensos, idque probari ex libris status animarum istius Parochiae, in quibus Coloni eiusdem praedii descripti legebantur; insuper probari ex Matrimoniis coram eodem Parocho celebratis, ac demum ex administratione Sacramentorum a praefato Parocho exercita. Addiderunt, Parochiarum dismembrationem tunc solum fieri posse, quando animarum cura id expostulet; nullam vero interfuisse iustam causam statuendi huiusmodi dismembrationem, et propterea Decretum sustineri non posse. Dixerunt etiam, singula rationum momenta ab Episcopo adducta ad dismembrationem statuendam nec in facto, nec in iure subsistere: non subsistere ex causa distantiae, cum aliae extarent Parochiae in Civitate Reatis, quae extra Urbem ad plura milliaria iurisdictionem protendebant, ipsorum vero praedium magis finitimum esse Ecclesiae S. Eusanii, quam Parochiali Castri Franchi: non subsistere difficultatem ingrediendi Urbem noctis tempore; nam licet Civitas Rea-

tina moeniis undique vallata esset, et sero portae clauderentur, praesto tamen aderat Ianitor, qui illas aperiebat, et poterant Parochiani in aliquo necessitatis actu proprium adire Parochum, qui illorum indigentiis occurreret, et hoc solatium praebere etiam posse Religiosos Reformatos et Capuccinos, quorum Coenobia sita erant extra Civitatem: nec attendendum esse consensum a Parochis Sanctorum Donati Leopardi et Eusanii dismembrationi praestitum; nam etiam Parochiani in id convenire debebant, qui nunquam consenserunt, neque unquam consentirent, ne destituerentur subsidiis dotalibus et eleemosynis Civibus Reatinis distribuendis, et quorum participes erant, dum Parochis Civitatis adscripti erant. Ex alia vero parte Archipresbiter Castri Franchi advertit, in territorio, quod adiunctum eidem Castro dicebatur, Sacramenta indistincte fuisse ministrata, tum ab Archipresbitero dicti Castri, tum a Parochis Sanctorum Leopardi Donati et Eusanii Reatis; hanc vero promiscuam Sacramentorum administrationem et animarum curae praeiudicium afferre, et S. Concilii Tridentini dispositioni adversari, et idcirco provisum esse per Decretum ab Episcopo in visitatione editum. Quare contendit, Decretum sustineri debere, maxime quia Incolae territorii adiuncti Castri Franchi plurimum distabant a Civitate Reatis, et difficilis erat ad illius accessus, quin aliter huic malo occurri posset, cum deessent aliae Ecclesiae, in quibus Parochialis erigi posset, et modus deficeret statuendi congruam novo Parocho.

21. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 28 iulii 1781 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 31 maii 1783 responsum tulit: – Ad primum in decisis; et amplius –. Verum huic resolutioni non acquiescentes dicti Fratres Stola, facta est ipsis facultate illam impugnandi. Reproposito vero dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Reatina Dismembrationis et iuris decimandi die 10 Ianuarii 1784.*

22. Quin imo quum distincti Paraeciarum fines dici possent, dum de emigratis dumtaxat quaerebatur Familiis ac de iurisdictione originarii Parochi, e cuius finibus excesserunt, Sacra Congregatio, attentis malis, quae ex promiscuo parochialis iuris exercitio in aliena Parochia obveniebant, nec non consensu fere omnium Parochianorum et maioris partis Parochorum, mandavit, ut abrogaretur parochialis iurisdictionis mixtura et determinarentur Parochiae arbitrio Episcopi, qui etiam procederet cum facultatibus eiusdem Sacrae Congregationis, non attenta quacumque inhibitione, nisi signata, manu Summi Pontificis, quin ullatenus obesset inveteratum et correspectivum ius, quod Parochi respective exercebant in alienis Parochiis *in Sancti Severini seu Septempedana Visitationis sacrorum Liminum die 19 Decembris 1789 et die 10 Iulii 1790.*

23. Iamvero quamplures Septempedanae Civitatis et Diaecesis Parochiae administrabantur per Familias, quae originariis semper subiiciebantur Parochis, licet in alienas iurisdictiones migraverint. De hac primum sive consuetudine, sive abusu questus fuit anno 1648 occasione visitationis sacrorum Liminum, qui tunc Episcopalem illam tenebat Sedem; sed iustis dubio procul de causis providentiam distulit Sacra Congregatio. Eamdem renovavit querelam anno 1764 successor Episcopus Forlani, reique examen commissum fuit Emo Calcagnino, quem ille de singulis certiorem reddidit Parochiis sive permixtis, sive distinctis, sive per concordiam unitis, et respective a commixtione solutis. Permixtae erant una supraviginti, distinctae duae, unitae et a commixtione solutae tres, Castri nempe S. Petri Insulae et Elciti, de quibus haec approbanda proponebantur concordiae capita: 1. quod Parochia Castri S. Petri de iurepatronatus veteris Capituli Septempedani perpetuo unienda esset Prioratui eiusdem Castri et Insulae; 2. quod debita cum licentia demoliri deberet parochialis illa Ecclesia, omniaque caementa et supellex, excepto calice et patena, commodo cederent Prioratui; 3. quod semel Capitulum solveret scuta viginti pro manutentione lampadis ante Sanctissimum Sacramentum Prioratus investienda; 4. quod Parochia altera Elciti, ad idem pertinens Capitulum, commixta amplius non esset cum Prioratu; et 5. demum, quod originariae Elciti Familiae, in Prioratu exi-

stentes, ei in posterum subiicerentur. Quae fuerit Emi Calcagnini relatio et Sacrae Congregationis resolutio, non constabat. Negotium igitur resumpsit modernus Episcopus, ac post interdictam anno 1776 per Decretum sacrae visitationis commixtionem inter Parochias Castri S. Petri Insulae et Elciti, super quibus inita fuerat concordia, reliquarum statum exposuit anno 1783, deindeque suorum Decessorum instar Oraculum Sacrae Congregationis anno 1786 postulavit. Incommoda prae omnibus numeravit permixtae iurisdictionis, quae - ex Familiarum emigratione, quae frequenter contingit, inter utriusque Paraeciae Sacerdotium exoritur; nam passim iurgii contentionisque ansam praebet vel circa ius desumendi Sanctissimum Viaticum in aliena Ecclesia, vel circa funerum decimarum aliorumque parochialium munerum exercitium. Hinc etiam inter viciniores Parochos, ut maiora quisque percipiat, aemulatio quaedam ad plures Familias expiscandas seu retinendas non absque bonorum scandalo auditur. Quod autem plurimum facessit animarum regimen, illud est, quod sic emigrata Familia, quo longius sistit a Parocho suae originis, veluti sui iuris facta, eo minus Pastoris sui faciem videt et vocem audit, ac vicissim Pastor illam amplius non agnoscit, niši paschalis praecepti adimplementum, vel extremum vitae discrimen instet; nec raro contigit, ut repentini morbi pressura copiam adeundi remotiorem originis Parochum intercludat, et quandoque suboriente inter Parochos quaestione, num Familia sit alterutrius originaria vel translata, pro sui libitu huiusmodi familia modo unum, modum alterum agnoscit Parochum, vel etiam neutrum, si de illis sit, qui minime curat animam suam salvam facere –.

24. Hinc vestigia sequens Episcopi Forlani, hoc proposuit remedium: – Si nunc pro tunc (quando vacaturae erunt Parochiae) ad hanc eliminandam mixturam sacrae visitationis Decretum emanetur, quo cautum sit, ut Paraeciae illae, quas inter hucusque invaluit, vel actu reperitur mixtura, omnino perpetuis futuris temporibus sit interdicta. Quo vero ad alias, quae huic incommodo sunt obnoxiae, eveniente vacationis casu, certis spiritualibus finibus statim circumscribantur, ac illa materialis seu temporalis linea usurpetur, quae uniuscuiusque Castri et Villae Syndicatum, ut aiunt, seu agrum notissime designat in civilibus, pro realibus et personalibus oneribus exigendis, et singulae Familiae, quae extra huiusmodi Syndicatum vel lineam sunt emigratae, vel tractu temporis emigraverint, illi sint subiectae Sacerdotio, intra cuius limites consistunt. Quae ratio si memorato anno 1764 fuisset adoptata, suum iam esset sortita effectum in quindecim ex viginti Paraeciis, quae meo sub regimine vacarunt. Siquidem huiusmodi methodus non diutino annorum curriculo rem totam placidissime conficeret, quin iura possidentium Parochorum in eorum vita imminuantur, vel clamoris aut turbae faciendae causa praebeatur. Successores vero Parochi vel nullum aut certe facile spernendum damnum sentient ex aliquarum decimarum iactura, quae in cuppa unius frumenti et unius musti cado ad summum redigitur, et vicissim eveniente proximioris Parochi obitu compensationem aliquam recipiet, ex reciproca confinium regula, quae ex intervallo temporis singulis Paraeciis parem gignere debet effectum. Eoque libentius huiusmodi calculum omnem adiiciendum puto, quia nulla Paraecia ad talem paupertatis statum, uti facile ex adverso famigeratur, deveniet, ut inde sit pertimescendum, quod difficile Sacerdotes instituendi inveniantur, prout patet etiam ex elencho redituum cuiusque Paraeciae in adnexis foliis descripto –, gradatim earum quinque a scutis ascendebant 122 ad 223 non comprehensis incertis, reliquae a scutis 37 ad 87, una excepta Castri S. Petri de iurepatronatus Capituli, quae vix annua reddebat scuta 19 50, – probatamque probationem ex eo colligo, quod quum anno 1776 in actu visitationis mixturam illam interdixerim, quae vigebat inter Parochum Castri Elciti ex una et Plebanum Castri S. Petri et Insulae ex altera, certosque fines iuxta uniuscuiusque syndicatum praefixerim, non inde Parochus Capituli, qui certe reditibus non affluit, sua caret sustentatione, licet quatuor Familiarum iacturam fecerit, totumque hoc negotium suprema EE. VV. auctoritate fuit desuper confirmatum –.

25. Et ita demum principale diluit Epi-

scopi Forlani obiectum: – Nec huiusmodi bonum, quod pro recti ordinis et pacis emolumento animarumque salute satagendum censeo, debet quidpiam immorari, ex quo aliquot Familiae originariae ex tribus Paraeciis, nempe Galvani novi, Galvani veteris, et Ghigiani, quae de iurepatronatus Populi existunt, ac mixturam cum aliis vicinioribus habent, emigraverint ad conterminas, nihilominus patronatus exercitium respective exerunt in novi Parochi electionis eventu, ceu R. P. D. Forlanius animadvertit. Etenim omisso, quod de paucis Ruricolis agitur, qui suapte natura non admodum noscunt, minusque tuentur huiusmodi electionis ius, quod simultanee tantum cum toto Populo exerere possunt, quoties tamen existunt de gremio in hoc spirituali iure, illos quomodolibet manuteneri minime absurdum foret, quatenus in eo tueri se vellent, ne huius quaestiunculae causa publicum, quod intuendum est, animarum bonum minus fiat, si antedictae originariae familiae iamdiu emigratae a patronatu cecidisse declarentur –. Ne quid vero in id desideraretur, luculentius in novissima informatione originariae familiae qualitatem ex praescripto declaravit, quod talis nempe censetur, quae ab una ad alteram etiam dissitam migraverit Parochiam, etiamsi apud ipsam Parochialem secundi domicilii domum vel Ecclesiam existeret; addiditque, quod Familiae omnes Septempedani Comitatus, a quo constituebatur Diaecesis, huc illuc erant per agrum dispersae, vixque nonnullae Castris Villis, ut plurimum dirutis, incolebant. At distincti in themate dici poterant Paraeciarum fines, dum de emigratis dumtaxat quaerebatur Familiis, ac de iurisdictione originarii Parochi, a cuius finibus excesserunt. De inveterato sane et correspectivo agebatur iure; nam illud unus Parochus in aliena exercebat Parochia, quod alter in sua; hinc haud facile immutandum, quod temporis vetustate confirmatum erat, cum praesertim, qui a Parochiis migraverant de iurepatronatus Populi, partem haberent in electione Parochi, suoque per abolitionem mixturae privarentur iure, quod laicis potissimum servari solet, ne a fundationibus retrahantur. E contra Tridentina Synodus nedum per divisionem Paraeciarum, sed alio etiam utiliori modo consulendum mandavit tutiori animarum saluti. Et in casu, de quo agebatur, plura obveniebant mala ex promiscuo illo parochialis iuris exercitio in aliena Parochia, dum parum aut nihil singulorum iurisdictio decresceret, si praefata consuetudo abrogaretur, quum tot ab ea subtraherentur emigratae Familiae, quot ex respectiva forsan emigratione accederent; hinc et privatum quarumdam familiarum ius ferendi suffragii in electionibus Parochorum de patronatu Populi cedere debere videbatur publico animarum bono, quod ex abrogatione consuetudinis induci autumabat Episcopus. Nova quippe videbatur Paraeciarum determinatio, quam Episcopus proponebat, scilicet – ut Paraeciae illae, quas inter hucusque nulla invaluit vel actu reperitur mixtura, omnino perpetuis temporibus sit interdicta, quo vero ad alias, quae huic incommodo sunt obnoxiae, eveniente vacationis casu, certis spiritualibus finibus statim circumscribantur, ac illa materialis seu temporalis linea usurpetur, quae uniuscuiusque Castri et Villae syndicatum seu agrum designat in civilibus –, at notari poterat, quod incommodi fortasse erant fines, quum Familiae omnes dispersae essent per agrum.

26. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit abroganda parochialis iurisdictionis mixtura et sint disterminandae Parochiae in casu etc. II. An et quomodo quoad Parochias S. Petri Insulae et Elciti sit approbanda concordia anni 1764, seu potius sit exequendum Decretum visitationis anni 1776 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 decembris 1789 respondit: – Dilata; et exquiratur melior informatio super concordia anni 1764 et eius exequutione –. Causam huic Rescripto prae ceteris dedit Paraeciarum status, qui post impressum illius Congregationis folium a Septempedano venit Episcopo cum novissima sacrorum Liminum visitatione. Itaque ex viginti sex Septempedanae Civitatis et Diaecesis Parochis, qui mutuam in emigratas familias exercebant iurisdictionem, libere quatuordecim consentiebant Paraeciarum divisioni per confinia, decem sub conditione; dissentiebant reliqui. Praeter disterminationem, proponebatur suppressio Paraeciae Fontiscupi, eiusque unio proximiori alteri S. Blasii. Hic iuxta recentiorem Episcopi relationem,

fuit concordiae anni 1764 progressus et exitus. Per Decretum sacrae visitationis anni 1776 demandata fuit Paraeciarum Castri Insulae et Elciti unio, de qua per concordiam actum fuerat. Alia exinde Episcopus de reliquis addidit disterminandis Paraeciis. Ingenue fassus est, parochiale ius super Familiis, ab una ad alteram Parochiam emigratis, – confirmatum fuisse possessoria actione in sacra Rota Romana coram Priolo decis. 334 inter Parochos Castri Aliphurni et Serraltae, ac iterum anno 1756 in Rota Maceratensi inter Capitulum Cathedralis et Parochos Servipulae Fontiscupi Cesuli et Granalium –; sed ne in pretio haberetur, quod in simplici definitum erat possessorio, haec addidit: – Ast nemo dixerit, nec ego, ex huiusmodi decisionibus, in quibus iuri potius, quam oeconomico animarum regimini pro Tribunalium more prospicitur, ea fuisse sublata absurda, quae Decessoris mei una mecum lugebant, quaeque etiam animi vestri pietatem satis superque perculsisse demonstrat Eminentiarum Vestrarum responsum ad R. P. Forlanium datum anno 1763 –. Ita responsum hoc erat conceptum: – Cum nullis eae (Paraeciae) limitibus circumscriptae sint, sed incertarum Familiarum numero contineantur, quae longo temporis cursu in diversa huc illuc istius Diaeceseos loca commigrarunt, unde difficillima ob dispersionem animarum cura; proindeque maximum in earum tuenda salute consequitur impedimentum, EE. PP. id incommodi prorsus tollendum esse censuerunt. Sed multi rem esse consilii, ut sine illius querela statui quid possit, ac idcirco omnia quaecumque ad rem facere queant, Domino Calcagnino tuae Ecclesiae relatori mandarunt –. Id tamen nullum, ut supra dictum est, habuit effectum, cum nec relatio praedicti Calcagnini, nec Sacrae Cogregationis resolutio pateret. In memoriam deinde revocavit Septempedanus Antistites, quae ex eius relationibus annorum 1786 et 1789 de omnium fere Parochianorum consensu, facilioriique modo disterminandi Paraecias supra notata sunt, neque id in animo habuisse declaravit, – ut materiales Parochiarum fines, qui hucusque invaluerunt, ita disterminarentur, ut susdeque pristinae sedes invertantur, sed tantum ut meliori modo, iuxta Tridentini mentem ab EE. VV. apprime indicatam pro animarum salute commoditate a suis Rectoribus distant. Qui sane fines ut plurimum temporalibus confinibus seu syndicato respondent. Dixi ut plurimum, ut intelligatur, non posse regulam hanc generaliter militare pro omnibus Parochiis –. Ac monuit postremo, – emigratas Familias ex tribus Paraeciis, quae de iurepatronatus Populi existunt, esse quinque supra viginti, scilicet duodecim ex Galleano novo, septem ex Galleano veteri, sex vero ex Chigiano, ut inde melius percipiatis, quo ius illud ferendi suffragium in Parochorum electionibus protendatur, quatenus sartum tectum servari debeat –.

27. Quum autem per approbationem Decreti anni 1776 super unione Paraeciarum Castri S. Petri Insulae et Elciti inutile videretur secundum illud dubium super approbatione concordiae anni 1764, quae super eadem versabatur unione, opportunius in eius locum subrogatum est alterum super suppressione ac respectiva Paraeciae Fontiscupi unione, quam proponebat Episcopus. Nam Parochia illa vix numerum animarum 117 continebat, vixque ab altera Blasii 250 passibus distabat, eiusque annui reditus in tenui consistebant summa scutorum 38. Plerique ex Parochis consentientibus sub conditione disterminationem flagitabant per lineam spiritualem, quae proxima non esset parochialibus ipsorum Ecclesiis, et dummodo compensationem Familiarum, quae cessuri erant, in totidem aliis consequerentur, ut erant Parochi Aliphurni Corsciani Blasii Cagnorae Galliani novi Casuli Ugliani Patrignoli. Duobus vero novissimis se opposuit Parochus S. Helenae, eo quod suas noscebat, illorum ignorabat Familias. Parochus Palloriti sartam tectamque volebat territorialem lineam anni 1789, per quam in possessione erat Familiarum 17. Aequum videbatur, ne nova prope parochiales Ecclesias duceretur linea, quum ex nimia propinquitate oriri soleant simultates; ac rationi etiam consentaneum, ut alter alteri compensationem tribueret. Sed aliter in praxi suadere poterat locorum positio et non commoda forsan Familiarum permutatio, ita ut non admodum grave paucorum interesse impedire non deberet disterminationem, in quam maior Parochorum pars ad maius

animarum bonum conveniebat. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit abroganda parochialis iurisdictionis mixtura et sint disterminandae Parochiae in casu etc. II. An et quomodo sit locus unioni Paraeciae Fontiscupi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative arbitrio Episcopi, qui procedat etiam ex nunc cum facultatibus Sacrae Congregationis, non attenta quacumque inhibitione, nisi signata manu Sanctissimi. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi – *in Sancti Severini seu Septempedana Visitationis sacrorum Liminum die 10 Iulii 1790.*

28. Qua de re quum inter duos Parochos iusta ac legitima fuerit inita transactio quoad confines utriusque Parochiae, Sacra Congregatio mandavit, ut Episcopus deveniret ad praefixionem confinium, iuxta praefatam transactionem *in Fulginaten. Parochiarum die 24 Novembris 1827.*

29. Siquidem inter ceteras Fulginatensis Diaecesis rurales Paraecias binae aderant inter se finitimae, quarum altera Villae Flaminiae, Altera Villae Maceratulae nuncupabatur. Cumque duae rusticae domus, quarum prima ad Monasterium S. Catharinae Fulginiae, secunda ad Gregorium Piermarini pertinebat, aedificatae fuerint in praediis intra limites Villae Maceratulae existentibus, gravis exarsit contentio inter Rectores utriusque Paraeciae, et unusquisque suae iurisdictioni domos illas subiectas contendere cepit. Verum Fulginas Antistes Marcus Antonius Moscardini, petentibus aedium dominis, et ad praecavenda, quae interim oriri poterant, mala, anno 1809 – per modum provisionis, et sine praeiudicio iurium amborum Parochorum, ac etiam sine praeiudicio iuris statuendi confines iurisdictionis ecclesiasticae per publicum Agrimensorem ab utroque Parocho eligendum –, decrevit, ab Incolis memoratarum aedium implendum esse in Ecclesia parochiali Villae Flaminiae praeceptum paschalis communionis, ibique cadavera Incolarum mortem oppetentium tumulanda, – donec et quousque per nos declaratum fuerit, sub qua iurisdictione ecclesiastica debeant remanere –. Controversiam nunquam diremit Praesul Moscardini, et Parochus Maceratulae Paschalis Mattioli anno 1825 vadimonium obivit coram Episcopali Curia, ac immitti petiit in spiritualem possessionem tum memoratarum aedium, tum domus a fratribus Alleuri nuper extructae: sed modernus Episcopus Lucchesi rem totam in sacra visitatione se compositurum spopondit. Et reapse cum anno 1825 sacram visitationem in Ecclesia S. Stephani protomartyris Villae Maceratulae obiret, ibique adessent uterque Parochus et perplures alii Sacerdotes, controversias omnes ita definiendas proposuit, ut uni Parocho iurisdictio in domum et praedium Gregorii Piermarini, alteri iurisdictio in domos et praedia tam Monasterii S. Catharinae, quam Fratrum Alleuri tribueretur, ac eam quisque sibi haberet partem, quae cuique sortito obtigisset. Id Parochis aliisque praefatis Sacerdotibus placuit; ac die 8 maii 1825, ductis sortibus, domus Gregorii Piermarini obtigit Ecclesiae parochiali Villae Maceratulae, reliquae vero domus Ecclesiae Villae Flaminiae. Composita hac ratione controversia omnis videbatur, sed nova litis contestatio exorta est. Cum enim insequenti anno Parochus Villae Flaminiae ruralem domum Gregorii Piermarini benedixerit, atque etiam schedas distribuerit omnibus in ea hatantibus, ut in sua Ecclesia paschale praeceptum adimplere possent, Parochus Villae Maceratulae prius coram Episcopo conquestus est, dein preces obtulit Sacrae Congregationi suorum iurium redintegrationem expostulans, iuxta concordiam in sacra visitatione peractam.

30. Episcopus transmisit rationes in scriptis atque etiam attestationem quamplurium Testium a Gregorio Piermarini exhibitam, comprobantium vias, quae ab ipso Parocho Maceratulae Oratore et a Colonis pro audiendo Missae Sacrificio, explicatione Evangelii, ac pro addiscendis eorum filiis orthodoxae fidei rudimentis praesertim tempore hyemali commode adhiberi nequibant. Transmisit etiam typum a duobus Decempedatoribus confectum circa domum Piermarini, quae ceteris proximior erat utrique Paraeciae. Isti autem perhibebant fidem de viarum asperitate ac longitudine (1). Tandem

(1) Sane ipsi testabantur, – che dalla casa rurale Piermarini per la via Flaminia alla Chiesa rurale della Fiam-

Episcopus suam aperiens sententiam dixit: – Pro consolatione spirituali Possessorum dictorum praediorum illorumque Incolarum, ac etiam pro rationibus et causis supra adductis, sum in voto, quod praedicta duo praedia insimul cum capanna, tum cum ea redacta fuerit ad domum ruralem a dictis Fratribus Alleuri, sub iurisdictione ecclesiastica praefatae Parochialis Flaminiae esse debeant ad formam etiam Decretorum seu Rescriptorum provisionalium mei praedecessoris Episcopi Moscardini, cum annuo autem onere, iniungendo illius actuali Rectori et Successoribus, persolvendi in perpetuum canonem pro nunc in quantitate napparum duarum frumenti, quae componunt medietatem decimae sacramentalis ab ipso Parocho Flaminiae recipiendae a Colonis supradictorum praediorum, et post redactam eamdem capannam ad domum ruralem napparum trium dicti frumenti bonae qualitatis et mercantilis, iuxta mensuram ab ipso Parocho ut supra recipiendi –. Id enim tum votum Possessorum aedium, tum commodum Parochianorum urgebant. Duodeviginti quippe iam praetergressi erant anni, ex quo Coloni ad Ecclesiam Flaminiae pertinebant, eisque valde iniucundum foret, si Paraeciae Maceratulae subiicerentur, cum via, quae a dictis domibus ad Ecclesiam ducebat Maceratulae, hyemali praesertim tempore, incommoda esset, ac luto aquisque impervia, dum e contrario brevior planior ac rectissima esset via, quae deducebat ad Ecclesiam Flaminiae. Hisce addidit, domos, de quibus agebatur, non ita pridem fuisse extructas, nulloque in eas pollere iure Parochus Maceratulae; ac propterea tum ratione propinquitatis, tum voluntate dominorum illas iurisdictioni Parochiae Flaminiae esse subiiciendas, et concordiam anno 1825 initam penitus destruendam, ac posthabendum votum Episcopi circa canonem Paraeciae Flaminiae imponendum. Imo ea, quae in themate intercedebant causae, tanti faciendae erant, ut eas satis aptas existimaret ad dismembrationem, quatenus opus foret, impertiendam. At Parochus Villae Maceratulae concordiam in sacra visitatione peractam nullo iure sustinendam contendit. Dixit enim, suae iurisdictioni commissum esse territorium Villae Maceratulae, adeo ut ipse eiusdem Villae Parochus nominaretur. Huiusmodi parochialibus limitibus concinebant fines civilis iurisdictionis, quos vocabant synodales. Nam controversae domus intra confines Maceratulae extructae erant, ideoque illius Villae Parocho subiicerentur oportebat. Idcirco aut repelli debebant vota Parochi Flaminiae, aut saltem probanda erat transactio anni 1825, auctorante Episcopo, inita; quod enim semel placuit, amplius displicere non poterat. Nec precibus Parochi Flaminiae, dismembrationem vel ipsius domus Piermarini a territorio Maceratulae postulantis, annuendum esse addidit. Deficiebat enim iusta et necessaria causa, quum causa, quae adducebatur, tota versaretur in viarum asperitate ac longitudine. Ad quam explodendam praeter transactionem, suadente Episcopo subscriptam, testimonium protulit quinque Virorum deponentium, vias, quae a domo Piermarini ducebant ad Paraeciam Maceratulam, esse – praticabilissime in ogni stagione con carri ed anche con carretti –.

31. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit probanda transactio diei 8 maii 1825 in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et cuius Parochi iurisdictioni sint subiiciendae controversae domus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et Episcopus deveniat ad praefixionem confinium utriusque Paraeciae, iuxta transactionem. Ad secundum, provisum in primo – *in Fulginaten. Paraeciarum die 24 Novembris 1827.*

32. Unde licet Summus Pontifex in ere-

menga vi è la distanza di piedi folignati 818. Da detta casa, per la via erbatica alla Chiesa della Villa di Maceratola piedi 860. Da detta casa puranco passando per la via de' cocchi avvi una distanza di piedi 893. La strada Flaminia è tutta in linea retta, ed in uno stato perfetto, per cui in ogni stagione è commodamente carreggiabile senza alcun pericolo ed imbarazzo. La strada erbata parte da detta via Flaminia, e tortuosamente giunge alla Villa di Maceratola. Il fondo di questa è in pessimo stato per essere totalmente mancante delle necessarie masscicate e fossi laterali, per cui la strada serve di fosso di scolo alle viciniori campagne, reddendosi così impraticabile tanto nelle stagioni invernali, che in altre stagioni, ed i passeggieri costretti sono ad attenersi ai terreni per avere un passaggio meno disastroso. La strada dei Cocchi è della stessa conformità della detta via erbata –.

ctione Paraeciae limites constituerit, Episcopus vero exequutor Literarum Apostolicarum aliter praedictae Paraeciae fines designaverit, Sacra Congregatio, attenta pluribus causis ac rationibus nec non lapsu triginta annorum, declaravit, haud esse locum novae limitum urbanorum designationi ad tramites Bullae erectionis', sed potius consulendum Sanctissimo pro eorumdem confirmatione, prout iam statuti reperiebantur *in Terracinen. Finium parochialium die 23 Februarii 1850.*

33. Enimvero quod iam exsiccatis undis pontinis, ob auctum animarum numerum in Civitate Terracinensi fundamenta Ecclesiae S. Pii nuncupandae iaciens, excogitaverat s. m. Pius VI, perfecit successor Pontifex VII eiusdem nominis. Qui quum nosset, Populum in suburbio, *Pio* vulgo nuncupato, degentem spiritualibus destitui auxiliis, et ceteroquin aedificium illud, ob sequutas rerum vicissitudines, haud confici sollicite posse, ne diutius animarum periculo differretur auxilium, Literis Apostolicis sub plumbo datis die 2 martii 1804 in Paraeciam erexit Ecclesiam S. Mariae Portus Salvi in eodem Suburbio sitam, eique omnia parochialia iura attribuit. Limites autem paraeciales, seiungendo ac dismembrando partem Paraeciae Ecclesiae Cathedralis, sic ipse Pontifex designavit: – Huiusmodi autem novae Parochiae ambitum constituimus, ut comprehendat Suburbium Pium totumque illum Terracinae tractum, qui a moenibus Civitatis ad mare usque extenditur –, relinquens arbitrio Episcopi Literarum exequutoris – facultatem designandi hinc inde, prout magis expedire videbitur, rurales domos incolentibus, ut a Parocho istius Ecclesiae commodius instruantur et Sacramenta recipiant; qui limites semel designati et constituti perpetuo in posterum servari debeant –. Quae Pontifex, quoad iura et privilegia novi Parochi, constituerat, adamussim eousque servata erant; si tamen exciperentur limites urbani Paraeciae, quos non ad Bullae tramites, nempe – a moenibus Civitatis usque ad mare –, sed ad locum nuncupatum *Croce dell' Annunziata* coangustatos fuisse patebat. Quanam autem ratione, quibusve de causis id evenerit, haud satis liquebat, quum Decretum, quo Bulla exequutioni fuit mandata, haud datum esset in tabulario Episcopali reperire, licet illud semel iterumque perquisitum. Si nonnullis informibus documentis die et consule destitutis, vulgo *minute* actorum, quae ad exequutionem Bullae sese referri conspiciebantur, fides perhibenda foret, esset fatendum, totum negotium, quoad limites tum urbanos, tum rusticos novae Paraeciae, non prout mandaverat Pontifex, sed ex arbitrio Episcopi exequutoris moderatum absolutumque fuisse; ita siquidem inibi legebatur: – Designavimus fines nobis magis benevisos etc. –. Haec reputans animo Sacerdos Bonifacius Saporiti vix dum anno 1831 Parochus enunciatae Ecclesiae renunciatus est, nullum non movit lapidem, ut iura suae Ecclesiae redintegrarentur ad tramites Pontificiae sanctionis. Sed quum in irritum tractatus omnes penes Curiam cessissent, e re sua duxit anno tandem 1837 per supplicem libellum a Sacra Congregatione postulare, ut fines urbani extenderentur ad formam Apostolicae Bullae, atque comprehenderent – totum illum Terracinensem tractum, qui a moenibus Civitatis ad mare usque extenditur –. Episcopus retulit, ex Bullae Apostolicae lectione satis aperte de bono Oratoris iure constare. Observavit enim, moenia Civitatis Terracinae minime continere eam aedificiorum partem, quae ab Ecclesia S. Mariae ab Angelo salutatae ad portam iam dirutam, vulgo dictam *dei Mastrilli*, extendebatur; atque idcirco Episcopum antecessorem suum, si Bullae praescriptis stare voluisset, debuisse omnia partem illam aedificiorum dictae Paraeciae unire, quae constabat animabus circiter octingentis. Ipse tamen Episcopus Capitulo et Parocho Cathedralis Ecclesiae obsequens, ita animi sui sensum pandebat: – Quapropter, ut paci simul et Sacramentorum validitati consulatur, mea foret sententia, ut suprema auctoritate ii confirmarentur urbani limites, qui ad praesens reperiuntur constituti, saltem ex usu; designarentur vero rurales distinctius per Episcopum –.

34. Siluit post haec per ultra decennium controversia; quae tamen quum interea haud potuerit amice inter partes componi, adprecatus est ipse Episcopus, ut decisio super eadem ab Sacra Congregatione proferretur.

Capitulum itaque Cathedralis cum Episcopo animadverterunt, praesumi haud posse decessorem Episcopum Argellati proprio marte et ex arbitrio limites Parochiae constituisse contra ea, quae Pontifex voluerat, sed potius putandum, ipsum ad id agendum inductum fuisse, vel quia Superioris auctoritas accesserat, vel quia ita suadebant gravissimae rerum circumstantiae, quas inter aptius ministerii parochialis exercitium ob maiorem propinquitatem ad Cathedralem, cum praesertim ambigi non posset, Antistitem Argellati – sicuti doctrina, ita pietate ac prudentia nulli secundum, consilio et auctoritate Superiori potius, quam suo arbitrio aliquo cum discrimine Literis nominatis exequutionem dedisse –. Et accessisse reipsa auctoritatem Superioris Episcopus ipse accepit ab antiquiori Canonico Cathedralis. Vel etiam circumstantiae suaserint Episcopo illi parumper deflectendum a Bullae praescriptione, et hoc in casu, quod forsan prudenter factum videbatur, ne hinc inde iurgia orirentur, quae in huiusmodi circumstantiis facile excitari solent, et innumeris incommodis et scandalis causam praebent, robur etiam adquirebat ex subsequuto longi temporis usu. Nam ab ipsa erectione usque ad id temporis, quo Parochus Saporiti novae animarum curae possessionem est nactus, nemo Parochorum vel Oeconomorum unquam reclamavit, licet inter eos non defuerit, qui iurgiis ac litibus facile studeret. Contra haec tamen animadvertere erat cum Parocho, supervacaneum videri rationem investigare, ob quam a limitibus in Bulla statutis recessum fuerat: nihilominus, ubi lubebat, eam non ex gravibus circumstantiis, nec ex auctoritate S. Sedis, quae gratis omnino asserebantur, nec ob maiorem ministerii commoditatem, sed potius ex mero Episcopi Argelati, utut piissimi, arbitrio esse repetendam, suadere potuissent verba, quae legebantur in exemplari Decreti exequutorialis: – Designavimus fines nobis magis bene visos –. Ad causam potius unice intererat statuere, ut, quod initio nulliter gestum erat, nullatenus tractu temporis convalescere valeret, nec etiam per viam gratiae, quatenus haec iuri tertio quaesito praeiudicium inferret. Unde quod ab Episcopo, veluti mero Bullae Apostolicae exequutore, gestum erat, irritum censeri oportebat; ac ea propter finium urbanorum designatio, quasi nondum facta fuisset, ex integro executionem ad tramites Bullae praestolabatur. Nec huiusmodi nullitati medelam ferre poterat asserta praescriptio, resultans ex usu triginta annorum. Vel enim haec sumebatur relate ad ius novae Paraeciae, vel relate ad Literas Apostolicas, nihil utroque in casu operari valebat. Nihil sane operabatur quoad ius Paraeciae, quia fines vel iura quaeque parochialia nedum contraria consuetudine non perimuntur, verum etiam adversari eisdem non potest centum annorum observantia. Nec operabatur contra Literas Apostolicas, quia ad eas in genere praescribendas triginta annorum lapsus satis non esse docet Textus in Cap. *Venerabili* 37 de offic. et potest. Iud. delegati; eoque minus in specie, qua Pontifex suas Literas Decreto *irritanti* clausulaque *sublata* munivit, quarum vis est, ut quaecumque contraria consuetudo induci unquam nequeat. Ceterum nec asserta praescriptio triginta annorum verificabatur, cum in hoc temporis spatio iniuria connumerarentur quamplures illi anni, quibus Paraecia suo viduata Pastore moderabatur ab Oeconomis. Si hinc iuris ratio postulabat, ut Paraecia S. Mariae Portus Salvi suis urbanis limitibus reintegraretur, incassum manutentio ab Episcopo et Capitulo invocabatur ex gratia et aequitate.

35. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit locus novae limitum urbanorum designationi ad tramites Bullae erectionis, seu potius consulendum sit Sanctissimo pro eorumdem confirmatione, prout nunc statuti reperiuntur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam – *in Terracinen. Finium parochialium die 23 Februarii 1850.*

36. Nec enim Parochianorum divisio fieri possunt per Episcopum, pendente recursu ad Superiorem, Cap. *Cum inferior* de maior, et obedientia; eoque minus absque citatione et consensu Parochorum, quibus plerasque Advenarum Familias, ab aliqua Parochia dismembratas, addixit, Barbos. ad Concil. Trid. sess. 7 cap. 6 a n. 19, Rot. in decis. 1048 n. 6 coram Emerix Iuniore *in Firmana die 13 Iunii 1795* §. *Prrochi.*

37. Quin imo Episcopus nec in visitatione separare potest Incolas Ecclesiarum parochialium de iurepatronatus laicorum, licet adsit consensus utriusque Parochi, nisi simul accedat consensus ipsorum Incolarum Parochiarum; proposito enim dubio: – An Episcopus in visitatione de consensu utriusque Parochi possit separare Incolas Ecclesiarum de iurepatronatus laicorum, qui per familias distinguuntur, illas iniungendo alteri Parochiae absque consensu ipsorum Incolarum Parochiarum et Patronorum? –, Sacra Congregatio responsum tulit: - Non posse, nisi de consensu ipsorum Incolarum Parochiarum – *in Nullius die 27 Iulii 1647 lib. 18 Decretorum pag. 376.*

38. Consensus vero Patronorum ad huiusmodi separationem peragendam non requiritur, nisi et ipsi Patroni sint de Parochiae Incolis segregatis et assignatis alteri Parochiae; quandoquidem proposito dubio: - An possit Episcopus in visitatione separare Incolas Ecclesiarum parochialium de iurepatronatus laicorum, qui per familias distinguuntur, illas assignando alteri Paraeciae de consensu Parochorum ac Parochiae Incolarum, qui separantur, absque consensu Patronorum, quorum Parochiis fit assignatio oneris novorum Parochiae Incolarum? –, Sacra Congregatio respondit: - Episcopum posse de consensu Parochorum ac Parochianorum Fidelium, non autem requiri Patronorum consensus, nisi quatenus et ipsi sint de Parochiae Incolis segregatis et assignatis alteri Paraeciae – *in Fesulana die 28 Martii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 468.*

39. Insuper in divisione limitum pro exercitio curae animarum, Ecclesiae Cathedrali, ratione Matricitatis, dignior pars assignanda est, Rot. decis. 397 part. 13 Recent. n. 1 *in Andrien. die 11 Septembris 1762* §. *Allegatur.*

40. Duo autem Parochi unicam regere valent Ecclesiam, Girald. animadv. ad Barbos. de offic. et potest. paroch. Cap. 1 n. 44, S. Congreg. in Tiburtina parochialis 25 martii 1757: distincti tamen censentur, ubi separatum habent gregem, Monacell. part. 1 tit. 2 form. 3 n. 3, Piton. discept. 160 n. 10, Reclus. de re paroch. part. 1 tit. 12 n. 82, Zipaeus respons. unic. n. 2 de eccles. aedif. *in Sutrina Missae pro populo die 16 Iulii 1791* §. *Licet.*

41. Unitatem tamen Parochiae suadent unitas Ecclesiae Altaris Sanctissimi Sacramenti Fontis baptismalis et repositorii Olei Sancti, communio librorum parochialium a duplici seculo et ultra, quos vero singuli habere debent ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini sess. 24 Cap. 1 et 2 de reformatione Matrimonii, eorum insuper inscriptio singulari Parochiae nomine, Defunctorum nempe et Matrimoniorum *in Sutrina Missae pro Populo die 16 Iulii 1791* §. *Plura.*

42. Hinc parochialis Ecclesia, licet divisa sit in plures partes, quas separatim regant plures Parochi, attamen una censetur, si unus sit baptismalis fons, et liber parochialis, unum tabernaculum, et sigillum *in Patavina Missae pro populo die 14 Aprilis 1804* §. *Quandoquidem.*

43. Praecipuum autem argumentum ad probandam subiectionem Populi erga Paraeciam est vehemens iuris praesumptio, quod unusquisque locus illi subsit Paraeciae, cui vicinior apparet, ut notant Fagnanus in Cap. *Nullus* a n. 23 de Parochis, Rota coram Dunozzetto sen. decis. 309 n. 4, in Recent. decis. 106 n. 16 part. 19, coram Ansaldo decis. 266 n. 15, et coram Herrer. decis. 2 n. 2 *in Carpenctoraten. die 26 Ianuarii 1743* §. *Porro.*

44. Ceterum licet ante Parochiarum divisionem solus Episcopus esset totius Diaecesis Parochus, attamen divisionem praesumenda esse post epistolam Dionysii Papae relatam in Can. 1 caus. 13 quaest. 1 tradit Rota in decis. 21 Recent. part. 18 n. 2 *in Andrien. die 23 Aprilis 1763* §. *Disserit.*

45. Nec status praesens unicae Parochialis argumentum est non sequutae divisionis, cum status praesens haud commensurandus sit a statu antiquo, ut respondit Rota in Sabinen. Iurium parochialium die 8 iunii 1736 §. Neque et §. Sed coram Card. Millino *in Andrien. die 23 Aprilis 1763* §. *Disserit.*

46. Unde licet Sacra Congregatio primum unionem duarum Paraeciarum demandaverit, subinde tamen cum necessitas non amplius adesset, sed potius utilitas divisionem urgeret, praevia revocatione Rescripti unionis nondum executioni mandati, declaravit, divi-

sionem confinium Paraeciarum peragendam esse arbitrio Episcopi *in Maceraten. die 23 Novembris 1816.*

47. Siquidem Oppidum *Urbisagliae* in Piceno in geminas olim dispertiebatur Paraecias, quarum alteram Matricem divo Laurentio nuncupatam Plebanus, alteram filialem divo Georgeo dicatam Praepositus regebat. Haec posterior fatiscens adeo et ruinosa erat anno 1782, ut in sacra visitatione eam prorsus interdixerit Episcopus Maceratensis Spinucci. Parochum vero S. Georgei transtulit ad Ecclesiam Sodalitii *del Suffragio*, quoad sua Ecclesia reficeretur. Verum cum haec sita esset in loco madido et infirmo, ita ut faciendae restaurationes parum consistere possent, perdiu interdicta iacuit Ecclesia S. Georgei, neque unquam instaurationibus manus admotae fuere. Qua ex re Clerus et Populus Urbisagliae preces dederunt s. m. Pio VI, ut fas sibi esset collabescentem Ecclesiam S. Georgei, et restaurationibus Ecclesiam ex natura loci minus aptam, funditus evertere, et Praepositum curamque transferre in Ecclesiam Matricem S. Laurentii, atque haec cum angustior esset, quam Populi frequentiam caperet, altera amplior et commodior a fundamentis extrueretur Ecclesia, in qua Matrix Paraecia esset constituenda. Episcopus, qui eorum votis favebat, folium transmisit a Zelatoribus subscriptum, in quo media, unde expensis fieri posset satis, proponebantur. Haec tamen media Sacrae Congregationi non satis probata fuere. Censuit propterea Episcopum interrogare, num – expediret, utramque unire Paraeciam, et de reditibus unitis etiam incertis onus Parocho imponere quotam annuam deponendi –. Antistes Maceratensis unioni adversatus est, utpote noxiae bono animarum. Rogata itaque est sententia cl. me. Cardinalis Livizzani, qui in elucubratissimo voto censuit factu optimum, – si Ecclesia Matrix nulla reparatione indigens Praeposito S. Georgei cederetur, et novae curaretur amplioris Ecclesiae constructio, quae in Matricis locum succederet –. Ut vero cogeretur pecunia, quam Peritus Architectus Cantoni necessariam ad Ecclesiae molitiones in scutis 5470 liquidavit, omnia proposita media ad examen revocavit. At Sacra Congregatio, quamquam votum Emi Relatoris quoad media ad perficiendam fabricam omnino excepisset, attamen censuit, unionem utriusque Paraeciae imperare, ut videre est ex Rescripto ex audientia Sanctissimi diei 23 septembris 1789: – Sanctissimus etc. benigne commisit eidem Episcopo, ut ad unionem et incorporationem Paraeciae S. Georgei ad divi Laurentii Paraeciam procedere debeat, nec non eadem Sanctitas Sua mandavit novam Ecclesiam aedificari ad formam peritiae Cantoni et iuxta superius descriptum votum ipsius Emi Relatoris, alteriusque concessionem in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam tantum favore maiorum et meliorum Oblatorum bonorum scilicet enunciatae Praepositurae ac Societatum Sanctissimi Sacramenti Suffragii ac Misericordiae, praevia tamen edictorum affixione servatisque de iure servandis; expleta autem fabrica et soluta integra summa, mandavit itidem reditus Praepositurae uniri reditibus Plebaniae cum onere Plebano retinendi Capellanum Curatum in Ecclesia divi Laurentii pro commoditate Parochianorum –. Graviter aegreque tulit Populus Urbisagliae unionem Paraeciarum. Qua ex re Episcopus prudentiae suae existimavit in suspensum hanc unionem relinquere, et Parochus S. Laurentii Franciscus Catinelli, dum administrationem huius Paraeciae suscepit, scripta syngrapha die 24 ianuarii 1790 iuratus spopondit, se veluti nullius effecti ac roboris praefatum Rescriptum habiturum, et cuicumque iuri nuncium miserit. Post annos ultra viginti fabrica Ecclesiae Matricis Sancti Laurentii annexarumque aedium parochialium perfecta tandem fuit, et ab annis fere quindecim in ea res divinae agebantur. Tum Populus Urbisagliae et Clerus desiderio teneri cepit, ut reintegraretur Paraecia S. Georgei, et utrique limites constituerentur. Quominus id obtineret, impedimento erat Rescriptum Sacrae Congregationis, quo post absolutam fabricam utraque Paraecia S. Georgei et S. Laurentii incorporanda erat. Ab R. P. D. Delegato Apostolico implorarunt facultatem, ut, non obstante eo Rescripto, Episcopus procedere posset ad reintegrationem Paraeciae S. Georgei. Verum ille censuit, Rescripto die 9 decembris 1812 suspendere dumtaxat imperatam unionem Paraeciarum, et Episcopo concedere facultatem, ut in Paraecia S. Geor-

gei Vicarius sive Administrator deputaretur.

48. Restituto Pontificio regimine, Populus et Clerus Urbisagliae preces renovarunt pro servanda antiqua Paraeciarum divisione. Unde Communitas Urbisagliae Parochus Catinelli eiusque Coadiutor et Deputati Sodalitatum communi placito convenerunt in statuendam divisionem utriusque Paraeciae, conciliatis triginta septem articulis. Utilem futuram Paraeciarum divisionem dixerunt, tum ob auctum Incolarum numerum, tum ob Sacerdotum et Confessariorum paucitatem. Collatis enim lustrationum tabulis anni 1773, in quo Incolarum capita erant 850, et anni 1813, in quo reperta erant capita 2005, constabat, auctum fuisse Populum intra quadraginta annorum cursum ad capita 1155. Dispersis vero Regularium familiis et deficientibus Beneficiis, pauci admodum erant Sacerdotes. Utilis futura erat constitutio duorum Parochorum totidemque Capellanorum, ut propterea Episcopus non dubitaret, – quin expediat ad Dei gloriam et animarum salutem eorum petitionibus indulgere –. Parochus Catinelli eiusque Coadiutor assentiebantur divisioni Paraeciarum, dummodo salva forent iura matricitatis. Reditus Ecclesiae matricis S. Laurentii ex calculis a Parocho Catinelli exhibitis pertingebant ad annua scuta 513 50, onera vero, inter quae vectigalia et stipendium Capellani recensebantur, supputabantur in annuis scutis 241 50, et libera pro congrua supererant annua scuta 72. Verum ex ratiociniis a Deputatis Urbisagliae confectis reditus huiusmodi pretio medio, quo forum utebatur, aestimati adaugebantur ad scutata 558, et diminuebantur onera ad scuta 84, ut Parochus uberiorem congruam in annuis scutis 474 perciperet. Episcopus tamen affirmabat, sese obtulisse conductorem, qui spondebat annuam pensionem scutorum tercentum a vectigalibus liberam. Paraecia S. Georgei habebat reditus in annuis scutis 124 70 liberos a vectigalibus, quae ex oneribus in scutis 17 15 diminuebantur ad scuta 106 55, atque stipendium Capellani Curati solvebatur ex reditibus Sodalitii Misericordiae. Supererant adhuc solvenda pro expensis fabricae Ecclesiae S. Laurentii scuta 587 83, atque id consulto factum fuit, ne Demanium invaderet in bona Sodalitatum, quorum fructus pro fabrica erant destinata. Huic tamen aeri alieno dissolvendo satis erant canones tum decursi, tum decurrendi, qui ex fundis Sodalitiorum in emphyteusim dati percipiebantur. Hinc haud esse exequendum videbatur Rescriptum Sacrae Congregationis diei 23 septembris 1789, quo unio Paraeciarum imperabatur, sed potius probanda Paraeciarum divisio, iuxta triginta septem conventionis articulos caute prudenterque initos, excepto articulo trigesimo quarto, quo conventum fuerat, quod omnia legata Benefactorum, quae ad Sodalitium Suffragii pertinebant, ope Beneplaciti Apostolici reduci deberent ad Officium generale cum Missa cantata in die octava commemorationis Defunctorum. Quum enim perfecta esset fabrica Ecclesiae, et expensis fere in totum satisfactis, si quae reliquae erant insolutae, aderant media, ut solverentur, omnino cessabat causa, ex qua unio tum necessaria visa fuit. Insuper demandata unio nullam eousque habuerat exequutionem. Hinc ex integro cognoscendum erat, num necessitas concurreret et accederet utilitas ad unionem Paraeciarum demandandam. At in praesens nulla concurrere videbatur necessitas unionis; sed potius utilitas divisionem urgebat. Qua de re Emus Card. De Gregorio Relator ita conclusit: – Vos EE. PP. consulo, ut, revocato praecedenti Rescripto diei 23 septembris 1789, probetis divisionem Paraeciarum, iuxta conventos articulos, nisi vobis aliter videatur, quorum sapientiori iudicio sententiam hanc meam submitto –.

49. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Rescriptum diei 23 septembris 1789 sit exequendum in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit locus divisioni Paraeciarum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negagative; et ad Secretarium cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Emi Relatoris, dempto articulo trigesimo quarto; et quoad divisionem confinium Paraeciarum arbitrio Episcopi – *in Maceraten. die 23 Novembris 1816.*

50. Ceterum Parochiarum divisio ecclesiasticis legibus odiosa est, Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedif. n. 4, Barbos. ad Concil. Trident. sess. 21 cap. 4 n. 10, Amostaz

de caus. piis lib. 5 cap. 3 n. 26, Rota in Aesina Parochialis 12 iunii 1751 §. 5 coram Emo Elephantutio. Neque aliter permittendam, nisi duo simul intercedant, nempe absoluta necessitas et utilitas, et quod nonnisi per divisionem provideri valeat, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 28 n. 30, Corrad. in prax. Benef. lib. 3 cap. 2 n. 7, Rota coram Falconerio in Miscellan. decis. 34 n. 11, et in Eystetten. Decimarum 14 iulii 1755 §. 5 coram Figueroa *in Derthonen. Dismembrationis die 14 Decembris 1765* §. *Communitas.*

51. Divisio siquidem et separatio Ecclesiarum remedium est subsidiarium, cui locus esse non debet, nisi alia ordinaria deficiant, iuxta doctrinam Lapi alleg. 66, quam probant et sequuntur Iuris Pontificii Doctores apud Fagnanum in Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedif. n. 14, Reiffenst. ad lib. 3 Decret. tit. 48 §. 1 n. 13, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 28 a n. 24 *in Aquilana Dismembrationis die 25 Ianuarii 1744* §. *Defectus.*

52. Hinc divisiones Ecclesiarum odiosae communiter existimantur, ob eam praecipuam rationem, propterea quod ex divisionibus veteri Parochiae matri irrogatur iniuria, cui territorium imminuitur, ac decrescunt reditus, sive quia ex ea detrahendi sint ad novum Parochum sustentandum, sive quia cum parte Populi, quae separatur, emolumenta Parochi reapse deficiunt *in Pisauren. die 29 Aprilis 1766* §. *Solam.*

53. Idcirco propter eiusmodi rationem non sine magna animadversione hae divisiones admitti consueverunt, invitis Rectoribus vel aliis, quorum interest. Invitis enim, nisi ex necessitate, ius non dicitur, ne aliter ius ipsum vis fiat. Unde providetur aliquando per solum Vicarium perpetuum: aliquando per solum Vicarium seu Capellanum pro nutu amovendum, ut scilicet minus, quam fieri possit, alterius iura laedantur *in Pisauren. die 19 Aprilis 1766* §. *Propter.*

54. Ceteroquin re intime perpensa, si nulli irrogetur iniuria, si nullius detrimentum sit, utilius certe dicendum, plures quam unum habere Parochos, qui Populum doceant ac salutem eius curent; res adeo patet ipsa, ut probatione non indigeat: – Ecclesias singulas singulis Presbiteris dedimus Parochias, et caemeteria eis dividimus – habetur in Can. 1 quaest. 1 caus. 13 *in Pisauren. die 19 Aprilis 1766* §. *Ceteroquin.*

55. Nam quamvis stricti iuris sit Paraeciarum divisio, nec facile praesumatur, ubi contraria praesertim concurrant argumenta, Ferrar. verb. *Dismembratio* in addit. a n. 8, cessat tamen odii causa in simplici separatione curae actualis, et satis sunt ad eam suadendam indicia, Reclus. de re paroch. part. 1 tit. 12 a n. 17: primum huiusce separationis indicium desumi posset ex impellentibus erectionis Curionatuum causis, Parochianorum scilicet distantia a parochialibus Ecclesiis, itinerumque difficultate; his enim de causis Paraeciarum separationem praescribit Alexander III in Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedificandis, Concil. Triden. sess. 21 cap. 4 de reformatione, vereque per eam constitutae censentur distinctae Parochiae, Barbos. de paroch. cap. 1 n. 25, Monacell. part. 1 tit. 2 form. 3 n. 3, Piton. discept. 160 n. 10, Rebuff. de re paroch. part. 1 tit. 12 n. 82, Zipaeus respons. unic. de eccles. aedif. n. 2: secundum dismembrationis indicium est assignatio congruae sive ex Matricibus, sive a Parochianis pro sustentatione Curionum; haec namque veris tribuitur Parochis, ut per Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedif. observat Monacell. part. 1 tit. 2 form. 3 n. 4 *in Egitanien. Visitationis sacrorum Liminum die 27 Iunii 1789* §. *Quamvis.*

56. Probata hinc loci distantia, probata impedimenta, praesertim hiberno tempore, alpestrium praeruptarum pluviis ac perpetuo gelu horrentium viarum, probata inde mala et detrimenta, quae evenerunt, et quae ventura certe sunt, necessariam faciunt divisionem. Cap. *Ad audientiam* 3 de eccles. aedificandis, Concil. Trid. sess. 21 cap. 4 de reformatione, Barbos. ibidem n. 11, Clericat. de Benef. disc. 89 n. 8 *in Novarien. die 23 Novembris 1765* §. *Necessariam.*

57. Nam divisio veteris ac novae Parochiae erectio permittitur, ob maximam locorum distantiam ab Ecclesia parochiali, asperitatem viarum, praegelidos aeterna nive ac praeruptos montes, ac iter periculi plenum *in Derthonen. Dismembrationis die 2 Iunii 1764* §. *Ad* §. *Immensam.*

58. Siquidem Alexander III in Cap. *Ad*

audientiam, de eccles. aedif. admisit divisionis causam, – quod Villa tantum perhibetur ab Ecclesia parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviae inundant, non possint Parochiani sine magna difficultate ipsam adire, unde non valent congruo tempore ecclesiasticis officiis interesse –. Concilium Tridentinum in sess. 21 Cap. 4 de reformatione dixit: – In his vero locis, quibus ob locorum distantiam sive difficultatem Parochiani sine incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Recioribus, iuxta formam Constitutionis Alexandri III, quae incipit: *Ad audientiam*, constituere possint –. Solam itaque distantiam locorum ob magnam difficultatem, sive ob magnum incommodum ad divisionem faciendam idoneam esse causam ex ipsa Canonum litera apparet *in Pisauren. die 19 Aprilis 1766* §. *De* §. *Concilium* §. *Solam.*

59. Hinc divisio antiquae Parochiae facilius conceditur, quam dismembratio ab unica Parochia, novaeque Parochiae erectio, iuxta firmata per Card. De Luca de Parochis disc. 33 a n. 3 *in Novarien. Divisionis seu Dismembrationis Parochiae die 19 Aprilis 1760* §. *Contendunt.*

60. Posita autem Ecclesiae angustia, haud inde tamen sequitur, quod dividenda sit Parochia, quum – per novam aedificationem aut ampliationem Ecclesiae possit his difficultatibus occurri –, ut monet Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 28 a n. 29 *in Firmana Erectionis die 18 Augusti 1787* §. *Talis.*

61. Quapropter Sacra Congregatio renuit probare divisionem Parochiae in quatuor portiones seu Vicarios, quam Episcopus occurrente illius vacatione ob id expleverat in visitatione, quod magnum habens Parochus numerum animarum nequibat in omnibus supplere *in Marturanen. die 13 Aprilis 1669 lib. 26 Decretorum pag. 277.*

62. Quamquam enim Tridentina Synodus sess. 24 cap. 13 de reformatione mandet Paraeciarum divisionem, attamen divisio huiusmodi etiam per Familias stare potest, ut probat Ursaya tom. 8 part. 1 disc. 24 per totum *in Sancti Severini die 25 Ianuarii 1817* §. *Primis.*

63. Siquidem praefatum Decretum Tridentinum in cap. 13 sess. 24 de reformatione pertinet ad divisionem Paraeciarum, quae promiscue sunt: contra si divisio per Familias semper servata fuit, nec ullum malum inde saluti animarum advenit, eamdem divisionem omnino esse retinendam docet Barbosa ad Concil. Trid. loc. cit. n. 7, Rota coram Priolo decis. 324 n. 4 *in Senogallien. Dismembrationis die 16 Augusti 1806* §. *Secundum dubium.*

64. Unde alicubi etiam nunc adsunt Paraeciae, quae non distinguuntur per domos materiales, et per determinatos locorum fines, vocanturque gentilitiae, et Familias complectuntur, quae intra limites aliarum Paraeciarum degunt; idque non obstante Tridentini sanctione servari posse tradit Ursaya tom. 8 part. 1 discept. 24 per totum *in Cingulana Iurium parochialium die 14 Iunii 1823* §. *Alicubi.*

65. Quum itaque Paraeciae per Familias dividerentur, quae etiam extra Civitatem longe existerent, maximo cum earumdem incommodo ac spirituali damno, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dismembrationi et constitutioni aliarum duarum Paraeciarum extra Civitatem, ac divisionem ipsarum faciendam esse per regiones, retenta divisione per familias quoad Paraecias in Civitate existentes *in Senogallien. Dismembrationis die 16 Augusti 1806 die 2 Maii et die 22 Augusti 1807.*

66. Enimvero tres in Civitate Montis Bodii constitutae erant Paraeciae, quae subiectum habebant Populum nedum in Civitate morante, sed in circumstante agro, qui a flumine *Misa* et torrente *triponzo* intercisum longe ad millia passuum septem porrigebatur. Divitem singulae Paraeciae habebant censum et multum animarum numerum. Nam Paraecia S. Crucis, quae sedente Pio VI Collegiatae honorem meruit, annuum habebat reditum scutorum 953 60 et capita 2991, altera S. Luciae scuta 613 55 et capita 1441, et tertia S. Gregorii scuta 556 20 et capita 1313. Animarum numerus huiusmodi erat ex descriptione facta anno 1802, sed nuperis illis temporibus accrevit potius, quam defecit. Ita vero Parochi curam exercebant, ut non certas regerent distinctasque regiones, sed familias, quae ubicumque loci in Paraecia

essent, eiusdem semper designatique Parochi iurisdictionem agnoscebant. Hanc, quae eousque obtinuit Paraeciarum administrandarum rationem, in praesens immutandam, postularunt Capitulum et Magistratus Montis Bodii. Plurima siquidem incommoda animarum saluti obvenire contenderunt, cum remotiores Ruricolae ob longum imperviumque ad parochiales Ecclesias iter destituerentur Sacramentis, Pastoris vocem non audirent, Sacrisque saepe interesse nequirent. Quare a Summo Pontifice postularunt suppressionem trium Paraeciarum Civitatis, ut quinque novae erigerentur Paraeciae, simulque ut ex superextantibus reditibus trium Paraeciarum fabricae Ecclesiae Collegiatae consuleretur. Quinque itaque erant instituendae Paraeciae ex tribus supprimendis, cum aut has sponte, aut morte coacti praesentes Parochi dimitterent. Archipresbiter Collegiatae et actualis Parochus S. Crucis curam in Civitate et Suburbiis exercebat cum congrua scutorum 200, et ipse paratus erat Paraeciam cedere, dummodo sibi suisque Successoribus loco Praebendae et congruae scuta haec 200 augerentur ad annua scuta 425, et dummodo haberetur tamquam praesens in choro, et lucraretur distributiones, cum sacramentales exciperet confessiones. Alter Parochus constitui debebat in Ecclesia S. Gregorii, eique subiici illa agri pars, quae sita erat in agro ad septemtrionem circa flumen *Misa* et torrentem *Triponzo*. Tertius Parochus instituendus in Ecclesia S. Luciae regere tenebatur animas, quae habitabant ad meridiem citra *Misa* et *Triponzo*. Quartus et quintus Parochus praeficiendus erat Incolis ultra flumen *Misa* et torrentem *Triponzo* in Ecclesiis eo loci extruendis cum annexis aedibus parochialibus. Singulis hisce Parochis, per concursum eligendis, tribuenda erat congrua pro tunc in scutis 100 augenda ad centum et quinquaginta, cum expleta foret fabrica Ecclesiae Collegiatae, et praeterea incerta stolae praeter Fontem baptismalem (unus enim esse debebat in parochiali Ecclesia Collegiata, ad quem undique ex agro Infantes deferri tenebantur) et praeter ceram funerum, quae pari modo ad Ecclesiam Collegiatam ex universo rure efferenda erant. Reditus supprimendarum Parochiarum administrandi forent per Capitulum, et deductis expensis pro congruis Parochorum, quod superesset erogandum erat in fabricam Parochialium ruralium et Collegiatae. His perfectis, superextantes reditus impendendi erant pro scutis annuis 300 in Xenodochium Infirmorum, in manutentionem Ecclesiarum aediumque Parochialium, in utensilia, aliasque expensas faciendas a Parochis, et tandem in auxilium Pauperum.

67. Episcopus omnia probavit, paucis exceptis. Sed ut haec omnia suboluerunt Parocho S. Luciae Alexandro Manelli, ceteris omnibus consentientibus, unus refragatus est. In nova informatione se probare respondit Emus Episcopus suppressionem trium Paraeciarum in Civitate, ut tres aliae, una in Civitate, geminae in agro per regiones divisae erigerentur: reditus annuos praesentium Parochiarum attingere fere scuta 2144 70, expensas vero annuas pro substendandis Parochis scuta 925, et superextantem annuam summam 1219 70 erogari posse in fabricam Ecclesiae Collegiatae, post extructas Ecclesias annexasque domus parochiales ultra *Misa* et *Triponzo:* necessariam esse novam fabricam Ecclesiae Collegiatae: expensam pro Ecclesia huiusmodi liquidatam fuisse a Peritis in scutis 19770, et pro duabus Ecclesiis ruralibus cum annexa parochiali domo in scutis 3600 80: Capitulum Magistratus Parochianos ruricolas huic dismembrationi suffragari: Archipresbiterum S. Crucis sponte Paraeciam dimittere: Oeconomum Paraeciae S. Gregorii (quae Paraecia tunc vacabat) precibus assentiri: Communitatem Montis Bodii impetrata venia a Sacra Congregatione Boni Regiminis deposuisse penes Capitulum scuta 2000 eroganda in fabricam Ecclesiae: Canonicos et Beneficiatos in eamdem causam singulos inaequalibus quidem quotis, sed unitim esse daturos spopondisse scuta 800, itidem Cives scuta 1800, alios vero operas Colonorum. Nihilominus Parochus Manelli constituto vadimonio summo iure experiundum sibi esse dixit. Interea Parochiani S. Gregorii preces dederunt, ne Sacra Congregatio hanc suppressionem probaret, praeciperetque immo, ut Paraeciam S. Gregorii de suo Pastore provideretur. Capitulum autem contendit, distantiam esse adeo magnam, ut Parochi septem lapides percurrere deberent, ut ad ultimos Paraeciarum

fines pervenirent, et Parochiani saltem quatuor millia passuum, ut ad Paraecias se conferrent. Iter intercisum erat a flumine *Misa* et torrente *Triponzo,* unde hiberno tempore inundarentur viae et impervius redderetur accessus. Hinc senes pueri valetudinarii accedere non poterant ad Parochialem et destituebantur Sacramentis et Sacris. Parochus vero Manelli, ut necessitatem dismembrationis excluderet, advertit, semper antea flumen *Misa* et torrentem *Triponzo* interfluisse agrum Montis Bodii, nec unquam actum fuisse de dismembratione, nec ullam querelam Parochianorum delatam. Non enim adeo praeruptum erat iter, ut incedi non posset, et pontes superimpositos esse flumini et torrenti probabatur Testibus, id quod tamen ab aliis contrariis Testibus contradicebatur. Vix autem unum afferri dixit exemplum defuncti sine praesentia Parochi, quod non evenerat ob difficultatem itineris, sed quia Parochus erat aliis curis distentus. Inde Parochus Manelli sustinuit, Decretum Tridentini Cap. 13 sess. 24 de reformatione pertinere ad divisionem Paraeciarum, quae promiscue sunt, contra si divisio per familias semper servata fuit, nec ullum malum saluti animarum advenit, retinenda est. Demum praefatus Manelli non repugnavit, quin Ecclesia Collegiata aedificaretur, sed negavit, id fieri oportere sumptibus aliarum Paraeciarum.

68. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus dismembrationi Paraeciarum Civitatis Montis Bodii, et quae et quomodo sint constituendae novae Paraeciae in casu etc. II. An sit facienda divisio Paraeciarum per regiones, seu potius per familias in casu etc. III. An et quomodo sit locus aedificationi Ecclesiae Collegiatae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 16 augusti 1806 respondit: - Dilata, et scribatur Episcopo iuxta mentem: mens est, quod nulla supprimenda sit Paraecia, et Emus Episcopus deputet pro nunc duos Capellanos Curatos, quorum unus resideat trans flumen *Misa,* alter trans torrentem *Triponzo,* in loco ab eodem Emo praefiniendo, assignato iisdem stipendio sumptibus Parochorum pro virili, nec non conficiat prospectum pro constituendis quinque Parochis separatis, vel tribus Parochis et duobus Vicariis Curatis a duobus ex his tribus Parochis dependentibus, alium prospectum divisionis Paraeciarum per regiones, et tertium pro extruenda Ecclesiae S. Crucis fabrica, iuxta regulas praefinitas a Sacro Concilio Tridentino in sess. 21 cap. 7 de reformatione, transmisso statu activo et passivo trium Paraeciarum –. Singulis hisce satisfecit Emus Episcopus in sua informatione. Nam quoad deputationem duorum Capellanorum respondit, – confestim duos Capellanos Curatos, unum, qui ultra flumen *Misa,* alterum, qui ultra torrentem *Triponzo* inservirent, delegi. Verum statim atque ad illud officium a me se delectos esse intellexerunt, illico recusarunt - pluribus de causis. Deinde egit de Paraeciis constituendis, inquiens: - Ego vero in ea opinione sum, ut quinque Parochos separatos Vicariorum constitutioni praeferendos esse crediderim. Primo quia circumstantiae distantiarum loci, itinerum difficultas, torrentiumque nimia abundantia, quae ultra Misam et Tripontium impediunt accessum, si Canones recte consulamus et Decreta istiusmodi Sacrae Congregationis, veterum Parochiarum dismembrationem potius et erectionem novarum persuadent, soloque in casu, quo numerus Parochorum accrescat, Vicariorum seu Curatorum Coadiutorum deputatio admittenda videtur –. Mappam etiam delineatam Emus Episcopus transmisit, in qua dividebantur Paraeciae per regiones. Remanebant sane tres, quae iam constitutae erant in Civitate, scilicet S. Crucis S. Luciae et S. Gregorii, et duo novae Paraeciae erigebantur, altera ultra flumen *Misa,* altera ultra torrentem *Triponzo.* In hac perficienda divisione professus est Emus Episcopus, se – in id potissimum incubuisse, ne ullus ex tribus Parochis egrediendo e Civitate alienam regionem invadat, sed in sua quilibet se contineat, et ne imposterum quidem iurgiis occasio praebeatur, non alios Paraeciarum fines praefigi, nisi qui invariabiles sunt, et a natura ipsa positi esse videntur. Denique detractis regionibus, in quibus novae Parochiae erigendae sunt, illud quoque peregi, ut nempe eadem cuilibet Parocho in reliqua territorii parte, quam modo habet, quantitas tam animarum, quam decimarum remaneat, prout in planta topographica et

folio litera A notato perspicue inspicitur –. Inde prosequutus est Emus Episcopus: – Non negaverim, me apposite intactam voluisse relinquere Civitatem permittendo, quod quilibet Parochus etiam comprehensa, quae extra Civitatem extat, Patricia Antonini Domo, Familias, quibus modo gaudet, retineret; primo quia in ea Civitate, quae parvo spatio temporis tota percurritur, divisio per Familias non ea inconvenientia pariat, quae vulgo dicuntur; secundo, ne fibra irritabilis Prioris S. Luciae, utpote qui absque dubio principaliores loci Familias in sua Paraecia continet, magis magisque accendatur, si nova Familiarum commutatio fiat; tertio cum unus prae altero, uti evenire solet, sit bene, vel male visus apud Parochianos, valde formidandum est, quod scandala oriantur, praesertim inter Familias, quae ex una in alteram Paraeciam transmigrare adigerentur. Inter alias diligentias eam quoque adhibui, ut, quamvis tres omnes Parochi communis Populationis portionem perdere omnino deberent, nihilominus S. Luciae Prior ad minus perderet, idque tolerantius perferret; et requidemvera inito calculo super folio litera A, quando ceteri Parochi quintum perdere obligantur, S. Luciae Prior minus sexto perdere adnumeratur. Super decimis nihil dicere ausim, quae si in iis regionibus, in quibus novae Parochiae erigendae sunt, Parochis erigendis concedi deberent, Priori S. Luciae omnis ratio habita fuit, ut minimum prae ceteris ipse cederet –. Perrexit demum Emus Episcopus ad modum, quo consuli possit aedificationi Ecclesiae Collegiatae, iuxta regulas praefinitas a Sacro Concilio Tridentino sess. 21 cap. 7 de reformatione.

69. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congrgatio die 2 maii 1807 respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta modum ab Emo Episcopo propositum, et ad mentem; mens est, quod Emus Episcopus proponat media extruendi novas Ecclesias et aedes parochiales sumptibus trium Paraeciarum iam existentium, et signa matricitatis. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Emi Episcopi. Ad tertium, dilata; et habebitur ratio post expletam erectionem et aedificationem novarum Paraeciarum –. Diu siluit ab hac edita resolutione Parochus Mannelli, cui a Secretaria Sacrae Congregationis data erat fides, quam vocant, resolutionis: sed improviso Parochi Mannelli Defensor instetit apud Secretarium pro impetranda nova audientia, quae negari non potuit, iuxta Sacrae Congregationis agendarum Causarum institutum. Repropositis vero dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum et secundum dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Senogallien. Dismembrationis die 22 Augusti 1807.*

70. Hinc Patronis, qui ex privilegio Pontificio iure gaudent Ecclesiam eorumdem in propriam Paraeciam habendi quamcumque Civitatis partem incolant, licet se subtrahere a iurisdictione Parochi ac sibi eligere in proprium Parochum eum, in cuius Paraeciae districtu degunt, facta tamen declaratione, a qua declarans nequeat, durante eius vita, resilire, quin vero huiusmodi privilegio frui valeant Patronorum Famuli, cum nulla eorum mentio in Brevi Apostolico concessionis habeatur *in Ianuen. Iurium parochialium die 18 Iulii 1857.*

71. Siquidem extabat in Civitate Genuae Ecclesia iurispatronatus laicalis sub titulo S. Lucae privato aere Patriciorum Uberti Grimaldi et Uberti Spinula sub finem seculi XII aedificata, et iam ab eo temporis Apostolicis Literis in Paraeciam erecta pro tribus Familiis Grimaldi Spinula et Ropussi eorumque Successoribus, quibus nimirum ius datum fuit eamdem in propriam Paraeciam habendi quamcumque Civitatis partem incolerent. Duabus ex hisce Familiis iamdiu penitus extinctis, uni supererant descendentes ex Familia Spinula, qui huiusmodi privilegio una cum eiusdem Ecclesiae patronatu in praesens fruebantur. Horum tamen nonnulli paucis ab illinc annis sibi integrum esse duxerunt utendi vel non privilegio a S. Sede concesso; unde fiebat, ut aliquando ad Paraeciam S. Lucae, aliquando vero ad eam, intra cuius fines domicilium habebant, pertinere vellent. Quod quidem cum dubia in Sacramentis conferendis ingerere, ac sua laedere in emolumentis iura existimaret Parochus S. Lucae, supplex ad Sacram Congregationem recursum habuit. Archiepiscopus retulit, Summum Pontificem Clementem III

anno 1188 memoratum concessisse privilegium; iamdiu desiderari authographum aut saltem copiam huius Indulti, sed adesse Decretum executionis laudatae Bullae peractae anno 1192 die 18 ianuarii a Bonifacio tunc Genuensi Archiepiscopo latum; hoc privilegio usas fuisse Familias indulturias ab antiquissimis temporibus, et anno 1598, approbante Clemente VIII, per solutionem aureorum scutorum 175 dirempta est omnis contentio, cessavitque census, quem antea Parochiani S. Lucae titulo indemnitatis Paraeciae S. Syri pendere consueverant; ad confirmationem privilegii accedere Breve, quod asservabatur authenticum datum anno 1589 die 1 maii a Summo Pontifice Sixto V, in quo fuse praecipiebatur, ne Familiae Spinula et Grimaldi, praeter Parochum S. Lucae, alteri subiici cogerèntur; asseri anno circiter 1600 has indultarias Familias privilegio insignitas in duas partes scissas fuisse, quae nuncupatae fuerunt *Spinola di S. Luca* et *Spinola di Luccoli*, desumpto nomine ex sede earum conventuum vulgo *logge*, et Spinulas dictos *di Luccoli*, eo quod ab Ecclesia S. Lucae aliquantulum distabant, sibi condidisse Templum S. Catharinae martyris, in praesens funditus eversum, idque in suam Paraeciam habuisse, habito prius generali Familiarum conventu, in quo pactum est, ut a S. Luca recedentes annuum tributum persolverent, inviolato tamen manente iure eligendi Praepositum, et facultate redeundi, cum placeret, ad antiquam Paraeciam, dein lapsu temporis qui hoc modo S. Lucam deseruerant, adepti sunt libertatem, nec qua ratione constabat, a persolvendo tributo, firmum tamen retinentes iuspatronatus electionis, et postea maxima pars Spinularum *di Luccoli* videbatur adhaesisse, requevera adhaesit Paraeciis, in quarum territorio commorabatur, omnesque memorati actus intercesserunt absque ullo S. Sedis interventu.

72. Retulit etiam praefatus Archiepiscopus: – Quondam R. Bacigalupo electus Praepositus S. Lucae anno 1833 ex desertione et extinctione Familiarum simulque ex reditibus Ecclesiae ob temporum calamitatem deperditis, cum imminutam parochialem Praebendam experiretur, cunctas superstites Spinularum Familias invitavit rogavitque, ut denuo S. Lucae aggregarentur, suoque privilegio uti vellent. Sed pauci eius precibus audientes fuere: D. Maximilianus Spinula clarissimus ex modernis Patronis tabulas parochiales a Concilio Tridentino usque in praesens perlustrans, ut suum stemma genealogicum describeret, in iis tabulis multos suorum parentum non invenit, quos alibi baptizatos reperiit. Patroni nunc existentes a me per Literas interrogati, quid de suo munere et privilegio sentirent, non omnes idem mihi exhibuerunt responsum. Quinque enim ex eis, iuxta patrum suorum morem, S. Lucae se adhaerere velle referunt. Unus privilegium absolute reiicit. Alius peculiares simultatis causas cum moderno Praeposito se gerere affirmat, et quousque ille Paraeciam administrat, suo privilegio uti nolle declarat. Duo alii privilegium retinere cupiunt, sed nullo pacto S. Lucae accedere velle, donec existat memoratus Praepositus, claris verbis pronunciant, eo quia, aiunt, ad Paraeciam regendam electus fuit per ambitum, non omnibus et singulis praemonitis et intervenientibus Patronis. Asserunt demum, a nemine cogi posse, ut inviti privilegio subiiciantur. Ita factis existentibus, si ex mandatis Eminentiae Vestrae Rm̃ae meam sententiam ad rem aperire debeo, fateor mihi videri, non temere se gessisse, qui a S. Luca recedere voluere, vel nunc vellent, ea ratione suffulti, privilegia neminem cogere; ita enim etiam fertur in cap. 6 de privilegiis, cum liberum sit unicuique iuri suo renuntiare, et L. *Si quis* Cod. de pactis: – Regula est iuris antiqui, omnes licentiam habere, iis, quae pro se introducta sunt, renuntiare –. Ut quis tamen ex privilegiatis se possit iurisdictioni parochiali subtrahere, putarem, necessariam esse declarationem renunciationis regulariter factam, eamque fieri posse et debere a Parochiano privilegiato pro se et iis, qui ipsi subiiciuntur. Existimarem etiam, hanc declarationem renunciationis non fas esse elicere eodem actu, quo aliquod parochiale ius persolvere contingat, ut in casu funeris matrimonii etc. Quoad Famulos Patronis inservientes viderentur subiici debere indiscriminatim Parocho territorii; de his enim nullum est verbum in laudato Brevi Summi Pontificis Sixti V –.

73. Favere autem Parocho videbatur Tridentinae Synodi sanctio in Cap. 13 sess. 24 de reformatione. Nam arbitrium commutandi Paraeciam, uti libuerit, huius dispositionis consilio ac rationi repugnare palam erat. Nec utiliter regeri perpendit Parochus, privilegio uti vel non, cuique liberum esse. Porro verba, quibus concessio haec in Bulla Sixti V, quae una supererat, confirmabatur, ita se habebant: – Vobis ut ex nunc deinceps in perpetuum quicumque Familiarum de Spinulis de Sancto Luca cognominatis, ac de Grimaldis huiusmodi etiam in quacumque dictae Civitatis parte sub quavis alia illius Parochia nunc et pro tempore degentes, praefatam Ecclesiam S. Lucae uti vestram propriam Parochiam eiusque Rectorem etiam nunc et in perpetuum existentem, tam pro Infantibus baptizandis etc. adire... libere et licite, ac Ordinarii loci nec non Parochi seu Parochorum, in cuius seu quorum Parochia degetis, minime licentia requisita, valeatis; ita quod nulli alteri Parochiae aut Parocho dictae Civitatis subiecti sitis aut esse dici vel censeri, minusque desuper a quolibet molestari vel impediri unquam possitis, Apostolica Auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus –. Exinde arguit Parochus, libertatem Patronorum vindicari non posse: quippe Apostolicae Literae Ecclesiam S. Lucae in Paraeciam assignabant praedictis Familiis in quocumque Civitatis loco suum haberent domicilium, ac Parocho S. Lucae iurisdictionem tribuebant in Patronos eorumque Successores exercendam, nullumque ius sibi a Parochis arrogandum declarabant, in quorum territorio Parochiani S. Lucae fortasse domicilium agerent. Praeterea ex hac variandi libertate praeter plura, quae sequerentur incommoda, maxime cum agitur de Sacramento Matrimonii, quod irritum est, nisi coram proprio Parocho celebretur, non leve inferretur detrimentum ipsi Parocho, qui ius exinde amitteret percipiendi lucra ac incerta emolumenta, quae ex baptismis matrimoniis funeribus aliisque parochialibus iuribus obveniunt, quod quidem eo magis in praesenti casu, quo, primaevis reditibus magna ex parte deperditis, non parum Praebenda parochialis decrevit. Advertit etiam Parochus, contradictores suos non ex iusta ac necessaria aliqua causa et laudabili consilio ad Paraeciam deserendam duci, sed ex partium dumtaxat studio aemulatione ac iniusta, qua in Parochum ipsum ferebantur, aversione; quamobrem vel ex hoc ipso arbitrium hocce, si quod haberent, coercendum omnino fore existimavit. Patroni e contra ea potissimum ratione innitebantur, nimirum privilegia neminem cogere, ex cap. 6 de privilegiis et L. *Si quis* de pactis. Levissimum autem dixerunt esse damnum, quod exinde Parocho irrogabatur, cui una cum emolumentis imminuebatur quoque onus et labor: vel ipsam dispositionem iuris potestatem cuique facere, ubi Parochiae certos fines non habent, Parochiam, quam lubet, eligere ad Textum in Cap. 1 de Parochis, ibique Ancharanus et Scarfantonius tom. 3 add. 39 n. 60. Advertebatur vero, privilegium ad Famulos protendi non posse, de quibus mentio non occurrebat in Brevi Sixti V: privilegia enim strictae interpretationis sunt, nec ad personas extendenda, quae in iisdem comprehensae non fuerint.

74. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An Patronis liceat se subtrahere a iurisdictione Parochi S. Lucae ac sibi eligere in proprium Parochum eum, in cuius Paraeciae districtu degunt in casu? II. An Patronorum etiam Famuli comprehendantur in privilegio in casu? –, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative; facta iuxta votum Archiepiscopi declaratione, a qua declarans nequeat, durante eius vita, resilire. Ad secundum, Negative – *in Ianuen. Iurium parochialium die 18 Iulii 1857.*

75. Idcirco cum Parochiarum divisio non per regiones, sed per Familias extet, alter ex huiusmodi Parochis adscribere potest in sua Paraecia Familias exteras et adventitias, si praesertim antiquissima adsit consuetudo *in Maceraten. Iurium parochialium die 14 Martii 1778.*

76. Iamvero in Oppido Montis Milonis Maceratensis Diaeceseos geminae erant Parochiae, una scilicet Collegiatae Ecclesiae S. Blasii et altera S. Andreae. Parochiarum divisio non per regiones certis praescriptisque finibus circumscriptas, sed per familias ab antiquissimo tempore, cuius nulla extabat memoria, facta fuit, ita ut quilibet, sive op-

pidanus esset, sive advena, ius habebat per adscriptionem eligendi alterutram, quam malebat, ex dictis Paraeciis. Cum autem ad colendos agros Francisci Conventati evocatus fuisset Venantius Creolani; is cum sua Familia accessit ad Oppidum Montis Milonis animo, ut ipse asserebat, se adscribendi ad eam Paraeciam, in qua fuerat adscriptus Ioseph Vitali cognomento *Bordone* eius in cultura dictorum agrorum antecessor: ast falsa ductus assertione ei facta a Parocho S. Blasii, quod antecessor *Bordone* suae Paraeciae parochianus fuisset, et ipse quoque Venantius ille se adscripsit cum eius Familia; cognita tamen fraude reluctantibusque illius filiis eorum praebere assensum inconsultae adscriptioni a Patre factae, idem Venantius una cum filio natu maiore sponte se contulit ad Paraeciam S. Andreae, et in ea, ubi vere fuerat Bordonius adscriptus, Pater filius et tota Creolana Familia nomen dederunt. Rursus cum Ioseph Scarponius, qui Parochianus erat Ecclesiae S. Blasii, discessisset ab Oppido Montis Milonis, lares suos fixit in territorio Tolentinae Civitatis: cumque ei fuisset adnata filia femina, curavit, ut ea lustralibus aquis regeneraretur in parochiali Ecclesia S. Andreae dicti Oppidi Montis Milonis, quam ipse utpote de proximo reversurus ad saepedictum Oppidum ex nunc pro tunc elegit pro sua eiusque familiae Paraecia: subindeque cum neo – nata filia decessisset, in eadem Parochiali S. Andreae tumulata fuit. Hinc Parochus S. Blasii preces porrexit Sacrae Congregationi, ut declararet, Creolanam gentem, attenta praeambula illius adscriptione, subiectam esse suae Paraeciae, nec non inhiberetur Parocho S. Andreae, ut imposterum se abstineret a similibus peragendis Familiarum Personarumque adscriptionibus, tamquam turbativis iurisdictionis et iurium parochialium Ecclesiae S. Blasii. Advertebatur autem, quod prima adscriptio Ecclesiae parochiali S. Blasii facta a Venantio ex errore processerat; adeoque, cum consensus abfuisset, detecto errore, inscribi poterat alteri Paraeciae S. Andreae. Ad Familiam Iosephi Scarponii quod attinebat, ponderandum similiter erat, dictum Iosephum non discessisse ab Oppido Montis Milonis animo se recreandi, vel rusticandi, vel negotia gerendi, sed discessisse quidem animo cum eius tota Familia mutandi domicilium, quod fixit in territorio Civitatis Tolentini, proindeque videbatur, is desiisse esse parochianus Ecclesiae S. Blasii, istiusque Parochus sua iura super hac Familia penitus amisisse ea ratione, quia, ut ait Fagnanus in Cap. *Significavit* de Parochis n. 3: – Sicut voluntaria est domicilii constitutio, ita et illius extinctio, vel mutatio –.

77. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An liceat Parocho S. Andreae Montis Milonis adscribere in sua Paraecia Familias exteras et adventitias? *Et quatenus negative.* II. An adscriptio dictarum Familiarum iam facta sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative; et amplius. Ad secundum, provisum in primo – *in Maceraten. Iurium parochialium die 14 Martii 1778.*

78. Siquidem canonici Iuris dispositione cautum est, unicuique liberum esse, ubi Parochiae certos fines certasque domos non habent, Parochiam, quam lubet, eligere, ad Textum in Cap. 1 de Parochis, ibique Ancharanus et Scarfantonius tom. 3 addit. 39 n. 60 *in Maceraten. Iurium parochialium die 14 Martii 1778* §. *Quo.*

79. Alias Dionysius Papa in Can. *Ecclesias* 1 caus. 13 quaest. 1 statuit: – Nullus alterius Parochiae terminos aut ius invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus – *in Fulginaten. Paraeciarum die 15 Septembris 1827* §. *At.*

80. Facta hinc electione, nemo nomen alteri Paraeciae dare potest: constans enim perpetuo fuit Sacrae Congregationis disciplina, sarta tectaque servanda esse Parochorum iura, quae, a constituto rerum ordine vel ab regionum aut Familiarum semel invecta divisione, non cuiuslibet placito, pendere fas putavit *in Ianuen. Iurium parochialium die 18 Iulii 1857* §. *Ast.*

81. Iamvero in Tolentina Iurium parochialium proposito dubio: – III. An forenses semel recognoscentes aliquam Parochiam, vel mediante adimplemento praecepti paschalis, vel se describendo in statu animarum, vel se proclamare faciendo occasione contrahendi Matrimonium, aut similia peragentes coram aliquo Parocho, exinde possint primam Parochiam variare? –, Sacra Congregatio re-

sponsum tulit: – Negative, et amplius – *in Maceraten. Iurium parochialium die 14 Martii 1778 §. Quo.*

Item *in Ianuen. Iurium parochialium die 18 Iulii 1857 §. Ast.*

82. Qui enim primo se adscripserit certae ac designatae Paraeciae, non potest poenitere, et nomen dare alteri Paraeciae, etiamsi se id ex errore et fraude peregisse asserat; his enim in terminis proposito dubio: – III. An Venantius Creolani eiusque Familia subesse debeat Ecclesiae Matrici S. Blasii, quam praeelegit, vel alteri S. Andreae in casu etc. –, Sacra Congregatio licet prius declaraverit, ius alias inesse Parocho S. Andreae adscribere in sua Paraecia Familias exteras et adventitias, responsum dedit: – Ad tertium, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Maceraten. Iurium parochialium die 14 Martii 1778.*

83. Unde canonici iuris dispositio cavit quidem, unicuique liberum esse, ubi Parochiae certasque domos non habent, Parochiam, quam lubet eligere, sed ea electa pro suo quisque lubitu nequit, mutato consilio, alteri Paraeciae nomen dare *in Ianuen. Iurium parochialium die 18 Iulii 1857 §. Ast.*

84. Idcirco qui Paraeciam elegit eamque mox probavit, aliam nequit subinde eligere Parochiam, quae distinctum non habet territorium, sed certas complectitur Familias in Paraecia iam electa permixtas *in Sancti Severini die 8 Februarii 1817.*

85. Siquidem in Septempedana Civitate Paraecia Cathedralis iurisdictionem habebat super universa Civitate, paucis exceptis Familiis subiectis alteri Paraeciae Sancti Laurentii, quae distinctum non habebat territorium propriasque domus, sed gentilitia erat, certas complectens Familias in Paraecia Cathedralis permixtas. Thomas Egidi e Villa Cagnorum puer Civitatem petiit, ut studiis operam daret, et in privata diversans domo, Paraeciae Cathedralis, cum aliam sibi non elegisset, subditus fuit. Adolescens factus in Domo Congregationis Oratorii S. Philippi Neri ingressus, ad sacros Ordines promotus semper inter illos Presbiteros mansit usque ad annum 1810, in quo ob rerum publicarum subversionem ab illa pulsus fuit. Iterum ad Paraeciam Cathedralis revertens, ab eius Parocho testimonium superviventiae tum sibi, tum laico Fratri Thomae Porri rogavit, ut pensiones a Gubernio assignatas uterque exigere posset. Factum praeterea est, ut Antonius Egidi nepos Sacerdotis Iosephi conduxerit domum Congregationis Oratorii, quae cum sita esset e fronte Ecclesiae et Oratorii via intermedia non habebat aditum ad Ecclesiam, nisi per subterraneum cuniculum. Presbiter itaque Ioseph Egidi in aedibus Congregationis migravit, et sibi selegit Parochum Sancti Laurentii, et cum esset aetate gravis et infirma valetudine lecto decubuit et Sacram Eucharistiam sumebat a Parocho S. Laurentii, qui cum opus erat ad Ecclesiam Oratorii accedebat, et per subterraneum illum aditum Sacram Particulam infirmo deferebat in aedibus Congregationis Oratorii, quin per publicam ianuam Ecclesiae viamque publicam transiret. Quamquam Parochus Cathedralis statim ad Vicarium Capitularem reclamasset contra electionem novi Parochi factam a Presbitero Egidi, attamen ob notissimam temporum acerbitatem id tolerandum censuit. Inde vero Canonicus Mazza ex antiquiori Capitulo Cathedralis (ita enim in Capitulo discriminabantur Canonici primae et posterioris erectionis, atque illis habitualis cura Paraeciae Cathedralis tributa erat) preces obtulit Sacrae Congregationi, ut, reiecta nova electione Parochi S. Laurentii facta a Sacerdote Iosepho Egidi et laico Thomae Porri, declararetur, utrosque subiectos esse oportere Parocho Cathedralis. Eo itaque redibat quaestio, utrum Presbiter Ioseph Egidi et laicus Thomas Porri potuerint se subducere a Paraecia Cathedralis. Non potuisse eos Paraeciam Cathedralis deserere contendit Vicarius Capitularis in sua informatione, quia – Presbiter Ioseph Egidi moratus est subiectusque fuit Paraeciae Cathedralis Ecclesiae. Non enim aliam unquam elegit, ut mihi ipse ingenue fateri non dubitavit. Dixi semper subiectus fuit Paraeciae Cathedralis Ecclesiae, quoniam qui aliam non eligit, pertinet semper apud nos ad Ecclesiam Matricem, quae iubet in omnibus, paucis exceptis Familiis huc illuc dispersis spectantibus Ecclesiae parochiali Sancti Laurentii. Adolescentia transacta, Clericus ingressus est Congregationem Oratorii S. Philippi Neri et laudabiliter in

ea perseveravit usque ad annum 1810, in quo accidit irreligiosa suppressio eiusdem. Congregatione suppressa, annuum censum a Gubernio exacturus Parochum adiit Ecclesiae Cathedralis, et ab eo ut pro Parocho attestationem expostulavit suae supraviventiae. Documentum pariter huiusmodi postulavit Thomas Porri Frater laicus Congregationis. Igitur tam Presbiter Ioseph Egidi, quam Thomas Porri pertinent ad Parochum Cathedralis, nec unus, nec alter poterat post praefata electionis documenta, nec aliam Parochiam eligere, nec a prima subiectione poterat se subtrahere –.

86. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An Sacerdos Ioseph Egidi et laicus Thomas Porri pertineant ad Paraeciam Cathedralis, seu potius ad Paraeciam S. Laurentii Civitatis S. Severini in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam – *in Sancti Severini die 8 Februarii 1817.*

87. Quin imo qui Paraeciae, nullis circumscriptae limitibus et Familias sibi subditas habenti, adscriptus est, donec uni ex dictis Familiis inservit eiusque domo inhabitat, neque ex gratia indulgetur, ut ad aliam domum alterius Paraeciae transiens antiquam retinere valeat Paraeciam, etiamsi is alienigena sit et servitii tantum causa lares ibidem fixerit *in Cingulana Iurium parochialium die 12 Iulii 1823.*

88. Siquidem nullis circumscripta limitibus Paraecia Sanctorum Nicolai et Exuperantii sita extra moenia Civitatis Cinguli gentilitia erat ac perpaucas Familias in Civitate degentes sibi subditas habebat una cum Familiaribus actu eisdem inservientibus: quod si praedictae Familiae domos suas, vel earum partes locarent, Inquilini illarum loco non succedebant, sed Paraeciae Cathedralis Ecclesiae subiiciebantur. Nobilium Familiarum Silvestri Bovio et Colleredo ad Paraeciam Sanctorum Nicolai et Exuperantii spectantium servitio addictus Angelus Giovannini earum domum inhabitavit, ac negotia gessit per annos triginta septem, donec, ob vendita omnia praedictarum Familiarum bona, ad aliam domum transire debuit, subiectam Paraeciae Cathedralis; preces autem Sacrae Congregationi obtulit, ut sibi in nova domo degenti ad antiquam suam Paraeciam pertinere liceret. Vicarius Capitularis retulit, Parochum Sanctorum Nicolai et Exuperantii nil contrarium habere huic petitioni, si sibi committeretur. E contra Capitulum Cathedralis Ecclesiae, cui adnexa erat cura habitualis Paraeciae, et cuius vices gerebat alter ex Canonicis, totis viribus contendit, se nullo modo consensum suum praebere. Nedum enim indultum, quod Orator petebat, sanctioni Tridentinae in Cap. 13 sess. 24 aperte repugnabat, sed damnum praefato Capitulo inferebat, cum ob dicti indulti concessionem ius amitteret decimandi et percipiendi lucra, quae ex funeribus procedebant, quaeque iuxta Tridentinum soli Parocho addicta sunt. Verum Oratori favebat, antiquitus distinctas finibus non fuisse Paraecias, et alicubi etiam in praesens adesse Paraecias, quae non distinguuntur per Domos materiales et per determinatos locorum fines. Quamobrem annuendum videbatur Oratoris precibus, praesertim cum aliae in Cingulana Civitate adessent Familiae, quae ad gentilitiam Paraeciam Sanctorum Nicolai et Exuperantii pertinebant. Eoque pronius cum idem Orator alienigena esset, qui ad praefatam Civitatem se contulerat, ut operam gerendis negotiis Familiarum Silvestri Bovio et Colleredo navaret, atque hac tantum de causa lares ibidem fixerit, et S. Exuperantium, quem sibi protectorem elegit, peculiari devotione semper coluerit et coleret. Levissimum autem damnum Capitulo Ecclesiae Cathedralis irrogabatur, cum dives non esset Angelus Giovannini, qui nobilibus Familiis inserviendo sibi suaeque Familiae victum perpetuo quaesivit.

89. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An sit annuendum Oratoris precibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Cingulana Iurium parochialium die 12 Iulii 1823.*

§. IV.

ECCLESIA PAROCHIALIS QUOAD ERECTIONEM ET DISMEMBRATIONEM.

1. Omnibus notissima est celebris illa Decretalis Epistola Alexandri Papae III in Cap. *Ad audientiam* de ecclesiis aedificandis, quae ita se habet: – Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod Villa, quae dicitur N. tantum perhibetur ab Ecclesia parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviae inundant, non possint Parochiani sine magna difficultate ipsam adire, unde non valent congruo tempore ecclesiasticis officiis interesse. Quia igitur dicta Ecclesia ita dicitur reditibus abundare, quod praeter illius Villae proventus Minister illius convenienter valeat substentationem habere, mandamus, quatenus si res ita se habet, ut Ecclesiam ibi aedifices, et in ea Sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad praesentationem Rectoris Ecclesiae maioris, cum canonico Fundatoris assensu instituas, ad substentationem suam eiusdem Villae obventiones ecclesiasticas percepturum; providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiae servetur: quod quidem fieri posse videtur, cum eiusdem Villae Dominus viginti areas terrae frugiferae velit ad usus Sacerdotis conferre. Si vero persona Matricis Ecclesiae Virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, et Virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas – *in Adrien. Parochialis die 18 Decembris 1774* §. *Omnibus.*

Item *in Verulana Erectionis Parochiae die 8 Maii 1784* §. *Notissima.*

2. Pari solicitudine Caelestinus III, ne fideles spirituali Sacramentorum auxilio destituerentur, in Cap. *Tua nos* eodem titulo haec habet: – Praeterea, quia occasione iuramenti, quod de rebus Ecclesiae non alienandis te asseris praestitisse, in locis tui Episcopatus, in quibus Populi habitantes Oratoriis egere videntur, ne praetextu novarum Ecclesiarum commissa tibi Ecclesia destitui videatur, Ecclesias formidas erigere: Fraternitati tuae mandamus, quatenus illius iuramenti occasione nullatenus praetermittas, quin Populo indigenti super Basilicarum institutione studeas salubriter providere – *in Verulana Erectionis Parochiae die 8 Maii 1784* §. *Pari.*

3. Concilium Tridentinum in sess. 21 cap. 4 de reformatione laudatam Alexandri III Constitutionem ratam habuit et adprobavit, decernens: – Episcopi, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus Populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem Parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias etiam invitis Rectoribus, iuxta formam Constitutionis Alexandri III, quae incipit. *Ad audientiam,* constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus: et si necesse fuerit, compellere possit Populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam, quacumque reservatione generali vel speciali vel affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus. Neque huiusmodi ordinationes et erectiones possint tolli nec impediri ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus – *in Adrien. Parochialis die 18 Decembris 1774* §. *Concilium.*

Item *in Verulana Erectionis Parochiae die 8 Maii 1784* §. *Concilium.*

4. Itaque Ecclesiarum dismembratio est ecclesiasticis legibus odiosa, Abb. in Cap. *Ad audientiam,* Fagnan. ibidem n. 4, Barbos. ad

Concil. Trid. sess.21 cap. 4 de ref. n. 10, Lotter de re Benef. lib. 1 quaest. 28 n. 4, Amostaz de Caus. piis lib. 5 cap. 3 n. 26, Rot. in Aesina Parochialis 12 iunii 1751 §. 5 coram Seraphino *in Derthonen. Dismembrationis die 14 Decembris 1765 §. Communitas.*

Item *in Firmana Capellaniae Curatae super conventione die 2 Martii 1839 §. Agitur; in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852 §. Iam; in Recanaten. Augmenti Congruae et Dismembrationis Paraeciae die 18 Februarii 1854 §. Agitur.*

5. Qua de re quum Paraeciarum ac Beneficiorum dismembrationes et uniones sint odiosae ac sapiant alienationem iurium Ecclesiae, sine iusta et urgenti causa necessitatis vel utilitatis fieri nequeunt, Concil. Trid. sess. 25 cap. 5 de reformatione *in Lancianen. Unionis die 17 Martii 1827 §. Iure.*

Item *in Imolen. Erectionis Paraeciae die 22 Maii 1830 §. Nonnulla; in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 30 Aprilis 1836 §. Recolere; in Massanen. et Populoniae Dismembrationis Paraeciae die 9 Maii 1840 §. Nescit; in Camerinen. Dismembrationis Paraeciae die 8 Iulii 1843 §. Quod; in Brixien. Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1857 §. Post; in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859 §. Admissis.*

6. Nihil enim magis alterat Ecclesiarum praesertim parochialium statum, quam divisiones seu dismembrationes, ut ait Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 28 n. 1 *in Massanen. et Populoniae Dismembrationis Paraeciae die 9 Maii 1840 §. Nescit.*

Item *in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848 §. A Beneficiorum.*

7. Hinc Parochiarum dismembratio praeterquam vetita omnino sit a Tridentino sess. 25 cap. 10 de reformatione, ut testatur Gonzalez ad Reg. 8 Cancell. gloss. 5 §. 63 et 64, aliique passim, tamen aliquo modo dismembratio ipsa auctoratur, legitima minus existente causa, nunquam iam facta substinetur, Ferrar. verb. dismembrat. Rot. in Recent. part. 13 decis. 29 n. 18, ob manifestum veteris Paraeciae praeiudicium, quae reditibus subditisque expoliaretur, et magna ex eius bonis novae animarum curae obveniret locupletatio, ut animadvertit Barbosa de potest. Episcop. alleg. 26 n. 1, et lib. 2 iur. eccles. univ. cap. 2 n. 14 *in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 30 Aprilis 1836 §. Recolere.*

8. Quin imo nedum vetita est dismembratio et divisio Beneficiorum, cap. 8 de Praeb. et dignit., sed nec ad eam, iusta urgente causa, deveniri potest, nisi adhibitis solemnitatibus in alienatione bonorum Ecclesiae praescriptis, Garz. de Benef. part. 12 cap. 3, Rot. in Recent. decis. 288 n. 1 part. 2 *in Adrien. Parochialis die 28 Decembris 1773 §. Altera.*

9. Nam praeter legitimum titulum seu iustam causam, iuris etiam solemnitas copulative concurrat oportet, ad monitum Reclusii in tit. 12 de re paroch. n. 55 *in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859 §. Aliud.*

10. Compertum autem est, solemnitas huiusmodi esse, citationem Rectoris Ecclesiae, cuius bona dismembrantur, Sperell. decis. 554 n. 24 et 25, Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedif. n. 29; consensum eiusdem Rectoris, Cap. 1 de eccles. non alien., Pignatell. consult. 230 tom. 4 n. 18; citationem interesse habentium, Fagnan. loc. cit. n. 30, Pignatell. loc. cit.; consensum Capituli Cathedralis Ecclesiae, ad Textum in Cap. *Cum nos*, et Cap. *Cum pastorales* de his, quae fiunt a Praelatis, Fargn. de iurepatronat. part. 1 cap. 4 can. 7; et compilationem processus, Rot. in Recent. decis. 224 part. 10 a n. 35 *in Adrien. Parochialis die 18 Decembris 1773 §. Altera.*

Item *in Anconitana Dismembrationis die 30 Aprilis 1803 §. Contra; in Massanen. et Populoniae Dismembrationis Paraeciae die 9 Maii 1840 §. Postremo; in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859 §. Aliud §. Quin.*

11. Quod si agatur de Beneficio vacante seu viduata Ecclesia, exquirendus est consensus Defensoris ab Episcopo constituendi, ad cuius officium pertinet disquirere de legitimitate et veritate causae necessariae, Leuren. for. Benef. part. 3 sect. 2 cap. 2 quaest. 954 n. 4, Corrad. prax. Benef. lib. 3 cap. 2 n. 2 *in Cariaten. Dismembrationis Redituum parochialium die 27 Iulii 1850 §. Praeterea.*

12. Neque insolens est, ut differatur dismembrationis cognitio, donec Ecclesia de Rectore provideatur, qui eiusdem iura defendere possit *in Fesulana Dismembrationis die 27 Aprilis 1816 §. Necessitas.*

13. Amplia, etiam Patroni Ecclesiae votum exquirendum esse suadet Textus in Cap. *Significavit*, ibique Andr. Bald. Butr. et Rota in Recent. decis. 6 part. 7 n. 4 *in Fesulana Dismembrationis die 30 Aprilis 1836 §. Cetera.*

14. Idcirco si aliter dismembratio fiat ab Episcopo, quam a sacris Canonibus praescribitur, scilicet adhibitis solemnitatibus et ex iustis causis, dismembratio ipso iure irrita est, ut post Textum in Can. *Sine exceptione* caus. 12 quaest. 2, Cap. *Dudum* de reb. eccles. non alien. tradunt Lotter. de re benef. lib. 1 quaest. 28 n. 2, Reclus. de re paroch. part. 1 tit. 12 n. 55 *in Anconitana Dismembrationis die 30 Aprilis 1803 §. Contra.*

Item *in Mutinen. Dismembrationis Paraeciae die 17 Decembris 1842 §. E contra.*

15. Quin officiat, ad dismembrationem in actu visitationis et tamquam Delegatum Apostolicum Episcopum processisse; huiusmodi enim praerogativam ab adhibendis iuris solemnitatibus haud eximere docet Pignatellius in consult. 230 tom. 4 *in Mutinen. Dismembrationis Paraeciae die 17 Decembris 1842 §. E contra.*

Item *in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859 §. Quin.*

16. Nec suppleri videtur citationis defectus vel a consensu Capituli enunciato in Literis primae erectionis, quas nihil probare firmavit Rota in decis. 1048 n. 7 coram Emerix iuniore, vel a subsequuta acquiescentia, quae processit ex ignorantia earumdem Literarum *in Firmana Dismembrationis die 15 Decembris 1759 §. Contendunt.*

17. Diuturnitatem vero temporis favorabilem inducere praesumptionem cuiuscumque adhibitae solemnitatis et necessariae causae tradit Barbosa de offic. Paroch. part. 3 cap. 28 §. 2 n. 16 *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 31 Martii 1770 §. Nec.*

18. Quin imo assensum Parochi minime esse necessarium, nec obesse impugnationem eiusdem, ubi iustae causae postulent novae Parochiae constitutionem, satis aperte cautum est a Sacro Concilio Tridentino, quod novas Parochias erigi permittit, invitis etiam Rectoribus *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis Parochiae die 8 Martii 1732 §. Contradictorem.*

Item *in Marturanen. Dismembrationis die 24 Ianuarii 1739 §. Adversus; in Anconitana Dismembrationis die 30 Aprilis 1803 §. Cum; in Mutinen. Dismembrationis Paraeciae die 17 Decembris 1842 §. E contra; in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848 §. Neutiquam; in Brixien. Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1857 §. Porro.*

19. Quoties porro iustae adsint dismembrationis et novae erectionis causae, spernendum esse Parochi et interesse habentium dissensum, docet cum pluribus Fagnanus in Cap. *Ad audientiam*, praesertim quia tunc dismembratio, ex omissa interesse habentium citatione invalidanda, denuo fieri oporteret *in Mutinen. Dismembrationis Paraeciae die 17 Decembris 1845 §. Hisce.*

20. Omnes enim aeque conveniunt, consensum in casu non exigi pro forma, sed tantum ratione praeiudicii, Rota coram Crispo decis. 221 n. 14 *in Recanaten. Augmenti congruae et Dismembrationis Paraeciae die 18 Februarii 1854 §. Unum.*

21. Hinc quando nullum Parocho praeiudicium infertur, vel inferatur quidem, ast iustae ac legitimae concurrant causae dismembrationis, nil curandum videtur, an ante vel post sequutam dismembrationem interpellatio fiat; quandoquidem Parocho etiam contradicente deveniri potest ad necessariae dismembrationis actum *in Recanaten. Augmenti congruae et Dismembrationis Paraeciae die 18 Februarii §. Unum.*

22. Idcirco si legitimae extent causae locus est dismembrationi, licet Praepositus et Canonici, qui administrationem curae animarum habent, obstent, ex eo quod consensum ad dismembrationem praestiterint sub variis legibus pactis et conditionibus, quae prorsus posthabentur *in Comen. Dismembrationis die 5 Decembris 1750 et die 13 Martii 1751.*

23. Iamvero animarum cura et Sacramentorum administratio in Vico Zuvinii a tempore immemorabili pertinebat ad Praepositum et Canonicos Collegiatae Ecclesiae

S. Laurentii Oppidi Cuvii. Universitas eiusdem Vici Zuvinii eligere solebat Capellanum, qui Praepositum adiuvabat in cura animarum. Canonici et Praepositus subinde consensum praestabant pro dismembratione sub variis legibus pactis et conditionibus, quas tamen praefata Universitas acceptare noluit; ac petiit ab Episcopo, ut, praefatis conditionibus non obstantibus, dismembrationem concederet. At Praepositus et Canonici protestationem emiserunt de nullitate dismembrationis, si concederetur contra formam consensus ab ipsis praestiti. Hac tamen spreta protestatione, nulloque iuris ordine servato, concessa fuit dismembratio, quae causam dedit liti, quae agi cepit in Curia Comensi. Hac lite pendente, Universitas Zuvinii a Summo Pontifice petiit approbationem dismembrationis. Sacra Congregatio die 3 septembris 1740 rescripsit: – Pro approbatione, si Sanctissimo placuerit –. Postularunt autem Praepositus et Canonici Cuvii, ut a decisis recederet ac pronunciaret, non esse locum dismembrationi, quod nullitate atque iniustitia infecta esset dismembratio ab Episcopo concessa. Nullitate quidem defectu citationis Praepositi et Capituli, a quibus in actis emissa fuerat protestatio, et defectu processus et probationum, quae necessario colligi debebant, ut posset Episcopus dismembrationem indulgere: iniustitia vero infectam esse patere evidenter, quia consensus Praepositi et Canonicorum non fuerat purus, sed sub pluribus conditionibus praestitus, quibus non agnitis et impletis, resolutus fuit consensus ille, ac si nunquam praestitus fuisset. Addiderunt, consensum etiam purum Praepositi et Canonicorum nullum Ecclesiae Matri detrimentum inferre potuisse defectu legitimae causae, sine qua locus esse non posset subsidiario huic extremoque dismembrationis remedio, cum deessent immodica distantia viarum asperitas et quae huius generis iustae et legitimae dismembrationis causae reputantur, cum etiamsi adessent, satis esset consultum necessitatibus Populi per constitutionem Capellani, quem ipsa Communitas Zuvinii eligebat. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An sit locus dismembrationi, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.–, Sacra Congregatio die 5 decembris 1750 responsum dedit: – Esse locum dismembrationi –. Praepositus et Canonici mox ad novum provocarunt examen. Propositis vero dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis? *Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* II. An et a quibus subministranda sit congrua Parocho noviter erecto? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, subministrandam esse congruam iuxta Decretum Episcopi in omnibus – *in Comen. Dismembrationis die 13 Martii 1751.*

24. Citandum tamen et audiendum esse Parochum, ut, quae ab eo obiiciantur, discuti possint, recte advertit Fagnanus in Cap. *Ad audientiam* n. 19, itemque Emus Petra tom. 1 ad Constit. 2 Paschalis II a n. 17 *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis Parochiae die 8 Martii 1732* §. *Contradictorem.*

Item *in Marturanen. Dismembrationis die 24 Ianuarii 1739* §. *Adversus; in Anconitana Dismembrationis die 30 Aprilis 1803* §. *Contra; in Tudertina Dismembrationis die 24 Novembris 1804* §. *Nihilominus*; *in Mutinen. Dismembrationis Paraecie 17 Decembris 1842* §. *E contra.*

25. Siquidem Parochi citatio ita necessaria censetur, ut nullam admittat excusationem, Pignatell. consult. 230 n. 18 tom. 4 *in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859* §. *Aliud.*

26. Quin imo si Ecclesia parochialis suo Pastore viduata reperiatur, satis non est illius Oeconomum citare, sed peculiaris ei debet deputari ab Episcopo defensor, ut valide ab ipsa avelli possit aliquod locum, uti per Textum in Cap. 1 de reb. eccles. non alien. in 6, et in Cap. 1 ne Sede vacante etc. tradunt Mandos. ad reg. Cancell. 22 quaest. 13, Garz. de Benef. part. 2 cap. 13, et alii relati pe Rotam in decis. 403 coram Celso *in Cassanen. Dismembrationis die 3 Decembris 1740* §. *His.*

Item *in Cariaten. Dismembrationis Redituum parochialium die 27 Iulii 1850* §. *Praeterea.*

27. Si secus enim actum fuerit, nullam esse dismembrationem etiam ex mente Sacrae Congregationis tradit idem Fagnanus loco citato, etiamsi Episcopus processerit, uti delegatus Sedis Apostolicae, ceu advertit Rota

in Recent. decis. 294 n. 13 ad 15 part. 10 *in Firmana Dismembrationis die 15 Decembris 1759 §. Contendunt.*

Item *in Mutinen. Dismembrationis Paraeciae die 17 Decembris 1842 §. E contra.*

28. Siquidem Sacra Congregatio declaravit, fieri non posse erectionem novae Parochiae, nisi citato Rectore, intra cuius limites fieri intenditur, alias factam, omissa citatione, esse nullam *in Nullius anno 1606 lib. 9 Decretorum pag. 106.*

Item *in Dubium mense Maii 1617 lib. 11 Decretorum pag. 197.*

29. Similiter Sacra Congregatio declaravit, Episcopum erigere quidem posse novam Parochiam, concurrentibus requisitis per S. Concilium Tridentinum in Cap. 4 sess. 21 de reformatione, etiam invito Parocho, sed citato *in Cremonen. die 13 Ianuarii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 153.*

30. Qua de re si spirituali Villicorum necessitati satis iam consultum esse videatur per constitutionem Capellani seu Vicarii, nec reditus congrui pro novo Rectore et Parocho veteris Parochiae habeantur, dismembratio et novae Paraeciae erectio ab Episcopo, neque citato, neque audito antiquo Parocho, peracta, nulla atque irrita declaratur *in Marturanen. die 24 Ianuarii 1739 et die 9 Septembris 1741.*

31. Iamvero Clerus et Populus numero octingentarum animarum in Villa S. Thomae aliisque conterminis Pagis nuncupatis *Borvoroso Colla Vaccurizo Pirillo et Manelli* degens, et septem milliariis circiter a Parochia distans, supplex efflagitavit separari ab Ecclesia parochiali SS. Apostolorum Petri et Pauli Siciliani Pedeviliani, et respective erectionem Ecclesiae S. Michaelis Archangeli in Parochialem imploravit, cum Oeconomus Coadiutor curam animarum negligeret, ac saepius Incolae absque extrema Sacramentorum expiatione decederint. Ad has preces Sacra Congregatio die 24 martii 1736 respondit: – Episcopus procedat et provideat ad formam Sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 4 de reformatione –. Quocirca Episcopus nedum Ordinaria auctoritate, sed etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatus, attenta obligatione a praefatis Incolis formiter emissa de manutenendo et providendo ipsorum impensis novam Parochiam, nec non de solvendo ducatos decem et octo quotannis novo Parocho, donec Ecclesia de sufficientibus annuis reditibus provideretur, dictam Ecclesiam S. Michaelis Archangeli in Parochialem institui liberam et absolutam et a praefata Matrice Ecclesia Pedeviliani eiusque Parocho independentem de Rectore provideri –. Adversus hoc Decretum Thomas Angotti Rector dictae parochialis Ecclesiae SS. Apostolorum Petri et Pauli statim ad S. Sedem interiecit appellationem, irritam contendens memoratam dismembrationem; primo, quia citatus ipse et auditus non fuerit; secundo, quia causae in supplici libello enarratae, atque in ipsomet dismembrationis Decreto admissae, nequaquam in facto subsistebant. Praeterea etiamsi verae forent, iustae tamen atque idoneae ad statuendam novae Parochiae erectionem nequirent aestimari, cum spirituali illius Populi necessitati eousque fuerit satis consultum per constitutionem Capellani seu Vicarii. Proposito interim dubio: – An dismembratio Ecclesiae parochialis SS. Petri et Pauli Siciliani Pedeviliani et erectio Ecclesiae S. Michaelis Archangeli in Parochialem sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio die 24 ianuarii 1739 responsum tulit: – Dilata, et scribatur Episcopo pro meliori informatione, iuxta instructionem –, quae in eo versata est, ut idem Episcopus Sacram Congregationem certiorem redderet, quaenam quantitas proventuum et emolumentorum Parocho dictae veteris Parochialis sit remansura, qui reditus contingent novo Parocho, et demum quam summam idem novus Parochus tenebitur tradere Oeconomo Curato in nova Ecclesia parochiali, iuxta eius Decretum retinendo, quatenus erectio istius novae Parochiae sustineatur. Compertum hinc fuit, 1. quod reditus omnes veteris Parochialis spatio quatuor annorum percepti ab Oeconomo, qui fuit, absente Parocho, deputatus longe a sumptibus et debitis absorberentur, ita ut Oeconomus creditor remaneret in ducatis 119; 2. quod annuus reditus novae Parochiae, si attenderetur notula ab Antonio Cardamone novo Parocho tradita, ad ducatos 44, onera vero et expensae, inter quas computabantur annui ducati 15, qui debebantur Oeconomo

seu Vicario eiusdem novae Parochiae persolvi, ad ducatos 44 ascendebant, adeoque duo tantum ducati novo supererant Parocho; si vero Testium depositioni deferretur, dictus annuus reditus ducatos 31 dumtaxat attingebat, sicque onera et sumptus annuum reditum in ducatis 13 excedebant.

32. His mature perpensis, proposito dubio: – I. An dismembratio Ecclesiae parochialis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Siciliani Pedeviliani et erectio Ecclesiae S. Michaelis Archangeli in Parochialem sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative et amplius – *in Marturanen. Dismembrationis die 9 Septembris 1741.*

33. Haud enim sustinetur dismembratio ac respective erectio novae Parochialis in actu etiam sacrae visitationis, absque solemnitatibus nullaque iusta interveniente causa per Episcopum expleta, cum et necessitatibus Incolarum locorum iamdudum ex constitutione Capellani provisum fuisset *in Adrien. Parochialis die 22 Ianuarii 1774.*

34. Siquidem inter Padum flumen, quod *Pò grande* vulgo dicebatur, seu *Pò di Lombardia,* et eius rivum seu ramum, qui Padus *Ariani* aut *di Gorro* appellabatur, sitae erant Villa S. Mariae *del Traghetto* et Terra Ariani, quarum una finitima erat loco, ubi Padus ramum efformabat, altera vero remotior et mari proximior. In ea parte Padi, quae vocabatur *di Ariano* seu *di Gorro* extabat Villa Seravallis, cuius habitatores profecturi sive ad Villam S. Mariae, sive ad Matricem Ecclesiam Ariani, transfretare debebant Padum *di Ariano.* Distantia utriusque Villae S. Mariae et Seravallis habitatores impulit, ut anno 1627 a tunc temporis Episcopo Adriensi peterent sibi assignari in subsidium Parochialis Oratorium S. Mariae *del Traghetto,* prout revera obtinuerunt cum onere, quod ab habitatoribus assumptum asserebatur, persolvendi quamdam primitiam pro sustentatione Capellani Curati, qui Sacramenta administraret. Modernus autem Episcopus Adriensis dum anno 1771 pastoralem ageret visitationem, ad preces Populi Villae S. Mariae dictum Oratorium in veram Parochialem erexit, servata tamen Matricitate Ecclesiae Ariani, ac reservatis praesenti Ecclesiae Matricis Archipresbitero, quousque viveret, omnibus emolumentis atque proventibus, quos ex dicta Ecclesia S. Mariae percipere consueverat. Huiusmodi novae Parochiae erectionem aegre tulerunt Archipresbiter Terrae Ariani nec non Comes Caietanus Gilioli et Populus Seravallis; adeoque contenderunt, nullam esse dismembrationem ac respective novae Parochialis erectionem, cum omnes solemnitates praetermissae fuissent, scilicet citatio Archipresbiteri, consensus eiusdem, citatio interesse habentium, consensus Capituli Ecclesiae Cathedralis, consensus Comitis Caietani Gilioli, cuius familia Comitatu Seravallensi cum mero et mixto imperio ac vassallagiis et homagiis donata fuit a Martino V et Eugenio IV. Insuper iustam deesse causam sustinuerunt: nam distantia non excedebat tria milliaria, ac iter erat satis commodum nullisque aquis interiectum; atque satis provisum erat necessitatibus Populi per Capellanum iam constitutum in Oratorio S. Mariae, quin ulla necessitas aut utilitas adfuisset uniendi novae Parochiae S. Mariae Populum Seravallis, cum etiam post unionem opus fuerit deputare Vicarium Curatum in Oratorio eiusdem loci, qui animarum curae praesto esset. Intollerabilem hinc dixerunt ac perdifficilem Populo Seravallensi factum fuisse accessum ad novam Parochiam, quia eidem Populo brevior erat et securior transitus fluminis Padi ad petendam Ariani Parochiam, quam novam S. Mariae. Contra Promotor Fiscalis ac novus Parochus S. Mariae *del Traghetto* defenderunt, in casu concurrere distantiam, cum locus Seravallis quinque milliariis distaret a Terra Ariani, itineris etiam difficultatem, cum necessaria esset transfretatio fluminis Padi, quae hiberno praesertim tempore difficilis reddebatur, propter aquarum intumescentium redundantiam. Animadverterunt praeterea, transfretationem Padi necessariam quidem esse Seravallensibus etiam, ut pergerent ad novam Parochiam S. Mariae; sed affirmarunt, longe minorem esse distantiam, cum Villa S. Mariae distaret a Villa et Oratorio Seravallis minus, quam duo milliaria. Asseruerunt demum, dictum Archipresbiterum consensum praestitisse, quando die 8 iunii 1771 novae Parochiae institutionem admisit et

omologavit per publicum instrumentum, ac rursus consensisse in actu formalis erectionis eodem mense et anno peractae in ipsa Terra Ariani.

35. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An dismembratio et respective erectio novae Parochiae sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Adrien. Parochialis die 22 Ianuarii 1774.*

36. Quapropter servanda non est dismembratio per Emum Ordinarium, nulla praemissa citatione Parochi et Capituli Cathedralis, expleta; sed eidem Parocho concedenda est reintegratio, cum Incolae distent quidem ab Ecclesia parochiali duobus lapidibus, sed via plana et commoda perhibetur *in Anconitana Dismembrationis et Reintegrationis die 30 Aprilis 1803 et die* 17 *Augusti 1805.*

37. Iamvero Emus Ranuzzi die 7 aprilis 1798 Paraeciam S. Ioannis Civitatis Anconae dismembravit, et Capellanum amovibilem, qui in regione *di Montagnolo* extra dictam Civitatem constitutus erat, ut omnibus illis Ruricolis spiritualia subsidia ministraret, Parochum perpetuum edixit, novamque Paraeciam in Ecclesia S. Mariae liberatricis Posatoris erexit, assignato huic novae Paraeciae suburbio et parte agri *di Montagnolo,* quin Parochum S. Ioannis presbiterum Cioccoli citasset. Hinc praemisso concursu, in nova Paraecia Posatoris constitutus fuit Sacerdos Marinelli, in illa vero *di Montagnolo,* perpetuus confirmatus fuit Parochus Bucciarelli, qui antea erat Capellanus Curatus. Utrique novo Parocho in causam congruae datae fuerunt decimae praediales. Ex hac vero dismembratione, licet Parocho S. Ioannis reliqua esset pars urbana, attamen carebat congrua. Nam sublatis decimis ex agro et venditis a potestate laica fundis, quos pro congrua possidebat, tenuissima restabant incerta, unde onera praestare non poterat. Licet exinde nonnullas domus et census habuerit, adhuc congrua se carere putans, deprecatus est a Sacra Congregatione reintegrationem ad primaeva iura parochialia, ex eo quod dismembratio aperte nulla esset. Nam illa expleta fuerat, quin praecessisset citatio ipsius Parochi et Capituli Cathedralis, et quin ullatenus existeret iusta causa dismembrationis. Quandoquidem remotioribus Incolis *di Montagnolo* consultum erat per Capellanum Curatum iam ab anno 1579 constitutum. Qui vero in suburbiis habitabant, non multum ab Ecclesia parochiali aberant, et via non erat aspera, sed plana; maxime cum per duo fere secula nulla fuisset Parochianorum querela, nec constaret, quod ullus Sacramentis destitutus occubuerit. Episcopus Administrator necessarium esse censuit, ut Parochus Cioccoli reintegraretur, modumque proposuit, quo id fieri potuisset: – Ita (dixit) sentirem, ut scilicet Ecclesia divi Ioannis ad sua iura reddatur, illisque, ut antea, gaudeat, cum novo tamen onere aliquid subministrandi Capellano Societatis S. Mariae Posatoris, quia a Populo et ab ipsa Societate vix de necessariis ad vitam providetur, ut opem ferat Parocho Montis Angeli quoad omnia, quae necessaria sunt ad spiritualem utilitatem partis rusticae Ecclesiae Posatoris –. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit servanda dismembratio, seu potius sit concedenda reintegratio Parocho S. Ioannis et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 aprilis 1803 responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, iuxta votum Episcopi administratoris –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius; et ad D. Secretarium, et ad mentem – *in Anconitana Dismembrationis et Reintegrationis die* 17 *Augusti 1805.*

38. Hinc Sacra Congregatio, attentis distantia duorum milliariorum et ultra, via satis ardua et hiberno tempore difficillima ac invia propter pluvias et nives, declaravit quidem esse locum erectioni unius Parochialis ruralis, praevia dismembratione trium Parochialium pariter ruralium a tribus Parochialibus in Civitate existentibus, quibus erant unitae, auditis tamen interesse habentibus et servata forma sacrorum Canonum; quandoquidem proposito dubio: – XII. An expediat dismembrare Ecclesias rurales a Parochialibus Civitatis, illisque simul unitis constituere novum Parochum, qui hominibus existentibus sub dictis Ecclesiis ruralibus Sacramenta administret, assignando eidem

congruam portionem ex fructibus dictarum Ecclesiarum ruralium detrahendam? –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Ad decimum secundum, Affirmative, auditis tamen Partibus et forma iuris servata – *in Urbinaten. Visitationis Sacrorum Liminum die 10 Martii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 454.*

Item *in Neritonen. Erectionis Parochialis die 21 Iulii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 550.*

39. Nec itaque sustinetur Episcopi Decretum, quo, nulla intercedente iusta causa iurisque solemnitate, Ecclesias filiales, quibus praeerant Capellani Curati, ab Ecclesia Matrici dismembravit, etiamsi illud in actu sacrae visitationis et tamquam Delegatus Apostolicus pertulerit *in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859.*

40. Siquidem cum usque ab anno 1737 increverit animarum numerus in Paraecia Cathedralis Asculanae subinde ad Basilicae dignitatem evectae, tum intra, tum extra moenia Urbis degentium, Episcopus tunc temporis Petrus Marana tres instituit in dicta Ecclesia Capellanos, ab ipso deputandos suoque nutu amovibiles, qui Vicarium perpetuum dictae Ecclesiae coadiuvarent in confessionibus excipiendis et Pueros in fidei rudimentis imbuendis, unicuique Capellano secta parte Populi extra Urbem adsignata peculiaribus finibus circumscripta, inter quos munera exercerent atque adiutorium Vicario perpetuo Cathedralis praestarent. Verum ineunte hoc seculo Populo ulterius increbescente, remedium haud efficax apparuit. Idcirco Card. Archetti obtinuit a Summo Pontifice, ut praefatae tres Capellaniae supprimerentur, ac earum vice tres Ecclesiae in suburbiis Civitatis Asculanae existentes in parochiales Ecclesiae erigerentur. Unde gratia accepta 14 kal. maii 1800, qua etiam pensio imposita fuit scutorum 130 super vacante Beneficio S. Antonii Patavini, tribus dictis Ecclesiis distribuenda, praefatus Card. Archetti die 24 aprilis 1805 praefatis Capellanis imposuit, - pro nunc et per modum provisionis – onus residendi in respectivis domibus parochialibus, ad effectum explanandi Evangelium diebus festis de praecepto, vigilias ac festa annuntiandi in Missa celebranda in praefatis Ecclesiis, ibique pueros puellas et alios instruere in rudimentis fidei, sacramentales confessiones audiendi, Sacramentum Eucharistiae retinendi, ut ad Infirmos deferri prompte posset quacumque hora et quocumque tempore, etiam benevolentibus administrari, excepta tamen prima die Paschatis Resurrectionis, reservata – sibi et Successoribus eius facultate variandi aliaque peragendi, prout in Domino magis expedire iudicabunt –. Volvente hinc anno 1858 modernus Episcopus, ad preces Capellanorum Curatorum SS. Philippi et Iacobi ac S. Bartholomaei nec non ad aliqua tollenda fastidia Incolarum, tamquam Delegatus Apostolicus, die 31 augusti facultatem eisdem tribuit, praevio consensu Vicarii perpetui Cathedralis, conferendi Pueris Baptisma, fideles matrimonio coniungendi, ac cadavera in suis Ecclesiis tumulandi, quae omnia ad unam Paraeciam Cathedralis eiusque Vicarium perpetuum privativo iure spectabant; ideoque legem addidit, ut quisque Capellanus Curatus praestaret scuta quindecim annuatim Vicario perpetuo Cathedralis loco emolumentorum, quibus deinceps privabatur, nec non duas libras cerae albae insigni Basilicae Cathedrali in recognitionem in dominum offerret. Qua de re Canonici ad Sacram Congregationem convolarunt, ut nullum declararetur Episcopi Decretum, quo iura ac praerogativae Ecclesiae et Capituli violabantur. Nam nec unius milliarii distantia, nec ulla itineris difficultas aderat, quin obesset, quod Parochiani abhorrerent a tumulandis eorum cadaveribus in horrido sepulchreto. Id enim falsum erat, cum caemeterium Asculanum loco maxime amoeno situm, muris undique circumdatum, floribus ac cypressis ornatum existeret, et in quo singulis diebus festis Sacrificium Missae litaretur. Nullum ex eo etiam renunciandum esse praefati Canonici dixerunt memoratum Episcopi Decretum, cum praeter legitimam causam deficeret etiam iuris solemnitas, scilicet confectio processus, nam brevi unius diei termino negotium omne absolutum fuerat, nec non citatio Capitularium et Archidiaconi, nam penes utrumque cura habitualis residebat. Insuper citra etiam ius super habitualitate curae, Capituli consensus exquirendus erat. Quin officeret, ad dismembrationem in actu

sacrae Visitationis et tamquam Delegatum Apostolicum Episcopum processisse; huiusmodi enim praerogativa ab adhibendis iuris solemnitatibus haud eximet.

41. His igitur perpensis, proposito dubio: – An Decretum dismembrationis sustineatur, seu potius sit locus reportationi eiusdem Decreti reintegrationi favore Matricis et restitutioni emolumentorum in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, exclusa restitutione emolumentorum bona fide perceptorum – *in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859.*

42. Quum autem Archiepiscopus in actu sacrae visitationis, ob locorum distantiam et viarum difficultatem Ecclesiam dismembraverit, ac respective novam Parochialem erexerit, sed absque solemnitatibus a iure requisitis, Sacra Congregatio declaravit, sententiam Archiepiscopi esse confirmandam, facto tamen verbo cum Sanctissimo, adeoque novum Parochum cum Capellanis constituere corpus distinctum separatumque a Clero Ecclesiae Matricis, ita ut erectio distinctae Crucis aliaque attributa corporis ecclesiastici eisdem competerent *in Sipontina Dismembrationis Paraeciae die 11 Iunii 1825.*

43. Iamvero unica in Oppido Vici extabat Paraecia, cuius animarum cura penes Archipresbiterum erat Collegiatae Ecclesiae S. Mariae in Caelum Assumptae; cumque ad eamdem Paraeciam in extrema Oppidi regione sitam Parochianis oppositam partem incolentibus longinquus ac difficilis, hyemali praesertim tempore, pateret aditus, Ecclesia vero universum Populum, qui ultra numerum sex millium iam creverat, dum sacrae functiones peragebantur, capere non posset, pia mulier Euphrosina de Fine congruam dotem pro alterius Paraeciae erectione obtulit. Neapolitanam ditionem exterae copiae tunc occupaverant; hinc ab eo, qui rerum tenebat summam, petiit Euphrosina, ut in Ecclesia S. Dominici, ante Regularium expulsionem Patribus Ordinis Praedicatorum concredita, Paraeciam sub titulo Sanctorum Petri et Pauli erigi sineret, utque ad illam transferrentur sex Capellaniae a Petro de Fine in Ecclesia S. Petri extra moenia fundatae, illisque duae aliae adderentur Capellaniae, imposito Capellanis onere suppetias ferendi novo Parocho in cura animarum gerenda, ac in utraque Ecclesia Sacra faciendi. Annuit laica potestas die 24 ianuarii 1813 pro erectione Ecclesiae Coadiutricis; sed Archipresbiter Collegiatae S. Mariae delegatus a Vicario Capitulari die 7 decembris Canonicum Caietanum Masella ab ipsa Fundatrice nominatum in novae Paraeciae possessionem immittens verbis usus est, quae erectionem Paraeciae independentis praeferebant, peculiarem ac distinctum ei assignavit pascendum Populum. Iurgia hinc et lites exarserunt inter Capitulum Collegiatae et Parochum Coadiutorem super iurisdictione et praeeminentiis, quibus finem imponere cupiens Vicarius Capitularis anno 1816 Ecclesiam S. Dominici Coadiutricem et a Collegiata dependentem declaravit, ac quasdam praescripsit regulas in exercitio curae animarum a Parocho Coadiutore servandas. Modernus autem Archiepiscopus novae Paraeciae necessitatem iuridice agnoscens, ob difficultatem accedendi ad Matricem, die 5 septembris 1818 praedictam Ecclesiam, reditibus auctam, in Coadiutoriam iurisdictionem parochialem segregatam habentem erexit instituit et confirmavit. Conquerentibus vero Canonicis Collegiatae, in actu sacrae visitationis die 18 septembris 1818 sententiam subscripsit Archiepiscopus, qua statuit: 1. ut Ecclesia S. Dominici maneret sub titulo Coadiutricis, et Coadiutor eligendus foret per concursum; 2. ut Ecclesia Collegiata Oppidi Vici Matrix remaneret; 3. ut praefata Ecclesia coadiutrix auxilium Parocho praestans separatam haberet spiritualem iurisdictionem – dal Borgo del Purgatorio fino al Carmine, esclusa la contrada di S. Marco, che gli era stata assegnata –. Modum item praefinivit in exercitio spiritualis iurisdictionis custodiendum. Obstitit huic sententiae Capitulum: namque contendit, erectionem Ecclesiae S. Dominici in coadiutricem servandam esse, non vero liberam ac independentem, ex eo quod necessitas aberat, et Archiepiscopus actum dismembrationis perfecit, quin Parochum Populum aliosque interesse habentes audiverit. Nec sane distantia, nec viarum difficultas concurrebat,

cum Parochiani omnes in eodem Oppido commorarentur; atque ex testimonio Peritorum et novem supra triginta civium constaret, Populum oppositam Oppidi regionem incolentem quarta circiter milliarii parte a Matrici Ecclesia distare. Et si qua esset viarum distantia aut difficultas, Populi commodo consuli poterat per Ecclesiam S. Dominici in coadiutricem et a Matrice dependentem. Negavit insuper, Coadiutorem et Capellanos praefatae Ecclesiae distinctum separatumque corpus a Clero Collegiatae constituere. Coadiutoris Masella defensor vero sustinuit, validam esse erectionem: nam in promptu erat testimonium quinque supra triginta Oppidanorum affirmantium, plures extremam Terrae partem inhabitantes e vita sine Sacramentis migrasse, ob viarum distantiam et asperitatem, hyemali praesertim tempore, propter pluvias ac nives. Si quid autem contra sacros Canones peccatum videretur in novae Paraeciae erectione, Sanctissimo foret consulendum, ut ex plenitudine suae potestatis omnia ab Archiepiscopo gesta confirmaret; quoniam propter distantiam et difficultatem adeundi Ecclesiam Matricem, ac propter Populi auctum numerum, per Vicarium Curatum Oppidanorum commodo satisfieri nequibat. Contendit quoque, Coadiutorem cum octo Capellanis distinctum separatumque a Clero Ecclesiae Matricis constituere corpus, ita ut erectio distinctae Crucis in processionibus et in cadaveribus associandis, aliaque eisdem competerent ecclesiastici corporis attributa.

44. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit servanda erectio Ecclesiae S. Dominici in Coadiutricem, seu potius sit declaranda libera parochialis, et pro huiusmodi effectu, an et quomodo sententia Archiepiscopi sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc. II. An Coadiutor et Capellani Congregationis laicalis SS. Apostolorum Petri et Pauli, translati ad Ecclesiam Coadiutricem S. Dominici, cum duobus Capellanis adiunctis, distinctum separatumque corpus constituant a Clero Ecclesiae Matricis illius Oppidi, ita ut erectio distinctae Crucis aliaque attributa corporis ecclesiastici eisdem competant in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et sententiam Archiepiscopi esse confirmandam, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, Affirmative – *in Sipontina Dismembrationis Paraeciae die 11 Iunii 1825.*

45. Qua de re quum Episcopus Ecclesiam Paraeciae unitam dismembraverit ac in novam Parochialem erexerit, quin Parochum seu Praepositum citasset vel audivisset, Sacra Congregatio, attentis peculiaribus circumstantiis, censuit, consulendum esse Sanctissimo pro sanatione dismembrationis et erectione novae Paraeciae et confirmatione electionis novi Parochi cum omnibus inde sequutis ad quoscumque iuris effectus, dummodo tamen conficeretur reditus novae Paraeciae absque detrimento bonorum Praepositurae, et praefinito annuo tributo trium librarum cerae albae elaboratae Praeposito in festo S. Titularis offerendo in signum Matricitatis, per Bullis; quumque subinde Summus Pontifex obierit, praefatis conditionibus haud impletis, Sacra Congregatio exequutionem demandavit, facto tamen verbo cum Sanctissimo, per Breve *in Mutinen. Dismembrationis Paraeciae die 17 Decembris 1842 die 24 Augusti et die 14 Decembris 1850.*

46. Siquidem Ecclesia S. Geminiani Castellini de Brocco duobus ab illinc seculis subsidialis apparebat Ecclesiae praeposituralis S. Laurentii de Serpiano. Quamvis enim sua semper fuerint Ecclesiae S. Geminiani bona et proprius Sacerdos, hic tamen pro Incolis Castellini vices gerebat Parochi Praepositi S. Laurentii, et pro ipsis tamquam Parochi Vicarius habebatur. Hector Molza Episcopus Mutinensis anno 1663 quoad subiectionem huius Ecclesiae ab altera de Serpiano decrevit plura, quae ab eius Successoribus fuerunt confirmata. Cum vero anno 1831 Ecclesiae S. Geminiani suus deesset Sacerdos, Adeodatus Caleffi Episcopus Mutinensis die 4 augusti 1831 solemniter decrevit omnimodam unionem Ecclesiae S. Geminiani cum Ecclesia S. Laurentii de Serpiano, revocavit omnia et singula privilegia a suis Praedecessoribus concessa Ecclesiae S. Geminiani; voluit, ut Praepositus Ecclesiae S. Laurentii solus esset Parochus omnium Incolarum tum Serpiani, tum Castellini, ac proinde omnia bona et proventus Ecclesiae

S. Geminiani applicavit et incorporavit cum ceteris bonis Ecclesiae praeposituralis S. Laurentii de Serpiano ea lege, ut Parochus Praepositus huius Ecclesiae omnibus festis de praecepto celebrare faceret suis sumptibus unam Missam in Ecclesia S. Geminiani. Unionem istam praefatus Episcopus decrevit, ut plures abusus compesceret Incolarum Castellini de Brocco, ut prospectum esset decori supplicationum et omnium sacrorum, quae in Ecclesia matrici S. Laurentii celebrabantur, et quia tam exiguus erat numerus eorum, qui Serpiani et Castellini incolebant, ac tanta inter locum utrumque proximitas, ut commodissime possent ab uno Sacerdote gubernari, cum rivus *del Predero* iter haud impediret. Res ita processerunt usque ad annum 1838, quo modernus Episcopus Ecclesiam S. Geminiani in absolutam Paraeciam, ita exigentibus, ut ipse aiebat, rerum adiunctis, erexit, Parocho constituto a Praeposito prorsus independenti. Praepositus vero postulavit ab Sacra Congregatione, nullam declarari novae Paraeciae erectionem: sed Episcopus non attenta precum pendentia, concursum indixit, atque novam Paraeciam contulit. Episcopus pro informatione requisitus retulit, ex Praepositi negligentia Incolas loci in pessimum vitae ductum ruisse, nec etiam ad implendum praeceptum paschale ad parochialem Ecclesiam accedere velle, ex eo etiam quod distantiam unius ac etiam bini milliarii plerique percurrere deberent, et via esset augusta difficilis nec non quinque interrupta euripiis, omnibus fere difficilibus transitu, quorum praesertim alter, vulgo *fosso del Predero,* aditum tempore etiam parvae pluviae ac praesertim nivis omnino praecludebat, ut ex testimonio Periti Geometrae constabat. E contra vero Praepositus Zanotti nullam esse praefatam dismembrationem contendit, cum ipse nec citatus nec auditus fuerit, neque aliquis competens honor favore Matricis Ecclesiae praeservatus. Conquestus est etiam Praepositus de bonis, quibus se violenter expoliatum dicebat, ut ex eis nova Paraecia locupletaretur cum iactura congruae Praeposituralis, quin etiam necessitas pro perficienda Paraeciae divisione ullatenus existeret. Nec enim ea desumi poterat a difficultate itineris, quod nec tam asperum, nec tantum plenum periculis exhibebatur, quantum conficere conatus est Geometra Peritus, cum Episcopus Caleffi ipsius assertionem exploderet, dum unionem is iustis de causis, et prorsus exulantibus, quas Geometra Peritus referebat, perfecit. Negavit etiam, adductis Testibus, scandala dissensiones et mala, quae ex adverso exaggerabantur, ad Episcopale Decretum protuendum. Hinc etiam collatio Paraeciae irritanda esse videbatur.

47. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - An et quomodo Episcopale Decretum super novae Paraeciae erectione sit confirmandum, vel infirmandum in casu? II. An et quomodo sit confirmanda, vel infirmanda novae Paraeciae collatio in casu? –, Sacra Congregatio die 17 decembris 1842 respondit: – Ad primum et secundum, attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum Sanctissimo pro sanatione dismembrationis et erectionis novae Paraeciae, tum etiam pro confirmatione electionis novi Parochi cum omnibus inde sequutis, ad quoscumque iuris effectus, dummodo tamen conficiatur reditus novae Paraeciae absque detrimento bonorum Praepositurae, et praefinito annuo tributo trium librarum cerae albae elaboratae Praeposito in festo Sancti Titularis offerendo in signum Matricitatis, per Bullas –. Huiusmodi resolutio approbata ac plene confirmata fuit a s. m. Gregorio XVI in audientia diei 19 eiusdem mensis et anni. Quum autem Bullae non expedirentur et exequutioni committeretur indulta dismembratio, ut annuum tributum cerae persolveretur, et bonis, quae ob causam dismembrationis fuerant per Episcopum avulsa a Praepositura, omnino redintegraretur, Praepositus rursus ob id Sacram Congregationem adiit. Episcopus retulit, bona a Praepositura avulsa iam fuisse redintegrata ante praefatam resolutionem Sacrae Congregationis, accedente etiam sententia Iudicis delegati, qui singula utriusque Ecclesiae bona rite secrevit. Quoad autem annuum tributum cerae dixit, quod Parochum ad id solvendum cogeret. Requevera quaestio siluit usque ad annum 1848, quo e vivis elato Episcopo Reggiani, Vicarius Capitularis, qui mox Episcopus ipsius Mutinensis Ecclesiae renunciatus fuit, commisit Vicario Foraneo loci *Pievepelago*, ut coram se collectis tum Parocho,

tum Patribusfamilias Paraeciae S. Geminiani, iisdem significaret, procedendum omnino esse ad plenam Decreti Sacrae Congregationis exequutionem, proinde agendum esse de congrua novo Parocho stabilienda, absque detrimento bonorum Praepositurae, de taxatione annui tributi cerae albae, de Apostolicarum demum Literarum Apostolicarum expeditione, assumpta super omnibus obligatione in forma iuris valida, alias locus non esset sanationi dismembrationis et erectioni novae Paraeciae. Episcopi tamen propositum distulit Parochus S. Geminiani, pluribus de causis et controversiis, quae inter Partes exoriebantur. Interim vero advertebatur, quod licet in themate dismembratio expleta videretur ab Episcopo Reggiani, attamen nonnisi per sanationem a S. Sede decretam die 17 decembris 1842 vires suas ipsam exerere potuisse palam erat. At vero, ut ad tramites eiusdem resolutionis sanationi fieret locus, opus omnino fuisset conditionibus ibidem adiectis parere. Hinc quum, vivente Pontifice, conditiones minime executioni fuerint mandatae, haud levis enascebatur dubium, utrum dicta dismembratio sub censura Regulae XIII Cancellariae venire potuerit, ita ut ad pristinum statum omnia redigendi opus esset. Propositis autem dubiis: – I. An sit danda exequutio Rescripto Sacrae Congregationis diei 17 decembris 1842 in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quae cessio ac respectiva assignatio bonorum sit approbanda, ita ut et quae conditiones sint admittendae in casu? –, Sacra Congregatio die 24 augusti 1850 respondit: - Ad primum, Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum dilata; et scribatur Episcopo, qui magis praecise referat de bonis, quibus fruebatur tam Praepositura, quam Ecclesia Castellini –. Episcopus remisit folium accurate exaratum a Vicario Foraneo Archipresbitero loci *Pievepelago,* quo describebantur bona, queis respective fruebantur tam Praepositura Serpiani, quam Ecclesia Castellini de Brocco ante enunciatam unionem. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: - Affirmative iuxta votum Episcopi, per Breve, facto verbo cum Sanctissimo – *in Mutinen. Dismembrationis die 14 Decembris 1850.*

48. Siquidem per Regulam XIII Cancellariae Apostolicae Pontifex revocare annullare ac cassare intendit – omnes uniones adnexiones et dismembrationes etiam perpetuas de quibusve Cathedralibus nec non aliis Ecclesiis et Beneficiis ecclesiasticis –, quae, vivente Summo Pontifice, qui eas explevit, vel ante renovationem dictae Regulae, effectum suum sortitae non fuerint. Quae Regula complectitur etiam dismembrationem partis fructuum ad dictas Ecclesias pertinentium, quod a Clemente VIII primum apponi solitum fuit, ut notat Rigantius ad eamdem Regulam; ea propter ne dictae Regulae dismembrationes subiaceant, cavendum omnino est, ut, postquam probatae fuerunt, expleantur, vivente Pontifice, ceu unanimiter eamdem Regulam commentantes tradunt Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 29 n. 28, Turricell. de union. cap. 15 n. 10, Rigant. ad dictam Regul. n. 24, Reclus. de re Paroch. part. 1 tit. 12 n. 208, Rot. in Recent. decis. 275 n.3 part.5, decis. 446 n. 21 part. 4 tom. 3 *in Mutinen. Dismembrationis die 24 Augusti 1850* §. *Antequam.*

49. Ad hoc autem, ut parochialis Ecclesiae dismembratio dicatur effectum suum sortita, sentiunt Doctores id requiri, ut a novo Parocho capta sit Ecclesiae eiusve bonorum ac iurium pacifica possessio, quos inter habetur Barbosa de iur. eccles. univ. lib. 3 cap. 16 n. 61, Garz. de Benef. part. 12 cap. 2 n. 281, Mandos. super Reg. Cancell. quaest. 5 n. 3, Rot. in Recent. decis. 90 n. 8 part. 4 tom. 2, quibus consonant, quae habentur in decis. 2005 n. 12 coram Lancetta. Ineffectuata contra dicitur dismembratio, quotiescumque conditiones a Superiore in actu dismembrationis adiectae minime fuerint executioni commissae, uti docet Rota in decis. 204 n. 3, et decis. 274 n. 3 coram Ratto. Hinc ineffectuata remanet ob non adimpletam conditionem, exempli gratia, assignationis congruae, quae a sacris Canonibus omnino praescribitur pro novae Paraeciae erectione, Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedif. n. 52, Azor Instit. moral. part. 2 n.9 cap.3. quaest. 1, Barbos. de off. et potest. Episcop. part. 3 alleg. 64 n. 3, Reclus. loc. cit. n. 211, Rot. decis. 2 n. 16 coram Herrera *in Mutinen. Dismembrationis die 24 Augusti 1850* §. *Ad.*

50. Huiusmodi tamen reservatio cessat,

cum unio vel dismembratio fuerit in parte effectuata, sicut decisum reperitur a S. Rota in Recent. decis. 394 n. 12 part. 4 tom. 2, decis. 361 n. 4 part. 10 *in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859* §. *Quod si.*

51. Itaque quum de validitate et iustitiae dismembrationis et novae parochialis erectionis ab Ordinario iamdiu factae satis constet, facile conceditur Beneplacitum Apostolicum, ut firmior evadat *in Ferrarien. Beneplaciti Apostolici die 14 Maii 1746.*

52. Enimvero anno 1735 Emus Thomas Ruffus a tribus Parochiis Villarum Ficaroli Stientiae et Ravalli, praestito ab earum Rectoribus consensu, dismembravit et alteram erexit Parochialem Ecclesiam in Villa Tomasellae, quae deinde ob Populi commoditatem translata fuit in Villam Gaibae, cuius Parochus titulo Archipresbiteri nuper auctus honestatusque fuit. Hic tamen Archipresbiter Ioannes Sartius et universus Populus Tomasellae atque Gaibae subinde postularunt, Apostolica Auctoritate confirmari praefatam dismembrationem atque novae Parochialis erectionem, metuentes, ne Archipresbiter Ecclesiae Matris S. Antonini Villae Ficaroli, cui plurimum illatum fuerat detrimentum ob maiorem Populi numerum a Parochia illa separatum, et ob onus eidem iniunctum solvendi novo Parocho annua scuta 40, iudicium inciperet, ut separatio irrita fieret, cum ei displicuisse putarent novam Parochialem in Archipresbiteralem evectam, et Archipresbiterum liberatum ab onere accedendi ad Ecclesiam Matrem S. Antonini die sabbato maioris hebdomadae, quod onus a ceteris Parochis ferebatur. Archiepiscopus pro informatione requisitus monstravit et validitatem et iustitiam actae separationis. Censuit tamen, unicam difficultatem oriri, ex eo quod in huiusmodi dismembratione non fuerit Parocho Matricis Ecclesiae reservatum ius nominandi et praesentandi novae Parochialis Rectores, iuxta dispositionem Alexandri III in Cap. *Ad audientiam* de ecclesiis aedificandis. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus concessioni Beneplaciti Apostolici in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et amplius – *in Ferrarien. Beneplaciti Apostolici die 14 Maii 1746.*

53. Hinc substinetur dismembratio et erectio novae Parochiae, ex eo facta, quod Populus ascenderet ad mille et biscentum Incolas, et via, quae ad Parochiam ducebat, ab flumine intercideretur, etiamsi novus Parochus, post lapsum tamen quadraginta circiter annorum contendat, servatas in ea non fuisse solemnitates de iure requisitas, et causas ad dismembrationem obtinendam adductas haud in facto subsistere *in Mileten. Dismembrationis die 19 Ianuarii 1735.*

54. Siquidem ante annum 1690 Bernardinus de Urso Archipresbiter Ecclesiae S. Mariae de Latinis in Oppido Aquarii Arenarum impridem erectae alteram administrabat parochialem Ecclesiam S. Nicolai loci Simiatorii praedictae suae Ecclesiae, uti supponebatur, unitam, sibi adiuncto subsidiario Presbitero, qui Populo sub dicta Paraecia degenti Sacramenta administraret. Defuncto anno 1690 memorato Archipresbitero, homines loci Simiatorii sub fundamento, quod Populus Oppidi Aquarii Arenarum et loci Simiatorii ascenderet ad mille et bis centum Incolas, proindeque non posset ab uno eodemque Parocho recte gubernari, quodque ob flumen, hiberno praesertim tempore, viam intersecans non posset aditus ab Ecclesia S. Nicolai ad alteram S. Mariae de Latinis haberi, dismembrationem postularunt atque ab Episcopo obtinuerunt. Post lapsum quadraginta circiter annorum Marius de Antona Archipresbiter Ecclesiae S. Mariae de Latinis assertam dismembrationem impugnavit contendens, servatas non fuisse solemnitates de iure praescriptas, tum quia in ea non intercesserat consensus Capituli Cathedralis, tum etiam quia Ecclesiae S. Mariae utpote suo Pastore viduatae defensor non fuerat deputatus: addiditque, causas pro ea obtinenda adductas falsas fuisse, praesertim vero, quod ab asserto flumine via, qua a loco Simiotarii ad Oppidum Aquarii pergebatur, intercideretur; minusque dixit veritati niti, quod annua summa tunc primum assignata novo Parocho Simiotarii in ducatis sexaginta, et postmodum in concordia anno 1726 inter ipsos Parochos inita ad annuos ducatos 40 redacta solvi posset a Rectore Aquarii, salva eius congrua. Propositis vero dubiis: – I. An dismembratio Ecclesiae S. Nicolai Oppidi Simiatorii ab Ecclesia parochiali S. Mariae

de Latinis Oppidi Aquarii sustineatur in casu etc. II. An sit servanda concordia anni 1726? *Et quatenus negative quoad utrumque.* III. An locus sit novae dismembrationi, sive potius deputationi Vicarii perpetui in dicta Ecclesia Simiatorii et cum qua congrua? IV. An sit locus restitutioni annuarum praestationum persolutarum et a quo tempore in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative. Ad tertium et quartum, provisum in superioribus; et amplius – *in Mileten. Dismembrationis die 19 Ianuarii 1735.*

55. At necessitas dismembrationis Parochiae ex legali tantum processu erui debet, Farg. de iurepatronat. part. 1 can. 4 n. 4, Pignatell. consult. 230 n. 18 tom. 4, Rot. in Recent. decis. 224 n. 7 part. 10 *in Adrien. Parochialis die 18 Decembris 1773* §. *Advertit.*

Item *in Fesulana Dismembra ionis et Erectionis Paraeciae die 30 Aprilis 1836* §. *Fatendum; in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859* §. *Pastorale.*

56. Assertioni enim Episcopi hac in re valde odiosa fidem haud esse praebendam docet Reclusius in tit. 13 de re paroch. *in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859* §. *Aliud.*

57. Formalem tamen ob id processum non requiri tradunt Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 28 n. 34, aliique *in Spiren. Reaedificationis Ecclesiae die 31 Martii 1770* §. *Nec.*

58. Quum Episcopus vero non minus ob distantiam, quam ob itineris difficultatem, haud praemonitis iis, quibus unita asserebatur Ecclesia parochialis, Capellanum constituerit, ut Incolis loci Sacramenta ministraret, Sacra Congregatio antequam iudicium supra dismembratione emitteret, mandavit, ut conficeretur processus iudicialis, non retardata deputatione alterius Capellani pro servitio curae ad formam Decreti Ordinarii iuxta modum *in Mediolanen. Dismembrationis die 17 Decembris 1712 lib. 62 Decretorum.*

59. Enimvero – condoluerunt tum pridem in Curia Archiepiscopali Mediolanensi homines Gnignani, quod non minus ob distantiam, quam ob itineris difficultatem, praesertim hiberno tempore, nequeunt parochialem Ecclesiam S. Mariae Terrae Carpiani adire, adeo ut quamplures infeliciter deperierint Sacramentis non munitis; hinc sane, ut animarum gravi dispendio consuleretur, aliam rationem non suppetere praetexerunt, quam novam Parochiam erigere in quodam publico Oratorio S. Iacobi iam in eorum finibus erecto; sese ceteroquin promptos paratosque offerentes stipendium librarum 300 annuatim proprio Rectori suppeditare, et quidquid opus foret pro Ecclesiae sartis tectis conservandis. Cardinalis idcirco Archintus cl.me. tunc Archiepiscopus Mediolanensis, post semel iterumque exquisitam praemissorum extraiudicialem verificationem, prolato Decreto sub die 13 decembris 1770, facultatem fecit Sacerdoti Carolo Antonio, ut Incolis dicti loci Gnignani Sacramenta Poenitentiae Eucharistiae ac extremae unctionis ministraret, Missas etiam cum cantu celebraret, sacrasque conciones haberet, ipsi tamen districte prohibuit solemniter baptizare, Matrimoniis assistere, ac funera defunctorum ducere. Ubi vero tenorem huiusce Decreti resciverunt Prior et Monachi ven. Cartusiae Papiensis, cui unita asseritur praememorata Ecclesia parochialis, confestim ab his praetensis gravaminibus, sibi ipsis non praemonitis illatis, appellationem interposuerunt ad S. Sedem: at subinde supplices adierunt hanc Sacram Congregationem tam praelibati homines loci Gnignani pro reportanda omnimoda eius dismembratione a praememorata parochiali Ecclesia, quam iidem Prior et Monachi impugnantes supra expressum provisionale Decretum, datisque consuetis literis pro informatione primum praedefuncto Cardinali Archiepiscopo, subindeque Vicario Capitulari, quatenus tempus etiam statueret Partibus ad eorum iura subiicienda huic Sacro Consessui, nuper exhibita fuit eiusdem Vicarii relatio in Summario recensenda, in qua praeceteris significat, iam sub die 27 praelapsi augusti terminum unius mensis Partibus condixisse. Impraesentiarum igitur saepedicti Prior et Monachi quam demisse improbari expetunt, tum praetensam dismembrationem, quae nisi ex urgentissimis et concludenter probatis causis expleri nequit, tum iam dictum Decretum Curiae Archiepiscopalis, in-

ter cetera enarrantes, quod in eodem loco Gnignani Oratorium S. Iacobi construi curarunt, ibique iugiter praesentem retinerent Capellanum, qui nedum diebus festis Missam celebrat, ac christianis rudimentis Pueros imbuit, verum etiam in casu improviso et instantis necessitatis praesto esse potest spiritualia adiumenta collaturus.

60. Hinc monitis hominibus saepedicti loci Gnignani, nec adhuc comparentibus, proponi contingit bina dubia concordata, ut pateat sapiens resolutio: – I. An sit locus dismembrationi in casu etc. II. An sit locus confirmationi ordinationis factae a Curia Archiepiscopali pro deputatione Capellani et quomodo in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et conficiatur processus iudicialis iuxta instructionem, non retardata deputatione alterius Capellani pro servitio curae ad formam Decreti Ordinarii iuxta modum – *in Mediolanen. Dismembrationis die 17 Decembris 1712 lib. 62 Decretorum.*

61. Idcirco quum Episcopus, inscio Paroco, ob distantiam duorum fere milliariorum ac itineris difficultatem accedendi ad propriam Parochialem, indulserit Incolis loci facultatem deputandi Capellanum amovibilem et ab ipso approbandum, iidemque mox ipsam petierint dismembrationem, Sacra Congregatio mandavit, ut Episcopus conficeret processum, auditis interesse habentibus, non retardata interim deputatione Capellani sumptibus petentium, sine praeiudicio iurium Partium, et deinde cuius de iure; ac his mandatis expletis, locum esse dismembrationi declaravit, quin ob aliquot actus interim exercitos de attentatis constaret, atque subinde transactionem inter Partes initam probavit *in Lunen. Sarzanen. Erectionis Parochialis die 28 Februarii die 28 Martii die 16 Maii die 23 Iunii 1711 die 30 Aprilis et die 16 Iulii 1712 die 4 Februarii 1713 die 14 et die 28 Novembris 1716 lib. 61 62 63 et 64 Decretorum.*

62. Siquidem – conquerentibus nuper apud Episcopum Marchione Ferdinando Malaspina nec non Communitate et Populo Castri Pontis Bosii, quod non minus ob distantiam duorum fere milliariorum, quam ob itineris difficultatem accedendi ad propriam Parochialem Oppidi Licianae, praesertim hiberno tempore, quo torrens interfluens exundat, et in nocturnis casibus, quibus portae Licianae obseratae reperiuntur, adeo ut Parochus Licianae vetetur adire dictum Castrum Pontis, Sacramenta ceteraque spiritualia adiumenta collaturus eorum animabus, Episcopus idcirco prolato Decreto sub die 11 iulii 1710 facultatem fecit Oratoribus deputandi Capellanum amovibilem ab ipso Ordinario approbandum, qui Sacramenta administraret habitatoribus dicti loci Pontis, atque asservandi sacram pixidem in eodem Oratorio, et funera peragendi, ac quaedam emolumenta percipiendi, assignata eidem per eosdem Incolas certa congrua pro eius sustentatione et Oratorii manutentione, reservatis tamen Parocho Licianae iuribus suis et emolumentis parochialibus, ac insuper iniuncto onere Capellano praedicto certis anni temporibus adeundi Ecclesiam parochialem Licianae, adstiturus eius ecclesiasticis functionibus, uti fusius ex dicto Decreto dando in Summario. Ubi vero Parochus Licianae et quaedam Confraternitates erectae in ea Parochiali resciverunt tenorem memorati Decreti, utpote ipsis insciis prolati, recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, a qua de more requisitus Episcopus informare quam latius praemissa confirmando retulit, sese novam accepisse instantiam primodictorum Marchionis et Populi loci Pontis, qui recedentes a dispositione praenotati Decreti praetendunt, ex causis supra libratis fore deveniendum ad omnimodam dismembrationem dicti loci Pontis a Parochia Licianae, et erigendum Oratorium praedictum in Parochiam cum proprio Rectore, eidem assignato quodam parvo agello ac modica quota decimarum spectantium ad Parochum Licianae, qui potitur annuis reditibus scutorum 200 monetae Romanae; ceteroquin sese promptos exhibentes ipsi Marchio et Populus suppeditandi in reliquis quidquid opus erit pro sustentatione Ecclesiae noviter constructae et in Parochialem erigendae. Confirmat porro informans indigitatam distantiam et difficultatem accessus a Parochiali Licianae ad locum Pontis, ac propterea exundatione medii amnis plerumque evenisse, ut nonnulli infeliciter deperierint Sacramentis non communiti, et cadavera pluribus diebus insepulta

iacuerint, quin et flumen ipsum aliquos absorbuerit, eius transitus superare tentantes. Nihil obstante, subdit informans, oppositione Rectoris Licianae, impugnantis itineris longitudinem, ac praetendentis eius difficultatem evitari posse per quamdam parvam ianuam, qua parvis confectis passibus, licet Parocho Licianae se conferre ad locum Pontis, cum e contra aliorum praenarratorum veritatem Oratores comprobaverint validioribus documentis, quapropter ipsorum Oratorum instantiae annuendum existimavit –. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus dismembrationi ab Ecclesia parochiali S. Iacobi Licianae ac erectioni novae Parochialis in Castro Pontis Bosii, seu potius deputationi Coadiutoris Parochi in dicto Castro Pontis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 28 februarii 1711 respondit: – Dilata, et Episcopus conficiat processum, auditis interesse habentibus, non retardata interim deputatione Capellani sumptibus petentis, sine praeiudicio iurium Partium, et deinde cuius de iure –.

63. Quibus sane, ut par est, obsequendo mandatis, post receptas remissoriales literas idem Episcopus tredecim Testium examen sub interrogatoriis recepit; quin etiam, ut EE. VV. facti veritatem ad oculum perspectam habeant, binos eligi Peritos curavit, qui, perlustrato dimensoque controverso locorum intervallo, iureiurando peritiam exhibuerunt, atque eorum alter ichnographicum typum delineavit, quae sane aliaque documenta in Summario exarantur, cum nupera relatione Episcopi. Interea vero quo huiusmodi probationes parabantur, Incolae iam dicti Castri Pontis sibi ipsis persuadentes, quod Capellanus pro spirituali eorum subsidio deputatus munia quaelibet parochialia in Oratorio praememorati Castri Pontis obire potuisset, Sacrum Baptismatis lavacrum atque sepulchra ibi construi curarunt, aliaque composuissent, quae in Parochia optime ordinata exiguntur, nisi Iacobus Mariottus Parochus Oppidi Licianae in Congregatione diei 28 subsequentis martii modum ponere ita obtinuisset: « Pro facultate Capellani administrandi Sacramenta Poenitentiae Eucharistiae et extremae Unctionis ac celebrandi Missas, exceptis solemnioribus, nempe diebus Paschatis Resurrectionis Pentecostes et Nativitatis Domini »: atqui Marchione et hominibus saepedicti Castri Pontis adversus recensitum Decretum reclamantibus, sub die 16 maii Sacrae eidem Congregationi visum fuit in decretis persistere. Subinde vero iterum conquerens praelibatus Parochus cum supplex exposuisset, quod recurrentibus Paschatis et Pentecostes praelapsi anni festivis diebus, iam dictus Capellanus imperia Sacrae Congregationis detractans Missae Sacrificium offerre ausus fuit in praememorato Oratorio, omnesque Castri Incolae Paschale praeceptum illic perfecerunt; atque Marchione Malaspina cum hominibus saepedicti Castri praetexentibus, Sacrum in die potissimum resurgentis Domini peractum fuisse ante denunciationem secundodicti Decreti, iam sub die 23 iunii subsequentis mensis EE. PP. respondere placuit: « In decretis, et conficiatur processus intra tres menses, quo termino elapso, Capella remaneat interdicta, reservatis attentatis in fine litis ». Verumtamen perseveravit saepedictus Parochus pro attentatorum purgatione exaggerando, ex supremi huius Senatus indulgentia homines Castri Pontis audentiorem animum in dies concipere, quo triduo post paschalem solemnitatem fluentis anni propriae Parochiae desertores sacrum Pascha celebrarunt in Ecclesia Plebana S. Mariae Plebis montium Simonis; neque tamen sibi ipsis defuerunt iidem Incolae asserentes ob temporis angustiam, qua prohibebantur ad Sacrae Congregationis praesidium confugere, ad id facultatem summo iure ab Episcopo obtinuisse, siquidem ob nonnulla iurgia et contentiones, quae inter homines utriusque Oppidi ex litigii causa etiam nunc exardescunt, maiora exoriri poterant scandala, nisi provide ab Episcopo fuisset consultum, ne invicem eodem loco convenirent. Quapropter iterum in Congregatione sub die 30 aprilis iampridem effluxi placuit EE. VV. rescribere: « Proponatur Causa omnino in secunda una cum dubio super attentatis, et quatenus non informent homines Castri Pontis, subiiciatur eorum Capella Interdicto ». Itaque post reportatas ab hominibus Castri Pontis iteratas prorogationes eodem dubio super attentatis tandem concordato, saepedictus Parochus Oppidi Licianae in praesentiarum diem illu-

xisse autumat, quo omnia ab ipsis innovata sedulo animadverti debent. Verum quidem mox dictis hominibus asseverantibus, supremi huiusce Senatus oraculis humillimum semper morem gessisse nulliusque attentati incursus sese insimulari posse, quin etiam huiusmodi contemptus reum esse Parochum Licianae, quem Militum manu stipatum cum aliis Terrigenis impetum fecisse asserunt in Peritum, dum perlustrabat controversa loca, eique peritiam seu plantam, quam prae manibus gerebat, divulsisse dilaniasseque, atque alia perpetrasse in assertum contemptum Sacrae Congregationis mandatorum, pro quibus explendis Peritus ipse tunc insudabat -.

64. His utrinque perpensis, propositis dubiis: - I. An sit locus dismembrationi ab Ecclesia parochiali S. Iacobi Licianae ac erectioni novae Parochialis in Castro Pontis Bosii, seu potius deputationi Coadiutoris Parochi in dicto Castro Pontis in casu etc. II. An et de cuius attentatis constet in casu etc. -, Sacra Congregatio die 16 iulii 1712 respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad secundum, provisum in primo -. Et quamvis Parochus facultatem obtinuisset denuo Sacram hanc Congregationem adeundi, nihilominus die 17 decembris septembris per publicum instrumentum liti renunciavit et dismembrationi consensit, certis conventis conditionibus cum dicto Marchione Malaspina et Popularibus dicti Castri, quas placuit EE. VV. praevio doctissimo voto Emi Aquavivae confirmare in Congregatione diei 4 februarii 1713. Hinc signata supplicatione ad formam dictarum resolutionum, expeditioni Bullae Apostolicae pro saepedicta dismembratione Parochus se opposuit coram Emo Pro-Datario ex adducta ratione, quod enunciatum instrumentum concordiae esset resolutum ex conditione intra annum erigendi novam Parochiam; cumque cognitio huius controversiae ab Emo Pro-Datario remissa sit ad hanc Sacram Congregationem, ideo praefatus Marchio et Populares, ut tandem aliquando executionem dismembrationis obtineant, exhibent instrumentum dicti consensus et concordiae, nulla conditione seu pacto resolutivo conceptum, quod tantum legitur in alio instrumento respiciente administrationem Sacramentorum, quam certo statuto modo Parocho delegabat Capellano Coadiutori ea tamen conditione, « e quando passato un anno non sarà stato per mancanza di quelli del Ponte eretta la Chiesa in Rettoria, in tal caso resti il Signor Rettore di Liciana nel suo primario possesso ». His itaque perpensis, propositis dubiis: - I. An transactio sit exequenda, seu potius sit resoluta? *Et quatenus negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam in casu etc.* II. An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. -, Sacra Congregatio die 14 novembris 1716 respondit: - Dilata ad sequentem omnino -. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et amplius. Ad secundum, provisum in primo - *in Lunen. Sarzanen. Erectionis Parochialis die 28 Novembris 1716 lib. 66 Decretorum.*

65. Intentio enim est in dispositione iuris et praxi Sacrae Congregationis, qua comprobatum est, ut in Causis separationis Ecclesiarum legitimus fiat processus, quo iudicii huius necessaria probari possint *in Veronen. die 28 Martii 1744* §. *Intentio.*

66. Iamvero Crusanum Oppidum sex centos fere numerabat Incolas, quorum impensis Templum S. Zenoni sive a solo extructum fuit, sive ad elegantiorem formam perductum instructumque sacra supellectili, iisque omnibus, quae necessaria sunt ad ecclesiastica Sacramenta vel servanda, vel Populo ministranda. Suberat autem parochiali Ecclesiae Bretonici, a qua cum censerent Crusani incolae pluribus ex causis, et praesertim itineris hiberno tempore difficultatibus separari posse, anno 1738 ab Episcopo postularunt, ut a veteri parochiali Ecclesia separarentur, novaque constitueretur Parochia in Oppido Crusani. Ita tamen sese monstravit adversum Episcopus huic postulationi, ut articulos reiecerit, quibus Oppidani intentionis suae probationem constituebant: in eadem sententia fuit Metropolitanus aditus; at contra Torcellensis Episcopus delegatus Apostolicus articulos censuit esse admittendos. Appellavit Archipresbiter Parochialis Ecclesiae Bretonici. Postularunt itaque Crusanenses ab

Sacra Congregatione, ut responderet: – Ad Nuncium Apostolicum, qui conficiat processum et interim mandet deputari in Ecclesia S. Zenonis Oppidi Crusani Capellanum Coadiutorem pro administratione Sacramentorum et curae animarum sumptibus Parochi –. Propositis hinc dubiis: – I. An sit locus dismembrationi antiquae et respective erectioni novae Parochialis in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Scribatur Nuncio Apostolico pro confectione processus, et ad mentem – *in Veronen. die 28 Martii 1744.*

67. Hinc Sacra Congregatio declaravit, haud esse locum dismembrationi Parochiarum sive Familiarum favore Ecclesiae Matricis, ut Archipresbiter congruam habere valeret substentationem, sed potius procedendum esse ad formam Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, cum praesertim ope dismembrationis ne vix quidem sufficiens censeretur remedium ab Episcopo *in Sanctae Severinae Dismembrationis die 1 Decembris 1714 lib. 64 Decretorum* (1).

68. Qua de re licet Nuntius Apostolicus retulisset, necessariam esse erectionem Parochialis, non propterea Sacra Congregatio eam peragendam esse censuit, nisi prius audiret Episcopum pro informatione et voto *in Monasterien. die 5 Iunii 1728* (2).

69. Nisi enim cuncta luculenter pateant, quae de iure necessaria censentur pro erectione novae Parochiae, Sacra Congregatio, antequam nullam aut validam declaret erectionem Parochiae per Episcopum gestam, plura adamussim rescire satagit *in Isernien. seu Nullius S. Vincentii in Vulturno Erectionis Parochiae die 2 Decembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

70. Siquidem – in visitatione Castri Cerri, quam Episcopus Aversanus, tamquam Ordinarius Abbatialis Ecclesiae S. Vincentii in Vulturno, peregit de anno 1697, compertum habuit, intra fines Parochiarum S. Petri et S. Mariae dicti loci octingentum circiter animas ac tresdecim Pagos contineri, nec ad eos, nisi per arduos viarum anfractus montiumque asperitates patere accessum, praesertim tempore hyemali, ob imbrium niviumque frequentiam. Quapropter Ordinarius praedictus agnoscens etiam, quod nonnulla loca distent supra mille passus a praefatis Ecclesiis parochialibus, quodque plures Christifideles propter hanc distantiam, absque necessaria Sacramentorum susceptione obierint, ut habetur ex processu desuper transmisso, praevia oculari inspectione Casalium, ac accedentibus Populi precibus, auctoritate Sacri Concilii Tridentini in cap. 4 sess. 21 de reformatione, et iuxta dispositionem Textus in Cap. *Ad audientiam* de ecclesiis aedificandis, Ecclesiam S. Rochi in Casali nuncupato *Cupone,* ceteris Vicis commodiorem, in Parochialem erexit, ac tria Beneficia simplicia ad illius provisionem spectantia eidem perpetuo univit, ac sacra supellectilia propriis expensis subministravit. Cum autem Universitas dicti Castri Cerri illiusque Parochi sese modo opponant erectioni huius novae Parochialis, sub fundamento gravis praeiudicii resultantis ex dismembratione Pagorum, et quod multitudini animarum et locorum distantiae recte consuli valeat cum deputatione Coadiutoris ad nutum amovibilis in alia Ecclesia, ac demum quod non satis probetur obitus Parochianorum absque Sacramentis, praecise ob dictam distantiam, vestrum erit EE. PP., libratis hinc inde facti circumstantiis et rationibus, definire: – An erectio novae Parochiae substineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Scribatur viciniori Episcopo pro informatione, iuxta instructionem (3), audito etiam Abbate Montis Casini – *in Isernien. seu Nullius S. Vincentii in Vulturno Erectionis Parochiae die 2 Decembris 1702 lib. 52 Decretorum.*

71. Unde licet Episcopus, praemissa loco-

(1) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Archipresbiter*, §. I, n. 65 ad 67, Tom. II.

(2) Species et resolutio Causae huius prostant in Verb. *Ecclesia Matrix*, n. 31.

(3) Scilicet, ut audito Patre Abbate Montis Casini, inspectaque planta dictae novae parochialis Ecclesiae, cum distinctione situs et locorum inter se distantium, eamdem transmittat, et Sacram Congregationem instructam reddat tam circa distantiam unius Parochiae ab alia, quam circa numerum animarum utriusque, an ad eas sit difficilis accessus, hyemali praesertim tempore, et an aliquis, ex Parochiae Incolis eorumdem absque Sacramentis decesserit, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 23 die 2 Decembris 1702.*

rum inspectione per Vicarium Generalem peracta, edixisset, constare de legitimis causis ad instituendam novam Ecclesiam parochialem, ac inde non obstante revocatione suae sententiae per Iudicem appellationis gesta, firmiter obtestaretur, haud validum Parochianis subsidium afferri posse ex constitutione Capellani coadiutoris, cum necessaria omnino esset institutio novae Parochiae, non propterea Sacra Congregatio dismembrationem demandavit, sed potius censuit, novas insuper diligentias esse per ipsum Episcopum faciendas, ut de necessitate dismembrationis luculenter constaret *in Asten. Dismembrationis Parochiae die 22 Novembris die 16 Maii 1732 et die 29 Augusti 1733.*

72. Enimvero anno 1729 Incolae trium Pagorum postularunt dismembrationem a parochiali Ecclesia existenti in Pago *Pamparato.* Pro-Vicarius Generalis de Episcopi mandato ad locum accessit; et viae mensura indagata, constitit, parochialem Ecclesiam Pamparati distare ab uno ex dictis Pagis, qui appellabatur *Serra*, spatio circiter mille et ducentorum passuum, ab alio autem quingentorum supra mille, ac demum ab alio fere bis mille. Praeterea Testes interrogati affirmarunt, nivem per plures cuiusque anni menses ita solere viam occupare, ut a Pagis, qui in vertice montis erant, saepius minime pateret accessus ad parochialem Ecclesiam Pamparati, quae ad radices montis sita erat; atque hinc fieri, ut divinorum mysteriorum imperiti Parochiani essent, Missae sacrificio adstare diebus festis multoties nequirent, plures ex hac vita migrantes Sacramentorum praesidio carerent, demortuorum etiam corpora quandoque per plures dies iacerent insepulta. Antonius autem Maria Bartolottus, conditione adiecta iurispatronatus sibi concedendi, in dotem novae parochialis Ecclesiae assignavit praedia, quae in annuo fructu reddebant scuta 56 circiter monetae Romanae; itemque promisit, se aedificaturum aedes domicilio novi Parochi idoneas prope Ecclesiam, suppellectili quacumque se instructurum eamdem Ecclesiam, ac denique se etiam sarciturum quidquid damni ex novae Parochiae institutione obventurum esset Parocho Pamparati, quemadmodum aequi bonique rationem postulare iudicasset Antistes. His peractis anno 1730 Episcopus per sententiam pronuntiavit, constare de iustis causis instituendi novam Parochiam subsidiariam, salvis iuribus Parochi quoad praeeminentiam et reparationem cuiuscumque detrimenti. At Vicarius Generalis Episcopi Montis Regalis, cui per Literas Apostolicas commissa fuit cognitio Causae, sententiam praedictam Episcopi Astensis revocavit. Itaque Parochus Pamparati attulit testimonium, non tamen iuxta iudiciarii ordinis regulas editum, plurium Sacerdotum, qui asserebant, Pagum *della Serra* non distare a dicta Parochiali Ecclesia longiori intervallo, quam quingentorum circiter passuum; viam, hyeme etiam, non difficilem esse, non abruptam, nec eam nive adeo obsideri solere, ut paucas post horas liber non daretur aditus; non deesse in memorato Pago Sacerdotem, qui diebus festis ibi divinam victimam immolaret; et numquam a se fuisse auditum, quod nullum ob distantiam sive difficultatem itineris extremis Sacramentis non expiatus e vita decessisset, vel quod cadavera diutius, quam par esset, inhumata permansissent; extollere denique detrimenta ex Parochiae sectione redundatura in veterem parochialem Ecclesiam, quam aiebant exiguis proventibus instructam.

73. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An dismembratio et erectio novae Parochiae sustineatur in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An Parochus pro tempore Ecclesiae Pamparati cogi debeat retinere in Ecclesia S. Antonii Coadiutorem pro administratione Sacramentorum et cuius sumptibus et expensis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 novembris 1732 respondit: – Dilata, et ad D. Secretarium iuxta mentem –. Suspensa hinc fuit resolutio, quia Comes Corderius obtulit, se idoneo perpetuo censu assignato instituturum in publico Oratorio Pagi Serrae Capellaniam conferendam Sacerdoti, qui tamquam Parochi adiutor Sacramenta posset administrare Parochianis, qui vitam degebant in Pagis longius dissitis ab Ecclesia parochiali. Reipsa id Comes praestitit. At repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 16 maii 1732 respondit: – Dilata, et audiatur etiam Episcopus –, qui respondit, admittendam nullo pacto esse fundationem praedictae Capellaniae, quia bo-

na in dotem assignata non erant libera. Addidit, per Capellaniae erectionem haudquaquam satisfacturum iri spirituali incolumitati gregis; nam - necessitatis novae Parochiae motiva alias sincero corde exposui, prout sunt decessus Infantium sine Baptismo, Adultorum sine Sacramentorum auxilio, nec non in multis etiam provectae aetatis principalium fidei rudimentorum ignorantia et similia -; atque ita conclusit: - Haec sentio, haec in exonus conscientiae meae, ne coram Deo illarum animarum perditionis correus fiam, reverenter expono -. Repropositis autem dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et adhibeantur novae diligentiae iuxta instructionem (1), nec non Episcopus per se ipsum recognoscat locum, de quo agitur - *in Asten. Dismembrationis Parochiae die 29 Augusti 1733.*

74. Nullam enim Sacra Congregatio praetermittit diligentiam ad effectum dignoscendi causas, quibus ob longitudinem et difficultatem itineris vel dismembrationi, vel deputationi Capellani locus fiat *in Comen. Dismembrationis die 18 Maii die 14 Decembris 1743 die 27 Iunii die 29 Augusti die 18 Iulii die 19 Septembris 1744 die 7 die 28 Augusti 1745 die 22 Augusti et die 5 Decembris 1750 die 13 Februarii die 27 Martii et die 24 Aprilis 1751.*

75. Siquidem Populus loci Ripariae ditionis Helveticae unam eamdemque Communitatem efformans, licet distinctus in tres Pagos *Soresina Campidagno e Sorencino* nuncupatos, grave nimis causatus imminere sibi animarum periculum ex longitudine ac difficultate itineris ad parochialem Ecclesiam S. Martini in Bironici Oppido sitam, cui eousque subiectus fuerat, supplex ab Episcopo postulavit, novam decerni erectionem Paraeciae in Ecclesia Spiritui Sancto dicata, atque in eodem Ripariae loco posita, sese paratum offerens congruam dotem Parocho tribuere. Vicarius Generalis ex speciali iussu rei istius cognitione assumpta, quum praefati Populi petitioni Praepositus veteris parochialis Ecclesiae contradiceret, iudicium instruxit, ac secundum eiusdem Populi postulata pronunciavit sententiam, reservato etiam hominibus dictae Communitatis iure convertendi in dotem novae Parochialis Ecclesiae annuam summam librarum 150 ab ea Communitate Praeposito solvi consuetam, factaque illis interea potestate, donec ad formalem dismembrationem novaeque Parochiae erectionem deveniretur, eligendi Sacerdotem ab Episcopo approbandum, qui omnia Curati munia in praedicto Ripariae loco exerceret. Ac demum, addita clausula, qua voluit salvum ius esse decernendi, quaenam obsequia tum Ecclesia S. Spiritus in Parochialem erigenda, tum eius futuri Parochi deberent imposterum sive parochiali Ecclesiae S. Martini loci Bironici, sive Praepositis pro tempore, in signum ipsius, ut inquiunt, Matricitatis suaeque mutuae subiectionis praestare. Provocavit ab ea sententia Praepositus; sed proposito dubio: - An sit locus executioni sententiae a Curia Episcopali latae super dismembratione parochialis Ecclesiae S. Martini loci Bironici et respective super erectione Ecclesiae Spiritus Sancti in novam Parochialem in casu etc. -, Sacra Congregatio die 18 maii 1743 responsum dedit: - Affirmative -. Quia vero haec definitio lata fuerat, inauditis Praeposito et Populo Bironici atque Episcopo, ideo Praepositus et Populus petierunt, ut audiretur Episcopus eique mandaretur iurisdictio, ad effectum eligendi Peritos, qui de distantia locorum, mensuratione facta, referrent, unde die 14 decembris 1743 Rescriptum prodiit: - Scribatur Episcopo pro informatione et voto iuxta petita, auditis Partibus -. Episcopus retulit, quod anno 1741, eum in sacra visitatione esset, Ripariae hominibus separationem urgentibus, vias inspexit easque obvias et faciles invenit, lapideoque ponte vehiculis agendis munitas, ut *leguana* torrens, qui raro erumpebat, tranici tutissime posset. Addidit, si locus esset separationi, Ecclesiam

(1) Requisitus fuit Episcopus, ut accuratius investigaret, an erectio novae Parochiae necessaria foret, et an provideri possit per Capellanum coadiutorem, adeoque eidem commissum, ut ad eamdem Parochiam se conferret et per seipsum conditiones loci viae et incolarum recognosceret, et ut edoceri curaret, an superiori tempore ob longinquitatem vel asperitatem itineris nonnulli sine Sacramentis decesserint, vel alia incommoda occurrerint, ac ut referret de conditionibus datis pro fundatione Capellaniae, quatenus vero nova Parochia erigi deberet, Matricitas in favorem Ecclesiae Pamparati reservanda, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 28 die 29 Augusti 1733.*

Matrem S. Martini satis amplam pene Populo destitutam fore; contra Templum Sancti Spiritus non satis futurum angustia sua Populo Ripariae. Ad rem igitur componendam se decrevisse dixit, ut liceret Ripariae Populo suis impensis Capellanum habere, qui Sacramenta Poenitentiae Viatici et Extremae Unctionis ministraret, ita tamen, ut Populus liti cederet. Quia vero Peritus ab illis electus vias asperas et difficiles et alluvione torrentis interceptas, Templum Spiritus Sancti choro ornatum et magis amplum esse retulerat, contra rei veritatem et contra Episcopi inspectionem, ideo ipse satius duxit infidi hominis peritiam, Decreto lato, his in rebus reiicere. Populus tamen Ripariae litem prosequi voluit, et Iudex secundum eum tulit sententiam, a qua Praepositus et Populus Bironici appellarunt. Ad tramites subinde praefati Rescripti Sacrae Congregationis interpellati fuerunt Ripariae homines, ut Peritum eligerent; sed nullum elegerunt. Mensuratio itaque facta est a Perito Praepositi, in acta tamen referri non potuit. Accepisse vero asseruit Episcopus, repertam fuisse minorem locorum distantiam in hac secunda mensuratione, viasque faciles et planas describi, quae in prima difficiles atque asperae describebantur.

76. Rebus sic stantibus, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 iulii 1744 respondit: – Praevio recessu a decisis, Negative –. Pugnam instauravit Ripariae Populus, a Praeposito et Populo Bironici victus; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 29 augusti 1744 respondit: – Nihil de subdelegatione Iudicis in partibus, pro deputatione Periti, et proponatur in prima etiam unica –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 19 septembris 1744 respondit: – In secundo loco decisis; et amplius –. Causa igitur confecta videbatur. Expeditis enim a Praeposito literis Sacrae Congregationis vetitum fuit ab Episcopo Sacerdoti Andreae Braga, quem Populus sibi Parochum elegerat, ne iura parochialia exerceret sub poena suspensionis, praeceptumque fuit, ut removeretur fons baptismalis in Ecclesia Spiritus Sancti erectus, atque in Parochum agnosceretur Praepositus Bironici, cui decimae solverentur et debita praestarentur obsequia: nihil tamen horum actum est; debuitque Episcopus simile praeceptum renovare sub poena excommunicationis et Interdicti. Frustra tamen omnia. Transacto anno integro, Sacerdos ille Andreas Braga nomine Populi postulavit, ut, cum nullum haberet Pastorem, Sacerdos hic Andreas in Capellanum deputaretur, inauditoquo Praeposito Bironici, Sacra Congregatio censuit, scribendum esse Episcopo, – ut ad deputationem Capellani Curati pro Sacramentorum administratione in eodem loco Ripariae pro suo arbitrio et conscientia deveniret –. Addebatur etiam, – ut quatenus constaret de idoneitate Sacerdotis Andreae Braga, eumque utpote Populo Oratori acceptum, ceteris paribus, in huiusmodi deputatione, prout Sacra Congregatio exoptabat, deputaretur –. Obstitit Praepositus Bironici, disputans, arbitrio non esse locum; quia Ripariae Populus hac ratione petitam, et bis reiectam dismembrationem obtineret. Episcopus itaque – mandavit convocari Congregationem Tribunalis Curiae Episcopalis ad effectum deliberandi, prout ius et iustitia suadebit –. Congregatione coacta, censuerunt Patres et decrevit Episcopus, locum esse deputationi Capellani Curati, dum tamen Populus Ripariae liti renunciaret. Non placuit hoc Decretum Ripariae Populo, rediitque ad Sacram Congregationem, quae mandavit Nuncio apud Helvetias, ut de omni hac re diligenter ipsam instructam redderet. Retulit Nuncius, se ignoto homini mandasse, ut Ripariam pergeret et cuncta cognosceret atque investigaret. Hic quae vidit, quaeque audivit narravit; hinc Nuncius aperuit sententiam animi sui, ut dismembrationi locus esse posset. Postulavit igitur Ripariae Populus audiri adversus binas definitiones Sacrae Congregationis, impetravitque quod petiit, – non retardata exequutione Decreti provisionalis super deputatione Capellani –. Proposito igitur dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 7 augusti 1745 respondit: – Ad Emum Praefectum iuxta mentem –. Mens autem in Congregatione habita die 28 eiusdem

mensis augusti expressa fuit, nempe: – In decisis, et deputandum esse Capellanum nominandum a Praeposito et approbandum ab Episcopo, non amovendum, nisi de licentia eiusdem Episcopi, sumptibus Praepositi et cum facultate administrandi Sacramenta, exceptis Baptismate extra casum necessitatis, et Matrimonio, salvis omnibus iuribus parochialibus –.

77. Male quidem deglutire potuit Praepositus Bironici legem illam, sumptibus Praepositi, nominavit tamen Capellanum; sed Vicarius Generalis, qui sententiam dismembrationis tulerat, eludere voluit definitiones Sacrae Congregationis, cum nominatum reiecerit, ac decreverit, manutenendum esse Sacerdotem Andream Braga in exercitio curae animarum. Confugit Praepositus ad tribunal A. C., sed coactus est redire ad Sacram Congregationem; petiitque, ut recederet a decisis die 7 et 28 augusti 1745. Communitas autem Ripariae post reiectam dismembrationem, iam assignaverat Andreae Braga annuos reditus scutorum 60, quae praestari ab ea solebant Capellanis, quos ipsa pro Populo retinebat in Ecclesia Spiritus Sancti, absque Praepositi detrimento. Proposito interim dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 augusti 1750 respondit? – Dilata, ad primam post aquas et ad mentem (1). Reproposito autem dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 5 decembris 1750 respondit: – In primo loco decisis –. Postulavit igitur Praepositus Bironici, ut ultimum responsum illud retractaretur. Reproposito autem dubio sub formula: – An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 13 februarii 1751 respondit: – Dilata, et proponatur in prima post cineres –. Insuper reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 27 martii 1751 respondit: – Dilata ad primam post agnos –. Demum reproposito praefato dubio, Sacra Congregatio respondit: – In ultimo loco decisis, et amplius – *in Comen. Dismembrationis die 24 Aprilis 1751.*

78. Unde quoties de legitimis causis non satis constare visum est, reiecta fuit postulatio erectionis novae Parochiae cum veteris dismembratione, atque alia ratione provisum, ut in Caietana 24 maii 1659 lib. 21 Decretorum pag. 632 *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis Parochiae die 8 Martii 1732* §. *Ex.*

79. Idcirco dismembratio ab Episcopo peracta tempore vacationis Ecclesiae parochialis ob causas haud obsistentes ac distantiam ad summum per medium milliare, nulla ac irrita declaratur, sed potius locus est deputationi Coadiutoris ab Episcopo eligendi ex Presbiteris participantibus Ecclesiae parochialis, qui in Ecclesia loci curam animarum exerceat iuxta mentem, non autem iuxta modum ab Episcopo praescriptum, cum exemptione a servitio chori in dicta Ecclesia parochiali *in Cassanen. Dismembrationis die 17 Decembris 1740 et die 22 Iulii 1741.*

80. Iamvero sequuta vacatione parochialis Ecclesiae S. Iuliani unius ex quatuor Parochialibus in Civitate Castrivillarum existentibus, Episcopus Cassanensis tria ab illius territorio divulsit loca, nimirum *il Piano della Pera Rocca Poverella ed Olivetello*, novamque ex eis Parochiam erexit in Ecclesia S. Mariae Constantinopolis et S. Iosephi. Nam asseruit, compertum se habere ex documentis – districtum dictae Parochialis esse tam grandem, ita ut habitatores supradictorum locorum distarent a dicta Ecclesia per medium milliare et filianos omnes esse in numero bis mille et octingentorum circiter, et tempore hyemali ac nocturno praesertim pluviis inundantibus, ob distantiam asperitatem periculum et incommoditatem itineris dictam Parochialem petere non posse non sine permaximo eorumdem spirituali detrimento, ac Parochum horum domum infirmitatis occasione pro Sacramentorum administratione sine periculo et magno incommodo accedere non valere praecipue in casibus nocturnis et repentinis, maxime Mulieribus parturientibus, nec non permultos filianos dictorum locorum *del Piano della Pera*

(1) Scilicet, ut Episcopus referat rationum momenta et causas, propter quas usque modo debitae executioni demandatae non fuerint resolutiones et provisiones alias in eadem Sacra Congregatione captae, *ceu videre est in Reg. Litt. lib. 30 die 22 Augusti 1750.*

Rocca Poverella et *Olivetello* vitam cum morte commutasse, vel absque Sacramentis ecclesiasticis, vel absque assistentia in eorum morte, ob causas desuper narratas, adesse quoque in dictis locis non paucos habitatores praesertim ex civilibus Parentibus ortos tam pauperes et miserabiles, qui cum suis mulieribus et familia vilibus et abiectis vestibus induti et quasi denudati diebus festivis ad praedictam Parochialem accedere non possunt et cum divitibus se immiscere non audent et praesumunt, quia exponerentur risui et derisioni aliorum, et ob dictas causas et situationem dictae Ecclesiae in medio publicae plateae a perceptione Sacramentorum a verbi Dei christianae doctrinae ac divinorum officiorum auditione retrahuntur, vigilias quoque et quatuor tempora rudes et ignaros propter desuper expressas causas haud observare –. Non arrisit Clero parochialis Ecclesiae S. Iuliani eiusmodi dismembratio; ideoque postulavit, ut irrita declararetur, cum dicta loca non ultra tertiam unius ab Ecclesia S. Iuliani milliaris partem distarent, nec ullus unquam ex Parochianis ob assertam itineris asperitatem sine Sacramentis decessisset. Attulit itaque testimonium quatuor Peritorum, qui nullam inesse deponebant viarum difficultatem. Insuper satis non fuit citatio Oeconomi, et ob Populi numerositatem Adiutores vel Vicarius constitui debebant.

81. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate dismembrationis Ecclesiae S. Iuliani Castrivillarum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo procedendum in casu etc. III. An novus Parochus Ecclesiae S. Iosephi eiusque Successores debeant ad instar aliorum Presbiterorum participare de massa aliisque emolumentis Ecclesiae et Cleri S. Iuliani in casu etc. IV. An aliquii Sacerdotes et Clerici dictae Ecclesiae S. Iuliani debeant inservire Ecclesiae S. Iuliani iuxta ordinationem Episcopi et nihilominus participare de massa et emolumentis Ecclesiae S. Iuliani in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 decembris 1740 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, deputandum esse ab Episcopo in Coadiutorem alterum ex Presbiteris participantibus, qui resideat penes Ecclesiam S. Iosephi, ibique curam animarum exerceat, iuxta modum ab Episcopo praescribendum, cum exemptione a servitio chori in Ecclesia S. Iuliani. Ad tertium et quartum, satis provisum –. Modus autem ab Episcopo propositus in his potissime versabatur; primo, quod Coadiutor easdem Familias, quae novo Parocho in Bulla erectionis novae Parochiae destinatae fuerant, suae curae ita addictas haberet, ut istis minime liberum esset, Ecclesiam S. Iuliani pro susceptione Sacramentorum adire; secundo, quod in eadem Ecclesia S. Iosephi Fons baptismalis collocaretur, ut Infantes Familiarum Coadiutoris curae creditarum lustralibus aquis ibidem regenerarentur; tertio quod eidem Coadiutori deberentur emolumenta omnia, quae vocantur stolae, ex dictis Familiis eius curae adscribendis provenientia; et quarto demum, quod aliqui ex Clericis parochialis Ecclesiae S. Iuliani servitio adscriptis, atque ex Presbiteris supranumerariis, diebus Dominicis et Festis praesertim solemnioribus ad inserviendum dictae Ecclesiae S. Iosephi tenerentur accedere, saltem donec occasio daretur alios prima tonsura initiandi et servitio ipsius Ecclesiae S. Iosephi adscribendi. Verumtamen ne modus iste a Sacra Congregatione approbaretur, praefatus Clerus enixe obstitit, quum nullo modo convenire posset cum simplicis Coadiutoris approbatione. Propositis hinc dubiis: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis? *Et quatenus affirmative ad primam partem.* II. An modus ab Episcopo propositus sit approbandus, vel potius an et quomodo sit rescribendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius. Ad secundum, Negative ad primam partem; et ad mentem – *in Cassanen. Dismembrationis die 22 Iulii 1741.*

82. Qua de re tametsi intercedat distantia trium lapidum, quae tamen per pontem supra rivum, propria Incolarum loci culpa fractum, valde contrahi potest, haud est locus dismembrationi dictorum Incolarum et unioni eorumdem alteri Paraeciae, sed Archiepiscopus curare debet reaedificationem praefati pontis *in Ferrarien. Dismembrationis die 25 Ianuarii 1817.*

83. Siquidem Ferrariensis Archidiaecesis

plures complectebatur rurales Paraecias, quas inter erat Paraecia *di Boara,* intra cuius limites locus erat, vulgo dictus *la Pavonara,* in qua paucae familiae vitam ducebant, quaeque ab Ecclesia parochiali dividebantur per interpositum rivum, nuncupatum *Casal Bianco,* ab eaque distabant trium millium passuum itinere. Nomine Populi postulatum est, ut hae familiae e Paraeciae *di Boara* separarentur, et alteri *di Francolino* addicerentur, quae proprior erat et commodior, ut Parochus posset aegrotis praesertim spiritualia praebere subsidia. Interrogatus Archiepiscopus respondit, gratis usurpari nomen Populi *di Pavonara,* cum paucissimae essent familiae, quae in praesens quidem per tria milliaria ab Ecclesia distabant propria culpa, quia quinque ab illinc annis tertium pontem supra *Canale Bianco* fregerunt, per quem iter ita contrahebatur, ut propiores essent Ecclesiae *di Boara,* quam *di Francolino:* viam vero non esse imperviam etiam rigente hyeme, quum eo ipso anno munita esset, et plures remotiores esse Incolas, qui tamen ad Paraeciam *di Boara* accedebant. Dixit praeterea Archiepiscopus, sciscitasse ab hisce habitantibus *la Pavonara,* num infirmi obierint sine spirituali subsidio, et negative reposuisse. Ex his putavit, – relinquendam esse Paraeciam *di Boara* in statu suo, et tantum cogendos vel adhortandos Recurrentes, ut sublatum ligneum pontem in antiquo loco iterum construerent pro faciliori accessu ad Ecclesiam, et pro commodiori ipsorum ac Parochi mutua communicatione –. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi Incolarum *di Pavonara* a Paraecia *di Boara* in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et Archiepiscopus curet reaedificationem pontis – *in Ferrarien. Dismembrationis die 25 Ianuarii 1817.*

84. Quum igitur Parochus teneatur residere in Ecclesia, quae olim fuit parochialis, licet a pluribus seculis semper in alia resederit, hinc eius dismembrationi haud locus est *in Feretrana Residentiae et Dismembrationis die 30 Augusti 1817 die 21 Februarii die 2 Maii 1818 die 18 Septembris die 20 Novembris 1819 die 16 Septembris 1820 die 22 Februarii 1823 et die 6 Augusti 1825.*

85. Enimvero duo Feretranae Diaecesis Oppida Talamellum et Mercatinum, illud in vertice montis, hoc ad radices positum, inter se passuum fere millibus per asperas vias torrentibus interruptas distantia, uni subiiciebantur parochiali Ecclesiae S. Petri in *Cultu,* quae prope Mercatinum sita erat. In vetustissimo hoc Templo olim residebant Archipresbiteri, sed postea (quo auctorante ignorabatur) residentiam transtulerunt ad Ecclesiam S. Antonii Talamelli, in qua Sacramenta utrique Oppido administrare consueverunt. Nihilominus constabat, Archipresbiteros accessisse diebus festis ad Ecclesiam S. Petri in *Cultu,* ut ipsi Sacrum in ea celebrarent, et aliqua anni parte in ea mansisse, ut Populum Mercatini instruerent. Semper vero Literae Apostolicae collationis pro Ecclesia S. Petri in *Cultu* expeditae fuere, atque Archipresbiteri in ea possessionem ceperunt. Superiore tempore Archipresbiteri penitus dereliquerunt Ecclesiam S. Petri in *Cultu,* et semel iterumque in anno ad eam accesserunt, scilicet in festo S. Petri et die secunda Rogationum. Quare Mercatinenses, qui destituti erant spiritualibus subsidiis hyemis praesertim tempore, reclamarunt, ut eis consultum foret. Episcopus Antecessor Terzi anno 1804 rem composuit cum Archipresbitero Nicolao Gambetti, qui die 1 augusti 1804 spopondit retinere Capellanum Curatum in Oppido Mercatini. Verum haec conventio exequutioni commissa non fuit: hinc factum est, ut Mercatinenses postularunt dismembrationem Oppidi Mercatini una cum Villis adnexis *Sabbione Raggio Poggiale Molino Gambetti,* utque in eo novus Parochus constitueretur. Episcopus itaque retulit, Ecclesiam S. Petri in Cultu veram Parochialem semper fuisse: duplicem viam, quae inter Talamellum et Mercatinum intercebat, esse unius milliarii, asperam montuosam intersecatam a torrentibus, ita ut hyemis et aestus tempore absque gravi incommodo accedi ad Ecclesiam nequiret: Populum Mercatini et adnexarum Villarum constare ex capitibus bis centum quadraginta: praeterea multos alienigenas transire per Mercatinum, et ibi manere tempore praesertim nundina-

rum, quae ibi mensibus augusti et septembris habebantur. Attenta vero distantia a Talamello, in quo Archipresbiter diebus festis functiones peragebat, Populus Mercatini indulgebat desidiae tabernis et ludis, et hinc vitia et iurgia. Retulit etiam, cessionem Ecclesiae S. Petri, ut in ea novus Parochus constitueretur, nullum praeiudicium inferre Archipresbitero, cum praefata Ecclesia S. Petri prorsus relicta iaceret, et erectio novae Paraeciae exoneraret Archipresbiterum. Ex his conclusit, – spiritualibus necessitatibus Populi Mercatini per Capellani Curati deputationem suppleri non posse. Cum igitur Oratores novam Paraeciam expostulent ac pro ea erigenda se liberales fore polliceantur, ideo, competenti dote assignata, petita erectio una cum Ecclesia S. Petri in Cultu pro nova Parochiali concedenda videtur –. Quin imo Mercatinenses contenderunt, praefatum Archipresbiterum teneri residere in Ecclesia S. Petri, ubi titulum parochialitatis habebat, cum nunquam translatio effecta extiterit. Archipresbiter vero Nicolaus Gambetti et Syndicus Talamelli acriter dismembrationi repugnarunt.

86. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An Archipresbiter Gambetti cogendus sit ad residentiam in Ecclesia S. Petri in Cultu in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit locus dismembrationi Oppidi Mercatini eiusque agri a Paraecia *di Talamello* in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An et quomodo constituenda sit congrua novo Parocho deputando in Ecclesia S. Petri in Cultu Oppidi Mercatini in casu etc. –, Sacra Congregatio die 30 augusti 1817 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum et tertium, provisum in primo –. Archipresbiter Gambetti, qui vadimonium deseruerat, novae audientiae beneficium imploravit. Repropositis interim dubiis sub eadem formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 21 februarii 1818 respondit: – Dilata ad primam post Agnos omnino et infallanter –. Defensores Archipresbiteri hinc adverterunt, Ecclesiae S. Petri in Cultu non domum, sed tuguriolum esse adnexum; Archipresbiteros ab anno 1590 moram, nemine reclamante, duxisse Talamelli. Idcirco haudquaquam penes Ecclesiam S. Petri in Cultu Archipresbiterum teneri residere sustinuerunt. Nec locum esse dismembrationi dixerunt, cum et locorum distantia, quae in praesentiarum ne unius quidem lapidis erat, et magnae viae difficultas deficerent. Non enim Talamellum in alta rupe positum erat: brevis ad eum via praesertim *del Raggio,* nec aspera nec montuosa nec torrentibus fluminibusque interiecta, neque pontibus egens, adeoque facilis, ut eam Pueri, licet septenni, qui ad Talamellum ad literarum rudimenta perdiscenda accedebant, quater unoquoque peragerent die. Hinc Mercatinentium ocium in diebus festis, eorum non autem Parochi vitio vertendum dixerunt. Reproposito igitur dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 2 maii 1818 respondit: – Recedendum a decisis –.

87. At Mercatinenses rursus institerunt, ut Archipresbiter compelleretur ad residentiam in Ecclesia S. Petri in Cultu, in qua originarius titulus parochialitatis infixus erat, vel a seculo quarto, vel a seculo secundo, et pro qua semper Bullae expediebantur, quin unquam translatio tituli parochialitatis expleta fuerit, quum eadem non praesumatur, sed invictis argumentis probari debeat. Excluserunt deinde immemorabilem consuetudinem et centenariam praescriptionem ex facto ad praesumendum titulum residentiae penes Talamellum. Addiderunt, ex iure nullum titulum idoneum ad deserendam residentiam in Ecclesia S. Petri in Cultu praesumi posse ex allegata immemorabili vel centenaria, cum nec unio subiectiva, nec aeque principalis, nec translatio probaretur, quin obstaret silentium Episcoporum, vel deficientia aedium apud Ecclesiam S. Petri in Cultu; ex quibus enim nullus deduci poterat titulus, ad evitandam residentiam in Ecclesia S. Petri. Quatenus vero huiusmodi onus residentiae non probaretur, locus esse debebat dismembrationi, ob viarum difficultatem, quae pluribus modis ostendebatur, confutatis Testibus adductis ab Archipresbitero. Propositis interim dubiis: – I. An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad primum dubium in casu? *Et quatenus in secundo loco decisis.* II. An et quomodo sit locus dismembrationi Oppidi Mercatini eiusque Agri a Paraecia *di Talamello* in casu? III. An et quomodo sit

constituenda congrua novo Parocho deputando in Ecclesia S. Petri in Cultu in casu? –, Sacra Congregatio die 18 septembris 1819 respondit: – Dilata, et proponatur in prima post aquas omnino et infallanter –. Hinc die 20 novembris 1819 respondit: – Ad primum, in primo loco decisis. Ad secundum et tertium, provisum in primo –. Repropositis exinde dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum in primo et tertio, vel secundo loco decisis quoad primum dubium in casu? II. An et quomodo sit locus dismembrationi Oppidi Mercatini eiusque Agri a Paraecia *di Talamello* in casu? III. An et quomodo sit constituenda congrua novo Parocho deputando in Ecclesia S. Petri in Cultu in casu? –, Sacra Congregatio die 16 septembris 1820 respondit: – Ad primum secundum et tertium, in primo et tertio loco decisis; et amplius –. Incolae tamen Talamelli obtinuit a Summo Pontifice novae audientiae beneficium. Repropositis vero dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 22 februarii 1823 respondit: – Ad primum, Affirmative in primo et tertio loco decisis. Ad secundum et tertium, provisum in primo –. Demum repropositis dubiis sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum ab ultimo loco decisis quoad primum dubium in casu etc. II. An sit standum, vel recedendum ab ultimo loco decisis quoad secundum dubium in casu etc. III. An sit standum, vel recedendum ab ultimo loco decisis quoad tertium dubium in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum secundum et tertium, in ultimo loco decisis; et amplius, et ad mentem: mens est, ut Episcopus pro sua prudentia et arbitrio curet Ecclesiae S. Petri in Cultu et domus Parochialis instaurationem et supellectilium comparationem, collatis etiam Mercatinensium subsidiis – *in Feretrana Residentiae et Dismembrationis die 6 Augusti 1825.*

88. Hinc licet existeret distantia per duo millia passuum ac iter torrente interciperetur, unde gravissima proffluerent mala, ita ut Incolae frequentissime absque Sacramentis e vita migraverint, nihilominus accedente etiam favorabili Episcopi voto Sacra Congregatio declaravit, haud esse locum dismembrationi et erectioni novae Parochiae *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis die 20 Septembris 1766.*

89. Siquidem Gragna magna et Pontecium inter se vicina, a Parochia autem S. Andreae Magliani, ad quam pertinebant, distantia per duo millia passuum, petierunt sibi proprium Parochum dari. Dixerunt enim, de distantia illa non dubitari, iter torrente intercipi, saepe aquis adeo obrutum undique, ut nullo vado transitum aperiret, ac non modo difficillimum, sed haud possibile interdum esset, ut Oppidani pro sacris audiendis, etiam diebus festis, et percipiendis Sacramentis accederent, quemadmodum ut Parochus pro necessitate vocatus veniret, loca omnia impervia, inaccessa, fere perpetua glacie cooperta; hinc oriri, quae necessario consecuta fuerant, mala, pueros sine doctrina religionis, populum sine pastoris voce, aegros sine ullo ad bene moriendum auxilio, et frequentissime sine Sacramentis defungi. Neque attendendam, subdiderunt, oppositionem Parochi S. Andreae, qui prius necessitatem agnovit, et divisionem laudavit comprobavitque. Recusavit postea, ac solum Vicarium esse dandum dixit, ex aviditate non amittendi decimas personales: de congrua autem se assignare bona pertinentia ad Sodalitium Sanctissimi Rosarii, quod in Ecclesia constitutum erat Gragnae, ubi novus Parochus esse deberet; item bona hereditaria Dominici Boni, quae ad Sodalitium Pontecii spectabant, impletis tamen omnibus aliis oneribus, ac decimas sacramentales, quae Parocho pendi debebant: demum si quid deesset ad congruam, de suo in futurum sese constituturos in praesens ac praebituros semper recipiebant. Episcopus petitionem summopere adiuvabat, cum necessitas urgere videretur. Propositis vero dubiis: – I. An sit locus erectioni novae Parochiae in Oratorio Gragnae et respective dismembrationi ab Ecclesia parochiali Magliani, seu potius deputationi Capellani Curati? *Et quatenus affirmative.* II. An pro congrua assignanda sint bona stabilia dicti Oratorii bona relicta a Dominico Boni et decimae personales Incolarum Gragnae et Pontecii cum obligatione, quatenus non sufficiant, supplendi illam per Oratores in quantitate ab Episcopo designanda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus; et

amplius. Ad secundum, Negative; et ad mentem, mens est, quod scribatur Episcopo iuxta instructionem (1) – *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis die 20 Septembris 1766.*

90. Idcirco multo minus satis est brevis unius milliarii distantia, ut novae Parochiae necessitas inducta dicatur, iuxta doctrinam Fagnani in Cap. *Ad audientiam* n. 23 *in Eugubina Dismembrationis die 31 Iulii 1790* §. *Conciliarem.*

91. Unde si distantia non sit maxima, nec fluvius nec torrens intermedius, haud sufficit ad erectionem novae Paraeciae, – quia, ut ait Pignatellius consult. 230 tom. 4 n. 2, dum commode potest transiri per pontem bene tutum atque securum, utique nullum impedimentum tribuit, etiamsi vis aquarum aliquando pontem fregerit, quia id tantum rarissime contingens non est attendendum, cum ad effectum dismembrationis impedimentum debeat esse assiduum ac perpetuum –; et sequenti n. 4 subdit: – quod et magis id procedit, si non doceatur, aliquem Incolam loci sine Sacramentis obiisse, quod etiam requiritur, ut firmat Rota decis. 484 n. 5 part. 1 Recent. et decis. 6 n. 18 coram Emo Ottobono, et stabilitur in Marsicana Dismembrationis fructuum 14 februarii 1594 coram Pompilio, cuius particula est huiusmodi: praesertim cum non probetur defectus servitii, ita quod praeter paucitatem Ministrorum ac multitudinem Incolarum seu Parochianorum aliqui decesserint sine Sacramentis, ut requiritur ad augendum servitium – *in Recanaten. die 26 Februarii 1825* §. *Deneganda.*

92. Nam ad dismembrationem obtinendam non est habenda tantum ratio commoditatis Populi, quantum impossibilitatis, ut ad Parochialem quasi omnino impervius sit accessus, Barbos. ad Concil. Trid. sess. 21 Cap. 4 de reform. n. 11, Fargn. de iurepatronat. part. 1 cap. 4 can. 4 n. 2, Rot. in Recent. decis. 484 n. 2 et 5 part. 1 *in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 21 Novembris 1801* §. *Adverti.*

93. Idcirco non quaecumque distantia satis est ad novae Parochiae erectionem; sed ea requiritur, quae nimis incommodum et difficilem reddat accessum ad Parochialem, Cap. *Ad audientiam* de ecclesiis aedificandis, Concil. Trid. sess. 21 cap. 4 de reformatione, Barbos. in loc. cit. Concil. n. 11, Fargn. de iurepatronat. part. 1 cap. 4 can. 4 n. 2, Rot. in Recent. decis. 484 n. 2 et 3 part. 1 *in Adrien. Parochialis die 18 Decembris 1773* §. *Idem.*

Item *in Vintimilien. Dismembrationis die 8 Augusti 1818* §. *Ex; in Placentina Paraeciae die 20 Novembris 1819* §. *At; in Mutinen. Dismembrationis Parochiae die 17 Decembris 1842* §. *Hisce.*

94. Unde scitum est, distantiam non tantum ex viarum longitudine dimetiri oportere, quantum ex incommodo, quod Paraecianis derivat; quare talis esse sufficiat, ut propterea Parochianis sine magno incommodo non pateat accessus ad Ecclesiam parochialem *in Camerinen. Dismembrationis Parochiae die 2 Decembris 1843* §. *His.*

95. Hinc licet Capellanus Coadiutor inveniri non posset, qui Incolis loci Sacramenta administraret, Sacra Congregatio haud quidem dismembrationem permisit, sed mandavit, ut in Ecclesia parochiali Praebenda curionalis erigeretur iisdem modis et formis ac conditionibus, quibus alia huiusmodi Praebenda erecta reperiebatur, ad effectum residendi et exercendi ibidem curam animarum *in Caven. Erectionis Parochialis die 19 Decembris 1722 et die 5 Iunii 1723.*

96. Siquidem licet anno 1662 ab Episcopo Cavensi Ecclesia S. Mariae Gratiarum Pagi Benincasa fuerit erecta in Parochialem, et cura Populi fuerit dismembrata a parochiali Ecclesia S. Petri Civitatis Cavensis, ad quam dictus Populus pertinebat, habito nihilominus recursu a Parocho memoratae Ecclesiae S. Petri ad sacram Congregationem, responsum fuit, quod non erat locus erectioni novae Parochiae, sed quod Incolae Pagi eligerent et propriis expensis alerent Capellanum ab Ordinario approbandum, qui ipsis Sacramenta ministraret. Plures hinc successive electi fuerunt Capellani, tum ex Diaecesi, tum exteri, qui brevi tempore in officio perstiterunt, sed ultimus, qui viginti annorum spatio, non

(1) Scilicet huiusmodi Causam amplius non proponi mandavit, *ut in lib. 116 Decretorum pag. 385.*

obstantibus dissidiis et litibus cum Parocho S. Petri, in dicto officio perduravit, iam mortuus erat, quin alius Sacerdos idoneus inveniri posset; quocirca Episcopus iussit uni ex Parochis S. Petri, tres enim curam animarum exercebant, diu noctuque moram facere in Pago Benincasa. Episcopale Decretum optato caruit effectu, et Incolae Pagi, qui erant 400, Sacramentorum carebant administratione, ita ut nonnullos ab Episcopo in sua relatione diceretur sine Sacramentis obiisse, utque haec de medio tollerentur inconvenientia, Incolae loci Benincasa preces Sacrae Congregationi exhibuerunt, vel pro facultate erigendi propriam Ecclesiam S. Petri, vel saltem pro facultate fundandi in Ecclesia S. Petri quartam Praebendam parochialem, ita tamen, ut quartus Parochus, ab Oratoribus nominandus et ab Episcopo approbandus, deberet semper in Pago Benincasa residere, cum et in alio loco nuncupato *la Marina* fuisset erecta tertia Praebenda in Ecclesia S. Petri ea lege, ut hic tertius Parochus deberet in loco *la Marina* semper residere. Episcopus pro informatione requisitus respondit, se terminum praefixisse Parocho S. Petri ad sua iura deducenda, vix Sacerdotem reperire potuisse, qui aegro animo bis in hebdomada a Civitate Cavensi pergebat ad Pagum, ut confessiones exciperet, a tempore immemorabili duos Parochos in Ecclesia S. Petri fuisse, et anno 1701 auctoritate Episcopi Pignatelli fuisse ab hominibus loci Maritimae veteris in eadem Ecclesia tertiam parochialem Praebendam erectam cum onere, quod unus ex tribus Parochis in loco Maritimae veteris resideret, et in sua Diaecesi non solum tres Parochos in una Ecclesia, sed etiam septem reperiri, qui curam animarum praeerant, iuxta quasdam leges ab Episcopo Lippio latas anno 1688.

97. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An Ecclesia S. Mariae Gratiarum loci Benincasa erigi debeat in Parochialem? *Et quatenus negative.* II. An sit fundanda quarta Praebenda parochialis in Ecclesia S. Petri ad Dragoneam sub obligatione, quod Parochus manutenendus sumptibus hominum dicti loci Benincasa et ab eis eligendus cum approbatione Episcopi teneatur residere in eodem loco in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 decembris 1722 respondit: – Dilata, et pro meliori informatione iuxta instructionem –; scilicet 1. ut exquireretur, an in hypothesi fundationis quartae Praebendae administratio Sacramentorum facienda esset Incolis Benincasa privative quoad alios Praebendatos, vel cumulative cum illis, et Episcopus respondit, quartum hunc Praebendatum privative quoad alios debere administrare Sacramenta, sed eorumdem administrationem aliis etiam tribus permitti posse, ad requisitionem saltem Parochianorum; 2. an tertius Praebendatus exercens curam animarum in Maritima eam exerceret cumulative cum aliis duobus, vel privative, et Episcopus respondit, eum privative administrare, sed ad requisitionem Parochianorum permitti aliis duobus, ut iisdem Sacramenta administrarent, et tertium hunc Praebendatum requisitum administrare etiam Sacramenta Incolis immediate subiectis Ecclesiae S. Petri in sequelam conventionum tempore erectionis tertiae Praebendae factarum, et ab Episcopo tunc temporis approbatarum; 3. ut exprimeretur quomodo alii duo Parochi exercerent animarum curam in Parochia S. Petri, an unus privative quoad alium in aliquo loco, et Episcopus respondit, sic exerceri curam animarum, ut unus uno mense, alter alio eam administraret, excepto Poenitentiae Sacramento, quod ab uno et ab altero semper petentibus administrabatur, et in Diaecesi Cavensi plures alias existere Parochias, in quibus cura pluribus Parochis commissa est cum tali methodo; 4. ut exprimeretur quomodo substentaretur Parochus Maritimae veteris et ab eis Incolis factum esset aliquod assignamentum, et an percipere emolumenta incerta Parochiae, vel ea divideret cum aliis duobus, et Episcopus respondit, emolumenta incerta loci Maritimae veteris et alia totius Parochiae inter omnes tres Parochos aequaliter dividi, dictoque Parocho Maritimae veteris fuisse assignatos annuos ducatos 49 cum aliquibus oneribus, iuxta conventiones initas in fundatione huius tertiae Praebendae. Subdidit Episcopus, habitatores Pagi Benincasa novo Parocho seu quartae Praebendae erigendae assignare velle ducatos 20 liberos et alios ducatos annuos 64 cum onere Missarum 344, quae in Ecclesia Pagi

S. Mariae Gratiarum a Sacerdotibus, qui ab iisdem Incolis eligebantur, celebrari debebant. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum Affirmative iisdem modis et formis ac conditionibus, quibus tertius Praebendatus in Ecclesia Maritimae veteris constitutus fuit – *in Caven. Erectionis Parochialis die 5 Iunii 1723.*

98. Quapropter quum translatio Parochialis facta fuerit, servatis servandis et iustissimis de causis, non est locus subinde dismembrationi et erectioni novae Parochiae, si praesertim via inter unum et alterum Oppidum sit plana nec ullo flumine intersecata, ac distantia unius milliarii dumtaxat habeatur *in Sedunen. die 11 Ianuarii 1718.*

99. Enimvero parochialis Ecclesia S. Desiderii existens in Pago Columberii Diaecesis Sedunensis fuit anno 1704 translata ad Oppidum Montheoli, in quo Gubernator una cum Consiliariis et aliis iustitiae Ministris degebat. Fuit autem haec translato facta auctoritate Episcopi et Nuntii Apostolici, qui eam confirmavit, nec in translatione defuit assensus Abbatis et Capituli Canonicorum Regularium S. Augustini Abbatiae S. Mauritii Agaunen., ad quos pertinere dicebatur iuspatronatus dictae Parochialis. Accessit ulterius assensus Parochianorum pagi Columberii, pro quorum servitio deputatus fuit Sacerdos, qui nomine Parochi Montheoli Sacramenta administraret, et cetera parochialia munera exerceret. Post lapsum nonnullorum annorum Columberienses recursum habuerunt ad Sacram Congregationem, ut eadem committere dignaretur Ordinario Sedunensi, ut Parochiae translationem revideret, et, quatenus opus esset, revocaret. Parochus itaque Montheoli contendit, non esse locum dismembrationi, nec erectioni novae Parochialis, tum quia servatis servandis et iustissimis concurrentibus causis, maioris videlicet divini cultus et communis Reipublicae boni, facta fuerat, et executioni mandata praedicta translatio, tum quia indigentiae Columberiensium satis consultum erat per deputationem Vicarii, qui nomine Parochi eis Sacramenta administrabat. Insuper Oppidum Montheoli distabat per unum milliare a Pago Columberii, et via inter hos locos erat plana, nec ullo flumine intersecata. His igitur perpensis, proposito dubio: – An sit locus dismembrationi et erectioni novae Parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad utrumque – *in Sedunen. die 11 Ianuarii 1718.*

100. Hinc nullam S. Congregatio declaravit dismembrationem ac respective erectionem novae Parochiae ab Episcopo factam in actu visitationis sub motivo dissensionum inter Parochianos ardentium, ac temporalis divisionis Civitatis in antiquam et novam, ut unaquaeque pars Civitatis suam Parochialem haberet *in Syracusana Dismembrationis die 19 Iulii 1698 lib. 48 Decretorum.*

101. Siquidem – in Civitate Syracusana tres ab antiquo tempore extant parochiales Ecclesiae, altera sub titulo S. Georgei, quae praetenditur Matrix, altera S. Ioannis Baptistae, et tertia demum divi Thomae. Ista prout altera divi Georgei habent suum proprium Rectorem sive Parochum, et alia S. Ioannis Baptistae administrari consuevit per Capellanos a Rectore S. Georgei deputatos. Cum autem inter Parochianos Ecclesiae S. Georgei et illos S. Ioannis Baptistae antiquae arderent dissensiones, ob praetensam Matricitatem et subiectionem respective, ad illas submovendas rerum secularium Moderatores occasione infausti terraemotus anni 1693, cuius excidio Civitas in maiori parte solo aequata remansit, praevio Regio assensu, eamdem Civitatem diviserunt in duas Civitates penitus separatas, antiquam et novam denominatas, cum distinctis Magistratibus ac cum diversis et separatis legibus. Istius temporalis divisionis exemplo etiam Episcopus cupiens radicitus evellere causas dictarum dissensionum, in actu visitationis peractae die 28 novembris 1696 quoad spiritualia sequentia edidit Decreta: « primo quod non obstante Civitatis divisione utriusque Civitatis Parochus sit, prout antea erat, R. Paulus Ferrantes, ad quem omnia iura et emolumenta parochialia de cetero spectent, prout antea spectabant, quando erat una Civitas, sub hac tamen lege, quod unaquaeque Ecclesia S. Georgei et S. Ioannis Baptistae sit independens ab alia; secundo, quod neutra in functionibus et processionibus possit suos limites excedere; tertio, quod liberum sit

Parocho eligere pro sua residentia unam ex dictis Civitatibus, et quod pro alia eligatur ab Episcopo Oeconomus sive Vice-Rector ad nutum amovibilis, qui praesit dictae Ecclesiae cum debita subordinatione Parocho; quarto, quod pro mercede dicti Oeconomi seu Vice-Rectoris solvantur unciae 18, novem ab Universitate illius Civitatis, in qua ipse inserviet, et reliquae a Procuratoribus S. Ioannis Baptistae; quinto denique, quod cum stante divisione iam vocentur duae Civitates, sicut Ecclesia S. Georgei mater est suae Civitatis, ita et Ecclesia S. Ioannis mater sit novae Civitatis, ideoque in unaquaque independenter ab alia divina officia peragantur, et haec Decreta durare debeant usquequo duraverit Civitatum divisio ». Ab huiusmodi Decretis, utpote iuribus Ecclesiae S. Georgei laesivis, appellavit Parochus ad hanc Sacram Congregationem, in qua post auditam Episcopi omnia confirmantis relationem, non gravabuntur EE. VV. ex iuribus hinc inde uberius deducendis definire: – I. An dismembratio seu separatio facta ab Episcopo de Ecclesia parochiali S. Ioannis Baptistae ab Ecclesia S. Georgei substineatur? II. An eidem Ecclesiae S. Georgei unienda sit Ecclesia parochialis S. Thomae fere diruta in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative – *in Syracusana Dismembrationis die 19 Iulii 1698 lib. 48 Decretorum.*

102. Nisi enim legitime constet de gravi distantia et magna itineris difficultate et incommoditate accedendi ad Ecclesiam parochialem nec non de libera dotis assignatione pro nova Parochia, haud indulgetur dismembratio, quin tamen obsit deputatio Coadiutoris facta in Ecclesia, quae erigi deberet in novam Parochiam *in Aquen. Dismembrationis die 31 Maii die 2 Augusti 1721 et die 15 Maii 1723.*

103. Iamvero Aquenses Praesules ab antiquo tempore exoptarunt, ut in Oppido Saxelli erigeretur nova Parochia, ex eo quod parochialis Ecclesia S. Ioannis Baptistae ab eo distaret per mille passus et ultra, ita ut Oppidani senes pueri aliique debilitate laborantes non sine magna difficultate et incommodo accedere possent: sed ab iisdem statutum interim fuit, quod Fons baptismalis et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in alia reponeretur Ecclesia, ne Infirmi noctis praesertim tempore sine Sacramentis decederent, et Oppidani Saxelli, pro suarum virium modulo, constructioni novae Ecclesiae incubuerint. Anno autem 1618 completa fuit Ecclesia sub invocatione Sanctissimae Trinitatis, pro cuius dote nonnulli Fratres de Romagninis donationis titulo assignarunt bona ascendentia ad annuum fructum scutorum sexaginta et ultra Romanorum, cum conditione tamen, quod donatio suum effectum habere non deberet, nisi sequeretur erectio novae Parochiae in Ecclesia Sanctissimae Trinitatis, cum dismembratione a parochiali Ecclesia S. Ioannis Baptistae. Communitas Saxelli, adhaerens Episcopo, contendit, esse locum erectioni novae Parochialis, cum de distantia et de magna Populi incommoditate quoad receptionem Sacramentorum nulla valeret esse difficultas, quin obesset, quod indigentiae Oppidanorum succurri posset per deputationem Coadiutoris seu Vicecurati in Ecclesia Sanctissimae Trinitatis. Nam id sibi locum vindicat, quando Populus est numerosus, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis; secus autem, quando propter loci distantiam, vel accedendi difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda ad Parochiam venire non possint. Contra Parochus S. Ioannis Baptistae praetendit, non esse faciendam erectionem novae Parochiae, tum quia post antiquiora Episcoporum Decreta Ecclesia S. Ioannis Baptistae et altera Sanctissimae Trinitatis habitae fuerunt tamquam unitae, et Parochi fuerunt provisi a Sede Apostolica, tum quia itineris incommoditas, quae adesse dicebatur quoad Oppidanos Saxelli, procedebat etiam quoad alios, in domibus rusticalibus parvisque Pagis degentes, qui novae erigendae Parochiali assignarentur, et tandem quia ipse in Ecclesia Sanctissimae Trinitatis retinebat Coadiutorem, Oppidanis Sacramenta ministrantem. Propositis interim dubiis: – I. An sit locus praetensae dismembrationi Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis sitae in loco Saxelli ab altera Ecclesia parochiali S. Ioannis Baptistae, cui reperitur unita, ita ut illa erigi debeat in novam et distinctam Parochiam?

Et quatenus negative. II. An Parochus pro tempore earumdem Ecclesiarum cogi debeat in alterutra ex ipsis retinere Coadiutorem pro administratione Sacramentorum propriis sumptibus et expensis in casu etc. -, Sacra Congregatio die 31 maii 1721 respondit: – Mappa per manus transmittatur -. Reproppositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio die 2 augusti 1721 respondit: - Ad primum, Negative pro nunc. Ad secundum, Affirmative, facta per Parochum obligatione in forma valida retinendi propriis sumptibus Coadiutorem ab Episcopo approbandum in altera ex Ecclesiis ab Episcopo designanda –. Sane binae fuerunt difficultates tum excitatae, prima desumpta fuit ex mappa per manus transmissa, ex qua colligi dicebatur, itineris incommoditatem sibi esse locum vindicaturam, non obstante erectione novae Parochiae; licet enim incommoditas cessaret quoad Oppidanos Saxelli, non cessabat tamen quoad alios in domibus rusticalibus parvisque Pagis degentes, qui novae erigendae Parochiali assignabantur. Altera desumpta fuit ex assignatione fratrum de Romagninis, contribuentibus quidem iisdem annua scuta sexaginta, sed sibi reservato iure Parochum praesentandi, et imposita novo Parocho obligatione celebrandi per se et suis successoribus quolibet anno centum Missas.

104. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus praetensae dismembrationi Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis sitae in loco Saxelli ab altera Ecclesia parochiali S. Ioannis Baptistae, cui reperitur unita, ita ut illa erigi debeat in novam et distinctam Parochiam, et sic standum, vel recedendum a decisis die 2 augusti 1721 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - Dilata, et doceatur de libera dotis assignatione, et quoad remotionem Coadiutoris, Ordinarius procedat pro suo arbitrio et conscientia etiam auctoritate Sacrae Congregationis – *in Aquen-Dismembrationis die 15 Maii 1723.*

105. Idcirco quum non adesset iusta ac urgens causa necessitatis vel evidentis utilitatis, Sacra Congregatio haud permisit Episcopo, ut divites Paraeciarum reditus, relicta respectivis Parochis congrua, dismembrarentur, ac plures Participationes vel ecclesiasticae Capellaniae perpetuae erigerentur, cum onere eos coadiuvandi in curae animarum exercitio, salvo tamen iure Episcopo in vacationibus iniungendi Parochis onus manutenendi, si opus fuerit, unum vel alterum Coadiutorem *in Cariaten. Dismembrationis Redituum parochialium die 27 Iulii et die 14 Decembris 1850.*

106. Siquidem optabat iamdudum Cariatensis Antistes ecclesiasticum cultum adaugere duobus in Oppidis suae Diaecesis, quorum primum audit Melissa, alterum Cruculi; idque assequi mente volutabat, si dismembratis reditibus duarum Paraeciarum Melissae existentium, ac alterius, quae in Oppido Cruculi reperiebatur, Ecclesiae in duas Receptitias erigerentur. Quominus ad id statim deveniretur, impedimento erat lis oborta circa prioris Paraeciae reditus, nec non dissensus Parochi, qui tunc temporis alteram regebat Ecclesiam. Volvente anno 1846 lite composita, ac e vivis erepto Parocho Ecclesiae Cruculensis, Episcopus preces statim porrexit ad Sacram Congregationem, ut id obtineret. Exposuit enim Antistes, duas Paraecias Melissae existentes iamdiu suis Rectoribus vacare; earumdem annuos reditus insimul collectos, stolae incertis comprehensis, ad ducata quadraginta supra nongentum, omnibus solutis oneribus, pertingere, adeo ut in ea esset sententia, ut possent ibidem constitui duo Parochi seu Dignitates, qui curam gererent animarum, ac praeterea duo Participantes maiores, qui Parochis immediatum in cura animarum auxilium praeberent, nec non sex alii minores Participantes, qui, necessitate eveniente, et ipsi praesto essent ad Parochos opitulandos. Quoad Ecclesiam loci Cruculi patefecit,quod licet iam fuerit per concursum collata Sacerdoti Brunoni Toscano, hic tamen antequam ad concursum accederet, adpromisit, iurisiurandi religione interposita, administrationem dimissurum, reservatis sibi praeter stolae utriusque iura ducatis centum, quoties facultas fieret Receptitiam erigendi. Asseruit, fructus illius Ecclesiae quotannis efformare summam, omni onere depuratam, ducatorum quingentorum, quibus comprehendebantur subministrationes quotannis Ecclesiae paraeciali collatae a Communitate illius Oppidi, et ab Administratoribus Capellae Sanctissimi Sacramenti in eadem Ecclesia

erectae. Praefatis autem reditibus praeter Archipresbiterum Curatum et alterum, qui titulo Participantis maioris Archipresbitero opem immediate ferret in curae animarum exercitio, ali poterant etiam sex minores Participantes, quibus pariter onus incumberet, adveniente necessitate, Archipresbiterum coadiuvandi. Postremo animadvertit, quod adsignata congrua ac proportionali redituum quota Parochis omnibusque Participantibus, ut supra enumeratis, necessaria adhuc media superessent, quibus expensae substinerentur ad divinum cultum confovendum, nec non stipendia Ecclesiarum Officialibus solvenda. At modernus Cruculorum Archipresbiter obstitit pro viribus, et multas in medium detulit difficultates, quibus contendit, haud redituum suae Paraeciae dismembrationem fore probandam, ex eo etiam quod iusta ac urgens causa deesset. Ad alteram autem quod spectabat Ecclesiam, quae viduata extabat, exquirendus erat consensus Defensoris ab Episcopo constituendi, ad cuius officium pertinebat disquirere de legitimitate et veritate causae necessariae, sed id omnino desiderabatur. Verumtamen Episcopi Patronus enixe studuit explodere difficultates a Cruculorum Archipresbitero in medium prolatas, nec non valde insudavit, ut probaret, iustas adesse in themate causas necessitatis et utilitatis, ex quibus praefata dismembratio perągi poterat, ad effectum saltem erigendi ecclesiasticas perpetuas Capellanias, et ita alimoniam praestandi aliis ecclesiasticis Personis, quae divinum cultum curarent, quae Parocho in necessitatibus adiumento essent. Quare cum ita non fieret bonorum paraecialium alienatio per dismembrationem, sed potius commutatio de uno in alium usum pium, potior omnino esse debebat causa divini cultus, quam Rectoris dissensus, et superfluus eius favore bonorum cumulus, ad divisionem bonorum Beneficii praescribendam, ut arguit Card. De Luca de Parochis disc. 36 n. 14.

107. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi Cariatensis in casu? –, Sacra Congregatio die 27 iulii 1850 responsum dedit: – Negative, salvo iure Episcopo in vacationibus iniungendi Parochis onus manutenendi, si opus fuerit, unum vel alterum Coadiutorem –. Novam redeundi veniam absque mora petiit Episcopi Patrocinator; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis – *in Cariaten. Dismembrationis Redituum parochialium die 14 Decembris 1850.*

108. Concurrentibus tamen necessitatis et utilitatis causis, indulgetur cessio bonorum ac ipsius Ecclesiae parochialis, quum praesertim ad mentem Emi Marini Relatoris proprie non agatur de germana et vera Paraeciae dismembratione, sed potius de nova Paraeciarum et opportuniori distributione pro maiori commoditate Populi habitantis superiorem vel inferiorem partem loci; et si etiam consideraretur uti propria Paraeciae divisio, cum non desit et excessiva eiusdem amplitudo et soli inaequalitas et difficilis unius Rectoris accessus, et excrescens in dies Populi numerus et concors in hac divisione sententia Ordinarii et loco praedefuncti Ecclesiae Rectoris, Advocati Fiscalis Curiae, et denique dos actualis Paraeciae satis amplae, ut commode dividi inter utrumque Parochum valeat, non obstarent fortasse sanctiones ex Cap. 3 de eccles. aedif. deductae, et quae expresse a Tridentina Synodo postmodum in Cap. 4 sess. 21 de reformatione latae sunt, ut divisio probaretur, quin dividi debeat satis dives Paraeciae dos inter pauperiores Diaecesis, sed inter Parochos *in Pisana die 30 Augusti 1851* (1).

109. Hinc non est locus dismembrationi et respective erectioni novae Parochiae, si nedum legitima desit causa, sed etiam nec antiquus, nec novus Parochus congruam haberet substentationem *in Balneoregien. Parochialis die 19 Iulii 1698 lib. 48 Decretorum.*

110. Enimvero – Abbas Hieronymus Cellesius in parte iurisdictionali territorii Castri Pierii, quam emerat de anno 1663 a Comite Simoncello eiusdem Castri Barone, aedificavit parvum Castrum ab eius nomine Cellesium nuncupatum; et licet illius habitatores, qui

(1) Speciem et resolutionem Causae huius prostant in Verb. *Alienatio*, §. IV, n. 217 ad 221, Tom. I.

prius in parvo numero degebant in Cryptis, subessent Parochiae dicti Castri Pierii, nihilominus Episcopus Balneoregiensis, ut illorum devotioni et maiori commoditati satisfaceret, facultatem concessit eidem Comiti aedificandi Ecclesiam in novo Castro, «absque tamen praeiudicio iurium parochialium Castri Pierii ». Aucto post haec numero ad fere bis centum, habuerunt isti recursum ad hanc Sacram Congregationem pro dismembratione in spiritualibus Castri Cellesii a iurisdictione et Parochia Castri Pierii, tum ratione distantiae unius fere milliarii ab Ecclesia parochiali, tum ratione asperi et periculosi itineris, praesertim tempore hyemali ob foveum seu torrentem intermedium, tum denique ob difficultatem recipiendi Sacramenta supponentes, plures decessisse absque illorum subministratione. Cumque e converso Parochus Castri Pierii, omnia praedicta impugnans, acriter contendat, non esse locum petitae dismembrationi, nedum ob defectum legitimae causae, sed etiam quia sibi alia non superesset congrua substentatio, et novus Parochus vix haberet congruam scutorum viginti. Hinc post auditum desuper votum Episcopi Bobiensis, tunc Ecclesiae Balneoregiensis superintendentis, petitae instantiae favorabile, concordatum fuit infrascriptum dubium ab EE. VV., utraque Parte informante, resolvendum, nempe: – An sit locus dismembrationi et respective erectioni novae Parochiae in casu etc. –, cui Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative – *in Balneoregien. Parochialis die 19 Iulii 1698 lib. 48 Decretorum.*

111. Unde attenta gravi Agricolarum ruri degentium necessitate alios habendi Presbiteros aliosque Parochos accomodatos, indulgetur erectio tertiae Parochiae, dum ex pii Institutoris dispositione duae tantum erigi deberent, reservata Parocho rata parte Patronatus, cum aliis Patronis, absque alio signo honorifico, quae tamen erigenda est post dimissionem aeris alieni, quin locus sit augmento congruae aliorum Parochorum, subinde vero cum alteram erigendi Paraeciam necessitas abesset, Sacra Congregatio permisit, ut superextantia bona pii operis in praefatos Parochos aequis partibus dividerentur, ac fructus superextantes applicarentur favore alterius Paraeciae dismembrandae cum unione simplicis Beneficii *in Recineten. Erectionis Parochiae Augmenti congruae et Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1795 die 14 Maii 1825 die 18 Februarii 1854 et die 28 Aprilis 1855.*

112. Siquidem moriens declaravit anno 1786 Maria Melchiorri fiduciam acceptam a Tiberio Cruciani eius Viro, qui mandaverat, quod post illius obitum una vel duae intra sexennium prudenti Recinetensis Episcopi arbitrio novae erigerentur Parochiae in agro Recineti, de distincto iurepatronatus maiorum natu de Turri et Melchiorri, si duae; et de indiviso cum alternativa, si una; quodque celebrare tenerentur Parochus vel Parochi hebdomadalem Missam in suffragium eius animae, alteramque annuam in die Visitationis Beatae Mariae Virginis. Quamprimum deinde potuit primam Vicarius Apostolicus erexit parochiam in regione *di moglie vecchia,* secundam alibi erecturus, cum constructa foret Ecclesia et domus parochialis. At duabus hisce Parochiis addendam optarunt tertiam Recinetenses Agricolae in districtu Parochiae Montis Murelli, facta assignatione congruae novo Parocho, ex redundanti summa redituum Cruciani, et ex annuis scutis 50, quae Parochus Montis Murelli praestare deberet rurali Capellano Curato, ex Apostolica collationis Parochiae lege, et ob defectum suburbanae Ecclesiae aediumque non praestabat. In omnibus cum Agricolis conveniebant ii de Turri et Melchiorri tamquam patroni primae et secundae Parochiae per Crucianum volitae, dummodo aequis partibus tribueretur ipsis et Parocho Montis Murelli iuspatronatus tertiae: conveniebat et Parochus, dummodo praeter dimidium iuspatronatus reservaretur sibi suisque successoribus honorificum aliquod ius supra novam Parochiam: eorumque consilia probavit Vicarius Apostolicus, excepto iurepatronatus. Necessariam porro dixit tertiam Parochiam, quum – gravis sit Populi Recinetensis ruri degentis necessitas alios habendi Presbiteros aliosque Parochos accommodatos, a quibus et fidei rudimentis instruatur et Sacramenta recipiat: aequam rursus iuris honorifici reservationem favore Parochi Montis Murelli; non item vero reservationem iurispatronatus illis

praesertim de Turri et Melchiorri. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit locus erectioni tertiae Parochiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 26 septembris 1795 responsum tulit: – Affirmative iuxta consensum Turri Melchioris et Parochi Montis Murelli, excepto tamen praetenso signo honorifico, cuius loco habeatur rata pars Patronatus –: quod tamen executioni nunquam fuit commissum, quia pro construenda Ecclesia S. Petri et domo parochiali impensa aere proprio fuerint scuta 742 79 a Canonico Philippo Antimi, pii Operis Cruciani administratore, cui etiam in praesens quoque scuta 585 96 solvenda remanebant. Conspicui quondam erant reditus bonorum Cruciani, qui, comprehensis annuis scutis 50 a Parocho Montis Murelli pendendis, ad scuta 573 27 1 ascendebant, et deductis oneribus in annuis scutis 84 15, pro unoque ex tribus Parochis supererant annua scuta 163 4. Verum labentibus annis adeo praefati reditus, calamitate praesertim temporum decreverunt, ut in praesens Parochus S. Crucis Antonius Mazzoni scuta 100, Parochus vero S. Petri Antonius Fammilume scuta 80 solummodo perciperent: reliquos vero fructus Operis pii Cruciani Canonicus Antimi Administrator, oneribus detractis, in scutis 63 92 tantum quotannis colligeret. Unde praedicti Parochi petierunt, ut indicatos reliquos fructus in congruae augmentum obtinere valerent, quoniam duas tantum Paraecias Testator Cruciani erigi iussit. Quod si Sacra Congregatio alias pro erectione tertiae Parochiae respondit, id contigisse dixerunt, tum ob praestitum a Patronis assensum, tum praecipue quia pro certo habuit, facile ex redundantibus reditibus Cruciani, et ex scutis 50 a Parocho Montis Murelli praestandis, congruam novo Parocho assignari posse. In praesens vero constabat, sola superesse scuta 63 92, quibus in primis dimittendum erat aes alienum adhuc vigens in scutis 585 96, ac deinde sustinendae forent expensae pro aedificatione Ecclesiae ac domus parochialis. Unicuique autem Parocho olim assignata fuere scuta 163, adeoque notabilem imminutionem eorum reditus sunt passi, quin ex incertis emolumentis aliquid sperare possent, cum pauperrimus esset Populus. Episcopus itaque et Patroni Parochis praedictis favebant. Contra vero advertebatur, quod ex Constitutione S. Pii V diei 1 novembris 1567 incipien. *Ad exequendum* – non maior centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum, computatis omnibus etiam incertis emolumentis et aliis obventionibus percipi solitis, omnino assignetur –. Insuper Sacra Congregatio iamdiu censuit, necessariam esse erectionem tertiae Parochiae, cum praeter amplitudinem illius agri pluribus etiam torrentibus intersecaretur, ac difficilis esset accessus ad Ecclesias parochiales.

113. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An quoad erectionem tertiae Paraeciae sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. II. An et quomodo sit providendum pro dimissione aeris alieni in casu etc. III. An et quomodo sit locus augmento congruae Parochorum S. Crucis et S. Petri in casu etc. –, Sacra Congregatio die 14 Maii 1825 respondit: – Ad primum, dilata usque ad integram dimissionem aeris alieni. Ad secundum, Affirmative ex superextantibus reditibus Operis pii Cruciani. Ad tertium, Negative –. Quum autem subinde deerat adhuc nummorum copia ad Ecclesiam et parochiales aedes aedificandas, Episcopus Bernetti die 18 decembris 1843 a Sacra Congregatione obtinuit suspensionem ad vicenos annos collationis Beneficii simplicis SS. Iacobi Christophori ac Beatae Mariae Virginis Pietatis, ut in id reditus erogaret. Res ita se habebant, quum anno 1847 modernus Antistes facultatem postulavit applicandi residualia Cruciani bona Paraeciae S. Dominici iam praeexistenti, quae in Civitatis hyppodromo sita parvoque spatio circumscripta latius extendenda esset, praesertim in agros, ac fere millibus hominum capitibus augenda ex iis, qui iam Paraeciae Cathedralis nimis amplae ac frequenti suberant. At etiam Parochi S. Crucis et S. Petri petierunt, ut superextantia bona Causae piae Cruciani inter eos aequis partibus dividerentur. Nam congruae augmentum exposcebant, quia secus necessaria ad vitae sustentationem sibi deessent, idque testimonio eorum, qui in parochiali munere ipsos praecesserunt, comprobabant. Tam Episcopus, quam Parochi in eo concordes erant, quod necessitas erigendae alterius Paraeciae iam

evanuisset per supremum quondam Placidi Conti elogium, quo duae aliae rurales Paraeciae in territorio Recanatensi erant erigendae, et fortasse quam cito opus perfectum foret. Episcopus pro informatione requisitus censuit, 1. ut bona pii Operis Cruciani, quae administrationi suberant, infra duos Parochos S. Crucis et S. Petri pro rata aequali dividerentur; 2. ut Parochus Montis Murelli adigeretur et in futurum ad praestationem canonis scutorum 50 favore Parochi S. Petri, ut Parochus S. Crucis exoneraretur pensione favore Parochi Castrinovi; 3. ut ampliaretur Paraecia S. Dominici, tribuendo illi aliquot familias intra Urbem de vico emporio, dicto vulgo *mercato*, plures etiam de agro; 4. ut eidem Paraeciae S. Dominici, ultra triginta septem scutata, quae actualiter possidebat, in perpetuum applicaretur Beneficium simplex SS. Iacobi Christophori ac Beatae Virginis Pietatis, nec non scuta tercenta sexaginta duo asses quinquaginta octo de reditibus eiusdem Beneficii extantia penes Administratorem investirentur in favorem ipsius Paraeciae S. Dominici, cum ita haberetur congrua circiter scutorem 120, quae tamen ex eo quod remissior videretur pro Ecclesia sita in medio Civitatis, uterque Parochus S. Crucis et S. Petri adstringi deberet ad praestandam annuam pensionem scutorum 20 pro unaquaque in favorem Sacristiae eiusdem Ecclesiae S. Dominici; 5. ut in electione Parochi S. Dominici quodlibet iuspatronatus excluderetur, cum ipsius congrua efficeretur e fundis, in quos nullam omnino habebat influentiam hereditas Cruciani; 6. ut omnes fructus superextantes apud administrationem pii Operis Cruciani in scutis 599 59 1 investirentur favore Ecclesiae vel Sacristiae S. Dominici, licet in prima relatione Episcopus censuit, ex iis scuta bis centum investiri debere favore Paraeciae S. Crucis et S. Petri; 7. ut Paraecia carere deberet Fonte baptismali atque etiam, quoad portionem augendam, iure funerandi.

114. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo superextantia bona Operis pii Cruciani assignanda sint Parochis S. Crucis et S. Petri in casu? II. An Parochus pro tempore Montis Murelli teneatur etiam in posterum solvere annuam pensionem scutorum 50 favore Parochi S. Petri in casu? III. An et quomodo Parochus S. Crucis exonerandus in posterum sit a solutione pensionis favore Parochi Castrinovi in casu? IV. An et quomodo permittenda sit dismembratio Paraeciae Cathedralis in casu? V. An permittenda sit perpetua unio simplicis Beneficii favore Paraeciae S. Dominici in casu? VI. An et in quem usum assignandi sint Paraeciae S. Dominici fructus eiusdem Beneficii hucusque extantes in casu? VII. An Paraecia S. Dominici sit declaranda liberae collationis in casu? VIII. An et quomodo sit probanda proposita divisio ac erogatio fructuum ucusque superextantium hereditatis Cruciani in casu? –, Sacra Congregatio die 18 februarii 1854 respondit: – Dilata, auditis interesse habentibus, exquisito etiam voto Parochi Cathedralis –. His itaque impletis, repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad tertium, Affirmative iuxta votum Episcopi. Ad quartum, Affirmative prudenti arbitrio Episcopi, et reservato favore Parochi Cathedralis iure baptizandi tantum. Ad quintum et sextum, Affirmative iuxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo. Ad septimum et octavum, Affirmative iuxta votum Episcopi, facto quoad octavum verbo cum Sanctissimo – *in Recineten. Augmenti Congruae et Dismembrationis Paraeciae die 28 Aprilis 1855.*

115. Itaque post factam [dismembrationem et respective erectionem novae Paraeciae nec non utrisque assignationem fundorum, attento consensu Parochi aliisque rationibus, quae necessitatem novae dismembrationis fundorum inducere videbantur, Sacra Congregatio permisit, ut nova fieret fundorum dismembratio, ad effectum tradendi alteri Parocho alios fundos, quibus Capellano debitam solvere posset mercedem *in Fesulana Dismembrationis die 27 Aprilis et die 23 Novembris 1816.*

116. Iamvero Paraecia SS. Viti et Modesti in *Loppiano* posita constabat olim ex capitibus fere quadraginta supra mille, et ex fundis atque incertis stolae redibant annua scuta 464 37, ex quibus deductis oneribus in scutis 224 82 libera erat congrua in scutis

239 55. Antecessor Episcopus Fesulanus, ut saluti animarum satius consultum esset, opportunis facultatibus auctus dismembravit portionem huius Paraeciae, atque ex ea novam Plebaniam erexit in Ecclesia S. Alexandri *all' Incisa*. Ita autem utriusque Paraeciae ratio conrtituta fuit. Paraeciae SS. Viti et Modesti assignata fuerunt capita bis centum septuaginta, atque tot fundi, unde percipiebantur una cum incertis annua scuta 219 72, ex quibus demptis oneribus libera Parocho supererant scuta 110 37. Plebano vero S. Alexandri data fuerunt capita 1080 et fundos, unde redibant, comprehensis incertis, scuta 244 65, quae deductis oneribus reducebantur ad scuta 114 45. In hac tamen assignatione fundorum evenit, ut nonnullae terrulae, quae datae fuere Paraeciae SS. Viti et Modesti intersecarent fundos, qui assignati fuerunt Plebaniae S. Alexandri *all' Incisa*. Quare modernus Episcopus Fesulanus, vacante in praesens Paraecia SS. Viti et Modesti, postulavit facultatem dismembrandi et applicandi has terrulas Plebaniae S. Alexandri. Episcopus retulit: – Audito Iureconsulto huius Diaecesis, qui praemissis omnibus actis necessariis et opportunis mihi dedit iudicium, iustam esse censeo petitam dismembrationem et respectivam unionem, sicuti constat per supradicta acta exhibita in hoc archivio a dicto Iureconsulto, et ideo spero ab EE. VV. Rescriptum in favorem dictae Paraeciae S. Alexandri –. Facta quidem fundorum dismembratione non est eadem subinde iteranda, nisi de necessitate constet; at necessitas ex eo in themate deducebatur, quod Plebania S. Alexandri habebat capita octoginta supra mille, et egenis abundabat, ita ut Plebano pinguiori congrua opus esset, qua pauperioribus opem ferre valeret. Contra vero Parochus SS. Viti et Modesti exiguo gravatus erat Parochianorum numero ad capita bis centum septuaginta, et onere liberatus erat retinendi Capellanum Curatum. Quibus ex rebus aequum videbatur, ut Plebano S. Alexandri congrua augeretur ex iis terrulis, quae fundos eidem assignatos intersecabant, ex quo saltem congrua exurgebat causa, ut harum intersecantium terrularum applicatio fieret, ne Plebani possessio intercisa esset. Advertebatur autem, quod postularetur dismembratio terrarum quantitatum stariorum quinque et cuiusdam domus. Haec aestimata erant scutis octingentum, ex quibus deductis oneribus supererant libera scuta tria et obuli viginti unum. Unde incredibilis videbatur tam exiguus fructus ex satis amplo capitali scutorum octingentorum. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi terrarum et domus a Paraecia SS. Viti et Modesti et applicationi Plebaniae S. Alexandri *all' Incisa* in casu etc. –, Sacra Congregatio die 27 aprilis 1816 responsum dedit: – Affirmative, soluto pretio reinvestiendo cum solitis clausulis favore Paraeciae SS. Viti et Modesti, aut redintegrata eadem Paroecia cum aliis fundis eiusdem valoris et reditus spectantibus ad Plebaniam S. Alexandri, arbitrio Episcopi seligendis, praevia aestimatione per Peritum ex officio deputandum, indicata provenientia translatis –. Verum Plebanus S. Alexandri respondit, se imparem esse solvendo pretio bonorum dismembrandorum, neque permutationem inire posse, quia dismembratio petiit, ut hoc subsidio posset occurrere expensae Capellani, quo necessario indigebat ad exercitium curae animarum. De hac necessitate testabatur Episcopus, qui etiam referebat, hanc ob necessitatem novum Parochum SS. Viti et Modesti in scriptis suum praestitisse assensum pro dismembratione. Nam antequam duae ex unica Paraecia statueretur, illius Rector obnoxius erat oneri retinendi Capellanum, quo onere solutus fuit, cum Paraecia SS. Viti et Modesti ita diminuta fuit ob erectionem novae Paraeciae S. Alexandri, ut vix quartam partem animarum in suo ambitu retineret. Vicissim vero Parochus S. Alexandri nequibat sedulo, ut par erat, incumbere curae animarum sine Capellani subsidio, cui debitam solvere mercedem, partim ex sua congrua partim ex reditu terrularum, quarum petebat dismembrationem, sese paratum exhibuit.

117. His mature perpensis, reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Attento consensu Parochi SS. Viti et Modesti, praevio recessu a decisis, Affirmative iuxta preces et

votum Episcopi – *in Fesulana Dismembrationis die 23 Novembris 1816.*

118. Unde peracta ab Ordinario dismembratione Parochiae cum nonnullis conditionibus inter Parochum et nonnullos Populares concordatis, sed inde cum Populares et novus Parochus aliqua pacta dictae dismembrationis, quae emolumenta respiciebant, uti minus aequa abolenda esse sustinerent, Sacra Congregatio mandavit, ut firmaretur status utriusque Parochiae, non retardata interim exequutione dismembrationis *in Spoletana Dismembrationis die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

119. Siquidem – cum Villa Vallis Longae et Capitis Aquae tertio lapide distans ab Oppido Leonissae esset sub Parochia S. Mariae et Donati sita intus dictum Oppidum, ibique Parochus resideret, ita ut praesto esse non posset pro administratione Sacramentorum ex causa dictae distantiae, nivium hyemali tempore, et fluminis Corni, quod viam interfluit, ideo Populares dictae Villae in sacra visitatione supplicarunt Episcopo pro erectione Ecclesiae S. Nicolai in Parochiam, et dismembratione ab antiqua Parochia S. Mariae et Donati, eamque obtinuerunt, cum nonnullis conditionibus inter Ioannem Thomam Petronium Parochum conventis et concordatis et nonnullos Populares dictae Villae nomine proprio et Communitatis stipulantes; omniaque publico instrumento, Decreto dismemarationis et institutione novi Parochi exequuta fuerunt. Nunc autem habitatores dictae Villae et Natarius Nicolinus novus Parochus aliqua pacta dictae dismembrationis uti minus aequa abolenda esse contendunt. Summa conventionum, quae non impugnantur, est, ut novus Parochus, ad cuius commodum omnia incerta curae emolumenta dimittuntur, Missas viginti octo iuxta legem fundationis Beneficii S. Nicolai celebret, solutis ab antiquo Parocho annuatim scutis tribus vita eius durante, et recipiat Oleum Sanctum a Matrici Ecclesia S. Donati, eidemque Decuriones dictae Villae die Dominico infra octavam Festi S. Donati in signum subiectionis cereum unius librae quotannis solemni ritu elargiantur. Conventiones reliquae, et quarum praetenditur abolitio, sunt praestatio annua unius cuppae frumenti a qualibet Familia, seu, ut inquiunt, Foculari, facienda novo Parocho loco decimarum, quas in pecunia superiori tempore solvebant, promissio annuarum scutorum duodecim antiquo Parocho vita eius durante, et demum ultima conventio est, ut Petronius antiquus Parochus vita eius durante integrum patrimonium Ecclesiae S. Nicolai dictae Villae possideat, post vero eius obitum pars illius cedat in perpetuum ad commodum dictae Parochiae S. Donati, et in reliquis ad Parochum et Ecclesiam S. Nicolai spectet, prout plenius dignoscent EE. PP. ex Summario distribuendo, et ab eorum summa sapientia exquiritur: – An sustineatur dismembratio cum conditionibus in ea appositis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Dilata, et firmetur status utriusque Parochiae, non retardata interim exequutione dismembrationis – *in Spoletana Dismembrationis die 3 Octobris 1716 lib. 66 Decretorum.*

120. Hinc de congruae quantitate novo Parocho assignandae quaesivit primum Sacra Congregatio, Fagnanus in Cap. *Ad audientiam* n. 16, nec non de perpetua obligatione Populi ad eam congruam omni casu supplendam *in Novarien. die 23 Novembris 1765.*

121. Nam quoties agatur de nova erigenda Paraecia, veteri dismembrata, congrua pro novo Parocho desumenda est ex reditibus antiquae Paraeciae *in Eugubina Dismembrationis die 31 Iulii 1790* §. *Quatenus.*

Item *in Spoletana Congruae die 15 Ianuarii 1803* §. *At; in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 24 Iulii 1830* §. *Nihilominus; in Bononien. Dismembrationis die 30 Martii 1835* §. *Quod; in Mutinen. Dismembrationis Paraeciae die 17 Decembris 1842* §. *Hisce; in Bononien. die 30 Augusti 1845* §. *Hisce; in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848* §. *Quoties; in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Post.*

122. Quod si haec reditibus non abundet, ita ut Parochus absque proventibus novo Rectori assignandis haud valeat honeste et convenienter sustentari, et novam Paraeciam erigendi necessitas urgeat, erit Episcopi obligare Paraecianos, quorum favore et commodo nova Paraecia erigitur, ad assignationem

congruae dotis Parocho, iuxta notata per Lambertin. de iurepatronat. part. 1 lib. 1 quaest. 5 art. 12, Guttier. quaest. pract. lib. 1 quaest. 17 n. 15, et Ventrigl. in prax. part. 2 annot. 17 §. 1 n. 18 *in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848* §. *Quoties.*

123. Hinc stante obligatione solemniter emissa tradendi congruam novo Parocho, deveniendum esse videtur ad novae Parochialis erectionem, Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* n. 20 de ecclesiis aedificandis *in Novarien. Divisionis seu Dismembrationis Parochiae die 19 Aprilis 1760* §. *Nec.*

124. Verum non minus iusta habenda erit praedicta congrua, quae summam scutorum centum non attingit. Quamvis enim constans Sacrae Congregationis praxis invaluerit, ut scutata 100, quantum fieri possit, Parocho assignentur, attamen congruam etiam existimari, ut sancivit S. Pius V in Constitutione *Ad exequendum,* si non minor sit scutatis 50, nec maior scutatis 100. Unde ex fundatione et institutione ipsius Paraeciae minor etiam, quam communis praxis exigit, assignari potest *in Albinganen. Reductionis Missarum die 24 Novembris 1792* §. *Aucta.*

Item *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Post.*

125. In ea tamen praefinienda perpendendae sunt circumstantiae temporum loci Beneficii onerum ac personae Rectoris, ita ut congrua tenuis sufficiat, si Parochus perpauca onera habeat et exiguos sumptus, ac patrimonialibus bonis ditatus sit *in Nepesina Restaurationis Ecclesiae die 31 Augusti 1771* §. *Fuerunt.*

Item *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Post.*

126. Hinc fructus usque ad summam ducatorum quinquaginta Parochialis unitae debentur Vicariis curam animarum exercentibus iuxta Constitutionem Pii V: si vero certi fructus non apparent, omnes sunt assignandi Vicariis praedictis, sive dictam summam attingant, sive non *in Dubium ad cap. 7 sess. 7 de reformatione Posit. 11.*

127. Si vero huiusmodi congrua nec ex reditibus antiquae Paraeciae, nec a Parochianis haberi valeat, constat, quandoque Sacram Congregationem unionem bonorum Sodalitatum concessisse ad Paraeciarum inopiam succurrendam *in Ariminen. Supplementi Congruae die 18 Decembris 1802* §. *Cum.*

Item *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Post.*

128. Qua de re attenta distantia quinque milliariorum et via a flumine intercisa, Sacra Congregatio declaravit, locum esse erectioni novae Parochialis cum unione Beneficii in Ecclesia erecti, effectum tamen habiturae post obitum eiusdem Rectoris, reservato veteri Parocho iure tantum administrandi Olea Sancta, ac interim providendum esse constituto Capellano Curato a Rectore Ecclesiae seu Beneficiato eligendi et ab Episcopo approbando, assignata eidem congrua inter Episcopum et Beneficiatum concordanda *in Ariminen. Erectionis Parochiae die 8 Augusti 1789 et die 18 Septembris 1790.*

129. Iamvero a parochiali Ecclesia S. Andreae de Podio per flumen dividebatur Rubiconem Villa S. Mariae Camerani animarum circiter 300. Saepe hinc eius Incolae prae aquarum copia a parochialibus arcebantur functionibns; saepe hyemali praesertim tempore absque Sacramentis decedebant. Alio enim a Villa ad Parochialem, a Parochiali ad Villam non patebat accessus, quam quinto per dissitum pontem emenso lapide. Ecclesia ibi erat Beatae Virgini dicata, in qua Rmus Zollius, apud serenissimum Bavariae Ducem Apostolicus Nuntius, simplex possidebat Beneficium annui reditus scutorum circiter octoginta, cum levi unius Missae onere diebus festis, eique prae ceteris erat ius decimandi, solis Parocho relictis incertis. Summo Pontifici igitur Cameranensis Populus supplicavit pro illius erectione in Parochialem; et qui inter eos meliore fortuna utebantur sese scripto obligaverunt ad ea omnia prima vice suis sumptibus providenda utensilia, quae Sacramentorum administrationi et exercitio curae animarum erant necessaria. Parochus S. Andreae Podii consensum praebuit novae erectioni, cessis favore novi Parochi omnibus incertis emolumentis, cum conditione tamen, quod in Ecclesia Camerani construi nequiret Fons baptismalis. Episcopus Cameranenses

requisivit de assignanda novo Parocho congrua: – ipsi vero se pauperes faciendo et congruam de proprio assignandi impares, reposuerunt, se petiisse Beneficii erectionem in Parochiale, post Rectoris obitum effectum habiturum, et Beneficium Camerani iis provisum esse reditibus, (annuis scilicet scutis 80, detractis oneribus) qui pro Parochi congrua satis esse poterunt –. Huiusmodi erectioni obstitit Rector praefati Beneficii. Propositis interim dubiis: – I. An et quomodo sit locus erectioni novae Parochiae in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 8 augusti 1789 respondit: – Ad primum, dilata; et audiantur Ministri Datariae. Ad secundum, dilata; et scribatur Episcopo, iuxta instructionem –; ut nempe referret super novis Cameranensium precibus, – auditis praesertim Parochis Podii Hibernorum, Ciolae Cornialis, et Sanctissimi Salvatoris, super divisione animarum inter binas ultimas Paraecias –, nec non Sacram Congregationem instructam redderet – de earumdem proximitate et commodo Incolarum, de modo repartiendi, et de annuo emolumento, quod Rector Beneficii Capellano subministrat–. His adamussim impletis, in contradictione Ministrorum Datariae Apostolicae repropositis dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ex nunc pro tunc, reservato tantum favore Parochi Podii iure subministrandi Olea Sancta. Ad secundum, providendum esse interim constituto Capellano Curato, a Beneficiato eligendo et ab Episcopo approbando, assignata eidem congrua inter Episcopum et Beneficiatum concordanda; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Ariminen. Erectionis Parochiae die 18 Septembris 1790.*

130. Imo communiter docent Doctores, iustam plerumque dismembrandi causam esse abundantiam unius Beneficii et indigentiam alterius, Engel lib. 3 Decr. tit. 12 n. 5, Garz de Benef. part. 12 cap. 2 et 3, Barbos. de offic. et potest. Episcop. alleg. 67 n. 16, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 28 n. 25, Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 12 n. 22 *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852 §. Praeterea.*

131. Quum autem Ruricolae ob distantiam trium milliariorum ab Ecclesia Parochiali ac viam deterrimam a flumine intercisam, unde plures sine Sacramentis occumbebant, dismembrationem petierint cum applicatione simplicis Beneficii post obitum possessoris, Sacra Congregatio mandavit, ut scriberetur Episcopo iuxta mentem, firma tamen remanente provisione paullo ante capta, scilicet ut interim provideretur curae animarum per deputationem Capellani Curati, assignato congruo stipendio, sumptibus Parochorum *in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 12 Septembris et die 21 Novembris 1801.*

132. Siquidem Ager *di Monte Fiore* refertus erat Incolis, qui rura colebant et habitabant, quique subiciebantur Parochis, in Oppido curam animarum tam in Collegiata S. Luciae, quam in Ecclesia divi Petri exercentibus. Ex quo fiebat, ut Agricolae habitantes extremam huius agri regionem, cui ex rurali inibi constructa Aede inditum erat nomen *della Madonna della Fede,* cum tertio circiter lapide distarent ab Oppido, aegrius ad illud accedebant, praesertim hiberno tempore, quo via deterrima evadebat, et flumen, quod interfluebat *Menochia,* ita redundabat aquis, ut impervium esset, vel a regione ad Oppidum, vel ab Oppido ad regionem. Quapropter saepissime Ruricolae illi carebant Sacris, fere nunquam audiebant verbum Dei, et non raro Sacramentis et aliis spiritualibus subsidiis destituti occumbebant. Ad haec avertenda incommoda Sessores illius regionis *della Madonna della Fede* deprecati sunt ab Sacra Congregatione, ut regio huiusmodi dismembraretur a Paraecia Oppidi, novaque constitueretur in praefata Ecclesia *della Madonna della Fede,* in qua domicilium figeret novus Parochus. Eius vero congruae providendum fore proposuit per unionem et respectivam applicationem simplicis Beneficii SS. Ioannis et Vitalis erecti in Ecclesia S. Vitalis; quae olim parochialis erat, et deinde ab anno 1603 unita fuit Collegiatae Ecclesiae S. Luciae Oppidi Montis Florum. Qui tunc possidebat hoc liberae collationis Beneficium Sacerdos Ioseph Brignole assentiebatur, ut post eius obitum novae Paraeciae addiceretur. Ministri Datariae et ipsi causas petitae dismembrationis et applica

tionis probarunt. Parochi vero Oppidi, ad quos huius regionis cura pertinebat, dismembrationi annuebant, decem tamen adiectis conditionibus. Insuper erectioni novae Paraeciae plaudebat Archiepiscopus, – ne ea mala occurrant, quae quandoque locum habuerunt, ut scilicet quis absque Sacramentorum ope et Sacerdotis praesentia decedat –. Verumtamen quum applicatio praedicti Beneficii fieri nequiret, nisi ex nunc pro tunc, scilicet quando Beneficium vacaret, ideo Sacra Congregatio die 12 Septembris 1801 rescripsit, ut interim Archiepiscopus provideret curae animarum–per deputationem Capellani Curati, assignato congruo stipendio, sumptibus utriusque Parochi –. Interea cum haec agebantur, Archipresbiter praedictae Collegiatae petiit unionem memorati Beneficii, sibi assumpto onere retinendi Vicarium perpetuum cum annuo stipendio scutorum centum. Propositis autem dubiis: – I. An sit locus dismembrationi Ecclesiarum parochialium Montis Florum et erectioni alterius in Ecclesia *della Madonna della Fede* in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative in omnibus. Ad secundum, firma remanente provisione 12 Septembris proxime elapsi, scribatur Episcopo iuxta mentem – *in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 21 Novembris 1801.*

133. Ceterum ob auctum fidelium numerum distantiam trium milliariorum viarum hiberno praesertim tempore asperitatem ob flumen et torrentes, quibus intersecantur, nedum locus est dismembrationi et respective erectioni novae Paraeciae iuxta conventionem inter Incolas loci et Parochum initam, sed attentis exiguis veteris Paraeciae reditibus indulgetur unio Beneficiorum, ut congrua pro novo Parocho constituatur *in Firmana Erectionis Paraeciae die 3 Iulii 1819 et die 20 Novembris 1820.*

134. Iamvero ut novae Paraeciae erectio et ab unica actuali dismembratio, quam usque ab anno 1768 cl. me. Cardinalis Paraccianus praemeditaverat, in Oppido Massineani ad effectum perducerentur, actum concordi studio est inter illius Oppidi Deputatos et unicum actualem Parochum Antonium Laurenti. Causae, quae suadere ipsis videbantur dismembrationem et erectionem, erant auctus nimium Fidelium numerus in unica Paraecia, quae extra Oppidum ad tria milliaria protendebatur, viarum hiberno praesertim tempore asperitas, ob flumen ac torrentes, quibus intersecabantur, lamentabilis experientia, quod plures ex Paraecianis in novissima epidemia sine Sacramentis decesserint. Conditiones communi placito conventae erant, quod nova Paraecia erigenda foret in Ecclesia S. Mariae de Misericordia, quae restaurari praesertim deberet ex caementis demoliendae Ecclesiae S. Gervasii; quod congrua novi Parochi constitueretur ex bonis spectantibus ad Beneficia S. Iulianae SS. Petri et Antonii Patavini, quae annua circiter scuta 135 reddebant, post obitum eorumdem possessorum percipienda, interim vero novo Parocho assignari poterant scuta quindecim ex decimis Beneficii sub titulo S. Quirici, et scuta viginti ex pensione alterius Beneficii sub invocatione sanctorum Felicis et Adaucti; quod novus Parochus onera manutentionis Ecclesiae Missae pro populo ac cetera onera, quae ad praedicta Beneficia spectabant, perferret; quod Prior actualis percipere deberet decimas, quae ad Beneficium S. Iulianae pertinebant; quod ad restaurandam novam Ecclesiam ad comparandas sacras supellectiles et instruendam domum novi Parochi petenda foret a Summo Pontifice suspensio collationis Paraeciae, ut in id erogari possent reditus Beneficii SS. Petri et Antonii Patavini. Ministri Datariae nihil ipsi opponebant quoad unionem Beneficiorum, dummodo expedirentur Literae Apostolicae. Propositis interim dubiis: – I. An et quomodo sit locus dismembrationi parochialis Ecclesiae in Oppido Massineani et erectioni novae Paraeciae extra Oppidum in Ecclesia S. Mariae de Misericordia in casu? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu? –, Sacra Congregatio die 3 iulii 1819 respondit: – Dilata ad utrumque, et exquiratur nova informatio iuxta mentem –. Mens autem fuit, ut Emus Archiepiscopus auditis interesse habentibus praesertim Parocho referret de actuali reditu Paraeciae Massineani comprehensis incertis transmisso statu activo et passivo, de annua impensa pro manutentione Ecclesiae S. Gervasii, de impensa necessaria pro instauranda Ecclesia S. Mariae de Misericor-

dia, et domo parochiali, de valore caementorum Ecclesiae S. Gervasii, et an provideri queat per Capellanum Curatum degentem apud aliquam Ecclesiam suburbanam. Emus Archiepiscopus retulit, reditus Paraeciae Massineani annuam summam scutorum quinquaginta circiter non excedere, ad restaurandam Ecclesiam S. Mariae de Misericordia et domum porochialem inibi construendam necessariam esse summam scutorum quingentorum nonaginta sex et obulorum triginta quinque, pro manutentione Ecclesiae S. Gervasii annuam impensam scutorum trium exuperare haud solere, eiusque caementorum valorem nummos bis centum nonaginta octo conflare, demum necessitati spirituali Rusticanorum provideri haud posse per constitutionem Capellani Curati. Omnes enim fere causas concurrere censuit, pro dismembratione ac respective novae Paraeciae erectione. Repropositis igitur dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Archiepiscopi et conventionem, per Bullas. Ad secundum, provisum in primo – *in Firmana Erectionis Paraeciae die 20 Novembris 1820.*

135. Qua de re dum adesset quidem distantia tertio et quarto lapide et itineris difficultas, sed non omnia in promptu, quae ad erigendam Paraeciam necessaria censentur, subsistere viderentur, Sacra Congregatio censuit, pro nunc non esse locum dismembrationi, uniendа vero esse duo Beneficia pro stipendio Capellani Curati *in Nullius Nonantulanae Erectionis Paraeciae die 12 Februarii 1803.*

136. Siquidem Castrum Serra suberat spirituali iurisdictioni Abbatis Nonantulani. Unica in illo erat parochialis Ecclesia divis Blasio et Abundio nuncupata, quae late in agro protendebatur, et numerabat Familias centum sexaginta. Ex his triginta sex dispersae erant inter saltus appenninos, et a Parochiali tertio et quarto lapide distabant. Omnibus praeerat Parochus Castri Serra sacerdos Petrus Bonazzoli, qui decimas personales a singulis Familiis in frumento percipiebat, quae una cum fructibus bonorum parochialium non excedebant congruam scutorum centum. Cum vero ob locorum distantiam et itineris difficultatem singulis et praecipue remotioribus habitantibus assiduam opem praebere requiret Parochus, hinc postulavit a Sacra Congregatione, ut in rurali Ecclesia S. Laurentii instituetur Capellanus Curatus, qui alpestribus Incolis Sacramenta ministraret. Ut vero stipendio Capellani Curati consultum sit, adprecatus est, ut suae Paraeciae unirentur duo simplicia Beneficia ordinariae collationis Abbatis Nonantulani, quorum alterum erectum erat in Ecclesia S. Laurentii, alterum in Ecclesia S. Ioannis, quae licet maneret intra limites Diaecesis Calliensis, attamen in ea Abbas Nonantulanus ordinariam exercebat iurisdictionem. Illud Beneficium S. Laurentii possidebat Sacerdos Ubaldus Conti, qui ex eo percipiebat annua scuta triginta, nec alio praeter manutentionem Ecclesiae onere gravabatur. Hoc vero S. Ioannis, cui nulla infixa erant onera, possidebat Presbiter Loreti, qui interea occubuit in mense S. Sedi reservato, ex quo Beneficio scuta annua sexdecim redibant. Ministri Datariae nonnullas obiecerunt difficultates super unione Beneficiorum. Episcopus censuit, erigendam esse novam Paraeciam in rurali Ecclesia Beatae Mariae ad Nives, cum commodissima esset triginta illis sex Familiis remotioribus, et possideret annuum censum scutorum quindecim ad suam manutentionem, et instructa esset rebus omnibus ad Sacra facienda. Verumtamen Ecclesia huiusmodi pertinebat ad nonnullas familias, et adnexas non habebat aedes, quas Parochus incolere posset; sed familiae illae cessionem facerent, et aedes aedificari poterant opitulantibus iis Familiis, quorum commodo nova Paraecia erigebatur, atque ex fructibus uniendorum Beneficiorum. Parochus Castri Serra assentiebatur dismembrationi, dummodo salvum ipsi esset ius decimandi, et reditus parochiales integros perciperet. His mature perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi Paraeciae et unioni Beneficiorum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative quoad dismembrationem pro nunc, Affirmative quoad unionem Beneficiorum Paraeciae Castri Serra pro stipendio Capellani, facto verbo cum Sanctissimo – *in Nullius Nonantulanae Erectionis Paraeciae et Unionis die 12 Februarii 1803.*

137. Quum itaque Pagus existeret, qui nec proprium haberet Parochum, nec ab ulla viciniori Paraecia spiritualia subsidia recipere poterat, Sacra Congregatio mandavit, ut ibidem constitueretur Vicarius Curatus perpetuus, reductis pro illius congrua plurium legatorum Missis, praeter ea, quae illius Incolae valde pauperes eidem exhibere spondebant *in Asculana Paraeciae die 15 Decembris 1804 et die 25 Maii 1805.*

138. Iamvero in Asculana Diaecesi Pagus S. Mariae inter saltus appeninos positus nec proprium habebat Parochum, nec ab ulla viciniori Parochia spiritualia subsidia recipere poterat. Unde dispersae illae oves, quae ad capita octoginta pertingebant, a pluribus annis sine Pastore vivebant, nec Asculani Antistites alio modo in rem consuluere, quam hos homines commendare viciniori Parocho, vel aliquem Sacerdotem approbatum eisdem delegare, ut diebus festis Sacrum conficeret, et aliquam animarum curam gereret. Neutrum tamen diu consistere potuit, ut experiundo compertum erat. Nam distantia et difficultas locorum impedimento erat, quominus viciniores Parochi hisce Incolis opitularentur, nec Incolae saeviente hyeme ad Parochiales accedere poterant, vel saltem, si ad ipsas irent diebus festis, cogerentur puerosque senesque deserere ipsasque domus indefensas latronibus exponere. Capellanos vero, qui ad illos accederent, difficilius in finitimis Oppidis invenire erat, et deficiente congruo stipendio, vel nullo modo hanc provinciam suscipiebant, vel eam cito derelinquebant. Post haec opus non erat describere mala, quibus homines illi contristabantur. Carebant Sacris, destituti Sacramentis occumbebant, pueri nulla institutione adolescebant, et eo res redibat, ut nec paschale praeceptum aliquando implere potuerint. Tandem Oppidani illi in tutelam Sacrae Congregationis confugerunt, ut hisce malis afflicti spiritualem opem deprecarentur, et de idoneo Pastore provideri possent. Emus Episcopus Administrator exposita confirmavit; ac pro congrua Parocho constituenda in scutis quinquaginta, cum Ruricolae valde pauperes essent, proposuit unionem redituum, quae ad Ecclesiam loci pertinebant in scutis 10 53, cessionem iuris decimandi, quo in illo agro gaudebat aliud Beneficium in eadem Ecclesia erectum, ex quo percipi poterant quotannis alia scuta decem, et applicationem legatorum Vitelli Massi Ruggieri et Sciampagna, unde scuta 21 07 quaerebantur. Ex his conflabatur summa scutorum 41 60. Quod vero deerat ad scuta quinquaginta Populani uti singuli dare spondebant. Proposito interim dubio: – An et quomodo providendum sit curae animarum in Oppido S. Mariae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 decembris 1804 respondit: – Scribatur Emo Episcopo Administratori iuxta mentem; mens est, quod transmittat fundationem Beneficii iurispatronatus, curet Patronorum consensum pro cessione eiusdem Beneficii in congruam Parochi, reservato favore eorumdem patronatu, et interim provideat, ne cura animarum detrimentum patiatur –. Emus Episcopus retulit, quod – omnes Patroni absolute recusant, et satis sibi videntur cessisse, cum tamdiu exorati cesserunt decimas favore Parochi, si is in dicto Pago instituatur, sub qua una conditione annuerunt, et donec aliunde provideatur –. Addidit Emus Administrator, – quod habitatores Pagi S. Mariae, ut gratiae, quam enixe precantur, faciliorem sternant viam, sese paratos declarant ad constituendum quotannis aliquem ex ipsis, qui exigat et tribuat Parocho, quo maximopere indigent, id quod Communitas ipsa tribuere debebit ad congruae supplementum, quin Parochus ullum subeat incommodum –. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Episcopi Administratoris per deputationem Vicarii Curati perpetui, reductis legatorum Missis ad unam annuam pro quolibet, et celebratis pro una vice decem pro Missis inadimpletis, applicatis cumulative pro quatuor Fundatoribus, proviso per eumdem Emum, quoad perpetuam manutentionem lampadis ante Sanctissimum Sacramentum, et quoad utensilia et supellectilia; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Asculana Paraeciae die 25 Maii 1805.*

139. Imo Sacra Congregatio declaravit, Episcopum erigere posse Parochialem, eique sic erectae, stante paupertate, unire Beneficium simplex, de consensu tamen Capituli *in Ferrarien. anno 1594 lib. 8 Decretorum pag. 17.*

140. Hinc potest Episcopus unire plura legata simul pia, eaque assignare pro dote parochialis Ecclesiae, una tamen cum omnibus eisdem legatis annexis *in Licien. die 11 Ianuarii 1648 lib. 18 Decretorum pag. 436.*

141. Non tamen potest Episcopus saparare a Parochiali Beneficia simplicia ei unita, et unire Canonicatui *in Mutinen. lib. 1 Decretorum pag. 14 a tergo.*

142. Hinc ob semitas asperas et impervias a duobus torrentibus intersecatas locus est dismembrationi et erectioni novae Parochialis, licet res esset de viginti sex Rusticorum Familiis, adsignatis etiam in substentationem novi Parochi reditibus Beneficii in ipsa loci Ecclesia erecti, reservato tamen Parocho iure baptizandi Pueros, et interveniendi cum suo Capellano praelative quoad alios Presbiteros in omnibus illius functionibus, dignoremque locum occupandi post novum Parochum *in Ariminen. Dismembrationis die 26 Martii 1763.*

143. Siquidem Villa Vallecchi, quam incolebant viginti sex Rusticorum Familiae, duobus milliariis distabat ab Ecclesia sua parochiali S. Felicis de Arboreto, ad quam nequibat petere accessus, nisi per semitas impervias ac dirutas, ob rupes et aquarum cursus duorum, qui eas intersecabant, torrentium, ita ut nec Parochiani, tempore potissimum hiberno, ipsam Parochialem adire possent, nec Parochus ad Villam accedere spiritualia auxilia et Sacramenta Populo ministraturus; quare debiliores pueri et senes privabantur nedum commodo audiendi Sacrum diebus festis et Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipiendi, sed etiam necessaria Evangelii et doctrinae christianae explanatione, vitam misere ducentes in magna rerum ad fidem pertinentium ignorantia, et plures occumbebant sine debita Sacerdotis assistentia, et sine necessariis Sacramentorum praesidiis. Habitatores itaque praedictae Villae postularunt, ut, praevia dismembratione, nova erigeretur Parochia in Ecclesia S. Blasii, quae extabat in eadem Villa, adsignatis in substentationem novi Parochi reditibus et proventibus Beneficii simplicis in eadem Ecclesia erecti, ascendentibus ad annua scuta 75 monetae Romanae, postquam tamen sequuta fuisset eiusdem Beneficii vacatio. Emus Ordinarius confirmavit narratorum veritatem, cum fuerit Testis oculatus occasione visitationis pastoralis, accedens ad Villam humeris hominum delatus, propter viae asperitatem; ac retulit, quod commotus Parochianorum miseriis auctor ipse fuit, ut postularetur a Summo Pontifice novae Parochialis erectio. Hinc huiusmodi erectioni suum praestabat consensum Parochus S. Felicis de Arboreto, cum cessione iurium et onerum curae super habitatoribus Villae ac emolumentorum funeralium, sibi tamen reservato iure baptizandi Pueros novae Parochiae et interveniendi cum suo Capellano, praelative quoad alios Presbiteros, in omnibus illius functionibus, dignioremque locum occupandi post novum Parochum, ac dummodo non minuerentur reditus suae Parochiae, nec sibi onus augeretur. His igitur perpensis propositis dubiis: – I. An sit locus dismembrationi Ecclesiae parochialis S. Felicis de Arboreti? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit facienda dismembratio in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Affirmative iuxta votum Emi Episcopi, servatis conditionibus in utroque consensu Parochi expressis, facto verbo cum Sanctissimo – *in Ariminen. Dismembrationis die 26 Martii 1763.*

144. At duae Familiae, quum non constituant Plebem, novae Parochialis erectionem petere non possunt, per textum in Cap. *Significasti* de for. comp., Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedif. n. 28 *in Leodien. Vicariae die 10 Maii 1760* §. *Decimatores.*

145. Hinc multo minus unica familia sufficit ad constituendam Plebem, cum saltem decem ad hunc effectum familiae requirantur, Reiffenst. ius Can. lib. 3. tit. 28 n. 6 *in Civitatis Castellanae Parochialis die 14 Martii 1840* §. *Atqui.*

146. Amplia, decem etiam tantum Homines plebem conficiunt, Can. *Unio* 10 quaest. 3, Gloss. ibi verb. mancipia, Barth. in L. *Praeter* de vi bon. rapt. n. 4 *in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 30 Aprilis 1836* §. *Cetera.*

147. Quum autem in sacra visitatione Diaecesis Sabinensis inter cetera decretum fuisset, ut, attenta magna difficultate et notabili Parochianorum incommoditate adeundi

Parochialem Ecclesiam Carbii, Ecclesia S. Mariae ad Nives in Parochialem erigeretur, nec non ultra duo praediola exiguissimi reditus et annuum reditum unius scuti novo Parocho assignata pro eius subventione et Ecclesiae manutentione eidem decimae persolverentur ab habitantibus; sed Episcopus Narniensis retulerit, Parochialem hanc erectam fuisse absque reditibus, et Parochiae Incolas tam novo Parocho, a quo Sacramenta recipiebant, quam veteri, intra cuius fines possidebant, decimas solvere gravatos esse, proposito dubio: – An erectio Ecclesiae S. Mariae ad Nives in territorio Carbii in Parochialem demandata in sacra visitatione sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, dilata; et ad mentem – *in Sabinen. seu Narnien. Parochialis die 5 Iunii 1723.*

148. Alias Sacra Congregatio censuit, posse fieri erectionem novae Parochiae extra locum designatum a pio Testatore ad commodius Populi servitium, cum conditionibus arbitrio Episcopi; his enim in terminis proposito dubio: – II. An sit facienda erectio novae Parochialis in alio loco, quam destinato per Testatorem et sub quibus conditionibus in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative; et quoad locum et conditiones, arbitrio Archiepiscopi – *in Ravennaten. Commutationis voluntatis die 7 Iunii 1698 lib. 48 Decretorum.*

149. Animadvertendum tamen est, quod Tridentina Synodus duos casus proponit: ubi scilicet Populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere, mandat Sacerdotes alios pro necessitate adiungi; ubi vero locorum distantia aut difficultas intercedit, novas iubet erigi Paraecias, etiam invitis Rectoribus *in Carpenctoraten. Dismembrationis die 30 Iulii 1785* §. *Ad primum.*

Item *in Camerinen. Dismembrationis Parochiae die 2 Decembris 1843* §. *Quoad; in Brixien. Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1857* §. *Porro.*

150. Hinc non debet vetus Parochia ob Populi affluentiam dismembrari, sed obstringendus est Parochus tot sibi Presbiteros in Adiutores assumere, quot Sacramentis exhibendis divinoque sufficiant cultui, iuxta expressam Tridentini sanctionem in cap. 4 sess. 21 de reformatione, quam exornant Fagnanus in Cap. *Ad audientiam.* n. 24, Barbosa de iure eccles. lib. 2 Cap. 2 n. 9 et 10, Leuren. in ius can. lib. 3 tit. 48 quaest. 994 n. 3, Piringh in lib. 3 Decret. tit. 48 n. 6 *in Cassanen. Dismembrationis die 3 Decembris 1740* §. *Iis.*

Item *in Vintimilien. Dismembrationis die 8 Augusti 1818* §. *At; in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848* §. *Neque.*

151. Vel ad summum, etiamsi aliquae existant causae, priusquam dismembratio Parochiae decernatur, constitui debet Vicarius, quo satis foret spirituali illius Populi indigentiae consultum; eique praestare tenetur congruum stipendium, Reclus. de re paroch. part. 1 tit. 9 *in Cassanen. Dismembrationis die 3 Decembris 1740* §. *Iis.*

Item *in Firmana die 13 Iunii 1795* §. *Iniustitiam*; *in Nullius Nonantulae Erectionis Paraeciae et Unionis die 12 Februarii 1803* §. *Alterutrum.*

152. Nam Populi frequentia legitima causa haud est novae erigendae Paraeciae *in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 20 Aprilis 1836* §. *Nec.*

153. Siquidem Doctores adnotant, ob solum Parochianorum numerum, etsi exorbitanter sit auctus in eodem loco Ecclesiae parochialis, ad subsidiarium dismembrationis remedium non deveniri, quum succurri possit semper per unius vel plurium Vicariorum deputationem, idque ex mente Tridentini tradit Constantinus in vot. decis. 313 a n. 18, et Rota in decis. 6 a n. 18 coram Otthobono *in Massanen. et Populoniae Dismembrationis Paraeciae die 9 Maii 1840* §. *Inter.*

154. Iamvero Sacra Congregatio declaravit, non esse locum erectioni novae Parochiae ex ea sola causa, quod Populus sit adeo numerosus, ut unus Rector non possit sufficere Sacramentis administrandis et cultui divino peragendo, nisi concurrant expressa in Constitutione Alexandri III, quae incipit: *Ad audientiam,* innovato Decreto Concilii in cap. 4 sess. 21 de reformatione vers. In his *in Nullius anno 1600 lib. 9 Decretorum pag. 106.*

Item *in Neritonen. Erectionis Parochialis die 21 Iulii 1663 lib. 23 Decretorum pag. 550.*

155. Hinc Sacra Congregatio respondit, Episcopum in vim Concilii Tridentini in Cap. 4 sess. 21 de reformatione non posse erigere Coadiutoriam in Parochiali propter numerositatem Populi; sed posse cogere Rectorem Parochialis ad adiungendos sibi tot Sacerdotes, qui sufficiant ecclesiasticis Sacramentis administrandis *in Narnien. die 29 Aprilis 1594 lib. 8 Decretorum pag. 31.*

156. Unde Sacra Congregatio declaravit, sustineri non posse dismembrationem seu divisionem Archipresbiteratus Oppidi Marcellinariae in duas portiones curatas ob Populi numerositatem ab Episcopo, instante loci Universitate, factam; his enim in terminis proposito dubio: – I. An dismembratio seu divisio Archipresbiteratus Oppidi Marcellinariae in duas portiones curatas facta per Episcopum ad instantiam Universitatis sustineatur? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative – *in Neocastren. Dismembrationis et Concursus die 15 Decembris 1703 lib. 53 Decretorum.*

157. Idcirco haud sustinetur Decretum Episcopi, quo, attenta numerositate Populi, duas Ecclesias filiales, in quibus Archipresbiter curam animarum per Oeconomos deputatos exercebat, ab Matrice dismembravit eiusdemque reditus novis Parochis assignavit *in Aquinaten. Erectionis Parochialium die 28 Martii 1711 lib. 61 Decretorum.*

158. Siquidem – intra limites huius Diaecesis in summitate cuiusdam Montis antiquissimum extat Oppidum hodie habitatoribus destitutum, Castrum Caeli nuncupatum, in quo unica superest Ecclesia Curata sub invocatione Beatissimae Virginis, quae regitur ab Archipresbitero, qui ab immemorabili, ut fertur, retinere consuevit etiam curam animarum in Ecclesia S. Luciae Terrae Palatioli nec non in altera S. Magni Terrae Collis cum suis Casalibus annexis, quae positae sunt ad radices eiusdem Montis, duobus circiter milliaribus inter se distantes, quaeque semper habitae sunt filiales primodictae Ecclesiae Beatae Virginis Castri Caeli tamquam matricis, ad quam certis anni temporibus Clerus utriusque Ecclesiae filialis accedere consuevit pro celebratione functionum ecclesiasticarum. Archipresbiter Matricis praedictae a viginti et amplius annis extitit Franciscus Alexander Cencius, qui curae exercitium in utraque Ecclesia filiali solitus est exercere per Oeconomos deputatos: a quibus tamen cum eadem cura male tractaretur, Episcopus in actu visitationis peractae de anno 1709, ex asserta instantia Communitatum laicalium tam Palatioli, quam Collis, innixus Decreto Sacri Concilii Tridentini cap. 4 sess. 21 de reformatione, praehabita informatione ab eodem Archipresbitero, et accedente consensu Cleri utriusque filialis Ecclesiae, attenta numerositate Populi utriusque loci hodie excreti usque ad numerum 3000, atque distantia unam inter et aliam Ecclesiam filialem, decrevit, quod firma remanente cura habituali Ecclesiarum S. Luciae Palatioli et S. Magni Collis Granciarum Ecclesiae Matricis S. Mariae Castricaeli in Archipresbitero pro tempore eiusdem Matricis Ecclesiae Rectore, quemadmodum et alia actuali cura in eodem, respectu eiusdemmet Ecclesiae Matricis, erigendos esse duos novos et distinctos Parochos perpetuos Abbates nuncupandos, subalternos praefato Archipresbitero in saepedictis filialibus respective Ecclesiis, praevio concursu eligendos, pro prima tamen vice, benevisos ipsi moderno Archipresbitero, in posterum vero prout de iure, qui in sua quisque Ecclesia residere et animarum curam exercere teneantur: eisdemque assignando pro eorum congrua certas quasdam portiones seu cartellas praebendarias ex communi dictae Ecclesiae Matricis massa hucusque acquisitas, per dictum Archipresbiterum eiusque Praedecessorem reditus ducatorum 40 pro aequali dividendorum inter eosdem novos Parochos, nec non decimas aliosque fructus incertos, qui prius percipiebantur ab eodem Archipresbitero, relicta tamen eidem sua congrua portione, iniunctoque onere residendi in dicta Ecclesia Castricaeli, inibique functiones per annum peragendi, ad quas obligavit accedere Parochos et Clerum utriusque Ecclesiae filialis, ut latius in Decreto dando in Summario.

159. Nihilominus ab eiusmodi Decreto appellarunt CommunitatesPalatioli et Collis ad tribunal A. C.; sed remissa Causae cognitione a R. P. Auditore Sanctissimi ad Sacram Congregationem, a qua requisitus Episcopus informare fusius praemissa confirmavit, trans-

mittendo copiam processus desuper constructi una cum planta supradictarum Ecclesiarum et in Summario danda, fuit concordatum infrascriptum dubium, quod ex deducendis a Partibus monitis sapienter est resolvendum ab EE. VV.: – An Decretum Episcopi sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative, et amplius – *in Aquinaten. Erectionis Parochialium die 28 Martii 1711 lib. 61 Decretorum.*

160. Hinc licet ageretur de reintegratione antiquae Parochiae, ob magnum dumtaxat numerum Parochianorum 2495 ac plurium etiam, non est locus dismembrationi, sed potius deputationi alterius Coadiutoris ab Episcopo eligendi, cum onere occurrendi indigentiis Parochianorum, iuxta modum ab eodem Episcopo praescribendum, subinde vero aucto Parochianorum numero ad 4000 dismembrationem ac novae Parochialis erectionem Sacra Congregatio indulsit *in Terracinen. Dismembrationis die 6 Iunii 1739 et die 30 Iulii 1785.*

161. Enimvero totius Terracinae Populus postulavit, ut, ob magnum Populi numerum, Ecclesia S. Ioannis in Parochialem reintegraretur. Episcopus retulit, in Civitate Terracinae animas 2495 praeter eos, qui hyemali tempore piscationis ac venationis causa ad quadringentos circiter ascendentes illuc se comferebant, impraesentiarum numerari, eamdemque Civitatem in dies magis magisque populosam fieri, cum plures e Neapolitano Regno eo venirent, ibique connubiali vinculo copularentur, hanc itaque ob causam cum Terracinenses Cives dudum sibi exposuissent, ad spirituale ipsorum auxilium et curam unum Parochum et hunc Cathedralis Ecclesiae Archipresbiterum chori servitio addictum non sufficere, ac instanter obsecrassent, ut Ecclesiam antiquitus nuncupatam S. Laurentii, in praesens S. Ioannis, in Parochialem erigeret, seu potius eam ad pristinum Parochialis statum, in quo olim cum aliis duabus eiusdem Civitatis Parochialibus reperiebatur, redintegraret, iustis piisque eorumdem Civium votis facere satis secum animo deliberasse, sed Archipresbiter et Capitulum praedictae Cathedralis licet non inficiarentur, Pueros haud satis esse necessariis catholicae fidei rudimentis instructos, Adultos salutaribus fraudari praesidiis, plures ex hac decedere vita, consuetis Ecclesiae Sacramentis non munitos, ac totam denique Civitatem abusibus vitiisque scatere et scandalis, dum unus tantum Parochus nequibat omnibus praesto esse, una tamen voce renuebant suum proposito operi assensum, iactantes insuper ideo a se negari, quod aliquod inde sibi pecuniarum detrimentum obveniret, cum incerta amitterent emolumenta, quae ex funeribus percipiebant, atque ita magis ipsorum reditus imminuerentur, alioquin satis tenues, dum Archipresbiter sexaginta dumtaxat scuta in totum, et singuli Canonici quadraginta circiter assequebantur, annuo centum et plurium Missarum onere gravati. His autem expositis, Episcopus censuit, – maximum loci putarem esse gratiae exoptatae reintegrationis aequis conditionibus EE. VV. benevisis –. At huic Episcopi sententiae non acquiescentibus praefatis Archipresbitero et Capitulo, propositis dubiis: – I. An sit locus reintegrationi Parochiae in Ecclesia S. Mariae in Posterula? *Et quatenus negative.* II. An sit locus erectioni novae Parochiae S. Iaannis? *Et quatenus negative.* III. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio die 6 iunii 1739 respondit: – Ad primum et secundum, Negative. Ad tertium, pro deputatione alterius Coadiutoris ab Episcopo eligendi cum provisione scutorum viginti, de quibus agitur, et onere occurrendi indigentiis Parochianorum, et signanter degentium extra Civitatem, iuxta modum ab eodem Episcopo praescribendum –. Post annos quatuor et quadraginta Episcopus, cum a Populi plurimo incremento usque ad numerum 4000, ex illa die confecto, intellexisset, nec Cathedralis Parochum, nec binos Coadiutores suos, ad animarum necessitatibus occurrendum, esse satis, petiit a Summo Pontifice Pio VI Parochiae illius dismembrationem et alterius erectionem in praefata Ecclesia S. Ioannis, in Collegiatam nuper erecta, adiectis insimul septem conditionibus ab eodem Pontifice probandis.

162. Propositis itaque dubiis: – I. An sit locus erectioni novae Parochiae in Ecclesia Collegiata S. Ioannis, seu potius deputationi aliorum duorum Vice-Curatorum in Ecclesia Cathedrali ad effectum dumtaxat exercendi

curam animarum, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 6 iunii 1739? *Et quatenus affirmative.* II. An et qui confines sint assignandi novae Parochiae. III. An ex quibus et in qua summa sit providendum? IV. An sit locus erectioni Fontis baptismalis in Ecclesia Collegiata S. Ioannis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative pro erectione novae Paraeciae in loco designando, et quoad omnia ad Emum Carrara cum facultatibus Sacrae Congregationis – *in Terracinen. Dismembrationis et Erectionis Parochiae die 30 Iulii 1785.*

163. Quum autem praeter Populi frequentiam adesset distantia trium vel quatuor milliariorum ab Ecclesia parochiali, sed via facilis et commoda, Sacra Congregatio denegavit dismembrationem, locum tamen esse censuit deputationi Vicarii Curati ad nutum Ordinarii amovibilis *in Bononien. die 30 Augusti 1845.*

164. Siquidem tribus circiter milliaribus a Civitate Bononiae extabat sub invocatione Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae Archipresbiteralis ac Matrix Ecclesia Burgi Panigalis de iurepatronatus Familiae Ghisleriae. Numerus animarum 5400, sed duae aderant Ecclesiae subsidiariae, una Spiritus Sancti, quae duobus milliariis a Matrice, et alia in Oppido de Calderara manebat, quae tribus milliariis a Matrice, et quinque milliariis ab extrema domo distabat. Incolae Oppidi de Calderara, qui ad numerum 800 circiter ascendebant, dismembrationem ac respective erectionem novae Paraeciae postularunt. Archiepiscopus retulit, Curatorem viduae Paraeciae atque Familiam Ghislieri patronam totis viribus dismembrationem oppugnare, vocatos pluries, etiam per Magistratum, Calderariae Populares, ut fundos exhiberent, vel emitterent obligationem pro congrua dote sacrisque supellectilibus, nihil respondisse; ex Periti relatione ab Ecclesia paraeciali Burgi tribus Bononiensibus milliariis Ecclesiam de Calderera, quatuor vero cum dimidio remotissimam domum eiusdem regionis distare; vias, quae e Burgi Ecclesia ad aliam Calderariae adducebant, esse, ut inquiebat Peritus, – in parte nazionali provinciali e comunali, tutte in buona condizione anche nell'inverno –; annuos reditus parochiales, deductis oneribus, summam efformare scutatorum 544. Unde Archiepiscopus conclusit: – Ex superius deductis satis evincitur, consuli posse deputatione Capellani Curati, cui Vicarii nomen dari posset, ab Archipresbitero proponendi, ad Ordinarii nutum amovibilis, qui, praemisso examine, idoneus compertus, patentibus literis communiatur. Ab Archipresbitero et opportuna pensio erit suppeditanda, si tamen id expedire videtur, ad Capellanum substentandum, ratione habita ad spontaneas Incolarum oblationes, quae Capellanum adiuvant auxilio. Capellano autem seu Vicario onus iniungi posset Sacramenta administrandi, concionem diebus Dominicis habendi, christianas institutiones Incolis et praecipue Pueris et Iuvenibus tradendi, aegrotis adiuvandi, Incolis autem concedi posset paschalibus feriis in Ecclesia Calderariensi sancta de altari libare, edocto Archipresbitero et certiore facto de individuis, qui praeceptum paschale implerunt –. His igitur perpensis, proposito dubio: – I. An et quomodo sit providendum circa animarum curam Incolarum loci Calderariae in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Quoad dismembrationem, Negative; in reliquis, iuxta votum Emi Archiepiscopi pro deputatione Vicarii Curati ad Ordinarii nutum amovibilis – *in Bononien. die 30 Augusti 1845.*

165. Verum ob auctum valde numerum Parochiarum et difficilem ad Parochialem Ecclesiam accessum, dismembratur pars Parochiae et unitur Canonicatui iam vacanti, etiamsi Summus Pontifex in actu erectionis Ecclesiae parochialis in Collegiatam aliter disposuerit, quoad exercitium curae animarum, atque Capitulum enixe obsistat *in Anagnina Divisionis Paraeciae die 24 Augusti 1822.*

166. Enimvero Ecclesiam parochialem, quae sola extabat Moroli in Diaecesi Anagnina, anno 1764 Clemens XIII ad Collegiatae honorem evexit, confirmato onere curae animarum, quo antea gravabatur, in Archipresbitero et duobus ex octo designatis Canonicis, qui Archipresbiterum in parochiali solicitudine coadiuvarent. Ex mille autem septingentum sexaginta tribus Parochianis, qui Moroli Paraeciam efformabant tempore erectionis, ad bis mille et centum percrevere anno 1785, ita ut quamplures extra Oppidi moenia la-

res posuerint et domicilium. Viderunt illius temporis Episcopus et Archipresbiter, fieri non posse, ut numerum tam auctum Parochianorum pasceret unius Parochi solicitudo: unde Episcopus Antonini regionem S. Petri ab eadem Paraecia dismembravit, utpote quae – ha le strade scabrose scoscese ed impraticabili, ed in tempo d' inverno molti e molti attesa la loro nudità tralasciano d' udire la S. Messa per essere lontani dalla Chiesa Matrice –, ut referebat Vicarius Foraneus; et praestito a Patrono Columna consensu, hanc perpetuo univit Episcopus Canonicatui tunc vacanti per mortem Hyacinthi Cecilia. Tres immediate Cecilia Successores sartam tectam servarunt ab Episcopo sancitam divisionem: sed Dominicus Ridolfi ad eumdem quarto vacantem Canonicatum anno 1813 praesentatus vix primo assentitus est, sibi illud onus parochiale imponi, – non autem in perpetuum, ut aiebant Bullae, sed donec et quousque vacaverit alter Canonicatus (is nempe, qui olim Abbatia S. Petri fuerat) modo a Sacerdote Dominico Boccetti possessus –: sed Episcopus Ridolfium parochiali solicitudine oneravit. E vivis subinde erepto praefato Canonico Boccelli, Promotor Fiscalis petiit, ut illa pars Paraeciae S. Petri iamdiu ab Episcopo Antonini divisa perpetuo uniretur Canonicatui iam vacanti sub titulo S. Petri. Populus Moroli, uti Patronus, suum praebuit assensum novo Paraeciae ordini, quem expostulabat Episcopus administrator, sed Capitulum adversabatur, quum novum hoc onus pugnaret cum Bullis erectionis a s. m. Clemente XIII latis, occasionem praeberet haec innovatio scandalis iurgiis disputationibusque inter Capitulares super praecedentia aliisque negotiis, ac deficeret chorale servitium saltem diebus festivis. His in contrarium adductis per Capitulum respondit Episcopus administrator. Nam a die erectionis numerus Parochianorum valde excreverat, et plures nec intra veteris Oppidi moenia steterant, verum in finitimi Oppido praediis domicilia sibi collocarunt, ex quibus difficilis ad Parochiam esset accessus, quin obesset imminutio servitii chori, cum illud exercitio munerum parochialium postponendum esset. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – An et quomodo regio S. Petri dividenda sit a Paraecia Collegiatae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo illius regionis cura unienda sit Canonicatui S. Petri in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi administratoris. Ad secundum, Affirmative, ita tamen, ut, quatenus Canonicus sub titulo S. Petri Parochus ab exercitio curae impeditus non fuerit, choro interesse teneatur – *in Anagnina Divisionis Paraeciae die 24 Augusti 1822.*

167. Hinc admittenda est dismembratio ac erigenda nova Parochia, ut vitentur incommoda iam aucti sui Populi ac detrimenta et damna, quae ob longas vias asperas et confrangosas in diem feruntur, cum praesertim decens ac apta in loco adsit Ecclesia, et Populus pro Parochi sustentatione offerat congruos reditus et opportunam domum *in Novarien. die 14 Decembris 1765 die 22 Martii et die 9 Augusti 1766.*

168. Siquidem anno 1500 ex Oppidis Culma Cisara Oyda Brolio et Nunio, quae sub una Parochia erant Oppidi Eumeniae, nova Parochia erecta est in Nunio ad Ecclesiam S. Blasii, adiecta lege quinque Oppidis pendendi Ecclesiae Matrici, quam relinquebant, annuas libras 24 imperiales, cum aliquot cereis. Anno 1607 Cisara et Culma, duo ex quinque Oppidis, suam peculiarem Parochiam constituerunt, relicto Nunio cum duobus illis Brolio et Oyda. Exemplum secuta Communitas Brolii suam sibi Parochiam constitui postulavit, ad vitanda incommoda iam aucti sui Populi, ac detrimenta et damna, quae ob longas vias asperas et confragosas in dies patiebatur. Habebat etiam decentem et aptam in loco Ecclesiam: offerebat pro sui Parochi sustentatione congruos reditus et opportunam domum. Curia vero Novariensis per sententiam novae Parochiae erectionem reiecit. Appellavit proinde Brolium ad Mediolanensem Metropolitanum, qui die 13 augusti 1760 locum esse edixit petitae per Communitatem loci Brolii separationi et dismembrationi ab Ecclesia parochiali Nunii, ideoque deveniendum fore et esse ad erectionem novae Parochiae in loco Brolii, ita tamen, ut congruae assignatio nullo modo constitueretur ex fructibus parochialibus Nunii, in omnibus et per omnia ad formam dismembrationis Cisarae et Cul-

mae de anno 1607. Reclamavit Nunium. Interim concordia inita fuit inter Procuratorem Nunii et Procuratorem Brolii, qua conventum est; 1. de remissione expensarum hinc inde; 2. de tribuendis Ecclesiae Nunii libras 200 pro instauranda Ecclesia, ac libras 1000 pro illius Parocho, qua solutione Brolium ab omni onere erga Nunium et erga veterem Matricem S. Ambrosii liberaretur; 3. quod liberum esset novo Parocho sacra omnia in sua Ecclesia celebrare, et ea etiam, quae antea ad Parochum Nunii pertinebant, atque alpes de Brolio prosuo implemento munere adire. Non placuit ea inita concordia Populo Nunii, qui illam exinde impugnavit. Proposito autem dubio: – II. An admittenda sit dismembratio seu separatio ab Ecclesia parochiali loci Nunii, et erigenda nova Parochia in Castro Brolii? –, Sacra Congregatio, postquam declaravit, locum esse approbationi concordiae, die 14 decembris 1765 respondit: – Ad secundum, Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 martii 1766 respondit: – In decisis iuxta modum, nempe esse locum separationi, facta obligatione in forma iuris valida praestandi congruam novo Parocho, firma remanente annua praestatione Ecclesiae S. Ambrosii Eumeniae, nec non cum solo onere solvendi Parochiae Nunii loco antiquae praestationis, pro una vice, libras imperiales 1300, scilicet 200 pro Ecclesia, et reliquas pro fundo eiusdem Parochiae –. Demum reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a secundo loco decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio raspondit: – In decisis, et amplius – *in Novarien. die 9 Augusti 1766.*

169. Imo attentis peculiaribus circumstantiis, Sacra Congregatio permisit, facto verbo cum Sanctissimo, ut dismembraretur et respective erigeretur nova Parochia, cum Populus in loco novae Paraeciae valde auctus esset et in dies augeretur, ac distantia vix aut ne vix quidem milliarium excederet, et via haud scabrosa, sed facilis et commoda videretur *in Massanen. et Populoniae Dismembrationis Paraeciae die 22 Augusti 1840.*

170. Iamvero parochialis Ecclesia sub invocatione S. Iacobi maioris Apostoli Oppidi Rivi in Ilvae Insula, quae ex cessione Principis Antonii Boncompagni Ludovisi iam erat de iurepatronatus tam activo, quam passivo familiae Taddei Castelli eiusdem Oppidi, tam late iurisdictionem suam protrahebat, ut praeter bis mille Oppidanos, quibus in spiritualibus praeerat, complecteretur quoque Populum quemdam elapso seculo paucis Familiis comprehensum per mille et amplius passus a superiori Oppido divisum, secus maris oram incolentem. At quanto magis hominum ibi manus excrevit confluentium maxime ad ferrariis metallis operam dandam, eo fortius novum rerum ordinem exigi quoad curam animarum compertum erat. Quare primum anno 1767 cum quatuor centum capita maritima Rivi ora numeraret, Etruriae Princeps mandavit, ut Capellanus, qui Oratorio addictus erat sub titulo Sanctorum Marci et Rochi inibi existenti, diu noctuque resideret, ut Pueros christianae fidei rudimenta imbueret, Sacrum faceret singulis diebus festis, ac ad repentinos casus Incolis adesset, salvis iuribus Paraeciae. Anno autem cadente 1796, regio etiam diplomate permittente, Antistes Capellano mandavit, ut oneribus iniunctis fungeretur – in subsidium et defectum proprii Parochi, ad spirituale commodum et beneficium Incolarum inibi existentium, absque tamen praeiudicio Praepositi pro tempore existentis –. Hisce Capellanis ob nova onera adiecta stipendium iam adauctum erat ad libellas sexaginta pro quolibet mense. Inductum etiam identidem, ut sacra Olea augustissima Eucharistia et Fons baptismalis eodem in Oratorio asservarentur. Ast inde quoniam gens illa ad bis mille fere homines aucta erat, Antistes praefatum Oratorium in novam convertere Paraeciam excogitavit, ex eo etiam quod magnus Hetruriae Dux iam ob id decreverat, ut in dicto Oratorio augustius Templum a fundamentis sua impensa extrueretur et dotaretur. At Patroni et Praepositus acriter obstiterunt: nam quidquid esset de Populi frequentia, huic succurri debere clamarunt per Capellanum; quoad distantiam autem dixerunt, quod singulae, quae in eadem Insula erant Paraeciae, scilicet quas vocabant di Porto Ferraio, di Capolivieri, e Marciano di S. Pietro, ed Ilario, late, imo latius per plu-

ra passuum millia patebant, quam ea, de qua sermo; ac in ipsa Urbe Romae Paraeciae visuntur, quae multum per agros extra moenia protrahuntur. Distantia quippe ex testimonio Agronomi Giordani haud ultra unum milliarium extendebatur, et via facilis et commoda. Nec haud levi detrimento afficeretur Paraecia, cum ibi locupletiores familiae regiorum Officialium ac Mercatorum degerent; sic namque potioribus incertis emolumentis orbaretur Paraecia, cui certa canonica congrua vix constituta erat. Contra Episcopus asserebat et nemo contradicebat, Populum ad oras maris plurimum excrevisse, ac in dies magis augeri, ob vigens inibi commercium; contenditque, unius et amplius milliarii lapidis ambitum satis amplum esse, ut Oppidanis in eo contentis per novam Paraeciam succurreretur, praesertim attentis incommodis, quae hiberno tempore vitari nequibant. Revera vel Antecessorem suum hanc necessitatem agnovisse retulit, ac dismembrationem provocasse, inde sacram Eucharistiam servandam curasse, ac Fontem baptismalem in praedicto rurali Oratorio; et vel ipsum Hetruriae Principem id ipsum sensisse, quum Oratorium ipsum ampliandum esse suo aere ac in re sua mandaverit, iurgia inter Capellanum et Parochum satis ostendere per Capellanum male provisum iri praedictae Paraeciae; praeterea nihil veteri Parocho de eiusdem congrua detrahi, nihil pariter de honoris praerogativa remitti, quamvis onere pastorali multum sublevaretur. Nam Episcopus censuit, Rectorem novae Paraeciae debere una cum Incolis parochialibus accedere quotannis processionaliter ad Matricem Ecclesiam in festo S. Iacobi maioris Apostoli, et in signum recognitionis ad maius altare cereum duarum librarum pondo devote offerre.

171. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo permittenda sit dismembratio Paraeciae Rivi in casu? *Et quatenus neagative.* II. An et quomodo sit providendum in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, attentis peculiaribus circumstantiis, esse annuendum votis Episcopi, assignata prius dote, et praeter honoris signa ab eodem Episcopo proposita, reservato etiam iure Praeposito solemnis supplicationis ad maritimam oram et benedictionis diebus Rogationum et S. Marci, facto verbo cum Sanctissimo. Ad secundum, provisum in primo – *in Massanen. et Populoniae Dismembrationis Parochiae die 22 Augusti 1840.*

172. Unde tametsi nec unius lapidis distantia adesse videretur nec via incommoda, sed facilis perhiberetur, nihilominus Sacra Congregatio, attentis numero Incolarum valde aucto et in dies augendo aliisque rerum adiunctis, post etiam pluries reiectam dismembrationis petitionem, censuit, facto tamen verbo cum Sanctissimo, locum esse dismembrationi et respectivae erectioni novae Paraeciae, designato ab Incolis idoneo fundo ab Ordinario approbando pro manutentione lampadis ante Sanctissimum Sacramentum, et pro tuitione fabricae Ecclesiae ac sacrarum supellectilium, nec non pro congrua novi Parochi saltem in scutis centum monetae Romanae, reservato vero favore Ecclesiae Matricis canone decem librarum cerae elaboratae in festo Sancti Titularis tribuendo *in Melevitana Dismembrationis Paraeciae die 4 Februarii et die 29 Iulii 1843.*

173. Siquidem in Civitate Valletta aderat Ecclesia Collegiata et Parochialis, cuius Parochiae ambitus late protendebatur etiam extra moenia, ac praesertim ad eam regionem, ubi arx munitissima ab Artifice suo nomen mutuata *Floriana* prostabat, cuius in circuitu frequens lapsu temporis factus est Incolarum numerus, domusque passim extructae sunt. Anno 1727, cum iam Florianum Fortalitium construi ceptum fuerat, petitio dismembrationis porrecta extitit Sacrae Congregationi: nam aucto habitatorum numero, et tractu temporis fortalitio Floriano completo, opus erat, ut clauderetur; unde habitatores memorati manerent expositi periculo carendi Sacramentorum administratione, saltem nocturno tempore, cum Ecclesia S. Pauli esset in Civitate Valletta, quae de nocte claudebatur, et Ecclesia S. Mariae Pietatis, clauso fortalitio Floriano, extra eius circumdarium remansura foret. Ut huic animarum periculo provideretur, magnus Magister Religionis Hierosolymitanae Summo Pontifici supplicavit pro facultate erigendi Parochiam in Ecclesia Immaculatae Virginis de Conceptione sita intra circumdarium Florianum, et quae intra

illud erat remansura, etiamsi fortalitium clauderetur. Quocirca idem magnus Magister exoravit, ut Capellanus, qui ibi manebat, esset Parochus a magno Magistro eligendus. Quum autem Episcopus retulisset, - commode posse occurri necessitati habitatorum absque dismembratione Parochiae, per assignationem videlicet situs in arce Floriana, in quo nova Vicaria Parochialis erigi posset, et nova per consequens Ecclesia construi –, cumque contra urgeret magnus Magister pro erectione Paraeciae dismembratione, qui tunc munere fungebatur a Secretis Sacrae Congregationis s. m. Benedictus XIV remisit Decreto diei 27 ianuarii 1727 magni Magistri instantiam ad Sacram Congregationem, mandavitque, ut interim – sine praeiudicio iurium Partium magnus Magister designaret situm pro aedificanda Ecclesia, in quo tamen nec Ecclesia construeretur, nec ullum aliud fieret aedificium, inconsulta eadem Sacra Congregatione, cui etiam situm designatum notificaret –. Mox vero dum moram traheret Ordo Hierosolymitanus quoad designationem situs, instante acriter Parocho S. Pauli, eoque, ut videbatur, dumtaxat informante, proposita sunt in comitiis 20 decembris 1727, et deinde in aliis diei 27 ianuarii 1728 dubia: – I. Quomodo sit consulendum Sanctissimo in casu? II. An qualis et in quo loco in executionem Decreti huius Sacrae Congregationis facti sub die 27 ianuarii 1727 sit assignandus situs pro aedificanda Ecclesia parochiali filiali intus fortalitium Florianae? III. An huiusmodi situs designatione secuta sit locus constructioni Ecclesiae in casu? –, quibus Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, pro negatione gratiae. In reliquis, dilata; et Decretum editum die 27 ianuarii 1727 exequutioni mandetur intra quatuor menses, et interim fiat planta iudicialis coram domino Inquisitore –. Vix tandem huius resolutionis vi excitata est in regione Floriana Ecclesia Beatae Mariae Virgini sacra ac divo Publio, qui prior ab Apostolo Paulo fuit Melitae adlectus Episcopus: instetit denuo ab anno 1770 Sacerdos Caietanus Buttegieg pro dismembratione Paraeciae S. Pauli, ac alterius erectione in Sacra Aede divi Publii; at instantiam peremit monitorium ab R. P. D. Auditore R. C. A. latum, quo preces reiiciebantur, atque eamdem fere sortem nacta sunt porrecta in id vota ad Apostolicam Datariam de anno 1788, quae neglecta steterunt. In Ecclesia interim S. Publii constituebantur Vicarii Curati, qui Florianam incolentibus Sacramenta ministrarent, ac augustissima Eucharistia nec non baptismalis Fons et sacra Olea asservari cepta sunt.

174. Ast tandem certa spes animis insedit Florianensium, fore ut optatam assequerentur novae Parochiae erectionem, rebus ut aiebant, prorsus immutatis, in Ecclesia S. Publii: quare haud fracti negativis responsis, quae vel a Secretaria Brevium, vel alias retulerunt, a Summo Pontifice tandem assequuti sunt Rescriptum die 2 septembris 1839, ut Causa a Sacra Congregatione, deductis hinc inde iuribus, pensaretur. Hinc etiam Episcopus Melevitanus pro dismembratione ac respective erectione novae Paraeciae instetit. Distantia enim, testibus binis artis peritis ad id a Populo adlectis, erat unius milliarii lapidis quoad Incolas proximiores, quoad remotiores vero ad bis mille et amplius protendebatur. Hanc distantiam augebat incommoditas viae, quae, agris circumsepta, patebat frequenti latronum aggressioni. Accedebat auctus ad ninimietatem Populi numerus: etenim vel ipsa Civitatis Vallettae Plebs ad undecim millia assurgebat capita; et in regione Floriana ad 6114, praeter ea, quae complectebatur militare Catholicorum praesidium, et ea, quae in dies augeri palam visebantur. Culmen imponebat pervetustum acerbissimumque odium, quod in Capitulares omnes S. Pauli excrevit in animo Florianensium, ob pluries impetitam Paraeciae erectionem, quod persaepe gravissima protulit scandala et offensiones, quae referebantur. Rebus sic stantibus, consuli amplius non poterat necessitatibus Populi per Vice-Parochos, qui alternatim in singulos menses curam gerebant, amovibiles ad nutum, ac a Parocho S. Pauli dependentes, qui vel ipse quolibet biennio a Capitulo eligebatur et removebatur. Atque hinc furente peste sub anno 1813 et Asiatico morbo sub anno 1837 factum est, ut, grege relicto, sibi unis illi prospexerint. Insuper ex publicis census tabulis et edictis Praesidis Provinciae Florianenses veluti disiuncti a Valletta Civitate censeri poterant; idcirco novum Parochum

ipsi merito efflagitabant, cum praesertim nihil detraheretur congruae pareciali S. Pauli. Nam Florianenses ipsi congruam novo Parocho in scutis octoginta praeter incertum utriusque stolae constituerunt; et Episcopus cedebat Beneficium liberae collationis reditus scutorum novem. Contra Capituli vindex contendit, legitimam non adesse distantiam, cum ex testimonio Tribuni Militum appareret, Civitatem Vallettae – essere distante due quinti di miglio dalla Chiesa di S. Publio –; ex Perito autem constabat, Ecclesiam dividi – da cinque ottavi di un miglio italiano –; et via, teste Duce aliisque pluribus, in planitie patebat, curribus aptissima, et noctu etiam facibus undequaque illustrata, ac a vigili militum lustratione defensa. Incolarum Catholicorum census, si Paraeciales libri spectarentur, de anno 1834 confecti, ad capita evehebatur – quattro mila e cinquantasei –, si autem qui ab moderno Parocho conscripti sunt – quattro mila e sessantasei –: hinc ad augendum ex adverso Incolarum numerum perperam recensitas fuisse clamitavit Virgines in domo dicta *dell' Industria* degentes, quae propriis regebantur Capellanis. Negavit, Florianam Civitatem constituere, et Populum a Valletta distinctum; negavit, Capitulum Populi necessitatibus defuisse, dum asiatica lues vel pestis grassaretur; idcirco per Vice-Curatos satis superque praefati Populi necessitatibus consultum fuisse ac esse, quin ullatenus dismembrationem praetendere posset.

175. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi Paraeciae Sancti Pauli Civitatis Vallettae et respectivae erectioni alterius Paraeciae in Ecclesia S. Publii in Pago Florianae in casu? –, Sacra Congregatio die 4 februarii 1843 responsum tulit: – Affirmative in omnibus, assignato a Florianensibus idoneo fundo ab Ordinario approbando pro manutentione lampadis tam diurnae, quam nocturnae ante Sanctissimum Sacramentum, et pro tuitione fabricae Ecclesiae ac sacrarum supellectilium nec non pro congrua novi Parochi saltem in scutatis centum monetae Romanae, reservato tamen favore Collegiatae annuo canone librarum decem cerae albae elaboratae in festo Sancti Pauli naufragii tribuendo in signum Matricitatis, facto verbo cum Sactissimo –. Summus Pontifex resolutionem Sacrae Congregationis benigne approbavit et confirmavit. At recessum a decisis Capitulum postulavit ac ursit; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Melevitana Dismembrationis die 29 Iulii 1843.*

176. Quum itaque Summus Pontifex ex aucto Parochianorum numero dismembrationem et respective erectionem novae Paraeciae indulserit ac bona inter veterem et novum Parochum dividenda permiserit, in partitione huiusmodi bonorum aequitas prae maiori labore veteris Parochi servanda est, ne Ecclesia Matrix gravissimum patiatur damnum *in Ripana Dismembrationis die 1 Martii 1834.*

177. Enimvero succrescente in dies magis Popularium numero in Oppido S. Benedicti Ripanae Diaecesis, atque ampliatis operibus et aedificatione producta, aucto quaquaversus Pago, adnotatum est, – curam uni Pastori concreditam atque commissam ea, qua par est, sedulitate ac diligentia exerceri atque administrari nullo modo posse –. Efflagitantibus proinde Antistite ac loci illius Primoribus a Pio VII, ut dismembratio ac respective erectio novae Paraeciae in Ecclesia Beatae Mariae Virginis *della Marina* nuncupatae perficeretur, precibus annuit supremus Pontifex: sed cum parochialis Ecclesia S. Benedicti pro ingenti scutorum mille et quadrigentorum summa aere alieno opprimeretur, ad illud dissolvendum atque ad aptum pro altero Curione et pro Ecclesiae tuitione censum praefiniendum nec non ad curionalem aedem extruendam, consulere oportuit. In hasce propterea causas eidem Antistiti datum fuit – omnia et singula bona ad Ecclesiam S. Benedicti spectantia interim administrare, ac centum ducata auri de camera tantum ex huiusmodi bonorum reditu unicuique Rectori praedicto praeter incerta ex stolae exercitio provenientia annuatim assignare; reliquam vero ex huiusmodi reditu superextantem summam, ad scuta 232 et obulos 48 annuatim ascendentem, tum in dicti aeris alieni extinctionem, tum in comparandam parvam

domum prope secundodictam parochialem Ecclesiam pro decenti illius Rectore habitatione, et ad instruendam pariter eamdem novam parochialem Ecclesiam supellectili sacra, convertere et erogare: item postquam huiusmodi debita fuerint dimissa, facta prius per Peritos bonorum praedictorum mensuratione ita, ut dimidia circiter illorum portio a primodicta parochiali Ecclesia bona illa, quae melius in Domino iudicaverit convenire... perpetuo dismembrare seiungere et separare, servatis de iure servandis, supportatisque proportionabiliter per utriusque parochialis Ecclesiae huiusmodi Rectores praedictos iisdem inhaerentibus oneribus, ac expressa adiecta lege, quod secundodictae parochialis Ecclesiae, ut praefertur, erigendae et instituendae Rector pro tempore existens primodictae parochiali Ecclesiae, uti Matrici, et pro tempore existenti Rectori illius quatuor pondo librarum cerae albae quotannis tribuat, quodque verbi Dei praedicatio praescriptis temporibus in primodicta parochiali Ecclesia... etiam in posterum fieri debeat –. Hisce ex Pontificis liberalitate sancitis, cuncta ad praestitutam illam normam ad mensem martii 1833 peracta sunt. Gesta quippe ab Antistite paraecialis patrimonii procuratione, et alienus aes dissolutum, sacra Aedes restituta, paraecialis domus pro novo Curione extructa, suppellex demum in sacrorum cultum comparata. Hinc cum territorii fines describendi essent et vectigalis census pro utroque Parocho statis fundis adsignandus, disputatum acriter fuit inter binos illos Parochos de bonis sibi adtribuendis. Re tamen feliciter per Episcopum conciliata, uterque unanimi consensu aestimationem fundorum constitutaque praecipua capita ad proventus una cum oneribus pro portione dividendos acceptavit die 16 mensis martii. At mox Carolus Gregorius Valloranius prioris paraecialis Ecclesiae S. Benedicti Rector supplex adiit Summum Pontificem, ut in perficienda dictorum bonorum divisionem aequitas pro maiori ipsius labore servaretur, ne Ecclesia Matrix gravissimum ex dismembratione damnum pateretur.

178. Singulis itaque rerum circumstantiis sedulo perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit Parocho Vallorani concedendum subsidium pro domus reparatione in casu etc. II. An et quomodo interpretanda clausula *circiter* Literarum Apostolicarum favore Parochi Vallorani in partitione bonorum in casu etc. *Et quatenus affirmative.* III. An et quomodo Parochus Vallorani teneatur stare conventioni obsignatae die 16 martii 1833 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in scutatis bis centum, iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative, assignato Parocho Ecclesiae Matricis in augmentum census investimento faciendo ex summis ac reditibus ad integrum annum 1833 superextantibus. Ad tertium, provisum in superiori – *in Ripana Dismembrationis die 1 Martii 1834.*

179. Quum autem Parochiae plurium Civitatum numerum animarum ultra quindecim aut viginti millium haberent, quin saluti illarum consultum fuisset per erectionem Capellarum seu Ecclesiarum intra earumdem fines, adeoque Archiepiscopus petierit facultatem eas dismembrandi ac respective erigendi in Parochiales vel alio modo providendi, Sacra Congregatio responsum dedit, ad mentem *in Toletana Parochialium die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum*

180. Siquidem – extant in Archiepiscopatu Toletano ac praesertim in Civitate Matriti plures magnae et populosae Parochiae, habentes sub unaquaque earum numerum ultra quindecim aut viginti millium animarum. Cumque singuli Pastores impares essent illarum regimini, neque unica Ecclesia capax existeret totius Populi pro inibi recipiendis ecclesiasticis Sacramentis, Archiepiscopi pro tempore curarunt erigi intra illarum fines unam vel duas Ecclesias seu Capellas, in quibus per Vicarios amovibiles, uti Parochorum Coadiutores Sacramenta fidelibus administrarentur. Verum quia experientia compertum est, huiusmodi Sacerdotes, utpote mercenarios et amovibiles, gregem sibi commissum plerumque deserere, vel saltem illius curae et saluti negligentius invigilare, unicum autem Rectorem tot sibi creditas oves nedum nec voce et exemplo pascere, sed nec etiam oculis agnoscere posse; hinc modernus Emus Archiepiscopus suo pastorali muneri sedulo intentus, ac putans tali malo nullum aptius, quam infrascriptum remedium dari posse, decrevit, antedictas Capellas seu Ecclesias a

suis Parochialibus dismembrare, illasque erigere in novas Parochias, praevio concursu conferendas, cum assignatione certae ac congruae dotis, qua etiam detracta, remanebunt unicuique ex antiquis Parochialibus annui reditus ducatorum 1500 monetae Hispanicae. Cumque dictus Emus Archiepiscopus in re adeo gravi intendat cum sapientissimo oraculo huius Sacrae Congregationis procedere; ideo supplicat ab EE. VV. perhumaniter decerni: – I. An ex causis supra expressis et verificandis, servatis servandis, liceat eidem Emo Archiepiscopo ad dictam dismembrationem et erectionem novarum Parochialium devenire? *Et quatenns affirmative.* II. An liceat eidem hoc facere etiam sine consensu antiquorum Parochorum vel Defensorum Ecclesiarum parochialium, postquàm fuerint, servatis servandis, citati? *Quatenus vero negative.* III. An et quo alio modo valeat in his casibus necessitati illorum Populorum ac saluti animarum providere? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad mentem – *in Toletana Parochialium die 4 Maii 1697 lib. 47 Decretorum.*

181. Haud aliter enim permittenda est dismembratio Parochiae, nisi duo simul intercedant, nempe absoluta necessitas et utilitas, et quod nonnisi per divisionem provideri valeat, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 28 n. 30, Corrad. in prax. Benef. lib. 3 cap. 2 n. 7, Rot. coram Falconerio in Miscellan. decis. 34 n. 11, et in Eystetten. Decimarum 14 iulii 1755 §. 5 coram Figueroa *in Derthonen. Dismembrationis die 14 Decembris 1765* §. *Communitas.*

182. Idcirco dismembratio tum decernenda est, quum alio modo Parochianorum necessitati occurri nequeat *in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 21 Novembris 1801* §. *Adverti.*

Item *in Anconitana Dismembrationis et Reintegrationis die 12 Februarii 1803* §. *His; in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 30 Aprilis 1836* §. *Fatendum.*

183. Unde Sacra Rota in hanc inclinavit sententiam, ut si necessitati Parochianorum satis consultum esse possit constituendo in remotiori parte Parochiae Capellanum Coadiutorem sive Vicarium Parochi in administratione curae animarum, potius adhiberi oporteat hoc remedium, quam alterum divellendi partem Parochiae et instituendi novam parochialem Ecclesiam, quemadmodum videre est in Recent. decis. 578 a n. 4 part. 19 tom. 2, in Leodien. Dismembrationis 1 februarii 1712 coram Falconerio, et 3 iulii 1713 coram Crispo, et 22 iulii 1714 et 25 ianuarii 1715 coram Lancetta *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis Parochiae die 8 Martii 1732* §. *Ex.*

Item *in Marturanen. Dismembrationis die 24 Ianuarii 1739* §. *Secundo; in Adrien. Parochialis die 18 Decembris 1773* §. *Advertit; in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 21 Novembris 1801* §. *Adverti; in Imolen. Erectionis Paraeciae die 22 Maii 1830* §. *Nonnulla; in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 24 Iulii 1830* §. *At; in Bononien. die 30 Augusti 1845* §. *Alterum; in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848* §. *A Beneficiorum; in Sedunen. Dismembrationis Paraeciae die 23 Aprilis 1853* §. *Ex; in Brixien. Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1857* §. *Siquidem; in Asculana Dismembrationis die 30 Iulii 1859* §. *Admissis.*

184. Nam divisio et separatio Ecclesiarum est remedium subsidiarium, cui locus esse non debet, nisi alia ordinaria deficiant, iuxta doctrinam Lapi alleg. 66, quam probant et sequuntur Iuris Pontificii Doctores apud Fagnanum in Cap. *Ad audientiam* n. 14, Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 48 §. 1 n. 13, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 28 a n. 24 *in Aquilana Dismembrationis die 25 Ianuarii 1744* §. *Defectus vero.*

Item *in Vintimilien. Dismembrationis die 8 Augusti 1818* §. *Eo; in Bononien. die 30 Augusti 1845* §. *Alterum; in Brixien. Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1757* §. *Post.*

185. Unde Sacra Congregatio declaravit, non posse Episcopum dismembrare Parochiam, ex eo quod pars sit in Civitate et pars sit extra ipsam; sed debere compellere quem de iure ad erigendam Capellam in Civitate, in eaque constituere Capellanum amovibilem ab eodem Episcopo approbandum, qui Sacramenta ministrare possit noctu Parochianis,

quibus non potest Parochus, stante quod Portae Civitatis claudantur *in Lauden. die 12 Augusti 1628 lib. 13 Decretorum pag. 508.*

186. Quapropter non indulgetur dismembratio Parochiae, si ex deputatione Capellani indigentiis Incolarum provideri valeat, cum incommoda, quae ex longa distantia viarumque asperitate profluere asseruntur, haud reapse extent *in Derthonen. Dismembrationis die 11 Ianuarii 1766.*

187. Iamvero Parochia Alpisplanae duo inter suos fines comprehendebat dissita loca, scilicet Vicum, quem superiorem appellabant, et Vicum medium. In horum primo habebatur iam longo a tempore extructum Oratorium, in quo tria etiam sepulchra extabant. Capellanus inibi pro Populi commoditate quotidie Sacrum agebat etiam diebus festis, quibus fidei rudimenta explicabat. Hinc post plures controversias inter Populum Vici superioris, qui iam Matrem Ecclesiam pene deseruerat, et Parochum exortas et ab Episcopo extinctas, altius efferbuerunt lites ex parte Vici superioris, qui novam sibi Parochiam ac peculiarem Parochum petiit; sin minus Vicarium Curatum in sua Ecclesia. Patebat enim, loca illa ad Alpes posita impervia, rigentia nive et gelu, maxima anni parte, vias salebrosas, dimanantibus perpetuo ex monte aquis, impeditas; loci distantiam ad duo milliaria iam probatam, hinc difficillimum adire Ecclesiam Matrem praesertim hiberno tempore, se usque ad 450 Incolas esse, plures sine Sacramentis ac sine auxilio Parochi distantis, atque ad alia eiusmodi persaepe impediti, periisse; se omnes subito paravisse ad dandum, si ex Parochiae reditibus non posset, novo Parocho, unde sustentaretur. Quando autem, addiderunt, suo malo fato haec Parochiae divisio non placeret, non posse saltem denegari deputationem Vicarii ex reditibus Ecclesiae parochialis, et in subsidium Populi eiusdem Vici superioris. Contra Communitas Alpisplanae impugnavit omnia, quae ex parte Vici superioris afferebantur: per nullum enim torrentem intersecari viam, nullis impedimentis, periculum abesse omne, haberi testimonium ipsius Episcopi, qui loca in re praesente perlustravit, non probari incommoda et absurda, quae evenerint ob Incolarum decessum sine Sacramentis, si id acciderit, negligentiae consanguineorum adscribendum; demum sine divisione Parochiae ac deputatione Vicarii posse provideri aliter, posse concedi facultatem Capellano, uti concessa est, audiendi sacramentales confessiones, posse permitti retentionem Sacrosanctae Eucharistiae, sed pro Infirmis tantum. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus dismembrationi Parochiae Terrae Alpisplanae et erectioni novae Parochiae in Villa Vici superioris? *Et quatenus negative.* II. An Parochus pro tempore dictae Terrae Alpisplanae cogi debeat retinere Vicarium Curatum in Ecclesia S. Iosephi dictae Villae Vici superioris, seu potius quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, nempe pro facultate concedenda Capellano Vici superioris, retinendo expensis illius Populi, audiendi etiam in huiusmodi Oratorio publico sacramentales confessiones, S. Eucharistiam et Oleum Sanctum in eodem retinendi nec non administrandi, Missamque etiam diebus solemnioribus celebrandi, salvis quibuscumque iuribus parochialibus – *in Derthonen. Dismembrationis die 11 Ianuarii 1766.*

188. Hinc etiamsi Archiepiscopus censeat, iustas adesse causas pro dismembratione ac novae Ecclesiae parochialis erectione, quin alias consuli posset necessitatibus Incolarum loci per deputationem Oeconomi, Sacra Congregatio tamen dismembrationem ac novae Parochialis erectionem denegavit *in Lancianen. Dismembrationis die 18 Novembris 1747.*

189. Siquidem Villa Arielli tercentos viginti tres numerabat Incolas, quorum impensis Templum S. Matthaei a solo eleganter extructum sacraque supellectili rebusque omnibus ad ecclesiastica Sacramenta servanda vel Populo ministranda, curamque animarum gerendam, instructum fuit. Uno distabat lapide ab Oppido Arielli, a quo nomen accepit, et cuius parochiali suberat Ecclesiae: quum itaque censerent Villae Incolae pluribus ex causis separari, praecipue vero quia frequentissime accedebat, ut plures Sacrum diebus festis audire non possent, postularunt ab Archiepiscopo, ut a veteri parochiali Ecclesia Oppidi Arielli separarentur, novaque erige-

retur in Villa Parochia. At obstitit Oppidi Archipresbiter. Hinc Archiepiscopus retulit, se rem expendisse, causasque separationis ab Incolis enumeratas veras esse, easque bene agnosci a praefato Archipresbitero, qui tamen contendebat, iis occurri posse, si Oeconomus deputaretur, qui praesto esset Incolarum Villae; se vero dixit Archiepiscopus hanc Oeconomi deputationem non probare, cum hac ratione non satis Incolis illis consultum esset, satisque commode, nullove Archipresbiteri et Ecclesiae parochialis detrimento fieri posset separatio, et novae Ecclesiae erectio. Proposito tamen dubio: – An sit locus dismembrationi parochialis Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Terrae Arielli in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative; et ad mentem – *in Lancianen. Dismembrationis die 18 Novembris 1747.*

190. Nec igitur indulgetur dismembratio, sed potius per constitutionem Capellani Curati cum facultate administrandi Baptisma et associandi cadavera consulitur necessitatibus Incolarum, quibus hiberno praesertim tempore ob redundantes torrentium aquas ac nives impossibile est accedere ad parochialem Ecclesiam *in Asculana Dismembrationis die 4 Februarii 1804.*

191. Enimvero tria Oppida ita iacebant inter saltus appenninos, ut Flenum medium esset distans a Farno secundo lapide et a S. Gregorio supra mille passuum; a Farno vero ultra tria milliaria dissita esset Villa S. Gregorii. Via, quae a Farno ad Flenum ducebat, intercisa erat duobus torrentibus *Triscino* et *Macchiolo,* quae autem a Fleno tendebat ad S. Gregorium procedebat per nemora et cacumina montium. Una tribus hisce Pagis erat Paraecia, quae hoc modo exercebatur. Parochus residebat in Farno, quod septemdecim continebat Familias et Incolas nonaginta quatuor. Ecclesia parochialis SS. Petri et Pauli una cum tabernaculo Sanctissimae Eucharistiae et Fonte baptismali extabat in Fleno, ad eamque Ecclesiam Parochus a Farno veniebat, ut universis ex tribus Oppidi Parochianis Baptisma ministraret, Matrimonia coniungeret, funera curaret. Cetera vero a Capellano Curato administrabantur in Fleno, quod incolebant viginti quinque Familiae et centum quinquaginta quatuor habitatores. Villa tandem S. Gregorii constans decem laribus et capitibus sexaginta duo carebat Capellano et Parocho, qui ad eam tantum accedebat, ut Sacrum conficeret in secundo die festo Paschali et Pentecostes in festo S. Stephani S. Gregorii magni S. Francisci Assisiensis. Parochus autem congruam percipiebat in speciebus. Compertum hinc erat, quod Terrigenae Fleni et praesertim S. Gregorii spiritualibus subsidiis prorsus destituerentur. Evenit enim in Oppido Fleni, ut mortui insepulti iacerent, cum hiberno praesertim tempore impervium esset iter, ob interfluentes torrentes: et maior itineris difficultas parabatur Oppidanis S. Gregorii, quibus impossibile erat ad Farnum vel ad Flenum accedere, cum aquae torrentium redundarent et montes obrigerent nive, quo fiebat, ut diebus festis carerent Sacrificio Missae, et plerumque mortem oppeterent Sacramentis destituti. Id quod cum saepius evenisset, saepius quoque inter Parochianos et Pastorem offensiones intercesserunt, quas timendum erat, ne aliquid gravius secumferrent. Idcirco Populus Fleni postulavit dismembrationem Paraeciae, ita ut Flenum et Villa S. Gregorii subiiciereturParocho, qui in Fleno resideret, Farnum vero dismembraretur et addiiceretur proximiori Paraeciae S. Martini, a qua non procul aberat, et saepe Farnenses illuc se conferebant, ut Sacris interessent, immo ex hac S. Martini Paraecia suppeditabatur Infirmis Farnensibus sacrum Viaticum. Incolae S. Gregorii exinde preces documentis roboratas porrexerunt, ut Sacerdos apud illos constitueretur, cum facultate administrandi Sacramenta. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi Paraeciae, seu potius deputationi Capellani Curati in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam iuxta modum, nempe deputato Capellano Curato in Villa S. Gregorii cum congrua ab Incolis assignanda et ab Emo Episcopo approbanda, et cum facultate tam Capellano Fleni, quam S. Gregorii administrandi Sacramentum Baptismi et associandi cadavera – *in Asculana Dismembrationis die 4 Februarii 1804.*

192. Qua de re quum illegitima laica potestas dismembrationem Paraeciae perpetra-

verit, et Ordinarius, ne quid gravius accideret ecclesiasticae disciplinae, concursum indixerit et collationem expleverit, Sacra Congregatio urgente subinde veteri Parocho pro reintegratione iurium parochialium, ex eo quod nulla existeret legitima dismembratio et causa iusta dismembrationis, declaravit locum esse reintegrationi, non vero dismembrationi, attenta tamen longa distantia absque itineris difficultate, censuit, deputandum esse sumptibus Parochi Capellanum Curatum, qui in loco residere teneretur *in Anconitana Dismembrationis et Reintegrationis die 12 Februarii 1803.*

193. Siquidem quae in agro Anconitano posita erat Regio a circumfluente flumine Aesino *di Fiumisino* nuncupata, ea ab immemorabili subiecta fuit Paraeciae Castri *Falconara* non parum dissitae. Nunquam tamen ab Incolis *di Fiumisino* excitata querela erat, quod illis incommodus esset accessus ad Parochialem, nec constabat, quod ullus, nisi inopina morte correptus, destitutus Sacramentis decessit. At in tumultu subinde Republicano visum est iis, qui tunc imperabant, ad instantiam nonnullorum e Paraecia *di Falconara,* dismembrare regionem *di Fiumisino,* in eaque novam Paraeciam erigere. Ne quid gravius accideret ecclesiasticae disciplinae, Emus Episcopus existimavit, esse indicendum concursum ad novam Paraeciam erigendam, frustra reclamante Parocho Frampoli, qui tamen, ut morem Episcopo gereret, consensum dismembrationi praestare censuit, ita tamen, ut in actis emiserit secretam protestationem, qua omnia iura praeservavit. Veteri subinde restituta disciplina, ac Parocho huiusmodi novae Parochialis interea e vivis erepto, Parochus Frampoli institit penes Sacram Congregationem, ut sua primaeva iura parochialia super regione *di Fiumisino* salva manerent. Nam Emus Ranuzzi nec Paraeciam dismembravit, nec illam dismembrare potuit. Nullum quippe Decretum tulit pro dismembratione facienda, et si concursum indixit, et novam Paraeciam asseruit in Literis patentibus P. Casoni uti novo Parocho datis, non idcirco dismembrationem probavit. Concursum enim indixit super Paraecia de novo erigenda, id quod excludebat, quod erecta fuisset. Nec imo Emus eam probare potuisset, si voluisset: nam deficiebat consensus Capituli et Parochi, qui reapse consensum haud praestitit. Insuper nec locus esse poterat dismembrationi ob defectum necessitatis, cum praeter distantiam, concurrere oportuisset ac oporteret Parochianorum magnum incommodum, sive quia difficile esset iter, sive quia impervius accessus, ut ipsi Sacramentis destituerentur. Quod si illud in posterum eventurum timeretur, Parochianorum saluti consuli poterat per deputationem Capellani Curati. Tria contra suadere videbantur dismembrationem Paraeciae, scilicet longa distantia regionis *Fiumisino* ab Ecclesia parochiali; periculum, ne illi Incolae Sacramentis carerent; et tandem vota Episcopi et Populi, quae in dismembrationem tendebant. Proposito vero dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi Paraeciae, seu potius reintegrationi in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. deputato sumptibus Parochi Capellano Curato, qui resideat in Regione « di Fiumisino » – *in Anconitana Dismembrationis et Reintegrationis die 12 Februarii 1803.*

194. Hinc non obstante distantia quatuor circiter milliariorum ac via aspera a flumine intercisa, Sacra Congregatio declaravit, non esse locum dismembrationi, sed potius translationi seu constitutioni Capellani Curati, facta obligatione ab hominibus loci praestandi eidem domum *in Ravennaten. Dismembrationis die 5 Aprilis 1783.*

195. Iamvero Parochus Ecclesiae S. Nicolai Oppidi Mensae Sacramenta etiam administrabat Populo Villae Canutii, quae in districtu illius Paraeciae sita erat. Populus novam Parochiam in sua Villa petiturus retulit, intercedere distantiam quatuor circiter milliariorum ab Ecclesia S. Nicolai, quin obstaret, quod aliae viae breviores adessent, cum eaedem essent privatae, non publicae, et claudi possent dominorum arbitrio. Addidit, viam asperam, a flumine Savo intercisam, hiberno tempore, propter aquarum redundantiam, accessum ad Parochiam praepedire, et quandoque accidisse, quod aliqui sine Sacramentis et sine assistentia Parochi decesserint. Congruam autem assignari posse existimavit ex veteris Parochiae reditibus; maxime quia Gregorius Ghiselli pro nova hac erectione ob-

tulit bona annui reditus scutorum 40, cum reservatione iuris nominandi Parochum sibi suisque tribuendi. Propositis vero dubiis: – I. An sit locus dismembrationi parochialis Ecclesiae S. Nicolai Villae Mensae ac respective erectioni Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Angelorum Terrae Canutii in novam Parochiam in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quomodo sit providendum in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, providendum esse per translationem Capellani Curati ab Ecclesia S. Eleuterii ad Ecclesiam S. Mariae Angelorum, facta obligatione ab hominibus Villae Canutii praestandi domum eidem Capellano Curato; et amplius – *in Ravennaten. Dismembrationis die 5 Aprilis 1783.*

196. Idcirco licet Episcopus mandaverit erectionem Paraeciae in fundo, ubi Coloni fixum non habebant domicilium, sed ab Ecclesia parochiali distabant quinque passibus mille, Sacra Congregatio mandavit, ut Episcoscopus, audito Patrono Ecclesiae, provideret de Vicario Curato residente ad nominationem contribuentium *in Anagnina et Ferentina Erectionis Paraeciae die 16 Augusti 1806.*

197. Siquidem fundum Porciani positum in Paraecia S. Petri Oppidi Anticuli Anagninae Diaecesis pertinebat iure feudi ad Capitulum Cathedralis Ferentinae. In hoc morabantur Coloni, quorum familiae tunc septemdecim erant et capita decem supra centum, quae sub mappalibus vivebant. Capitulum Ferentinum habitis comitiis die 14 Februarii 1778 statuit in hoc fundo Peraeciam erigere in rurali Ecclesia S. Erasmi et congruam scutorum quinquaginta novo Parocho constituere; proptereaque duos Canonicos ad Episcopum Anagninum Antonini adlegavit, qui hoc de erectione Paraeciae negotium perficerent. Itaque in sacra visitatione, qua ille Diaecesim Anagninam lustravit, anno 1782 die 16 Augusti Decretum tulit, quo huiusmodi precibus annuit, eosque Canonicos admonuit, ut quam primum fundum pro sustentatione Parochi assignarent. Itidem triennio post cum in posteriori visitatione rem huiusmodi infectam adhuc novisset, idem Antistes aliud Decretum fecit, quo, attento consensu Archipresbiteri Anticuli et aucto animarum numero in dicto latifundio, mandavit die 3 Augusti 1785, ut nova erectio Parochialis quamprimum perageretur. Verum nil huiusmodi praestiterunt Canonici, nec sospite Praesule Antonini, nec, eo defuncto, quo tempore Antistes successor Devoti Ecclesiam Anagninam rexit. Postquam vero hic Sedem illam reliquit, et suffectus fuit Episcopus Tosi, hic in visitatione anni 1804 mandavit, – infra terminum trium mensium praedicta Decreta exequi, quo termino elapso non erecta Parochia, nunc pro tunc mandavit expediri sequestrum contra Affictuarium latifundii ad hoc, ut ne audeat consignare responsionem etc. – Huic Decreto minime intra praestitutum tempus obsecundarunt Canonici Ferentinates. Quare Promotor Fiscalis Curiae Anagninae eos per citationem ad valvas vocavit coram Vicario generali Anagnino, et sequestrum obtinuit adversus Conductores fundi Porciani. Reclamantibus Canonicis circumscriptionem huius sequestri, R. P. D. Auditor Sanctissimi causam delegavit Sacrae Congregationi, firmo pro tunc remanente sequestro pro scutis centum tantum. Nullam itaque adesse necessitatem erectionis novae Paraeciae contenderunt Canonici, cum in fundo Porciani Coloni fixum non haberent domicilium, sed sub mappalibus viverent, dum culturae incumbebant; ubi vero infirmarentur, cum ibi nullus adesset Medicus, ad patrios redirent lares, ibique Sacramenta susciperent. Dum autem in fundo manebant, nec sacris, nec cathechesi destituebantur: deinde a Paraecia Anticuli non multum distabant, nec iter ob interfluentia flumina difficile erat et impervium. Insuper nullum esse dixerunt Decretum visitationis moderni Episcopi Anagnini ob defectum citationis illorum, quorum intererat, atque Principis Columna Patroni Ecclesiae in Parochialem constituendae. Quatenus vero illorum Incolarum necessitati subveniendum fuisset, hoc fieri poterat per deputationem Capellani Curati, quin dismembrationis remedio opus esset. Contra Promotor Fiscalis Anagninus ursit necessitatem novae Paraeciae, cum Incolae distarent ab Ecclesia parochiali quinque passibus mille; unde saepe evenit, ut multi praesentia Sacerdotis et Sacramentorum auxilio destituti occubuerint. Hanc necessitatem agnoverunt ipsi

Canonici Ferentinates, dum anno 1778 novam Paraeciam in fundo Porciano constituere deliberarunt.

198. His utrinque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus erectioni Paraeciae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Firma remanente obligatione Capituli Ferentinatis quoad scuta 50, Episcopus, audito Patrono, provideat de Vicario Curato residente ad nominationem contribuentium – *in Anagnina et Ferentina Erectionis Paraeciae die 16 Augusti 1806.*

299. Hinc ob distantiam duorum vel trium milliariorum nec non viae asperitatem, locus quidem non est dismembrationi, sed deputationi Capellani Curati, qui continuo in loco residere debet, sumptibus eius, qui ibi decimas percipit, et in subsidium reliquum supplere tenetur Populus seu Communitas *in Constantien. die 27 Iunii 1761.*

200. Enimvero ob fluminis Rheni inundationem parochialis Ecclesia in Pago Steinenstatt eversa extitit; suos nihilominus retinuit fines. Populus autem quamvis Capellam sive Ecclesiam parvam admodum vilemque reaedificaret, proprio tamen Parocho caruit, animarumque curam Vicarius Curatus parochialis Ecclesiae Oppidi Schliengensis, quae erat magno Alemaniae Ordinis Hierosolymitani Prioratui subiective unita, exercebat. Unde Incolae Steinenstatt postularunt dismembrationem, aut saltem constitutionem Capellani in Pago Steinenstatt perpetuo residentem. Nam praefatus Pagus ab Ecclesia Schliengensi duobus vel tribus milliariis distabat, et via ita difficilis et ardua, ut nonnulli Infantes sine Baptismo, Adulti sine Sacramentis obierint. Petierunt etiam, ut congrua assignaretur ex decimis, quas in loco percipiebat Magnus Alemaniae Prior, et quas contenderunt ascendere ad annuos florenos 1947. Propositis itaque dubiis: – I. An sit locus praetensae dismembrationi Ecclesiae parochialis Pagi Schliengensis? *Et quatenus negative.* II. An sit locus praetensae deputationi Capellani Curati, qui continuo residere debeat in Pago Steinenstatt, et a quo eidem sit assignanda congrua? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et amplius. Ad secundum, Affirmative sumptibus magni Prioris ex decimis parochialibus Steinenstatt, et in subsidium reliquum suppleatur a Communitate – *in Constantien. die 27 Iunii 1761.*

201. Quapropter etsi distantia quinque milliariorum cum dimidio existeret nec non viarum difficultas adesse videretur, Sacra Congregatio censuit, locum non esse dismembrationi, sed potius constitutioni Capellani Curati *in Bononien. Dismembrationis die 30 Maii 1835.*

202. Siquidem in ambitu Municipii Castri S. Petri posita erat parochialis Ecclesia S. Laurentii Vico *Varignana*, cui subsidialis erat, ut vocabant, Ecclesia S. Antonii Vico *Gaiana*, cuius patronae erant familiae Bentivoglio et Agucchi. Quum una Ecclesia distaret ab alia circiter sex passuum millibus, atque per duo milliaria via ob clivos difficilis, hyemali praesertim tempore, salebrosum ac incommodum praeberet iter, huius loci Incolae, qui constabant novemdecim familiis ac fidelibus bis centum sexaginta, exorarunt Summum Pontificem, ut suam Ecclesiam S. Antonii in Parochialem erigeret. Archiepiscopus retulit, Incolas praefatae Parochiae ascendere ad 1369, reditus parochiales ad scuta circiter 250, ab Ecclesia S. Antonii percipere Parochum in primitiis scuta 24, quorum novem relinquebantur eiusdem Rectori in laboris compensationem erga Parochianos ibidem inhabitantes, adesse distantiam quinque milliariorum cum dimidio, ac viam hyemali tempore esse difficilem, quin tamen aliquid detrimenti passi fuerint Infantes, dum ad Matricem Ecclesiam ducerentur, Ecclesiam S. Antonii nuper e fundamentis pene reaedificatam esse instructam supellectilibus, habere turrim campanariam et caemeterium. His igitur inspectis, licet non adesset vera necessitas, censuit tamen, locum esse posse dismembrationi ac respective erectioni novae Paraeciae, cum et modum proposuerit, ut haberentur scuta nonaginta pro novo Parocho. Itaque ex distantia argui posse videbatur, non deesse magnam illam difficultatem ac magnum incommodum, quo pro Sacramentis percipiendis et divinis officiis audiendis requirunt Alexander III et Concilium Tridentinum. Advertebatur tamen, Ecclesiam parochialem S. Laurentii suo Pastore tunc esse orbatam; ideoque Parochi consensum non accedere, qui vocandus foret, ut iura suae Ecclesiae defendere posset.

His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus dismembrationi Ecclesiae S. Antonii de Gaiana a parochiali Ecclesia S. Laurentii de Varignana in casu? *Et quatenus Negative.* II. An et quomodo sit providendum congruae novi Rectoris in dicta Ecclesia S. Antonii in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et esse constituendum in Ecclesia S. Antonii Capellanum Curatum, servatis servandis, cum assignatione primitiarum iuxta votum. Ad secundum, provisum in primo – *in Bononien. Dismembrationis die 30 Maii 1835.*

203. Quin imo etiamsi via, quae ad Parochialem ducebat, teterrima esset, et intercepta a rivo, qui exundans pluviis et nivibus impossibilem reddebat accessum ad Parochialem, unde gravissima mala oriebantur et aegroti sine Sacramentis moriebantur, quin Defunctorum corpora feretro efferri possent, Sacra Congregatio tamen dismembrationem denegavit, sed iussit, constitui Capellanum Curatum, qui Sacramenta ministraret, excepto Matrimonio et communione tempore paschali *in Novarien. Dismembrationis die 17 Maii 1749.*

204. Enimvero Homines Pagi Ingiaschae in edito siti monte petierunt dismembrationem ab Ecclesia parochiali Oppidi Cusonei. Pagus enim constabat 400 Capitibus: et distantia a Parochiali, licet esset mille passuum, nimia tamen erat ob viae qualitatem, quae gressus retardabat, et ob praesentia pericula; teterrimae rupes et scopuli iter praestabant. Sane hinc mons praeruptus, inde valles profundissimae visus mentem turbabant, via scal. pro excita erat e saxis et scopulis, iter rivus intercipiebat, qui exundans pluviis et nivibus impossibilem reddebat ad Ecclesiam parochialem accessum: venti hyeme nives et glacies, unde validi etiam Iuvenes dilabantur quoquo passu, faciebant, ne senes pueri utero gerentes mulieres Sacra audirent, Sacramenta acciperent, et fidei rudimenta discere possent in Ecclesia parochiali Cusonei. Parochus his praepediebatur, ne Ingiaschum pergeret: hinc sine Sacramentis aegroti moriebantur; pericula Infantium et Obstetricum, quae eos portabant, ut Baptismate lustrarentur in parochiali Ecclesia, manifestissima erant. Defunctorum corpora feretro efferri non poterant, sed scalis religata aut funibus aut salicum ramis trahebantur; hinc qui ea trahebant, hamatis licet pedibus, cadebant. Placuit Episcopo, hanc fieri debere separationem; sed contradixit Parochus, quia vias reparari posse dicebat; luctandum tamen erat cum saxis et scopulis, cum nivibus glacie pluviis ventis. Dicebat etiam, Cappellanum praeponi posse; disputarunt tamen Homines Pagi non ob auctum Populi numerum, sed ob necessitatem peti separationem; et ideo huic remedio locum non esse. His mature perpensis, proposito dubio: – An sit locus dismembrationi Parochialis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negagative, et Episcopus mandet provideri iuxta modum (1) – *in Novarien. Dismembrationis die 17 Maii 1749.*

205. Quamvis vero statutum ordinario sit, ut, ubi per Vicarium provideri possit, Paraeciae non dismembrentur, tamen plures tradunt Doctores, quod fieri potest, si melius consulatur per Parochum, quia Vicarius mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus *in Camerinen. Dismembrationis Paraeciae die 8 Iulii 1843* §. *Quod.*

206. Quin imo quamvis persaepe in foro invaluerit opinio non deveniendi ad dismembrationem Paraeciae, ubi prospici posset per Capellani retentionem, Ferrar. Biblioth. can. verb. in additione ad rubricam dismembratio, contrariam tamen sententiam amplexa est Sacra Congregatio, uti conformem Cap. *Ad audientiam* et Concilio Tridentino, quamque inter alios tenuerunt Van – Espen. iur. eccles. univ. part. 2 tit. 6 cap. 2 §. 24, Zypaeus resp. unic. de aedif. eccles. n. 2, Ursaya discept. 14 n. 95 et 108 part. 1 tom. 1, Constant. vot. dec. 343 n. 18 tom. 2 *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Nec.*

207. Unde si adsit distantia a tribus ad quinque passuum millia, et difficilis ad parochialem Ecclesiam accessus ob viarum asperitatem, hyemis praesertim tempore, atque ob

(1) Modus est, ut congrua Capellano Curato assignetur a Parocho Cusonei in quantitate ab Episcopo statuenda' quodque per eumdem Capellanum expleantur omnes functiones parochiales, et administrentur omnia Sacramenta, excepto Matrimonio, et communione tempore paschali, *ceu videre est in lib. 99 Decretorum pag. 208.*

interiectas torrentium aquas, locus est dismembrationi Paraeciae, non vero constitutioni Capellani Curati, assignatis pro congrua novi Parochi decimis, quae colliguntur intra fines dismembratae Paraeciae, etiamsi Collegiata Ecclesia Matrix ex huiusmodi assignatione in destructionem ruere videatur, cum eidem aliis mediis canonicis sit providendum *in Reatina Dismembrationis die 20 Septembris 1817 die 19 Novembris 1818 et die 19 Maii 1821.*

208. Siquidem Alabri, quod Oppidum est in Reatino, extabat Ecclesia Collegiata et Parochialis, cui subiiciebantur octingenta fere animarum capita, quorum biscentum intra moenia eiusdem Oppidi habitabant, reliqua per agrum dispersa erant. Cura animarum geretur ab Archipresbitero, adiuvantibus duobus Canonicis. Remotiores Ruricolae Villam constituebant, nuncupatam *Colli di labro*, quae per plura millia passuum distabat ab Ecclesia parochiali, ad quam, utpote in monte positam, difficilis patebat accessus, ob viarum asperitatem, hyemis praesertim tempore, ob interiectas torrentium aquas. Hinc veteres Incolarum querelae, ob deficientiam spiritualium subsidiorum, cum diebus tantum festis Sacerdos ad Villam accederet, ut in Ecclesia S. Mariae Magdalenae Sacrum faceret. Narrabant enim, se cathechesi deficere, non solum pueros, sed etiam adultos rudimenta fidei ignorare: perrarum esse, et vix semel in anno, ut ad sacram Synaxim accessum haberent: Infirmos sine Sacramentis decedere, mortuos sine Sacerdote ad Ecclesiam tumulandos deferri. Ut spiritualibus illius Populi necessitatibus occurreret, Episcopus Marini unum ex Canonicis ad Villam Collium anno 1795 et rursus anno 1800 misit, ut in ea Villa resideret, et suo dependentia Archipresbiteri Alabris Sacramenta administraret, sed ob tenuitatem stipendii una alteraque vice recessit. Tandem Populus ille ab Sacra Congregatione imploravit dismembrationem Paraeciae. Episcopus tentatus est, in sacra visitatione paulo ante habita novisse ea incommoda, ex quibus Populus Collis dismembrationem postulavit: multos allegavit Testes etiam ex vicinioribus locis, qui asperitatem difficultatem viarum et exposita mala confirmabant. Attulit relationem Peritorum, qui distantiam ab Ecclesia parochiali constituerunt a tribus ad quinque passuum millia, prout propius aut longius ab Ecclesia positae erant Incolarum domus. Parochum sive Archipresbiterum rogare non potuit, quia vacans erat Ecclesia parochialis. Oeconomus Curatus Patroni et Canonici dismembrationi repugnarunt. Nimium enim decurtari dixerunt iurisdictionem Parochialis et Collegiatae Ecclesiae ob diminutionem animarum incertorum stolae et divini cultus detrimentum, cum dies festi Sanctorum celebrarentur ex collata symbola ab omnibus Parochianis, ita ut, facta dismembratione, Populus Collis nihil contribueret, pro festis celebrandis in Ecclesia Collegiata. Contenderunt itaque, satis animarum necessitati opitulari posse per deputationem Capellani Curati. Haec tamen omnia in pretio minime habenda esse putavit Episcopus in sua informatione, cum de necessitate constaret, quin huic necessitati occurri posset per deputationem Capellani Curati. Populus autem Collium spondebat, se decimam familiarem repraesentaturum tum tritici, tum frumenti, quam decimam inter se diviserunt omnes familiae in quinque classes distributae pro modo facultatum illam pensitantes, atque etiam Parocho concedebant, ut conquirere posset symbolam musti, voluntarie tamen a Populanis retribuendam. Familia Laurenti cedebat pro augmento congruae Capellaniam sui iurispatronatus, ex qua redibant annua scuta viginti quinque.

209. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus dismembrationi Villae Collis a Paraecia Ecclesiae Alabri et erectioni novae Paraeciae in Ecclesia S. Mariae Magdalenae Collis, seu potius deputationi Capellani Curati in casu etc. II. An et quomodo sit providendum congruae novi Parochi in Ecclesia Collis, seu potius et a quo sit solvendum stipendium Capellano Curato in casu etc. –, Sacra Congregatio die 20 septembris 1817 respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem iuxta votum Episcopi, reservato favore Matricis aliquo honoris signo arbitrio eiusdem Episcopi, Negative ad secundam. Ad secundum, Affirmative ad primam partem per unionem Capellaniae Laurenti et assignationem decimarum, facta tamen prius per Populum Collis obligatione in forma iuris valida de solvendis

decimis in perpetuum, et constituto fundo pro manutentione lampadis, Negative ad secundam –. Vix tamen emissa obligatione a Populo Collium de solvendis decimis, non quidem in perpetuum, sed donec aliter congrua provideretur, diem obiit supremum Episcopus Fioravanti: hac occasione capta, Canonici Concurati Ecclesiae Matricis coram Vicario Capitulari iudicialiter et extraiudicialiter institerunt, ut decimae omnium etiam frugum sibi solverentur. Vicarius Capitularis Decreto provisionali statuit, Alabri Cuncuratos in possessione decimarum manutenendos esse, permittens, ut, ex decimis collectis et penes probum Virum depositis, octo rubra dumtaxat Canonicis Concuratis darentur, quae octo rubra eam aequabant portionem, quae ex praediis colligebantur familiarum Vitelleschi et Crispolti fruentium iurepatronatus Canonicatuum dictorum Concuratorum. Insuper mense augusti Augustinus de Sanctis instrumento exhibito probavit, Capellaniae Laurenti pro dote novae Paraeciae assignatae passivum iuspatronatus ad propriae familiae Clericos pertinere. Dotis igitur complementum novae Paraeciae dari non potuit. Reproposito autem dubio secundo sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio sub die 20 septembris anni 1817 in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 novembris 1818 responsum tulit: – In decisis etiam quoad decimas Patronorum super bonis intra fines novae Paraeciae existentibus, firma remanente perpetuitate huius oneris quoad omnes, dempta Capellania Laurenti –. Illico novus Episcopus S. Congregationis Decreta exequutioni mandavit. At Municipes Patroni novus Archipresbiter Rondini et Populus novae audientiae beneficium rogarunt exponentes, ex facta rurali Paraeciae assignatione decimarum promanare Matricis Ecclesiae destructionem, ob subtractam congruam, tum Archipresbitero, tum Canoncis Concuratis. Rogatus hinc fuit Episcopus die 6 maii 1820 pro nova informatione et voto, – ut, auditis Patribus familias Villae, vulgo *dè' Colli*, et novo Parocho eiusdem Villae, eisdemque praefixo termino unius mensis ad deducendum iura sua in Sacra Congregatione, referret de resultantibus, non retardata interim exequutione resolutionum Sacrae Congregationis dierum 20 septembris et 19 decembris 1818 –. Episcopus retulit, quod omnes interesse habentes audiverit, adductaque ab ipsis rationum momenta transmisit: atque ex applicatione decimarum novae Paraeciae arguit Collegiatae destructionem. Oeconomus vero novae Paraeciae et Populus Collium contrarium ostendere insudarunt; atque orarunt, quatenus constaret, ob detractionem decimarum desertam remansisse Collegiatam, ut illius congrua augeretur canonicis mediis, vel unione scilicet Beneficiorum, vel subiiciendo Populum Alabri solutioni decimarum, non autem iterum Collegiatae adiudicando decimas, quae colligebantur intra fines dismembratae Paraeciae. Reproposito igitur dubio sub formula: – I. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo et secundo loco quoad decimas in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, in decisis; et amplius – *in Reatina Dismembrationis die 19 Maii 1821* (1).

210. Idcirco constituendus est Vicarius perpetuus, qui per concursum eligi debet, in Villa, quae ab Ecclesia parochiali distat quingentorum et mille circiter passuum intervallo, quin etiam aliquae Familiae dissitae sunt longiori ter mille circiter passuum spatio, atque via valde ardua et aspera est hyemali presertim tempore, ac pars quoque eiusdem viae interscinditur a torrente, per quem lignea trabes transitum praebet *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis Parochiae die 22 Martii die 27 Septembris 1732 die 24 Ianuarii 1733.*

211. Iamvero Episcopus anno 1718 censuit, esse constituendam novam Parochiam in Villa Meridii, divellendo partem veteris Parochiae Castelli Corvarolae, atque ita per sententiam pronunciavit. Provocavit Rector Parochialis Ecclesiae Corvarolae ad A. C., sed deinde iussu Summi Pontificis cognitio Causae commissa fuit Sacrae Congregationi. Ex processu autem confecto in Episcopali Curia, citato auditoque Parocho Corvarolae, apparebat, Villam Meridii distare ab hac parochiali Ecclesia spatio quingentorum et mille passuum,

(1) Reliqua quoad media canonica, quae Sacra Congregatio adhibuit, ut congrua Canonicis augeretur, habes in Verb. *Capitulum*, §. IV, n. 134, Tom. VI.

quin etiam aliquas Familias dissitas esse longiori ter mille passuum intervallo: viam praeterea esse valde arduam et asperam, hyemali praesertim tempore, aucta ob nivem et glaciem difficultate itineris: partem quoque eiusdem viae, qua pergebatur ad ultimas Villae domos, interscindi a torrente, per quem lignea trabes transitum praebebat. Hinc vero fiebat, ut multi ecclesiastico praecepto adstandi Sacrificio Missae satisfacere nequirent, nec fidei rudimenta a Parocho accipere. Contigit etiam quandoque, quod relictis absque custode Infantibus, dum Parentes ad Ecclesiam parochialem se contulerint diebus festis, vitam ignis abstulerit. Saepius etiam accidit, Accolas illius Villae sine extrema Sacramentorum expiatione et sine ope Parochi decessisse. His interim perpensis, proposito dubio: – I. An sit locus dismembrationi Parochiae S. Michaelis Archangeli Corvarolae ac erectioni novae Ecclesiae parochiali in Villa Meridii? –, Sacra Congregatio die 22 martii 1732 responsum dedit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem –; scilicet Episcopo mandavit, ut tractatum iniret de instituenda Vicaria aut Capellania Curata perpetua in memorata Villa, cum assignatione annui proventus sive mercedis congruentis substentationi eiusdem Vicarii vel Capellani, nec non cum aliis opportunis conditionibus, citra tamen sectionem veteris Parochiae et erectionem novae. Episcopus autem retulit, Rectorem parochialis Ecclesiae Corvarolae assentiri quidem deputationi Vicarii seu Capellani Curati, qui Populo eius Villae Sacramenta ministraret in casu tantum necessitatis, dummodo ab eodem Populo idoneum stipendium ei tribueretur: at vero cum Meridiensibus operam omnino perdidit Episcopus; ii enim obfirmato animo huic temperamento repugnabant, propositique sui tenaces postularunt institutionem novae Parochiae in ipsa Villa Meridii, cum plena exemptione a Parocho Corvarolae. Reproposito tamen dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 27 septembris 1732 respondit: – Negative, sed esse erigendam Vicariam perpetuam cum assignatione congruae solvendae a Communitate Villae Meridii, et dummodo provideatur indemnitati Parochi Corvarolae; et ad Episcopum pro executione, cum auctoritate Sacrae Congregationis–. Meridienses non satis per hoc Rescriptum sibi prospectum existimantes, rursus plenam veteris Parochiae erectionem postularunt. Reproposito hinc dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 27 septembris 1732? –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis iuxta modum: modus est, quod Vicarius perpetuus eligatur per concursum, et quod Episcopus assignet eidem Vicario emolumenta, quae dicuntur stolae, reservatis reliquis redditibus Parocho Corvarolae; et amplius – *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis Parochiae die 24 Ianuarii 1733.*

212. Hinc prout rerum circumstantiae ferunt Sacra Congregatio mandat erectionem Ecclesiae in Vicariam perpetuam et parochialem, iuxta modum explicandum ab Emo Praefecto: quandoquidem quum inter Episcopum Larinensem et Abbatem S. Agathae Canonicorum Lateranensium Insulae Tremitarum complures ortae essent controversiae, quarum altera ad dismembrationem Ecclesiae parochialis ac respective erectionem novae Parochiae referebatur, proposito dubio: – III. An sit locus dismembrationi et respective erectioni novae Parochiae, seu potius deputationi Vicarii pro exercitio curae animarum existentium, tam in loco S. Agathae seu Civitatis ad mare, quam etiam in aliis duobus Feudis S. Leuci et Ramitelli eorumque Territoriis, spectantibus ad Monasterium S. Mariae Tremitarum? –, Sacra Congregatio die 23 novembris 1737 responsum tulit: – Ad tertium, dilata et ad mentem –, quae in eo versata est, ut – proponeretur concordia, pro qua ageret Emus Card. Lercari protector Ordinis, suumque aperiret sensum Sacrae Congregationi, et interim provideretur curae animarum, iuxta Capitulum octavum concordiae –. Reproposito cum aliis praefato dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio die 1 augusti 1739 respondit: – Servetur concordia anni 1734, iuxta modum; et modus est, quod Parochus deputandus in Ecclesia S. Agathae appelletur Vicarius, non autem Oeconomus, prout denominatur in Cap. 3 dictae transactionis, quod ius eligendi et deputandi Oeconomum interinum in casu cuiuslibet vacationis praeservetur Rmo Episcopo, quodque demum deleatur a

Cap. 6 eiusdem transactionis expressio, quod visitatio dictae Ecclesiae parochialis fieri debeat ab eodem Rmo Episcopo iure delegato –. Reproposito inde praefato dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 19 decembris 1739 respondit: – In decisis, et amplius –. Episcopus itaque Ecclesiam S. Agathae in Vicariam perpetuam et parochialem cum cura animarum, servata forma resolutionum Sacrae Congregationis et Concilii Tridentini, erexit; sed praefatus Abbas illam nullam ac irritam esse contendit. Propositis itaque dubiis: – I. An erectio Ecclesiae S. Agathae in Vicariam et parochialem perpetuam facta sub die 5 iulii in executionem resolutionum Sacrae Congregationis substineatur in casu etc. *Et quatenus Negative.* II. An et quomodo ad illam sit deveniendum in casu etc. –, Sacra Congregatio, respondit: – Ad primum, Negative. Ad secundum, deveniendum esse ad erectionem, iuxta modum explicandum ab Emo Praefecto (1) – *in Larinen. die 15 Aprilis 1741.*

213. Nam si plura extent incommoda, permittitur Parochis erigere Ecclesiam filialem in parochialem cum deputatione Vicarii perpetui, ac etiam novam Ecclesiam aedificare atque erigere in Parochialem filialem, etiamsi aedificatio praefatae Ecclesiae ex aemulatione fieri videatur *in Sorana Iurium parochialium die 17 Novembris 1753 et die 20 Iulii 1754.*

214. Siquidem in territoriorum Gallinarii, quod ad Soranam Diaecesim spectabat, atque Atinae, quod ad Episcopum Aquinatem pertinebat, confinio, et partim in uno, partim in altero ex his territoriis aedificari cepit *Casale Ricinischi.* Quinque primum Familiae agrorum colendorum causa locum hunc habere ceperunt, mox aliae atque aliae ex Atina et Gallinario convenientes, et partim in territorio Atinae, partim in territorio Gallinarii consedentes locum auxerunt, omnesque cives Ricinischi dicti sunt. Post auctum numerum Populi in Casali Ricinischi, cum nimis incommodum esset ad Parochiales Gallinarii vel Atinae accedere, communibus Incolarum impensis extructa fuit Capella dedicata Beatae Mariae de Monte Carmelo, quae cum aedificata fuerit in ea parte Casalis, quae erat in territorio Atinae, pertinere debuit ad Ecclesiam Collegiatam et parochialem eiusdem Civitatis, et ideo a Canonicis eiusdem Ecclesiae deputati fuerunt Capellani dictae Capellae Ricinischi, in qua tamen nullum unquam Sacramentum retentum fuit, nullaque extructa sepulchra, unde si aliquis Atinas habitans in parte Ricinischi sita in territorio Gallinarii voluisset in Ecclesia Atinae tumulari aut sepulturam elegisset, aut aegrotans transferebatur in alteram Ricinischi partem, vel in ipsam Atinae Civitatem, ut moriens in Collegiata et parochiali Ecclesiae eiusdem Civitatis conderetur. Capellani vero Ecclesiae Beatae Mariae de Monte Carmelo iura et functiones parochiales in ea Casalis parte, quae posita erat in territorio Gallinarii, non exercebant, nisi data venia a Parochis Gallinarii. Itaque cum exinde huiusmodi iura et functiones proprio marte exercere contenderent, Parochi Gallinarii questi sunt de turbata eorum iurisdictione, atque exoptarunt in eadem parte Casalis aedificare Ecclesiam filialem; sed ex adverso contendebatur, id haud iis permittendum esse, quod aedificium fieret ex aemulatione. His vero perpensis, propositis dubiis: – III. An Ecclesia Sanctae Mariae de Monte Carmelo sita in territorio Atinae sit erigenda in Parochialem filialem dictae Civitatis cum deputatione Vicarii perpetui in casu etc. – IV. An liceat Curatis dictae Terrae novam Ecclesiam ex parte eiusdem territorii erigere in Parochialem filialem in casu etc. –, Sacra Congregatio die 17 novembris 1753 respondit: – Ad tertium et quartum, Affirmative –. Repropositis inde dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Sorana Iurium parochialium die 20 Iulii 1754.*

215. Hinc etiamsi Parochus pro dimidia anni parte modo in uno, modo in alio Paraeciae loco commoraretur, relicto interim Vice-Parocho in eo, a quo ipse aberat, ni-

(1) Modus est, ut Vicaria erigatur in Ecclesia S. Agathae, utque ibidem pro custodia Sanctissimi Sacramenti, aliisque functionibus parochialibus, ad usum Vicarii Curati designetur Altare Abbati benevisum, *ceu videre est in lib. 91 Decretorum pag. 189.*

hilominus ex eo quod praedicta loca uno in ter se milliario cum dimidio distabant, et monte aspero ac praecipitis torrentis aquis dividebantur,et ex frequenti Parochi mutatione innumera propemodum scandala irrepserant, animarumque damna obvenerant, Sacra Congregatio permisit, ut dismembraretur ac respective erigeretur nova Paraecia, et, suppressis duabus Participationibus, ex illarum reditibus congrua pro novo Parocho constitueretur, quin vetus Parochus, nisi iura tantum honorifica sibi reservare posset *in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Parochiae die 29 Ianuarii 1848.*

216. Enimvero intra limites vetustae Diaecesis Aquinatensis, iurisdictioni Episcopi Sorani subiectae, duo comprehendebantur Oppida, quorum primum, vulgo *Colle S. Magno* nuncupatum, constabat animabus 1835, et Ecclesiam habebat Receptitiam ex quinque Participationibus; alterum appellabatur *Palazzolo,* in quo 1700 capita enumerabantur, ac par extabat Ecclesia cum paribus Participationibus. Ambo ab uno eodemque regebantur Parocho titulo Archipresbiteri di *Castrocelo,* qui pro dimidia anni parte modo in uno, modo in alio commorabatur, relicto interim Vice-Parocho in eo, a quo ipse aberat. Distabant praefata Oppida uno inter se milliario cum dimidio, et monte aspero ac praecipitis torrentis aquis dividebantur. Ex frequenti Pastoris mutatione factum est, ut multa in utroque Oppido obvenerint animarum damna, innumera propemodum irrepserint scandala. Ad haec e medio tollenda omnem adhibuit curam Soranus Antistes, saepe illuc ecclesiasticos mittens viros, qui Dei verbo malos ad bonam frugem reducerent. Verum haud optatum finem adeptus est Episcopus: quamobrem consilium iniit Paraeciam dismembrandi, ac unicuique Ecclesiae Rectorem tribuendi. Hinc adiit Sacram Congregationem, ac postulavit, ut novus Parochus constitueretur in Ecclesia *di Colle S. Magno,* atque pro eius congrua supprimerentur duae Participationes ipsius Ecclesiae iam vacantes, quarum maiores summam quinquaginta ducatorum non excedebant, atque novo Parocho applicarentur. Clerus utriusque Ecclesiae assentiebatur; atque ipse Parochus consensum praestabat, pluribus tamen adiectis conditionibus, ac praesertim ea, qua sibi reservabat ius adimplendi in Ecclesia *di Palazzolo* Anniversaria aliaque pia opera, quae iuxta Fundatorum ac Benefactorum voluntatem adimpleri debebant in Ecclesia *Colle S. Magno.* Contra vero advertebatur, posse quidem veterem Parochum sibi aliquas praeeminentias reservare, licet nova Parochialis non aedificetur vel dotetur ex reditibus suae Ecclesiae, non vero huiusmodi conditiones apponere posse, cum observandam esse Fundatorum ac Benefactorum legem nemo sit qui nesciat. His igitur perpensis, propositis dubiis: - I. An sit locus dismembrationi et erectioni novae Ecclesiae parochialis in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit providendum congruae novi Parochi in Ecclesia *di Colle S. Magno* in casu? III. An et quomodo admittendae sint conditiones Archipresbiteri *di Castrocelo* in casu? -, Sacra Congregatio respondit: - Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative, iuxta votum Episcopi. Ad tertium, Affirmative quoad iura honorifica tantum - *in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Parochiae die 29 Ianuarii 1848*

217. Quapropter si extet distantia trium milliariorum ac difficilis et valde periculosus sit accessus ad Ecclesiam parochialem, adprobatur dismembratio et erectio novae Ecclesiae ab Episcopo formiter peracta, quin locus sit constitutioni Vicarii perpetui *in Asculana Dismembrationis die 11 Aprilis 1739.*

218. Siquidem Populus Villae Materae postulavit, ut erigeretur nova Parochialis in Ecclesia S. Benedicti, cum accessus ad Ecclesiam parochialem Quintodecimi valde arduus ac periculosus esset. Asculanus Antistes retulit; primo, quod dicta Villa Materae - est annexa Ecclesiae parochiali Quintodecimi, distans ab ea quasi per tria milliaria per vias impervias, praecipue hyemali tempore, in quo ultra dictam laboriosam distantiam difficultatur accessus ad Parochialem Quintodecimi a copia nivium a gelu foveoque intercedente -; secundo, quod complures coguntur - omittere Sacrum diebus festis, non possunt interesse instructioni doctrinae christianae, unde oritur praegrandis ignorantia in illo Populo, et multi periclitantur non solum decedere sine assistentia Sacerdotis, quod passim contigit, sed etiam sine Sacramentorum re-

ceptione –; tertio, quod ipse in actu pastoralis visitationis sub annum 1733 peractae, – ad evitanda supradicta incommoda et pericula, decrevit, doceri de fructu annuali pro manutentione Parochi, ad effectum providendi et interim deputandi Capellanum in Ecclesia S. Benedicti intra limites saepedictae Villae Materae existente–, quodque noscens ex documentis a Populo dictae Villae exhibitis, posse novo Parocho scuta triginta ex peculiaribus dictae Ecclesiae S. Benedicti et ex decimis a Populo persolvendis assignari, Parocho autem Quintodecimi ex reditibus suae Ecclesiae ad annua scuta 100 circiter ascendentibus congruam superesse substentationem, statuerat, eamdem Ecclesiam S. Benedicti, praevia dismembratione tam dictae Villae Materae, quam alterius Vallecchiae a veteri parochiali Quintodecimi, in novam Parochiam erigere, sed memorato Parocho dismembrationi contradicente, paratoque Capellanum in praefata Ecclesia S. Benedicti constituere, a quo cura animarum ibidem exerceretur, oblatae istius Capellani deputationi consensit; et quarto tandem, quod exorta subinde inter Parochum et Populum Materae controversia, qui eorum teneretur Capellano antedicto stipendium solvere, Capellanus videns non posse mercedem consequi, e dicta Ecclesia recessit, adeoque Populus assistentia dicti Capellani destitutus Summum adierit Pontificem, ut spirituali illius regimini aptius consuleretur. His acceptis, Sacra Congregatio die 2 novembris 1734 commisit Episcopo, ut ea in re, – prout iuris fuerit, provideret iuxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini sess. 21 cap. 4 de reformatione –. Quare Episcopus, processu a Vicario Generali confecto, auditoque Iacobo Secundi Parocho dictae Ecclesiae Quintodecimi, dismembrationem peregit ac novam Parochialem in Ecclesia S. Benedicti erexit.

219. At provocante adversus huiusmodi Decretum praefato Iacobo Secundi, propositis dubiis: – I. An dismembratio facta ab Episcopo Asculano sustineatur? *Et quatenus negative.* II. An sit providendum de Vicario perpetuo et cuius sumptibus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum, provisum in primo – *in Asculana Dismembrationis die 11 Aprilis 1739.*

220. Nam etiamsi contenderetur, necessariam non esse erectionem Parochiae nec non ipsam aliis Parochiis praeiudicialem censeri, Sacra Congregatio, attentis rerum circumstantiis, declaravit, sustineri praefatam erectionem ab Episcopo iam expletam, quin obesset, quod interesse habentes convenissent pro constitutione simplicis Sacerdotis Confessarii, qui diebus festivis rudimenta fidei edoceret, et in casibus repentinis Sacramenta ministraret *in Puteolana Erectionis Parochiae die 9 Iulii et die 3 Septembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

221. Enimvero – habito congressu coram Emo Archiepiscopo Neapolitano inter duos Canonicos Ecclesiae Metropolitanae ipsius ministros, Canonicum Cathedralis Puteolanae nomine sui Episcopi, et Parochos Prochytae et Pausylipi, ad effectum capiendi resolutionem super erectione novae Parochiae in loco Baculi Diaeceseos Puteolanae, Parochi praedicti huiusmodi erectionem impugnarunt uti non necessariam, et praeiudicialem tam Parochis, quam Parochianis Prochytae et Pausylipi, qui licet in aliqua parte anni, nempe tempore hyemali, occasione culturae bonorum suorum morentur in mapaliis seu tuguriis, inter eadem bona sitis, adhuc tamen retinent domicilia in Patriis propriis, ubi ab immemorabili receperunt et recipiunt Sacramenta, contrahunt Matrimonia, ac paschali praecepto satisfaciunt: unde in hanc determinationem deventum fuit, quod videlicet in nova Ecclesia Baculi non retineri deberet Parochus, sed probus Sacerdos Confessarius, qui festivis diebus edoceret rudimenta fidei pro maiori eorumdem Colonorum commoditate, et in casibus repentinis ministrare posset Sacramenta Sanctissimi viatici et extremae unctionis, ad cuius Sacerdotis substentationem statutum fuit, quod Coloni Prochytani concurrerent pro una tertia parte, Paulysipani pro alia tertia, et pro simili parte provideret Episcopus Puteolanus modo, quo sibi foret facilior. Hac tamen determinatione non obstante, dictus Puteolanus Episcopus devenit ad erectionem dictae Parochiae in loco Baculi, quam necessariam non esse, immo praeiudicialem dictis Parochiis Prochytae et Pausylipi testatur Emus Archiepiscopus Neapolitanus in sua plena relatione. Dicit enim

in substantia, non esse necessariam dictae Parochiae erectionem, tum quia adsunt circum circa plures Capellae, in quibus diebus festivis Missae celebrantur, tum etiam quia in casibus infirmitatum tam Prochytani, quam Paulysipani se transferunt ad proprias Patrias, et pro casibus repentinis suppleret simplex Sacerdos Confessarius; item inquit, dictam erectionem esse praeiudicialem Parochiis Prochytae et Pausylipi, eo quia privarentur suis Parochianis contra possessionem immemorabilem, ipsique omnia amitterent privilegia et exemptiones, quas habent, a gabellis Civitatis Puteolanae; et demum addit, Ministros dicti Episcopi Puteolorum malis artibus extorsisse a nonnullis Colonis Pausylipanis obligationes solvendi singulis annis certam ratam pro manutentione simplicis Sacerdotis Confessarii, illasque per Vicarium curasse redigi in scriptis pro sustentatione Parochi, etiam nomine aliorum, qui nullatenus interfuerunt, nec huiusmodi obligationem emiserunt –.

222. Quibus ita se habentibus, propositis dubiis: – I. An substineatur erectio Parochiae in loco Baculi? *Et quatenus affirmative.* II. An Filiani Parochiarum Prochitae et Pausylipi Neapolitanae Diaecesis colentes territoria Montis Prochytae Maris mortui et Miseni, in eis temporaliter commorantes, teneantur et cogi possint recipere Sacramenta Paschatis solemnizare Matrimonia baptizare Infantes, aliaque onera subire in dicta Parochia Baculi, vel potius in eorum Parochiis Prochytae et Pausylipi proprii domicilii? –, Sacra Congregatio die 9 iulii 1701 respondit: – Dilata ad secundam, et Oeconomus deputatus administret Sacramenta, non obstante priori Decreto, quod interim nihil innovetur –. Repropositis mox dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundam, dabitur resolutio in casibus particularibus – *in Puteolana Erectionis Parochiae die 3 Septembris 1701 lib. 51 Decretorum.*

223. Ceterum haud permittitur dismembratio, quoties Parochianis distantibus consultum est per Coadiutorem, qui possit eis Sacramenta ministrare, Ferrar. Biblioth. can. verb. dismembratio n. 15. Nec, dum Coadiutor in aliqua Ecclesia filiali retinetur, Sacramenta ministraturus, novae Paraeciae erectioni fit locus, cum erectio medium sit subsidiarium. Quin et illud sufficiat, aliquando Paraecianos decessisse sine Sacramentis, dummodo tamen eis provideri possit aliunde, Rot. in Recent. decis. 484 n. 5 part. 1, et decis. 288, n. 2 part. 2. Cessante siquidem necessitate, cessat dispositio Capitis *Ad audientiam* et Concilii Tridentini, ita ut ad paraecialis Ecclesiae dismembrationem minime sit deveniendum, Monacell. for. leg. tom. 2 dec. 9 n. 1 *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Nullum.*

224. Qua de re, ob distantiam unius milliarii ac viam duplici etiam torrente intercisam, nec dismembratio et respective erectio novae Parochialis, nec electio Vicarii Curati perpetui cum iure Fontis baptismalis et sepulturae indulgetur, ex eo quod necessitatibus locorum Incolis satis iam provisum censetur per electionem Capellani Curati amovibilis *in Eugubina Dismembrationis die 31 Iulii 1790.*

225. Siquidem ad radices Montis Castriae, appenninorum altissimi, Villa prae ceteris erat Clasernae, ubi amovibilis semper fuit Capellanus Curatus: subinde vero Clasernates Summum Pontificem adierunt pro erectione eorum Ecclesiae S. Anastasiae in Parochialem, cum applicatione decimarum seu quartesii, quas Collegiatae Canthiani Ecclesiae, cuius in praesens Prior erat Parochus, singulis annis expendebant. Exposuerunt enim, secundum a Canthiano lapidem Clasernam distare, adeoque hyemali tempore ob nives asperasque vias, duplici etiam torrente intercisas, difficilem esse accessum ad Parochialem, ut impedita saepe remanerent Infantium Baptisma, et cadaverum tumulatio, quae iidem quandoque Ecclesiae muro occludere curarunt, quandoque in excavata fovea, quum in Ecclesia S. Anastasiae Clasernae nec Fons baptismalis inveniretur, neque sepulchra. Illudque etiam notabant, quod sex centum et ultra in Villa Clasernae eique adnexa Villa Gualdurbiae erant animae, quae eo magis distinctum mereri videbantur Pastorem. Parochus vero bimilliarem impugnavit distantiam viaeque difficultates. Ex pluribus nempe Testibus vix uno Clasernam distare dixit lapide a parochiali Ecclesia Canthiani, satisque non esse

contendit brevem hanc distantiam, ut novae Parochiae necessitas inducta diceretur. Difficilem insuper non esse addebatur, nisi in extraordinariis casibus, torrentium traiectum; iamque decrevisse Canthiani Communitatem ampliores divertere aquas torrentis Bevani; mala illa per alios Testes negabantur, quorum meminit Episcopus, ac insolitae tribuebantur tempestati anni 1768, quod sepulta fuissent per aliquot dies cadavera in provisionali fovea. Demum advertebatur, quod eadem semper fuerit via, iidemque torrentes, nec unquam novae Parochiae erectionem petierant Clasernates, sed contenti fuerant amovibili Capellano Curato, quem sibi suoque aere elegerunt ab anno 1670. Episcopus censuit, locum esse electioni Vicarii Curati perpetui cum iure Fontis baptismalis et sepulturae. Propositis vero dubiis: – I. An sit locus dismembrationi parochialis Ecclesiae S. Nicolai Terrae Canthiani et respective erectioni Ecclesiae S. Anastasiae Villae Clasernae in novam Parochialem in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et pro qua summa et ex quibus reditibus sit constituenda dos Ecclesiae in novam Parochialem erigendae in casu etc. *Et quatenus negative ad primum et secundum dubium.* III. An sit locus electioni Vicarii Curati perpetui in dicta Ecclesia S. Anastasiae et respective erectioni Fontis baptismalis et iuri tumulandi in eadem Ecclesia in casu etc. –, Sacra congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative; et amplius. Ad tertium Negative; et serventur Capitula et Decreta Episcopi Sperelli – *in Eugubina Dismembrationis die 31 Iulii 1790.*

226. Hinc si Episcopus necessitatibus Incolarum satis providerit per constitutionem Capellani, non est locus dismembrationi, cum praesertim maxima locorum distantia viarumque asperitas haud subsistere videantur *in Derthonen. Dismembrationis die 23 Iunii 1764.*

227. Iamvero inter asperiora Appennini iuga sex loca Fontis Voracis Cassoni Vallis obscurae Montis Alti Mesoni et Reisoni parochialem Ecclesiam semper in oppido Casanovae unicam habuerunt. Nondum elapsum triennium erat, quo Incolae Fontis Voracis providentia Episcopi Capellanum seu Vicarium pro se aliisque Pagis obtinuerunt: a Principe autem ab Auria Pagorum domino, ut domum pro Capellano aedificarent, impetrarunt. In meliorem proinde spem erecti, illico mox divisionem veteris Parochiae, ac novam inibi fundandam postularunt. Ipsi enim maximam locorum distantiam allegabant, immensam praedicabant asperitatem viarum, nec non auctam Populi multitudinem. At Parochus Casanovae contendit, divisionis remedium esse odiosum atque extraordinarium, ambitionis plenissimam esse petitionem, cum Episcopus per Capellani constitutionem iam providisset: falsa esse omnia, quae affirmabantur; non veram distantiam, cum a Fonte Vorace ad Casanovam nonnisi sexcentum passus intercedebant, neque difficilis aut periculosi itineris; non vera damna, quae perperam exaggerabantur, Ecclesiam capacem esse, non veros reditus parochiales in scutis 290, quos asserebant. Proposito igitur dubio: – I. An sit locus dismembrationi Ecclesiae parochialis Casanovae et erectioni alterius Fontis Voracis in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Ad primum, Negative; et amplius – *in Derthonen. Dismembrationis die 23 Iunii 1764.*

228. Qua de re licet adesset distantia trium milliariorum et via rupibus ac fluminibus intercepta, non propterea Sacra Congregatio dismembrationem et erectionem novae Parochialis in Ecclesia, ubi Capellanus onus habebat Sacrum agendi in aurora quolibet die festo, concedere censuit *in Novarien. Dismembrationis die 12 Augusti et die 18 Novembris 1747.*

229. Siquidem iacebat intra Diaecesim Novariensem Vallis Antigoriana Praemiensi habitata Populo, qui novem disiectus in Pagos Ecclesiam habebat divi Michaelis, septem ab illinc seculis a Gente de Rodis et de Christo a solo excitatam, in qua erat Capellanus, qui onus habebat Sacrum agendi in aurora quolibet die festo. Ecclesia parochialis erat in Oppido Baceni, quae, quum teterrima via rupibusque et fluminibus intercepta tribus milliariis dissita esset, nonnisi maximo periculo maximoque incommodo habere poterat accessum; ideoque Praemienses Vallem incolentes preces obtulerunt Summo Pontifici, ut erigeretur in dicta Ecclesia S. Michaelis

tertia portio curata seu Parochialis, pro cuius dote sese obstringebant, dummodo iuspatronatus eorum favore reservaretur. Episcopus auditus respondit secundum Populum. Hinc rescriptum fuit die 19 novembris 1746: - Pro facultate arbitrio Ordinarii, iuxta eius votum, accedente consensu omnium interesse habentium –. At Populus Baceni sese contradictorem praestitit. Proposito itaque dubio: - An sit locus dismembrationi Ecclesiae parochialis, de qua agitur, in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 augusti 1747 responsum tulit: - Negative –. Ad novum iudicium provocarunt Praemienses; sed reproposito dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – In decisis, et amplius – *in Novarien. Dismembrationis die 18 Novembris 1747.*

230. Nulla igitur renunciatur dismembratio, et novae Parochialis erectio ab Episcopo nedum absque solemnitatibus facta, sed nec etiam longa distantia, nec viarum difficultate existentibus, cum praesertim spirituali Vicanorum indigentiae pluribus ab annis consultum esset per constitutionem Capellani coadiutoris, adeoque locus est huiusmodi Capellani deputationi sumptibus Parochi, quin tamen novus Parochus restituere teneatur fructus et proventus, quos interim percepit *in Aquilana Dismembrationis die 8 Februarii 1744.*

231. Iamvero Baretis Oppidum sex Vicis componebatur, quos inter unus erat S. Viti. Sex illi Vici atque alii duo, qui ad aliud Oppidum Cambiani, in cuius districtu erant, pertinebant, suberant Ecclesiae parochiali S. Pauli Baretis, quae extra Aquilam erat, et in qua Vicarius erat perpetuus, qui constituebatur a Capitulo Ecclesiae S. Pauli, quae intra Aquilam erat. Omnes octo Vici numerabant paulo supra Vicanos mille; distabant autem ab Ecclesia Matre et parochiali, quae extra Aquilam erat, alter mille, alter quingentis passibus, via undique facili, licet nivibus hyeme, ut sub eo caelo contingebant, obducta. Gratia tum Vicarii perpetui Ecclesiae S. Pauli, tum Vicanorum, constitutus fuerat triginta ab illinc annis in Vico S. Viti Capellanus Coadiutor, qui Populis illorum Vicorum ecclesiastica Sacramenta ministraret. Atque ita res sese habuerunt ad annum usque 1740, quo plures Sacerdotes et Clerici aliique Vicani Baretis preces defuncto Aquilae Episcopo obtulerunt, quibus rogabant, ut commoditatis atque utilitatis communis causa divideret et separaret Ecclesiam S. Viti ab altera S. Pauli, eamque in Parochiam erigeret. Accesserunt his precibus aliae oblatae nomine Communitatis Baretis. Vocati itaque fuerunt in iudicium omnes interesse habentes, hosque Episcopus monuit, deliberasse dismembrationem ac erectionem novae Parochialis. Obstitit Iosias Crocentius Rector Ecclesiae S. Pauli, et protestationem emisit, si secus fieret, appellans ad Summum Pontificem. Episcopus vero decrevit dismembrationem ac respective erectionem Parochialis in Ecclesia S. Viti. Appellavit Iosias Crocentius, appellarunt Administratores Communitatis Cambiani, ad quam pertinebant duo ex octo Vicis, nec non Cives Baretis. His tamen appellationibus spretis, Episcopus erectionem fecit novae Parochiae, novumque illius Rectorem instituit Sacerdotem Antonium Muscam. Nullam hinc appellantes dixerunt dismembrationem ac erectionem novae Parochialis, quia processus iudicialis perductus fuerat ad examen Testium et declarationem animi Iudicis sine ulla monitione atque interpellatione eorum, quorum poterat divisio isthaec et separatio interesse: atque sententia lata fuerat ab Episcopo, non vocatis et citatis Rectore S. Pauli et Capitulo Ecclesiae Collegiatae S. Pauli. Monitio siquidem his facta ab Episcopo circumducta et resoluta fuit sese in iudicio sistente, et contra divisionem excipiente dicto Iosia Crocentio. Accedebat defectus citationis Vicanorum et Incolarum octo Vicorum; ac praesertim defectus legitimae causae. Consultus enim satis fuerat Vicanis S. Viti aliorumque finitimorum Vicorum iam inde ab anno 1712, quo Capellanus Coadiutor constitutus fuit: nec longa aderat distantia, nec via difficilis et aspera existebat; quin propterea obesset, quod aliqui absque Sacramentis obiissent, cum id nec ob locorum distantiam nec viarum difficultatem contigerit. Hinc Iosias Crocentius petiit etiam restitutionem redituum et proventuum, quos novus Parochus perceperat.

232. His igitur perpensis, propositis dubiis: – I. An dismembratio parochialis Ec-

clesiae S. Pauli Baretis et respective erectio novae Parochiae in Villa et Ecclesia S. Viti ab Episcopo expleta sustineatur in casu etc. *Et quatenus negative.* II. An et quos fructus reditus et proventus teneatur restituere novus Parochus in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Negative; et Episcopus mandet deputari Capellanum Coadiutorem in Ecclesia S. Viti, sumptibus Parochi. Ad secundum, Negative – *in Aquilana Dismembrationis die 8 Februarii 1744.*

233. Unde si Parochianorum indigentiis satis per Capellanum Curatum provisum antiquitus fuerit, non est locus dismembrationi et erectioni novae Parochialis, etiamsi ob amovibilitatem praefati Capellani et servitium ab eodem Ecclesiae Matrici praestandum plura obvenire incommoda videantur *in Cremonen. Dismembrationis die 11 Ianuarii 1738.*

234. Siquidem Incolae loci, quem vocabant *Gera di Pizzichettone,* conspicientes, Collegiatam et parochialem Ecclesiam Oppidi Piceleonis, cui parochiali iuri suberat praefatus locus, a flumine Abdua interscindi, indeque contigere, ut perraro proprium Pastorem, a quo fidei rudimentis imbuerentur, adire possent, quin etiam saepe saepius eorum aliqui sine extrema Sacramentorum expiatione et Parochi assistentia decedere cogerentur, sub annum 1544, ut animarum saluti consulerent, Capitulo praefatae Collegiatae et parochialis Ecclesiae praesentarunt Sacerdotem Bernardinum Leviselli postulantes, eum in Curatum dicti loci constitui; memoratum vero Capitulum, ut eorum votis obsecundaret, eidem Bernardino Leviselli tribuit facultatem exercendi curam animarum in Ecclesia Sanctorum Sebastiani et Rochi, in praefato loco di Gera iampridem erecta, multiplici tamen lege adiecta. Verum quia Capitulum post obitum praefati Bernardini Leviselli cepit ceteros Capellanos seu Vicarios ad dictae curae animarum exercitium deputare sub ea conditione, quod ad ipsius libitum forent amovibiles, eisque praeterea studuit iniungere nonnulla onera, illudque praesertim inserviendi ecclesiasticis functionibus ac processionibus, quae bis quolibet mense in Collegiata peragebantur, idcirco Habitatores dicti loci *della Gera* ad avertenda plura incommoda, quae inde in grave suarum animarum detrimentum provenire noverunt, non semel apud Cremonenses Episcopos institere, ut Ecclesiam SS. Sebastiani et Rochi erigeret in Parochialem absolutam, adeo ut Capitulo praedicto ea non esset dependens, nisi iis, quae obsequium et honorem Matricitatis Ecclesiae concernunt; cumque ipsorum preces fuerint semper reiectae, inde curarunt, eas Summo Pontifici porrigi, ut id obtinerent. Plurimum enim dolebant, Capellanum seu Vicarium praedictum ad nutum Capituli amovibilem constitui, eumque tempore, quo obstringebatur functionibus et processionibus Collegiatae Ecclesiae interesse, oves sibi commissas deserere, nec semper posse ad locum *di Gera* statim redire, si contigeret, ad praestandam Infirmis assistentiam evocari, sive quia enunciatum flumen Abdua quandoque ob aquarum copiam transmeari nequibat, sive quia portae dicti loci nocturno tempore claudebantur. Unde Episcopus, pro informatione requisitus, conclusit: – Unice igitur saluti animarum consultum erit, quotiescumque petita fiat erectio novae Parochialis, et constituatur Parochus titularis liber et independens, alias habere Parochum amovibilem alienae Ecclesiae servitio addictum, et tot aliis oneribus distractum, idem est ac non habere.

235. His mature perpensis, proposito dubio. – An sit consulendum Sanctissimo pro gratia erectionis in Parochialem et respective dismembrationis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, ad mentem – *in Cremonen. Dismembrationis die 11 Ianuarii 1738.*

236. Quapropter etiamsi ipse Parochus dismembrationi et erectioni novae Parochiae assentiatur, atque Episcopus non dissentiat, imo id laudet, non propterea locus est praefatae dismembrationi et erectioni novae Parochiae, cum ob distantiam viarumque asperitatem iam provisum fuerit per Capellani constitutionem, quin obsit, quod ille sit mercenarius *in Pisauren. die 10 Maii 1766.*

237. Siquidem Ecclesia S. Matthaei Roncaleae, quae filialis erat Ecclesiae S. Cassiani Civitatis Pisauri, unica parochialis existebat in Oppido et toto agro, qui latissime circuebat per duodeviginti fere millia passuum. Asperrimos montes in suo ambitu habebat,

difficillima et longa itinera ac praeruptas vias, praesertim quae ad mare vergebant. Alia in medio totius Parochiae Ecclesia erat S. Mariae *dell' Imperiale* seu *delle fabreccie*, cui anno 1734 s. m. Clemens XII quoddam Beneficium ecclesiasticum uniit, ut inibi ex eius redditibus Capellanus esset Curatus, arbitrio Episcopi nominandus ac retinendus, suadente atque exorante Cardinali Fabio Oliverio, qui propterea Beneficium illud dimiserat. Petiit subinde Populus Parochiae, ut Ecclesia S. Mariae in novam et veram parochialem erigeretur. Protulit enim distantiam ab Ecclesia parochiali, viarum incommoditatem inaccessos montes brumalia frigora nivem glaciem gelu: Multa, quae inde veniebant, mala enumeravit; fidei rudimenta non edoceri, et quod praecipuum erat, permultos sine Sacramentis obiisse. Subdidit, non compensari haec damna ex Capellano, qui mercenarius, non pastor erat, oves non amabat, quae suae non erant, quas pro libitu, si melior conditio fieret, deserebat, alterius nutu deserere etiam sine culpa cogi poterat. Hinc dixit, exorare de hoc omnes loci Incolas, et Parochum ipsum S. Matthaei; nulli iniuriam fieri, Episcopum non dissentire, imo laudare omnia, dummodo de suo nominandi iure non derogaretur. His tamen non obstantibus, proposito dubio: – An et quomodo sit locus erectioni Ecclesiae S. Mariae in novam Parochiam in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Negative – *in Pisauren. die 10 Maii 1766.*

238. Quod si, ob distantiam loci a parochiali Ecclesia, et difficilem ad eamdem accessum, satis consultum fuerit spiritualibus Incolarum indigentiis ex institutione Capellani seu Vicarii, haud quidem locus est dismembrationi et erectioni novae Parachiae, cum praesertim in ipsa praefati Capellani institutione id vetitum fuerit, ob immutatas tamen temporum rerumque circumstantias, etiamsi pluries et absolute reiecta, indulgetur tandem dismembratio ac novae Paraeciae erectio nec non segregatio bonorum, ad pauperes spectantium, ad formam Decreti ab Episcopo editi *in Sedunen. Dismembrationis die 15 Decembris 1742 et die 23 Aprilis 1853.*

239. Enimvero pro avertendis spiritualibus incommodis, quae oriebantur ex distantia loci Camperiaci a parochiali Ecclesia Vallis Iliacae, et ex difficili ad eamdem accessu, Sedunensis Episcopus sub annum 1723 annuens desiderio Populi Camperiacensis simplex ecclesiasticum Beneficium erexit sub titulo S. Theoduli in Ecclesia eiusdem nominis, ac in praedicto loco Camperiaci sita, illudque ex reditibus ab eodem Populo collatis ditatum iussit imposterum conferri Sacerdoti, qui tam Priori parochialis Ecclesiae, quam Incolis Camperiaci acceptus foret, quique Beneficium istud assecutus teneretur in ipso Camperiaci loco residere, Pueros ibidem literis instruere, Missae Sacrificium ter in hebdomada ac praesertim festis diebus in Capella S. Theoduli peragere, Parochi nomine mysteria fidei Populo exponere, Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae ac extremae Unctionis ministrare, et demum publicas supplicationes qualibet feria sexta tempore quadragesimali, aestivo autem singulis secundis feriis habere. Illud vero cautum insimul voluit Episcopus, ne ex ea Beneficii erectione ius aliquod avulsionis Populi Camperiacensis a Communitate Iliaci posset contendi, vel quidquam detrimenti iuribus parochialis Ecclesiae aliquando inferri. Ab anno 1740 autumantes Camperiaci homines, non satis hoc pacto animarum saluti ac spirituali ipsorum necessitati consultum fore, separationem suam a veteri parochiali Ecclesia in Curia Episcopali postularunt, novamque in loco Campariaci institui Paraeciam: sed Episcopus, contradicente Parocho Iliaci, petitionem reiecit. Provocarunt Camperiacenses ad tribunal Apostolici Nuncii apud Helvetios: verum et is illorum petitionem reiecit, ratus nimirum, ex institutione Capellani seu Vicarii ab Episcopo antecessore facta satis iam Parochianorum indigentiae prospectum esse. Demum iidem ad Sacram Congregationem confugerunt. Proposito vero dubio: – An Populo Villae et Territorii Camperiaci satis consultum sit per deputationem Presbiteri, iuxta instrumentum fundationis stipulatum auctoritate Ordinarii, seu potius sit locus dismembrationi Ecclesiae parochialis Vallis Iliacae et respective erectioni novae Parochiae in Capella seu Oratorio eiusdem Villae Camperiaci in casu? –, Sacra Congregatio die 15 Decembris 1742 respon-

sum tulit: - Affirmative ad primam partem, addita Presbytero deputato facultate sepeliendi cadavera in Oratorio Villae Camperiaci, reservatis tamen Parocho emolumentis -. Anno 1753 instantiam dismembrationis renovarunt Campariacenses penes Episcopalem curiam Sedunensem, quae laudatum Sacrae Congregationis Decretum omnino servandum iussit; et anno 1770 iisdem adhuc instantibus, Sedunensis Episcopus strictissimum silentium iuris ordine servato imposuit, omnique eos actione privatos existere declaravit. Ac tandem anno 1788 Sacrae Camerae Apostolicae Auditor a Summo Pontifice specialiter super hac re deputatus, sub poena ducatorum mille, servandas omnino esse statuit resolutiones Sacrae Congregationis Concilii, omnia et singula in eis contenta et expressa inviolabiliter et ad unguem -. Ex tunc nihil novi usque ad annum 1840 a Camperiacensibus intentatum est: quo anno rerum temporumque adiunctis mutatis, factaque in civili administratione separatione Communitatis Camperiaci a Communitate Vallis Iliacae, Camperiacenses instantiam iam pluries reiectam instaurarunt coram Episcopali Curia Sedunensi; quumque praeiudicialis quaestio discussa fuerit, utrum scilicet rei iudicatae auctoritas obstaculo esset renovationi instantiae Camperiacensium, Sedunensis Episcopus anno 1842 pro hisce sententiam tulit.

240. Communitas vero Vallis Iliacae ad Apostolicam Nuntiaturam appellavit, quae sequenti anno 1843 sententiam infirmavit a Curia Episcopali contra Iliacenses latam, eosque in iure suo restituit, ea potissimum de causa, quia Camperiacensibus, ut actione destitutis, ius nullum esset, praefatam causam iterum intentandi, nisi prius restitutionem in integrum adversus Sacrae Congregationis Decretum obtinuissent. Camperiacenses prosecutione Causae insistere e re sua non iudicarunt; sed post aliquot annorum silentium sub die 11 septembris 1847 a Summo Pontifice, ob assertam adiunctorum rerum temporumque immutationem, instantiam resumere posse exorarunt; eorumque preces benigne exceptae ad Sacram Congregationem delatae fuerunt. Eodem tempore alia quaestio exorta est circa segregationem redituum et bonorum ad quatuor Confraternitates et Loca pia dudum erecta in Ecclesia priorali Vallis Iliacae pertinentium, nec non eleemosynarum, quae colligi assolebant apud Benefactores utriusque loci. Nam anno 1760 et 1764 Canonicus Antonius Gavre contulit summam 14000 florenorum in Municipium Iliacense, ut quotannis quantitatem salis exinde compararet, inter Paraeciae pauperes distribuendi. Huiusce piae donationis administratio quatuor Confraternitatibus in Paraecia seu antiqua Communitate Vallis Iliacae existentibus videbatur fuisse commissa. Semel ac Camperiacenses in temporali administratione separationem obtinuerunt, coram Sedunensi Episcopo segregationem bonorum ad dictas Confraternitates spectantium instantiam provocarunt. Episcopalis Curia die 1 martii 1844 mandavit, ut ex utroque Municipio Consilium seu Comitatum mixtum eligendum pro aequali numero personarum, cui munus incumberet administrandi bona distribuendi reditus, ut ante separationem Communitatis factum erat, insuper iniungendo, ut aequa Camperiacensibus pauperibus pars assignaretur, ac si nulla inducta fuisset mutatio. Apostolicus Nuntius die 20 novembris 1845 Episcopalem sententiam confirmavit, a qua denuo Iliacenses ad Sacram Congregationem appellarunt. Nam illorum bonorum dominium penes unam Communitatem seu Paraeciam Iliacensem aderat; adeoque si Camperiacenses ad Iliacensem Paraeciam pertinere cessarent, inhabiles evadebant ad ea bona participanda, omnique destituebantur actione ad ius super illa experiendum. Camperiacenses vero contenderunt, separatione Paraeciae admissa, et alteram bonorum separationem sequi oportere. Natura enim accessorii semper et sine distinctione sequitur sui principalis naturam, quia cum iura et honores ad Populum pertinentes sint totidem accessoria, quae eumdem sequuntur, ita fieri non poterat, ut Populus quidem quoad parochialem communionem, quae erat velut principale, divisionem subiret, quin etiam divisio locum haberet, quae accessorium, quod constituebant honores et iura particularia ad Populum uti universitatem primaevam pertinentia. Nec dubium, quod dismembratio Paraeciae locum habere deberet, quum in facto esset, plures Camperiacensium habitationes

distare octo vel duodecim vel etiam sexdecim millibus passuum ab Iliacensi Ecclesia. Quod autem circumstantiae valde immutatae fuerint ab eo tempore, quo denegata est dismembratio, palam erat: nam in duo iam a seipsis independentia Municipia Oppida illa separata extabant, ea abrupta antiqua familiari consuetudine ex infaustis praesertim intestinis discordiis, quae in universa Helvetia anno 1848 exarserunt. Idque magis urgebat ex sententia S. Sedis negotiorum Gestoris apud Helveticos, nec non Episcopi Sedunensis, qui dismembrationi favebant. Hisce omnibus supremum veluti calculum afferebat conventio inter utriusque Municipii Repraesentantes inita, cuius summa haec erat, scilicet 1° ut Iliacensis Communitas oppositionis partes, quas eousque dismembrationi Paraeciae egit, desereret; atque ideo 2° renunciaret, quatenus ad ipsam spectabat, iuribus super perceptione fructuum ex caseo, quos Rector Iliacensis occasione benedictionis supra montes loci Camperiaci percipiebat; nec non 3° cederet omnia emolumenta, quae idem Iliacensis Prior occasione funerum Baptismatum et Matrimoniorum apud Camperiacenses percipiebat. Ex parte vero Communitatis conventum est, ut ipsa renunciaret pariter omni iuri, quod habere potuisset super bonis et fructibus, qui ad Ecclesiae Iliacensis fabricam pertinebant, Sodalitatem Sanctissimi Sacramenti, Missionis, nec non super Beneficiis Prioratus et Vicariatus eorumque bonis et fructibus. Contra ipsam tamen Rector Iliacensis Ecclesiae protestatus est, nec in eam consentire acquiescebat, nisi articulus secundus eliminaretur, et eius loco haec substituerentur; 1° ut Beneficio Curato sive Rectoriae Iliacensi conservarentur primitiae in caseo, ob benedictiones tuguriorum alpestrium percipi solitae ex alpibus ad sinistram torrentis Viesce in territorio Camperiacensi usque ad locum Conditum sive torrentis scaturiginem sitis, dum primitiae ad dexteram Viesce sitis accipi solitae Capellaniae Camperiacensi in Rectoriam Beneficium Curatum erigendae in futurum cederentur; 2° ut in aliqualem huius cessionis compensationem, Rectoria Iliacensis liberaretur ab onere 52 Missarum, quae a Parocho sive Rectore in Sacellis intra territorium Camperiacense positis quotannis dicendae erant. Episcopus censuit, annuendum esse votis praefati Parochi Iliacensis; atque optavit, ut, si dismembratio concederetur, novi beneficii Curati Camperiacensis libera collatio Sedi Sedunensi expresse reservaretur. Ex adverso tamen advertebatur, iam ex deputatione Capellani provisum fuisse necessitatibus Parochianorum, adeoque locum non esse dismembrationi. Nec separatio in civilibus iusta dismembrationis causa videbatur, cum separatio illa potius violentiae, quam maturi consilii effectus fuerit. Idcirco consensus ex parte Iliacensis Municipii liber non esse, sed potius moraliter coactus videbatur.

241. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus dismembrationi Paraeciae in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit locus segregationi bonorum ad Confraternitates et alia pia Loca spectantium in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative iuxta votum Episcopi, et ad mentem; mens est, ut scribatur Episcopo, qui in divisione fructuum curet, ut vitentur occasiones iurgiorum. Ad secundum, Affirmative ad formam Decreti Curiae Episcopalis diei 1 martii 1844 – *in Sedunen. Dismembrationis Paraeciae die 23 Aprilis 1853.*

242. Iustis enim concurrentibus causis, distantia videlicet et incommoditate percipiendi Sacramenta, locus est erectioni novae Parochiae, licet Parochus retineat Coadiutorem et Vicecuratum, eosque revera retineat eum in finem, ut, ubi nequit per se ipsum, per alios Populo suo praesto esse non desinat, cuius doctrinae fundamentum extat in Cap. *ad Audientiam,* et in Cap. 4 sess. 21 de reformatione Concilii Tridentini *in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848* §. *Contra.*

243. Ubi sane res est non de aucto tantum Incolarum numero, sed et de distantia ac praesertim difficili viarum transitu, necessaria censetur materialis dismembratio Paraeciae, ut ita novus constituendus Parochus vere pastor, non mercenarius, suas agnoscat oves, et frequenter inviset, earumque necessitatibus paterno occurrat amore, ac reformandis moribus curam impendat, ceu tenent Van-Espen ius eccles. univ. part. 2 tit. 6 cap. 2

§. 24, Ursaya tom. 1 part. 1 discept. 14 n. 95, Leuren. iur. eccles. lib. 3 tit. 8 quaest. 994 n. 2, Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* n. 18, Reiffenst. iur. can. lib. 3 tit. 4 n. 13 *in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848* §. *Nec.*

244. Qua de re attentis distantia duorum circiter horarum maxima itineris asperitate hiberno tempore et pluribus infortuniis, quae contigerunt, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dismembrationi Paraeciae, tametsi spiritualibus Incolarum necessitatibus iam consultum antea fuisset per constitutionem Capellani Curati, constituta tamen prius in forma iuris valida a Parochianis congrua scutorum centum, comprehensis decimis, quae novo, non autem veteri Parocho sunt solvendae *in Vintimilien. Dismembrationis die 8 Augusti 1818.*

245. Enimvero Paraecia, quae erat in Oppido Pennae sub invocatione S. Marci, plures complectebatur Pagos vulgo *Massagi,* in declivio appennini montis positos, quorum nomina *Olivetta Bossarè, Cianti, Migrane Torre, S. Michele, Ginestra, Rivoira,* et in quibus quingentum capita numerabantur. Quod ex locorum distantia et ex aspera ac difficili via, hiberno praesertim tempore, Pagorum Incolae necessariis carerent spiritualibus subsidiis, vetus querela fuit, quam anno 1767 Vicarius Capitularis, sede Episcopali vacante, excepit, deputato Capellano in Ecclesia S. Antonio Patavino Olivettae dicata, cui facultatem dedit peragendi functiones ad usum Parochialium et administrandi omnia Sacramenta; praecepitque, ut a Parocho S. Marci huic Capellano quotannis solverentur librae bis centum Ianuensis monetae, ipso Parocho opponente et appellante. Sed sequenti anno 1768 novus Episcopus de consensu Partium sententiam tulit, qua praestationem librarum bis centum a Parocho S. Marci faciendam Capellano pro tempore ab ipso nominando ad libras centum quinquaginta redegit, – habito respectu ad alias libras 150 circiter, ad quas eaedem Regiones per capitulationem sese obligarunt eidem Capellano solvendas –. Res ita processerunt usque ad annum 1799, quo plurima iurgia odia atque dissidia exarserunt inter Pennensem Populum et Pagorum Incolas, inter Parochum et Capellanum, quorum semina adhuc extincta non esse testabatur praesens controversia. Eo tunc tempore facta est Olivettae erectio Fontis baptismalis et Caemeterii. Deputati hinc Pagorum supplicarunt Summo Pontifici, ut declararet parochialem Ecclesiam S. Antonii, dum eidem congruam novo Parocho eligendo assignarent. Nam plurimos exhibuerunt Testes, qui distantiam ab Ecclesia parochiali non unius tantum horae, sed ad duas etiam extendebant, quique de maxima itineris asperitate hiberno tempore et de sequutis infortuniis deponebant. Idcirco cum res non esset de aucto Populi numero, sed de distantia et difficili viarum transitu, spiritualibus Incolarum necessitatibus satis consultum non esse putabant per deputationem simplicis Capellani, sed necessaria videbatur materialis dismembratio. Contra Parochus contendit, dismembrationem haud locum esse ob quamlibet viarum difficultatem, vel ob quamlibet distantiam, sed necessarium esse magnum incommodum, quod excludebatur a Testibus, qui deponebant unius tantum horae itinere posse Incolas Pagorum ad parochialem Ecclesiam accedere. Quin etiam ex Testium depositionibus inverosimilia reddebantur, imo excludebantur mala, quae Vicarius Capitularis obvenisse enumerabat ex distantia et asperitate viarum, quae hyemali tempore nive ventis glacieque plurimum donabantur; nimirum quod – nonnulla hominum mulierumque cadavera, antequam ad Ecclesiam parochialem deferri potuissent, insepulta per tres et quatuor dies aliquando remanserunt –, quodque – nonnulli Infantes in eorum delatione ad Matricem pro susceptione Baptismi, ob praefatas causas, in via perierunt sine sacro regenerationis lavacro –. Frustra itaque Pagorum Incolae dismembrationem petiisse dixerunt, cum iisdem per medium subsidiarium seu constitutionem Capellani Curati satis consultum fuisset, quin remedium propterea extraordinarium dismembrationis assequi possent.

246. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus dismembrationi et erectioni novae Paraeciae in Ecclesia S. Antonii Oppidi Olivettae in casu? *Et quatenus negative.* II. An et quomodo et quibus cum iuribus sit locus deputationi

Capellani Curati in casu? III. An cui a quibus et a quo tempore sint solvendae decimae in casu? –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in Ecclesia S. Antonii Olivettae, constituta prius in forma iuris valida a Parochianis congrua scutorum centum, comprehensis decimis et reservato aliquo honoris signo favore Matricis, arbitrio Ordinarii. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, Affirmative a Paraecianis octo Pagorum favore Capellani usque ad erectionem novae Paraeciae, et deinde favore novi Parochi, ut in primo, ac sublata praestatione librarum 150 debita a Parocho Pennae – *in Vintimilien. Dismembrationis die 8 Augusti 1818.*

247. Hinc etiamsi Capellanus Coadiutor existeret et Curia Episcopalis decrevisset, non esse locum dismembrationi, cum indigentiis Incolarum loci satis provisum remaneret per deputationem Capellani Curati, attentis tamen distantia unius milliarii ac praesertim viae asperitate torrente intersecatae nec non obligatione ab iisdem assumpta de congrua novo Parocho tradenda, Sacra Congregatio declaravit, esse locum dismembrationi, ob peculiares circumstantias *in Novarien. Divisionis seu Dismembrationis Parochiae die 20 Septembris 1760.*

248. Siquidem Communitates Paroni et Locarni, quae sitae erant in ambitu Montium Vallis Siccidae Novariensis Diaecesis, ab uno regebantur Parocho seu Vicario Curato, qui, continuo residens in loco Paroni, omnia explebat munera parochialia in praedicta Ecclesia S. Petri. Grave id reddebatur hominibus Locarni, qui numerum implebant 240 animarum et distinctam constituebant Universitatem, proindeque Capellaniam erigi curarunt anno 1678, ut commodius valerent se in spiritualibus exercere: sed neque id sufficere compertum est, quia Capellanus nec onus habebat continuae residentiae, nec Sacramentum Poenitentiae ministrare valebat, nisi quando electus in Capellanum erat Sacerdos; et administratio Sanctissimae Eucharistiae illi permissa erat tantummodo inter Missarum solemnia, non servato Sanctissimo Sacramento in pixide. Postularunt itaque dismembrationem Ecclesiae S. Dionysii ab Ecclesia parochiali S. Petri: sed Curia Episcopalis decrevit, – non fuisse nec esse locum petitae dismembrationi, attento maxime, quod satis provisum remanet animarum saluti dicti loci per deputationem Capellani cum onere coadiuvandi Parochum –. At ipsi penes Sacram Congregationem contenderunt, esse locum dismembrationi, quia locus Locarni mille passus distabat a Parochiali Paroni, et in iudiciali accessu peracto a Vicario Generali Novariensi apparuit, viam esse arduam et alpestrem, ac torrente Croso inundationibus obnoxio intersecatam relative ad plures Locarenses incolentes remotiores territorii plagas. Plurium itidem testimonio comprobarunt, imperviam omnino reddi hyemali tempore, ita ut quandoque Parochus deferens Sanctissimum Viaticum prolapsus fuerit in terram, nec potuerit iter prosequi; et saepe mulieres praegnantes senes et debiles nequiverint accedere ad Parochiam pro audienda Missa; pueri rudes essent in mysteriis fidei, et aliqui obierint sine Sacramentis, ob distantiam et asperitatem viae. Nec locum esse disputarunt deputationi Capellani Coadiutoris, quia in publicis comitiis solemnem sponsionem emiserunt de congrua novo Parocho tradenda. Proposito hinc dubio: – I. An sit locus divisioni et dismembrationi Ecclesiae parochialis S. Dionysii Locarni ab altera Paroni in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, attentis peculiaribus circumstantiis, Affirmative – *in Novarien. Divisionis seu Dismembrationis Parochiae die 20 Septembris 1760.*

249. Licet enim spiritualibus Incolarum loci necessitatibus iam provisum fuerit per constitutionem Capellani, qui etiam Baptismi Sacramentum administrabat et funera ducebat ad caemeterium eiusdem loci, quod ab illo Matricis discretum erat, nihilominus Sacra Congregatio ex pluribus rerum adiunctis censuit, locum esse dismembrationi ac respective erectioni novae Paraeciae, solutis quotannis favore Matricis in festo eiusdem titularis libris decem cerae albae elaboratae in signum Matricitatis *in Brixien. Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1857.*

250. Iamvero inter fines Civitatis Rovati Brixiensis Diaecesis Regio extabat, quam vocabant *Duomo*, tribus milliariis cum quadrante mensurae Brixiensis seu metris linea-

riis 4830, ab Ecclesia Matrice distans, quae octingentum circiter Incolas, in centum octoginta familias comprehensos, enumerabat. Aderat ibi Ecclesia satis ampla, in qua Capellanus residebat Parochi Rovati coadiutor, qui Baptismi Sacramentum administrabat ac funera ducebat ad caemeterium eiusdem loci, quod ab illo Rovati discretum erat. Itaque loci *Duomo* Incolae supplices Episcopum adiverunt ad hoc, ut illorum Ecclesiam a Matrici segregaret, ac in proprii nominis Paraeciam erigeret. Episcopus rem detulit Sacrae Congregationi, cum Parochus Rovati obsisteret, quod rationes et causae, quae ad id obtinendum adducebantur, vel haud canonicae videbantur. Nam iidem dismembrationem ac respective erectionem novae Paraeciae postularunt, ex eo quod praeter mala et incommoda, quae plus minusve ob Populi numerositatem ac distantiam a Parochia contingere solebant, praeter causas aemulationis ac odii, quae inter Rovati ac huius Oppidi Incolas extabant, Angela Cavalli ex testamento diei 3 ianuarii 1855 reliquit 16000 libellas austriacas, ut dos pro novo Parocho constitueretur, et quoties ibi Paraecia non erigeretur, praefata libellarum summa cedere deberet favore Hospitalis Infirmorum. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dismembrationi Paraeciae in casu? –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, solutis tamen quotannis favore Matricis in festo eius Titularis decem libris cerae albae elaboratae in signum Matricitatis – *in Brixien. Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1857.*

251. Hinc attentis incommodis, quae obveniebant ex deputatione Vicariorum, qui nomine Episcopi curam animarum exercebant, Sacra Congregatio permisit, ut Episcopus duas Paraecias erigeret, et Parochos praevio concursu ad formam Concilii Tridentini eligeret, quin expediri deberent Bullae Apostolicae, atque ipsi eiusque Succesoribus pro tempore reservata existeret facultas deputandi Coadiutores utriusque novi Parochi *in Gallipolitana Parochiarum die 7 Augusti 1841.*

252. Siquidem a tempore, cuius initii memoria deerat, animarum cura ita gerebatur in Gallipolitana Diaecesi, cuius ambitus infra ipsius Civitatis territorium quatuor et viginti millia passuum patens comprehendebatur, ut ipsi Episcopo immediate concredita maneret per Presbiteros ad nutum amovibiles, et Parochos substitutos appellatos. Atque ex his tres in ipsa Cathedrali Ecclesia sua munera explebant super his, qui in Urbe morabantur, ad sex millia capita adauctis. Rure autem tres in Ecclesia Deiparae sacra, quae vulgo audiebat *della Lizza* in Regione Picciotti; bini in alia sub titulo S. Nicolai in regione eiusdem nominis, qui Episcopi vice Ruricolis fere quinque millibus per agros dispersis Sacramenta ministrabant. Haec moderandi animarum curam methodus minus opportuna visa est cum Decessoribus nonnullis Episcopis, tum maxime moderno, qui graves perpetuo moerores et animi ambages expertum fuisse querebatur, ea etiam de causa, quod pertenue stipendium huiusmodi Vicariis persolutum, et eorumdem qualitas amovibilis nunquam fere paterentur, ut idoneis satis et selectis, ut par erat, Sacerdotibus gravissimum hocce munus committi posset, quin Episcopis tenui mensa donatis facultas praesto esset occurrendi. Atque hinc serio mentem applicuit, ut media nanciscetur huic incommodo consulendi, ac denique Vir Franciscali Familiae addictus adeo parcam etiam in Episcopatu gessit vitae rationem, ut comparare sexennio elapso valuerit praedia pro pretio ducatorum 4600, eaque assignavit in dotem binarum Parochiarum ruralium, idest ducata 2181 25, cuius fructus ad quincuncem usuram erat ducatorum 109, pro Paraecia S. Mariae *della Lizza,* ducatorum 2460 cum fructu ducatorum 123, pro alia S. Nicolai. Hisque peractis, petiit facultatem erigendi praefatas Ecclesias parochiales, quorum Rectores eligendi essent praevio concursu ad formam Concilii Tridentini. Capitulum plenis ulnis Episcopi vota amplectebatur; idque etiam utriusque Siciliae Rex probare non ambigebat. Electio autem Coadiutorum utriusque novi Rectoris, sub nomine Archipresbiteri, Episcopis pro tempore reservari debebat. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo annuendum sit Gallipolitani Episcopi precibus super Paraeciarum erectione in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione ab expeditione Literarum Apostolicarum in casu etc. –, Sacra

Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus ea tamen lege, ut Coadiutores Parochorum libere deputentur ab Ordinario. Ad secundum, attentis peculiaribus circumstantiis, supplicandum Sanctissimo pro dispensatione – *in Gallipolitana Parochiarum die 7 Augusti 1841.*

253. Qua de re tametsi ad occurrendum spiritualibus necessitatibus Incolarum loci iam constitutus fuerit Capellanus Curatus seu Vice-Parochus, ob viarum tamen asperitatem nimiamque distantiam et auctum Populi numerum, Sacra Congregatio indulsit, ut nova ibi constitueretur Paraecia, detracta etiam aliqua pecuniarum summa ex reditibus veteris Paraeciae pro congrua novi Parochi ac servatis erga Matricem Ecclesiam alicuius honoris atque obsequii signis, arbitrio Episcopi *in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 4 Iunii 1836.*

254. Iamvero ad levam torrentis *Sieve*, qui medius transcurrens a Fesulana Florentinam dividebat Diaecesim, frequentissimum Castrum iacebat *Dicomano* appellatum, cuius ferme e conspectu Oratorium exurgebat divo Antonio dicatum, quod ab regionis nomine et ipsum *de Dicomano* nuncupabatur. Parva haec sacra Domus in ambitu ac ditione erat parochialis Ecclesiae S. Iacobi *a Frascole*, quae praerupta in monte sita mille fere et quingentos passus ab eodem rurali Sacello distabat. Duo aut tres Rusticorum Familiae circa Aediculam olim degentes ita frequentiores insequenti tempore factae fuerunt, ut sexaginta duo in praesens enumerarentur. Nativum quandoquidem montanae ruris horrorem terramque inhospitalem pertaesi ex Oppidanis plerique, commercii exercendi gratia, quod Dicomaniani florentissimum experiebantur, patriam fugientes domicilium laresque domesticos eo transtulerunt. At quanto magis hominum ibi manus excreverit, eo fortius ob viarum asperitatem obque nimiam distantiam, avitam Paraeciam ad Sacrum diebus festis audiendum et Sacramenta recipienda accedere prohibebantur. Ad haec praecavenda incommoda, Martinus, qui iam occubuerat, Fesulanus Episcopus Fidelium oblationes Sacerdoti cuipiam attribuit, ut Sacrum quoquo die festo in divi Antonii de Dicomano Sacello conficeret, fideique rudimenta dispersum veluti gregem edoceret. At oblationibus illis in dies deficientibus, haud diu medela isthaec perduravit. Hinc Episcopus facultates efflagitavit suspendendis tria Missarum legata inhaerentia Paraeciae S. Iacobi a Frascoli, ut ex eorum reditibus in scutis 41 Vice-Parochus ibidem constitui posset; et Sacra Congregatio die 9 iulii 1825 id concessit, applicatis quadraginta tribus Missis lectis tantum, quin ipse Missam pro Populo applicare teneretur. Martino interim Episcopo vita functo, Vicarius Capitularis postulavit, ut sibi fieret potestas praedium quoddam *de Ricaiano* terrulasque nonnullas annui fructus ab pingui Paraecia S. Petri *a Casi* vacante dismembrandi, queis posset Parochus *a Frascole* sibi Coadiutorem adsciscere, qui animarum de Dicomano curam susciperet. Compertum tamen erat, quod nullum adesset vestigium de praefato Rescripto a Sacra Congregatione edito die 9 iulii 1825. Qua de re Sacra Congregatio facultatem tribuit Capitulari Vicario ab Paraecia S. Petri *a Casi* annua desumendi scutata 24, et ex altera S. Iacobi scutata 49, nec non ea Vice-Parocho destinandi per Rescriptum diei 16 iunii 1827. Nova sed exinde urgebant rerum adiuncta, ut Parochus ibi perpetuo constitueretur. Nam Oppidanorum capita in dies eo magis confluentium quadringentesimum numerum exuperabant; oportuit iam Aediculae confines extendere, ut frequenti Populo non esset angusta; ac illa demum erat difficultatum implicatio, quas Capellanus in praesens experiebatur, ut ad omnia componenda necessum esset, in Paraeciam Oratorium ipsum erigere, qua posset legitimus Rector liberius suo munere fungi. Hoc erat Familiarum votum, hae pariter erant preces ipsius Episcopi, qui proposuit desumere annua scuta 32 ex reditibus Ecclesiae parochialis *di Frascole*, qui libera ascendebant ad scuta 196, et haec cum aliis congruam pro novo Parocho constituere, cum et ipse Parochus nedum ultroneum praeberet assensum, sed et vehementer optaret, ut nova Ecclesia parochialis ibidem constitueretur. In id etiam Patroni utriusque Ecclesiae consensum praestabant.

255. His itaque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus dismembrationi et erectioni novae Paraeciae, ita ut

congruum etiam evadat Parochi stipendium in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quae obsequia Matrici Ecclesiae ab nova Paraecia praestanda sint in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi. Ad secundum, Affirmative arbitrio Episcopi – – *in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 4 Iunii 1836.*

256. Hinc de Concilii Tridentini Decreto in Cap. 4 sess. 21 de reformatione animadvertunt Doctores complures, inter quos Fagnanus in Cap. *Ad audientiam,* illud alternative conceptum deprehendi, videlicet – ob locorum distantiam, sive difficultatem –: ex quo inferunt, ad novae Parochiae erectionem sufficere distantiam loci sine difficultate, et vice versa difficultatem sine distantia; qualis autem esse debeat huiusmodi distantia, vel difficilis accessus, minime definitum noscitur, ac propterea id totum pendere ab Ordinarii arbitrio et prudentia docent Menoch. de arbitr. Cap. 497 n. 4, Costa de remed. subsid. remed. 75 n. 4, Ricc. in prax. resol. 476, Pax Iord. elucubr. can. tom. 3 lib. 10 tit. 31 n. 5 *in Adrien. Parochialis die 18 Decembris 1774* §. *Concilium.*

Item *in Ravennaten. Dismembrationis die 5 Aprilis 1783* §. *Hanc; in Imolen. Erectionis Paraeciae die 22 Maii 1830* §. *Novae; in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 30 Aprilis 1836* §. *Perspiciendum; in Massanen. et Populoniae Dismembrationis Paraeciae die 9 Maii 1840* §. *De; in Camerinen. Dismembrationis Paraeciae die 8 Iulii 1843* §. *Quod; in Bononien. die 30 Augusti 1845* §. *Hisce.*

257. Nam Episcopi arbitrio et prudentiae valde deferendum esse in iudiciis huiusmodi tradit Rebuffius in prax. Benef. part. 1 de erect. in Curat. et Paroch., cui profecto locorum indoles et commissi gregis necessitas magis quam alteri cuilibet notissima merito censetur *in Massanen. et Populoniae Dismembrationis Paraeciae die 9 Maii 1840* §. *Non.*

Item *in Camerinen. Dismembrationis Parochiae die 2 Decembris 1843* §. *His.*

258. Unde ad sustinendam dismembrationem Ecclesiae Parochialis alterutram ex his causis sufficere, nempe aut distantiam locorum, aut magnum incommodum Parochianorum accedendi ad Ecclesiam parochialem, Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* n. 19, Pignatell. consult. 230 n. 9 tom. 4 *in Adrien. Parochialis die 18 Decembris 1774* §. *Promotor.*

Item *in Ravennaten. Dismembrationis die 5 Aprilis 1783* §. *Hanc.*

259. Idcirco una distantia loci ab Ecclesia parochiali iustam praebere causam dismembrationis docet Fagnanus in Cap. *Ad audientiam* n. 18, qui insuper addit, non requiri nimiam longinquitatem et viarum discrimen; sed sat esse, ut distantia ea sit, ut ob ipsam Parochianis sine magno incommodo ad maiorem Ecclesiam non pateat accessus, vel ut clarius explicat, – ut Populus praesertim adversis temporibus non possit sine magno incommodo illuc horis congruis ad divina officia confluere – *in Bononien. die 30 Augusti 1845* §. *Hisce.*

260. Hinc magnum incommodum Parochianorum una cum locorum distantia et difficultate Tridentinum requirit, et simul ut concurrant, necesse statuunt Fagnan. in Cap. *Ad audientiam* n. 8, Pignatell. consult. 230 n. 5 tom. 4, Reclus. de re paroch. part. 1 tit. 12 n. 87 *in Tudertina Dismembrationis die 24 Novembris 1804* §. *Tridentinum.*

261. Qua de re quamquam distantia a Sacro Concilio Tridentino definita non sit, attamen cum alternatim, sive ob distantiam, sive ob difficultatem, dismembratio permittatur, sequitur, quod dismembratio conceditur, licet distantia non sit immodica, si difficultate viarum multi Sacrificio diebus festis caruerint, aut destituti Sacramentis obierint, ut tradunt Pignatell. consult. can. tom. 4 consult. 230 n. 16, et Garz. de Benef. part. 12 cap. 2. n. 8 *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis die 12 Iulii 1817* §. *Quamquam.*

262. Itaque ad dismembrationem faciendam satis videtur duplicis lapidis distantia, ut tradit Fagnanus in Cap. *Ad audientiam* n. 39, Pirrhing in ius can. cap. 16 n. 31 *in Anconitana Dismembrationis et Reintegrationis die 12 Februarii 1803* §. *Tria.*

Item *in Anconitana Dismembrationis die 30 Aprilis 1803* §. *Cum; in Tudertina Dismembrationis die 24 Novembris 1804* §. *Tridentinum; in Imolen. Erectionis Paraeciae die 22 Maii 1830* §. *Novae.*

263. Siquidem Sacra Congregatio respondit, esse locum erectioni novae Parochiae, servata forma Concilii, in tribus Villis, attenta distantia duorum milliariorum a Cathedrali, a qua Populi dictarum Villarum Sacramenta suscipiebant, et erectionem per Episcopum exequendam *in Calven. Erectionis Parochialium die 26 Februarii 1695 lib. 45 Decretorum.*

264. Hinc multo magis esse locum respondit Sacra Congregatio erectioni novae Parochiae in Villa propter distantiam a Matrici duorum milliariorum,ac interiectionem torrentis, saepius aquis redundantis, et accessum difficilem ad praefatam Matricem reddentis, servata forma S. Concilii, et assignata per homines Villae congrua Parocho *in Ianuen. Erectionis novae Parochialis die 16 Ianuarii 1694 et die 18 Maii 1695 lib. 44 et 45 Decretorum.*

265. Quin imo tametsi distantia esset unius lapidis, sed via erat aspera et hiberno praesertim tempore difficilis, nec non ex promiscuo accessu iurgia rixaeque oriebantur inter Populanos unius alteriusque Oppidi, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dismembrationi iuxta primum votum Episcopi, non vero constitutioni Capellani Curati *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis die 12 Iulii 1817.*

266. Enimvero duo Oppida secus mare Ligusticum posita Marola et *Cà di mare* intermedio monte distabant inter se fere passuum mille, et ab uno regebantur Parocho, qui in Ecclesia S. Viti Marolae residebat. Populus *Cà di mare,* sive quod aspera et hiberno praesertim tempore difficilis esset via, ut Populani nec accedere sine difficultate ad Ecclesiam possent, nec ad eos Parochus, sive quod ex promiscuo accessu iurgia rixaeque orirentur inter Populanos utriusque Oppidi, veteri aemulatione dissociatos, dismembrationem postulavit a Paraecia S. Viti, cum haec vacans esset, et erectionem novae Paraeciae in propria Ecclesia S. Mariae nuper et decenter extructa et sacris supellectilibus ornata. Episcopus de sententia rogatus in prima informatione retulit, distare Oppidum *Cà di mare* ab Ecclesia parochiali S. Viti per unum lapidem, asperum esse iter tempore hyemis; hinc multos ex Oppidanis diebus festis Sacro caruisse, et a vita migrasse absque Sacramentorum subsidio, animarum capita loci *Cà di mare* excedere numerum quingentum, Parochum S. Viti Marolae habere congruam scutorum quatuor centum monetae Romanae. Putavit itaque, ad haec incommoda submovenda et rixas inter Populos praecidendas, optimum fore, si proprius Parochus, ad minus Capellanus Curatus, deputaretur in Ecclesia *Cà di mare,* cui a Parocho Matricis Ecclesiae S. Viti subministrarentur scuta quinquaginta, et quod ad congruam deerat, Municipium *Cà di mare* suppeditaret. Proposita Causa per Summaria precum die 14 decembris 1816, Sacra Congregatio rescripsit: – Dilata, et audiatur in scriptis Curatus, sive Oeconomus Marolae, transmisso statu activo et passivo, nec non annuo reditu et exitu et numero animarum –. Remisit Episcopus declarationem Oeconomi, qui affirmavit, annuos reditus Paraeciae S. Viti consistere in libris Ianuensibus 2400, incerta in libris 500, onera vero in libris 60. Interea dum haec agebantur, indicto concursu, novus renunciatus est Parochus S. Viti Marolae Sacerdos Malfanti, qui petitae dismembrationi obstitit. Hinc Episcopus, de mandato Sacrae Congregationis, audito praedicto Parocho, retulit, annuum reditum Paraeciae ascendere ad scuta Romana 144 81, exitum ad scuta 47 90 eiusdem monetae; ac addidit, praefatum Oeconomum auxisse in scriptis reditum Paraeciae, sed insuper in scriptis pariter declaravisse, se in errorem incidisse. Censuit tamen optimum futurum, si Parochus Marolae deputaret Capellanum Curatum, qui nocturno praesertim tempore *Cà di mare* moretur, expensis tamen eiusdem Populi *Cà di mare.* Qui iura Populi *Cà di mare* defendebat, contendit, reditus Parochialis Ecclesiae consistere in annuis scutis quatuor centum, quin obesset, quod Episcopus reditus depresserit ad scuta 144. Id enim affirmavit, se referens ad peritias et ad secundam declarationem Oeconomi Bonanini, quae cum laterent, assertio Episcopi haberi deberet, ut referens sine relato. Proposito hinc dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi et erectioni novae Paraeciae in Ecclesia *Cà di mare* in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative pro dismembratione, iuxta primum votum Episcopi diei 24 iulii 1816 –

in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis die 12 Iulii 1817.

267. Hinc dum inter utriusque loci seu Matricis et succursalis Ecclesiae Incolas animorum aversio et aemulatio ferveat, ex qua non leve saluti animarum detrimentum imminet, ad Paraeciae dismembrationem novaeque erectionem necessario deveniendum esse docet Card. De Luca in adnot. ad Concil. Trid. disc. 16 n. 4; idque – prudenti beneque regulato arbitrio totum commissum – affirmat *in Lucana Dismembrationis die 27 Iunii 1757* §. *Sed.*

Item *in Brixien. Dismembrationis Paraeciae die 26 Septembris 1857* §. *Praeter.*

268. Nam ob utriusque Populi rixas et odia, quae sola perpetua dissociatio compescere valet, aliquando conceditur dismembratio in *Vintimilien. Dismembrationis die 8 Augusti 1818* §. *Nec.*

Item *in Placentina Paraeciae die 20 Novembris 1819* §. *Verum.*

269. Idcirco ut scandalis vel inconvenientibus occurratur, maxime providere oportet et congruit per Paraeciae dismembrationem, Card. De Luca miscell. eccles. disc. 1 n. 16 *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Haud nihilominus.*

270. Idcirco licuit Episcopo dismembrationem peragere nec non assignare novae Parochiae pro dote decimas, quae Matrici Ecclesiae prius solvebantur, cum probaverit nedum distantiam ultro duo mille et septingentos passus et viarum asperitatem hiberno praesertim tempore, unde plures Infantes sine baptismo et Infirmi sine Sacramentis aliquando etiam decesserant, sed etiam negligentiam Archipresbiteri praefatae Ecclesiae Matricis quoad curam animarum *in Anglonen. Erectionis Parochiae die 15 Novembris et die 20 Decembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

271. Siquidem – quamvis in Terra Claramontis Anglonensis Diaecesis extet Parochialis sub titulo S. Ioannis Baptistae, quae regitur ab Archipresbitero et novem Coadiutoribus, in tota eadem Parochia Sacramenta alternatim ministrantibus, et ulterius eadem Ecclesia habeat aliam filialem sub invocatione S. Thomae, cui unus Rector, aliique tres simplices Sacerdotes inservire dicuntur, ut deponunt plures Testes de praedictis omnibus informati. In visitatione tamen Rmus Episcopus novam Parochiam novumque Parochum constituit in Casali nuncupato Fardellae sito intra limites eiusdem Parochiae, a praedicta Terra Claramontis longe ultra duo milliaria distante, in quo antea Archipresbiter Coadiutoresque praefati Sacramenta ministrabant, decimasque et emolumenta funeralia percipere consueverant, ut iidem Testes referre conantur. Aderat enim in eodem Casali Oratorium seu Ecclesia sub invocatione S. Antonii pia Incolarum devotione superioribus annis constructa, et hanc idem Episcopus visitans, propter distantiam a dicta Terra Claramontis incommoditatemque itineris et numerositatem Populi ducentas circiter animas constituentis, in novam Parochialem erexit, dismembrando dictum Casale et Ecclesiam ab antiqua parochiali Ecclesia Sancti Ioannis Baptistae eiusdem Terrae Claramontis, et in novum Parochum instituendo alterum ex praefatis novem Coadiutoribus cum assignatione competentis congruae ex decimis et emolumentis ipsis funeralibus, ut reddendo causas erectionis ac dismembrationis praedictae ipsemet Episcopus in sua relatione affirmat. Sentiens propterea praefatus Archipresbiter dictae Terrae Claramontis hac recenti erectione alterius Parochialis intra limites antiquae, ac dismembratione dicti Casalis, maximum sibi suaeque Ecclesiae praeiudicium irrogari, cum isti ceteroquin carenti reditibus sufficientibus ad necessariam Parochi et tot eius Coadiutorum substentationem, prout pariter deponunt Testes, detrahatur quidquid novo Parocho Rmus Episcopus in congruam assignavit, monito itaque eodem Episcopo, ab EE. VV. decerni supplicat: – I. An Episcopo Anglonensi licuerit dismembrare ab Ecclesia Matrici S. Ioannis Baptistae Claramontis Ecclesiam seu Oratorium sub titulo S. Antonii Casalis Fardellae et illam erigere in novam Parochiam? *Et quatenus affirmative.* II. An pro dote eiusdem novae Parochiae licuerit assignare decimas, quae prius solvebantur dictae Ecclesiae Matrici a personis eiusdem Casalis in casu etc. –, Sacra Congregatio die 15 novembris 1704 respondit: – Dilata ad secundam –.

272. Subinde – itaque pro parte Episcopi

exhibitis opportune pluribus documentis ad probandam nedum distantiam dictae Terrae Claramontis ab eodem Casali ultra duo mille et septingentos passus, et viarum asperitatem, hiberno potissimum tempore, ultra modum intolerabilem, adeo ut hac de causa plures Infantes sine Baptismo, et Infirmi sine Sacramentis aliquando etiam decessisse Testes deponant, sed etiam curam animarum in Ecclesia Matrici dictae Terrae Claramontis soli Archipresbitero incumbere, ab eoque negligi, non vero illam quoque exerceri ab aliis assertis Coadiutoribus, qui absque ulla obligatione ex motivo tantum charitatis Sacramentum Poenitentiae aliquando in eadem Ecclesia ministrare supponuntur, ut ipsimet asserti Coadiutores affirmant una cum aliis Testibus, qui ulterius referunt, Testes ab Archipresbitero ad probandum contrarium inductos esse illius affines et coniunctos –. Repropositis hinc dubiis sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative ad utrumque, et futurae collationes fiant per concursum ad formam Concilii, facta annua recognitione Ecclesiae Matrici in signum honoris, mediante traditione candelae unius librae – *in Anglonen. Erectionis Parochiae die 20 Decembris 1704 lib. 54 Decretorum.*

273. Hinc exequenda est sententia Ordinarii, qua mandavit erectionem Parochialis, licet unius milliarii intervallum existeret ab Ecclesia Archipresbiterali, sed itineris ita asperi difficilisque, ut hyemali praesertim tempore vix peragi posset, unde loci Incolae in numero tercentum circiter saepe saepius infeliciter deperibant spiritualibus subsidiis haud praemuniti, assignata simul Rectori annua praestatione ducatorum triginta ab praefatis Incolis suppeditanda una cum ducatis viginti ex decimis detrahendis *in Frequentina seu Abellinen. Erectionis Parochialis die 27 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

274. Enimvero – quam demisse exponebatur in folio Congregationis diei 18 septembris 1688, quod inter Frequentum in cacumine Montis positum eiusque Casalia, quae ad radices iacent, unius milliarii intervallum existeret, itineris ita asperi difficilisque, ut hyemali praesertim tempore vix peragi possit, propterea que cum eorum Incolae in numero ter centum circiter saepe saepius infeliciter deperirent, spiritualibus subsidiis haud praemuniti, pietatis zelo accensus Dominicus Carracciolus utilis dominus, Ecclesiam sub invocatione Sanctorum Dominici et Francisci in meditullio Casalium proprio aere construi curavit, eamque in Parochialem erigi cum assignatione congruae portionis ex fructibus Ecclesiae Archipresbiteralis, suppliciter egit. Iudiciali processu transmisso super praemissorum veritate, suasque adiiciente preces Episcopo pro expetita dismembratione, propositum fuit dubium: « An procedendum sit ad petitam erectionem dictae Ecclesiae Archipresbiteralis Parochialem cum assignatione congruae Parocho ex fructibus Ecclesiae Archipresbiteralis arbitrio Episcopi detrahendae?», cui negativum responsum prodiit, sed EE. PP. censuerunt, quod Episcopus, quatenus opus esset, aliis mediis prout de iure provideret. Decennio iam evoluto, insurrexit Antonius Pascuccius Archipresbiter Curatus autumans, expetitam Parochialis erectionem nullatenus permittendam esse, prae ceteris attenta tenuitate redituum Praebendae Archipresbiteralis, ac iniungi Emo Beneventano Archiepiscopo supplicavit, ut invalescens rursus novandi consilium prorsus eliminaret, quatenus vero diiudicaretur necessarium, iugiter retineri posse, addidit, in Ecclesia S. Michaelis Archangeli, in districtu Casalium iam inde a priscis temporibus erecta, Vicarium Curatum, eorumdem Incolarum sumptibus, quibus relatis precibus sub die 29 novembris 1698 Sacra Congregatio eas benigne remisit praelaudato Emo Card. Archiepiscopo, qui desuper procederet prout de iure; assumptaque huiusce Causae cognitione, maturoque examine, ut perhibetur, discussa, tandem Emus ipse Card. Archiepiscopus sub die 17 martii 1701 definitive pronunciavit super erectione primodictae Ecclesiae Sanctorum Dominici et Francisci in Parochialem, eius Rectori assignata annua praestatione ducatorum 30 ab Incolis Casalium suppeditanda una cum ducatis 20 ex decimis Capitulo solvi consuetis detrahendis, cui annuatim Parochus offerret cereum quatuor librarum pro subiectionis inditio, ut latius ex transumpto sententiae in Summario describendo. Statim quidem Archipresbiter ab huiusmodi iudicato reclamavit, ac tandem deducta controversia ad Sacram

Congregationem, contingit in praesenti ad trutinam revocari dubium inter Partes concordatum sapienter ab EE. VV. definiendum: – An sententia super erectione Parochialis Sanctorum Dominici et Francisci sit exequenda in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative, et amplius – *in Frequentina seu Abellinen. Erectionis Parochialis die 27 Maii 1713 lib. 63 Decretorum.*

275. Quapropter indulgetur dismembratio et respective erectio Paraeciae in regione, quae nimis distat ab Ecclesia Cathedrali et parochiali, cuius curae limites per plura milliaria ita progrediuntur in apertam planitiem, ut, attenta huiusmodi distantia ac Populi numerositate, non raro eveniat, quod Incolae ex hac vita decedant absque Sacramentorum subsidio, reservato favore Ecclesiae Matricis seu Cathedralis iurepatronatus activo, ac iurepatronatus passivo favore familiae et agnationis Presbiteri, qui novae Ecclesiae nedum praedium donat, sed et domum parochialem et sepulchra propriis expensis extruit, et necessarias supellectiles comparat, cum conditione tamen, ut ipse in primum eligatur Parochus, concessa etiam unione pii legati et Capellaniae, pro congrua dote constabilienda *in Forosempronien. Erectionis Paraeciae die 26 Martii 1808.*

276. Siquidem Cathedralis Ecclesia Forosemproniensis et parochialis erat curamque animarum per Vicarium amovibilem exercebat in agro, in quo ea regio, quae appellatur *Piano di S. Martino,* nimis distabat ab Ecclesia parochiali, et ob longum asperumque interpositum iter spiritualibus nonnunquam destituebatur auxiliis. Annuit Capitulum pro dismembratione et erectione novae Paraecialis in praefata regione, quam tres supra sexaginta Familiae Colonorum circumstabant, ibique ruralis aderat Ecclesia S. Martini, pluribus tamen adiectis conditionibus. Dum autem de congrua assignanda agebatur, Sacerdos Pierboni praedium praefatae Ecclesiae donabat, si eadem in Parochialem erigeretur, si ipse in primum, praevio Beneplacito Apostolico, Parochum eligeretur, si iurepatronatus passivum pro ipsius familia et agnatione reservaretur, ac aliae huiusmodi conditiones probarentur. Insuper etiam domum parochialem et sepulchra extruere nec non sacras supellectiles necessarias propriis expensis comparare intendebat. Capitulum consensum praestitit, ut propositio praefati Sacerdotis Pierboni acceptaretur, reservato tamen favore ipsius Capituli iurepatronatus activo. Petebatur tamen unio pii legati Ioannae de Azzis et Capellaniae Tomasini, pro congrua dote constabilienda. De his exquisitum fuit votum Emi Saluzzo, qui, omnia sedulo expendens, censuit, approbandas esse huiusmodi conditiones, et novam Paraeciam erigendam. Nam Populus, qui in suburbiis morabatur, saepe saepius spiritualibus destituebatur auxiliis, quia nimis a Cathedrali distabat, cuius curae limites per plura milliaria progrediebantur in apertam planitiem. Accedebat magnus animarum numerus, quae Cathedrali subiiciebantur, et in sola civitate quatuor mille vel aequabant vel superabant. His ac suburbiorum Incolis satis non erat unus Capellanus Curatus, tametsi duos haberet Mansionarios ad succurrendum Infirmis deputatos, unde fiebat, – ut nequeat auxilia illa praebere, quae admodum sunt necessaria animabus in extremo agone luctantibus, nec raro evenit, ut ex hac vita decedant absque Sacramentorum subsidio, ob loci distantiam –, veluti testabatur Episcopus. Necessitas hinc urgere videbatur erectionem novae Paraeciae, cui etiam utilitas addebatur animarum, quae intra Civitatem regendae a Capellano Curato supererant. Is enim quo magis solutus foret a laboriosis molestisque curis, qui secumferebant locorum distantiae et multiplex animarum in iis degentium numerus, eo etiam magis assiduam praestare operam poterat Incolis Civitatis, qui propterea ex hac dismembratione novaque erectione non levem utilitatem et emolumentum erant percepturi. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi et erectioni novae Paraeciae in casu etc.–, Sacra Congregatio responsum dedit: – Affirmative in omnibus, iuxta votum Emi Relatoris; et ad D. Secretarium cum Sanctissimo – *in Forosempronien. Erectionis Paraeciae die 26 Martii 1808.*

277. Unde si adeo longa sit distantia inter plures Pagos in amplo latifundio seu territorio sitos, ut Oeconomus seu Capellanus omnibus illorum Populorum necessitatibus occurrere nequeat, unde plurima in dies eve-

niunt scandala pericula animarum et divini cultus imminutio, nec non Pueri ipsa fidei rudimenta ignorant, et Populus universus rudis est atque in maxima Dogmatum ignoratione versatur, ac Infirmi saepius sine Sacramentis decedunt, nedum locus est erectioni unius Parochialis, sed erectioni alterius *in Nolana Parochialis die 3 Februarii 1753 die 25 Ianuarii die 1 Martii 1755 die 17 Iulii die 18 Septembris 1756 et die 12 Februarii 1757.*

278. Iamvero Episcopi Nolani haud valentes ob rerum angustias in novo Pago Casalis de Bosco Regali Parochiam constituere, ut Populi succrescentis curam gereret, satius duxerunt, illam concedere et commodare viciniori Parocho Ordinis Caelestini Turris Annunciatae, a qua Pagus ille distabat tribus passuum millibus. Aucto autem in dies Accolarum numero, ultra infinitas pene casas et mapalia dispersa huc illuc per amplitudinem latissimi illius latifundii decem et octo milliariorum, alii quatuor Pagi a collecta multitudine aedificati fuerunt, quorum unus nuncupabatur *la Taverna di Basso,* alius *S. Francesco,* alius *il Piscinale,* alius *gli Aquilini;* quintus vero, qui omnium primus fuit *Casale di Bosco* seu *Bosco tre case* situs in Archidiaecesi Neapolitana, a nomine totius territorii *Bosco Regale* appellabatur. Distabant hi Pagi ab Ecclesia Turris Annunciatae, alii tribus, alii quatuor, alii quinque millibus passuum, et licet Patres Ordinis Caelestinorum retinerent in Ecclesia S. Francisci, quae sita erat in uno ex iis quinque Pagis, quaeque pertinebat ad Patres Conventuales S. Laurentii Civitatis Neapolis, unum ex iisdem Patribus Conventualibus, qui in universo illo latifundio et quinque locis, quae in eo erant, Oeconomi officium exercebat, divisis emolumentis et iuribus inter Patres Caelestinos et Oeconomum, non poterat tamen hic omnibus illorum Populorum necessitatibus occurrere, unde plurima in dies eveniebant scandala pericula animarum et divini cultus diminutio. Ecclesia enim illa S. Francisci, in qua erat Oeconomus, cum non excederet amplitudinem privati cubiculi, impossibile erat, ut excipere posset Populum, qui quotidie excrescebat, et proximo censu numeratus fuit ad capita plusquam duo millia. Hinc cum ad audiendas praedicationes explicationem Sacri Evangelii et cathecheses non posset in ea Populus contineri, consequens erat, ut Pueri ipsa fidei rudimenta ignorarent, et Populus universus rudis esset, et in maxima Dogmatum ignoratione versaretur. Illud etiam accedebat, quod hiberno praesertim tempore necesse erat per plures dies differre Baptismata; et Infirmi saepius sine Sacramentis decesserunt. Neque levius erat in Matrimoniis contrahendis periculum, quorum denunciationes cum fierent in Ecclesia parochiali Turris Annunciatae, in quam Populus *di Bosco Regale* nunquam conveniebat, non perveniebant ad aures eorum, qui habitabant in praefatis quinque Pagis, quique impedimenta, si qua adessent, soli scire potuissent, nisi postquam Matrimonia contracta fuerunt. Qua de re Stephanus Marini Princeps Striani, cui nuper magna pecuniarum vi quaesitum fuerat dominium territorii *di Bosco Regale,* petiit, ut ibi nova Parochia erigeretur. Populus offerebat congruam Parocho in iuribus stolae, quae ipse solvebat; et si quid deesset, supplere paratus erat Princeps annuis suis reditibus ducatorum quadraginta, servans sibi ius nominandi Parochos. Patroni quoque Ecclesiae *di Monte Vergine,* quae ceteris omnibus aptior erat et commodior, eam concesserunt Principi Striani, non ut in illa constituerentur ulli Oeconomi, sed ut nova Parochia in ea erigi posset. Hinc disputavit Princeps, rem non esse de dismembratione, sed erectione novae Parochiae: nam ibi nulla unquam fuerat Parochia, cum latifundium illud nunquam fuerit intra fines alicuius Parochiae, et Parochus Turris Annunciatae nunquam fuerit verus et proprius Parochus novi Populi, qui territorium *di Bosco Regale* incolere cepit, ipse quippe delegatus tantum extitit ad exercendam curam animarum, quae ipsi, ut viciniori, commendatae fuerunt. Quin imo si de vera ageretur dismembratione, haec ob magnam distantiam et mala, quae obveniebant, denegari non poterat.

279. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus dismembrationi seu erectioni novae Parochiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 3 februarii 1753 responsum dedit: – Dilata, et coadiuventur probationes iuxta instructionem, et scribatur Episcopo iuxta mentem –. Quatuor fuerunt instructio-

nis capita, scilicet 1°. quod, citatis omnibus interesse habentibus, elevaretur planta iudicialis cum descriptione confinium ac respective distantiae inter se omnium Ecclesiarum, intra limites Parochiae existentium; 2°. quod fieret computum omnium redituum Parochiae, demptis emolumentis stolae, contributionis Confraternitatum, aliisque incertis, de quibus fieret calculus separatus per decennium; 3°. quod firmaretur status animarum existentium tam in Terra Sanctissimae Annunciatae, quam in territorio *di Bosco Regale,* et quoad Incolas huius latifundii exquireretur, an maior et sanior pars instaret pro erectione novae Parochiae; 4°. quod transmitteretur minuta concordiae, super concessione Ecclesiae sub titulo S. Mariae Montis Virginis, quae asseritur facta favore Principis Striani a Patronis. Mens autem Episcopo Nolano explicata haec fuit, ut distincte referret statum Ecclesiarum *Bosco Regale* existentium, ac votum suum aperiret super petita dismembratione et super necessaria quantitate congruae assignandae, sive pro alio remedio temporis et loci circumstantiis opportune adhibendo. Impleta fuerunt capita omnia instructionis. Episcopus censuit, necesse omnino esse ob locorum distantiam et numerum habitatorum, ut in eo latifundio aut duo constituerentur Oeconomi, aut erigeretur nova Parochia, et Parocho adiungeretur Oeconomus. Ex hac necessitate arguit, male Patres Caelestinos sese opponere erectioni novae Parochiae, quia si duo constituerentur Oeconomi, stipendium, quod illis praestandum erat, absumeret omnes reditus, quos Patres percipiebant ex latifundio: et ex diverso longe maior esset fructus animarum, qui colligi poterat erectione novae Parochiae; Principem Striani auxisse annuam praestationem sive congruam, ut novus Parochus Oeconomum retinere posset; reditum itaque annuum esse ducatorum 120, quae quantitas satis erat pro novo Parocho et Oeconomo. Reproposito tamen dubio sub eadem Formula, Sacra Congregatio die 25 ianuarii 1755 respondit: – Dilata ad primam post cineres–, et die 1 martii eiusdem anni responsum tulit: – Dilata, et scribatur. Episcopo iuxta instructionem (1). Controversia tandem transactione, quam Princeps Striani iniit cum Patribus Caelestinis, sopita extitit. Sed rem interim turbavit Praeses Hiacynthus Ursini, qui in extrema eiusdem latifundii parte ampla possidebat praedia, nuncupata *Massaria,* in quibus erat Ecclesia, cui ipse praeficiebat Capellanum: unde petiit, ut in casu erectionis novae Paraeciae in eo latifundio – venga considerata la suddetta Cappella, che ritiene l'Oratore –, suspensa interim exequutione praefatae transactionis. Princeps Striani vero ursit approbationem transactionis, cum dictus Praeses nullum ius haberet intercipiendi, ne fieret transactio, ignoraretur quid vellet, an novam Parochiam, an appositionem Oeconomi in sua Capella, an aliud quidquam. Proposito hinc dubio: – An sit locus approbationi concordiae favore Principis Striani, seu potius sit locus approbationi alterius praetensae concordiae favore D. Praesidentis Hiacynthi Pauli Ursini? –, Sacra Congregatio die 17 iulii 1756 respondit: – Affirmative ad primam partem iuxta modum et ad mentem, Negative ad secundam –. Agnovit Praeses Ursini iustitiam Decreti, sed adhuc contendit, esse locum erectioni alterius Parochiae in sua Capella *del Flocco,* quae non solum comprehendebat Massariam suam, sed alias etiam proximas sitas in eodem territorio *di Bosco Regale.* Proposito interim dubio: – An sit permittenda erectio alterius Parochiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 18 septembris 1756 respondit: – Dilata, et scribatur Episcopo iuxta instructionem (2) –. Episcopus omnibus instructionis

(1) Instructio fuit: 1. ut notificetur Episcopo, quod quatenus Sacra Congregatio in eam deveniret sententiam pro erectione novae Parochiae non permittet, ut locus propinquus Parochiae Annuntiatae evadat de nova Parochia; ut in casu erectionis novae Parochiae, si ita sentiet Sacra Congregatio, ante illius erectionem vult sibi constare de Ecclesia non commodata, sed propria et libera ad Parochum spectante, ac de assignamento statuto pro manutentione Parochi; 3. sub oculis videre cupit Sacra Congregatio, quibus terminis et verbis demandata fuerit Monachis Caelestinis sive Parocho Annuntiatae cura novarum Incolarum loci de *Bosco* Regali nuncupati; 4. demum Sacra Congregatio scire exoptat, an domus separatae et dispertitae in dicto loco *Bosco Regali* aequaliter distarent a nova Parochia forsan erigenda, prout modo distant a Parochia Annuntiatae, *ceu videre est in lib. 31 Litt. die 1 Martii 1755.*

(2) Scilicet, ut Sacram Congregationem instructam reddat; 1. An expediret petita erectio alterius Parochiae in

capitibus respondit. Reproposito igitur dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, et ad mentem – *in Nolana Parochialis die 12 Februarii 1757.*

280. Locus hinc est dismembrationi et erectioni novae Parochiae, cum propter magnam distantiam et viarum difficultatem Parochiani pro maiori parte anni nequeant accedere ad Ecclesiam parochialem, ac ea propter nonnulli eorum non sint sufficienter instructi in rebus fidei, et aliquando sine Sacramentis decesserint *in Imolen. Dismembrationis die 22 Iunii 1720 et die 21 Iunii 1721.*

281. Siquidem Emus Gozzadinus Sacrae Congregationi exposuit, quod ad succurrendum animarum saluti expediebat, Parochiam ruralem S. Bernardini in Silva nuncupatam in duas dividere. Nam primo Parochia S. Bernardini in sui longitudine extendebatur ad quinque vel sex milliaria, et in sua latitudine ad tria millia circiter; secundo praedictam Parochiam interfluebat flumen Santerni, quod hyemali praesertim tempore erat impervium; tertio Parochiani vel propter magnam distantiam, vel propter viarum difficultatem, pro maiori parte anni ad dictam parochialem Ecclesiam accedere non poterant, qua de causa factum erat, ut nonnulli pii Benefactores Oratoria construxerint, pro commoditate et necessitate Parochianorum, qui diebus festis Missam alias non audirent; quarto attenta distantia nec non attenta viae difficultate, quae ad Parochiam ducebat, nonnulli Parochiani non erant sufficienter instructi in rebus fidei, et aliquando sine Sacramentis decesserunt; quinto se hortante, quidam Sacerdos Fraciscus Belletti aere proprio a fundamentis extruxit Ecclesiam sub invocatione S. Iosephi una cum commoda domo pro novi Parochi residentia; sexto idem Sacerdos paratus erat assignare tot bona stabilia fructifera pro annuo reditu scutorum sexaginta, et alia aderant annua scuta viginti quinque relicta ab alio Benefactore, et eroganda in celebrationem Missarum in dicta Ecclesia adimplendarum; septimo novae Parochiae centum dumtaxat focularia assignari poterant, remanentibus ter centum focularíis pro antiqua Parochia S. Bernardini. Addebatur, Parochum S. Bernardini habere annuum emolumentum scutorum 200; et ad reparandum quodcumque damnum, quod idem pati poterat ex privatione perceptionis primitiarum a familiis dismembrandis, Emum Episcopum esse in sensu, quod novus Parochus illi consignaret septem aut octo corbas frumenti quolibet anno, quae summa fere ascendebat ad medietatem corbarum frumenti, quam idem novus Parochus percipere poterat a familiis sibi assignatis. His interim perpensis, proposito dubio: – An sit locus dismembrationi et erectioni novae Parochiae in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 Iunii 1720 responsum dedit: – Dilata, et scribatur Emo Episcopo pro nova informatione iuxta mentem –, quae fuit, ut instructa redderetur Sacra Congregatio de annuo redditu, qui quolibet anno habebatur ex focularíis novae Parochiae assignandis, facto calculo redituum per decennium ad tramites iuris, et quod ulterius edoceretur de modo, quo Emus Episcopus subvenire intendebat aliis domibus descriptis in planta exhibita, et aequali, si non maiori auxilio indigentibus, et novae Parochiae nullatenus assignatis. Unde in eo, quod attinebat ad interesse primitiarum a domibus dismembrandis percipi solitarum, dicebatur, totum consistere in scutis 26 et obulis 60, tam habita ratione frumenti, quod a nonnullis domibus consignebatur, quam pecuniae, quae ab aliis persolvebatur, et idcireo in praeterita informatione propositum fuisse, quod Parochus novae Parochiae ex dictis primitiis contribueret sex vel septem annuas corbas frumenti antiquae Parochiae S. Bernardini in signum Matricitatis, quae corbae aestimari poterant ad rationem iuliorum quatuordecim pro quolibet, facto calculo super pretio frumenti per decennium. In eo autem, quod spectabat ad subministrationem auxilii pro aliis domibus in planta exhibita descriptis, ad vertebatur, sic rem componi posse, assignando novae Porochiae centum et quinquaginta focularia, extendendo limites novae

latifundio, de quo agitur; 2. An Capella *del Flocco*, in qua erigi petitur, sit capax omnium Parochiae Incolarum; 3. quot annui reditus assignari debeant pro Parocho, et quae annua summa sit necessaria pro manutentione Ecclesiae; 4. An adsit domus Parochialis prope Ecclesiam, in qua Parochus residere possit, vel eadem construi possit; 5, quae confinia eidem Parochiae sint assignanda, *ut in Reg. Litt. lib. 31 die 18 Septembris 1756.*

Parochiae per lineam directam versus antiquam Ecclesiam, ad occasum per duo milliaria circiter usque ad inclusionem loci, qui dicebatur *Oratorio della Pianta,* et per lineam lateralem ad meridiem per milliare circiter usque ad locum, qui dicebatur via *del Traversogno,* et ab aliis lateribus usque ad confinia Diaecesis Imolensis cum Diaecesibus Ravennatensi et Faventina, concludendo', vel quod reliqua focularia non ita distabant ab Ecclesia S. Bernardini, vel si quae erat distantia, non esse in tali numero, ut iisdem in casu indigentiae a novo Parocho succurri non posset, et quominus homines in dictis domibus degentes tempore hyemali accedere ad novam Parochiam, licet alienam, valerent, vel ut functionibus interessent ecclesiasticis, vel ut doctrinam ediscerent christianam.

282. His mature perpensis, reproposito dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: - Affirmative, dummodo Oratorium *della Pianta* remaneat sub antiqua Parochiali – *in Imolen. Dismembrationis die 21 Iunii 1721.*

283. Qua de re locus pariter est dismembrationi ac erectioni novae Parochialis, si comprobata extet distantia trium et ultra milliariorum, nec non difficultas itineris non solum cum maximo incommodo, sed etiam cum evidenti periculo in necessaria traiectione fluminis, cum venti perfluant vel flumen aquarum copia abundet, assignata insimul congrua novo Parocho, arbitrio Ordinarii *in Papien. Dismembrationis Parochialis die 10 Aprilis 1717 lib. 67 Decretorum.*

284. Enimvero – subversa et absorpta a Pado flumine de anno 1630 parochiali Ecclesia Galeae, Parochiani illius, Homines Villae Veruvae, ut Ecclesiae Sacramenta reciperent, propinquiori Parochiae Oppidi Mezzani sese adscripserunt. Aucto autem Populo dictae Villae Veruvae, anno 1653 etiam ratione incommodi itineris facultatem ab Ordinario erigendi in territorio eorum Capellam seu Oratorium ad solam Missae celebrationem obtinuerunt. Successive anno 1693 flumen Padi, mutato antiquo cursu et alveo, territorium Veruvae ab illo Mezzani separavit, ita ut Populus Veruvae non sine incommodo et periculis, quin etiam cum impensa Nauli traiicere navigiis omnino illud debeat, ut ad Ecclesiam parochialem accedat. Hinc ab anno 1703 Oratores praetensionem dismembrationis excitarunt, quae composita fuit cum deputatione Capellani coadiutoris, ea inter ceteras apposita conditione, quod liceret Partibus a transactione resilire, et cum Ordinarii consensu variare, iuxta exigentiam maioris divini cultus et animarum salutis. Quare dicti Veruvae Populares cum oblatione integre assignandi novo Parocho congruam pro dismembratione supplicant, dum concurrit utraque causa a Concilio desiderata, distantia nempe trium et ultra milliariorum, comprobata cum accessu Vicarii Generalis et mappa Periti cum suis geometricis dimensionibus confecta; item difficultas itineris, non solum cum maximo incommodo, sed cum evidenti periculo in necessaria traiectione fluminis Padi, cum venti perflant, vel flumen aquarum copia abundet. Praeterea traiecto Pado flumine, iter dirigendum est per quatuor valles, quae frequentissime ex redundantibus et excrescentibus Padi aquis ita operiuntur, ut neque pedestri itinere, neque remigiorum ope Populares valeant illas pertransire. His accedit, quod Villa Veruvae de tempore accidentalis et voluntariae unionis Parochiae Mezzani quatuor tantum Familiis constabat, nunc autem excrevit ad 179, earumque animae ad numerum 958 ascendunt, ita ut etiam post Capellani coadiutoris deputationem plures sine Sacramentis decesserint. Quae omnia aliaque uberius a Partibus informantibus enarranda ex relatione Vicarii Generalis, praevio cum Perito iudiciali accessu facta, et ex Testibus formiter examinatis, plene comprobantur, et enixe Populares Veruvae pro resolutione sequentis dubii EE. VV. exorant: - An sit locus dismembrationi et erectioni novae Parochialis in loco Veruvae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, assignata congrua novo Parocho arbitrio Emi Episcopi; et amplius – *in Papien. Dismembrationis Parochialis die 10 Aprilis 1717 lib. 67 Decretorum.*

285. Nova enim Parochia erigenda est, si praesertim praeter locorum distantiam extet medius fluvius vel torrens, cum inter Ecclesiam et partem Populi illi subiecti dictus fluvius vel torrens saepe exundans ita iter obsideat, ut aliquando cogantur Infirmi sine

Sacramentis Ecclesiae mori, uti post Glossam in Cap. *Ad audientiam* verb. magna difficultate tradit Lotterius de re Benef. lib. 1 quaest. 28 n. 26 et 27, et perpendit Rota in Lucana Dismembrationis 6 maii 1611 n. 3 coram Orlembergo *in Recanaten. die 26 Februarii 1825* §. *Tridentina.*

Item *in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 24 Iulii 1830* §. *Synodus.*

286. Idcirco valide renunciatur dismembratio plurium Villarum ab Ecclesia parochiali ac erectio novae Parochiae a Vicario Generali de mandato Episcopi gesta, ob longam distantiam, viam arduam ac periculosam hyemali praesertim tempore, et ob torrentem, quo ea interscinditur, ita ut nec Missam audire, nec fidei rudimenta alias accipere valeant, saepiusque sine extrema Sacramentorum expiatione Parochiani decesserint *in Derthonen. Dismembrationis die 28 Ianuarii 1736.*

287. Siquidem Incolae Villarum, quae vulgo nuncupabantur *Nenno superiore, Nenno inferiore, Ripa, Caserza, Carnareto, e Canavelle,* quaeque parochiali suberant Ecclesiae S. Mariae in Pago *Vaccarezza* erecta anno 1730, exponentes, praefatas Villas a dicta parochiali Ecclesia longe esse, viam non solum valde arduam, sed etiam periculosam hyemali praesertim tempore, ob nivem et glaciem, quae iter obsidebat, et ob torrentem seu rivum, quo ea interscindebatur, indeque fieri, ut neque ecclesiastico praecepto Missam audiendi satisfacere, neque fidei rudimenta a Parocho accipere possent, saepiusque etiam sine extrema Sacramentorum expiatione et Parochi assistentia decedere cogerentur, primum coram Episcopo, deindeque remissa ex Decreto Episcopi eorum petitione ad Curiam prout de iure, coram Vicario Generali supplices institerunt, ut, divulsis a veteri Parochia S. Mariae Villis praedictis, in commodiori loco novam Parochiam erigeret, eiusque Rectori competentem portionem, vel ex reditibus antiquae Parochiae, ad congruam utriusque Parochi sustentationem, uti asseruerunt, idoneis, constituere dignaretur, vel ad eam constituendam, si necesse foret, Populum in praedictis Villis commorantem compelleret. Petitae erectioni novae Parochiae contradictores sese praebuerunt Franciscus de Arpe Rector dictae Ecclesiae parochialis, et Praefecti Societatum, quae ibi institutae reperiebantur. Itaque Vicarius Generalis mandavit Vicario Foraneo, ut super expositis ab Oratoribus conficeret processum, quo inde absoluto et ad Curiam Episcopalem transmisso, Vicarius Generalis, citato auditoque Parocho Vaccaritiae, edixit, locum esse dismembrationi dictarum Villarum a praefata Ecclesia S. Mariae de Vaccaritia, ac erigendam esse Ecclesiam sub titulo S. Annae loci Nenni in novam Ecclesiam parochialem, nec non respectivos Parochianos etiam in sequelam oblationis per ipsos factae constituere favore novi Parochi annuum reditum librarum 80 monetae Genuae, vel pro iis assignare tot bona frugifera, quae verisimiliter redderent dictam summam librarum 80. Postmodum vero, contendentibus hominibus Villarum Casertiae et Canevellarum, novam Parochiam erigi debere in Ecclesia praefatae Villae Casertiae, uti antiquiore et magis commoda, memoratus Parochus iterum insurrexit adversus praedictam dismembrationem. Is enim sustinuit, eam multiplici capite irritam et iniustam esse, quippe quae facta fuerat absque solemnitatibus et legitima causa; nec sibi congruam in scutis centum relictam fuisse, nec ius ullum quoad praeeminentias super nova Parochia reservatum.

288. His mature perpensis, propositis dubiis: – I. An seu de quibus locis seu Villis sustineatur dismembratio, de qua agitur, facta ab Ecclesia parochiali Vaccaritiae in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sustineatur erectio in novam parochialem Ecclesiae S. Annae Villae Nenni inferioris, seu potius fieri debeat in Ecclesia Villae Casertiae in casu etc. III. An et respective in quibus reditibus substineatur assignatio congruae facta favore novi Rectoris Villarum dismembratarum in casu etc. IV. An et quae iura praeeminentialia spectent et respective sint reservanda Ecclesiae parochiali et Rectori Vaccaritiae in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum; Affirmative pro omnibus locis expressis in sententia Ordinarii. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium, substineri, excepto praediolo in loco Paradii. Ad quartum, in casu, de quo agitur, prae-

standam esse quolibet anno libram unam cerae albae – *in Derthonen. Dismembrationis die 28 ianuarii 1736.*

289. Quum igitur distantia Parochum quinque lapides percurrere extra Oppidum cogeret, ac iter a binis torrentibus intercideretur, atque hiberno tempore inundarentur viae et impervius redderetur accessus, adeoque non raro aliquis sine religionis subsidiis decesserit, Sacra Congregatio mandavit, ut in casu vacationis Abbatiae erigeretur nova Parochia in suburbana Ecclesia, ibique constitueretur interim Capellanus cum stipendio octoginta scutorum, solvendo ab actuali Abbate *in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 28 Augusti 1830.*

290. Enimvero in Oppido Campopheudonis vetustissima extabat Abbatia S. Bartholomaeo nuncupata, quam titulo commendae possidebat Modestinus eques Pellicani. Huius Abbatiae reditus quotannis pertingere ferebantur ad scuta mille ac sexcenta, onera vero ad scutata quinquaginta. Cetera inter onera recensebantur sumptus, qui necessarii erant ad sartam tectam servandam Ecclesiam S. Bartholomaei, et ad curam animarum totius Oppidi, quae Abbatiae imminere noscebatur, rite obeundam. Parochianorum numerum constituebant mille et quingenti Incolae, quorum non exigua pars hac illac per agros inhabitabat. Paraeciae praeerat Vicarius Curatus, eique suppetias ferre tenebantur duo Capellani, atque isti non minus, quam ille ad nutum pendebant Abbatis Commendatarii, qui pro suo eousque libitu modo maiorem, modo minorem consuevit animarum curam exercentibus solvere pensionem. Ex huiusmodi metodo gerendi animarum curam, atque ex distantia Parochianorum agros incolentium a parochiali Ecclesia S. Bartholomaei plura in Populum redundare incommoda, quum experientia didicissent Municipes Campopheudonenses, iterum iterumque conquesti sunt, penes Abbatem Commendatarium. Cumque suas ipsi querelas irritas animadvertissent, Sacram adierunt Congregationem, ac Parochiae S. Bartholomaei dismembrationem, alteriusque in suburbana S. Patritii Ecclesia erectionem, effectum suum post obitum moderni Abbatis Commendatarii habituram, postularunt, ita tamen, ut quisque ex duobus Parochis, utrique Ecclesiae praeficiendis, duos haberet Capellanos, ac in dotationem unius alteriusque Parochiae Abbatiae bona perpetuo erogarentur. Episcopus retulit, ad multa milliaria protendi territorium, magnumque esse numerum Incolarum, hinc nonnisi gravissimo incommodo, vel Parochianos ad Ecclesiam, vel Curatos ad diversas eiusdem territorii regiones accedere posse. – Iter vero intercessum est a binis torrentibus, et hiberno tempore inundantur viae, et impervius redditur accessus; proindeque senes pueri valetudinarii destituuntur Sacramentis et Sacris, nec raro aliquem sine religione subsidiis decessisse innotescit –. Unde conclusit: – Quibus incommodis ut rectius prospiciatur, aptiorem viam non video, quam erectionis duarum Paraeciarum, unius intus, alterius extra Oppidum Campopheudonis, praemissa proportionabili non animarum, sed territorii divisione –. Nam spirituali animarum detrimento satis occurri non potuisset – unius Vicarii perpetui deputatione, etiamsi eidem proportionabiliter augeatur congrua: semper enim persisteret locorum distantia, quae Vicarium perpetuum quinque lapides percurrere cogeret, ut ad ultimos Paraeciae fines perveniat; nec itineris asperitas illa temperaretur, quae Rusticanorum pluralitati ad unicam Parochialem, praesertim in hyeme, aditum praecludit; nec tandem urgentiae compescendi deplorandam ignorantiam puerorum in rudimentis fidei propter defectum cathechesis suppleretur –. Verumtamen huiusmodi erectioni obstitit Abbas Commendatarius Modestinus Pellicani, cum Abbatia grandi fructuum imminutione plane destrueretur, ac S. Sedes non amplius eam conferre posset Viris Cardinalitia dignitate fulgentibus; et ad Incolas mille et quingentos regendos haud opus esset, ut duo Parochi et quatuor Capellani constituerentur. Distantiae autem ac viarum difficultati facile consuli poterat, si alter ex Capellanis in suburbana Ecclesia S. Patritii moram duceret.

291. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An et quomodo sit locus erectioni novae Paraeciae in Ecclesia S. Patritii, seu potius deputationi Capellani Curati, qui penes eamdem Ecclesiam resideat, ibique Sacramenta ministret in casu etc. *Et quatenus*

affirmative ad secundam partem. II. An et quae congrua sit adsignanda Capellano Curato in casu etc. III. An cura animarum in Ecclesia S. Bartholomaei sit in posterum administranda per Vicarium perpetuum in casu etc. IV. An et quae congrua sit eidem Vicario constituenda in casu etc. V. An et quomodo sint deputandi Capellani in Ecclesia S. Bartholomaei, et quae pensio eidem tribuenda in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative ad primam partem in casu primae vacationis Abbatiae, constituto Vicario perpetuo, qui ibi resideat, eidemque adsignata congrua scutatorum centum. Interim vero unus ex duobus Capellanis S. Bartholomaei resideat in supradicta Ecclesia S. Patritii cum respectivo stipendio scutatorum octoginta, solvendo ab actuali Abbate. Ad secundum, provisum in primo. Ad tertium, Affirmative in casu vacationis, ut supra cum congrua scutatorum centum. Ad quartum, provisum in praecedenti. Ad quintum, Affirmative pro unico Capellano, adsignato in casu vacationis stipendio scutatorum octoginta; et notificetur Ministris Datariae – *in Firmana Dismembrationis Paraeciae die 28 Augusti 1830.*

292. Qua de re quum Incolae plurium locorum numero quatuor centum difficilem haberent accessum ad Ecclesiam parochialem, partim quod huiusmodi loca abessent ab ea, quae milliario, quae milliarii dimidio, quae milliario cum dimidio, longinquitas non tam ex se nimia, quam situ ipso regionis et viis asperis per Appennini praerupta, partim vero magis propter intercisum flumen, confluentibus hibernis fluviis, saepe redundans, quod modo sit plenum periculis, modo impossibile vadatu, quia fluentis violentia nec navim, nec pontem patiebatur, proposito dubio: – II. An et quomodo sit concedenda dismembratio in casu? –, Sacra Congregatio, nulla obstante oppugnatione Parochi aliorumque interesse habentium, responsum dedit: – Ad secundum, Affirmative; et esse locum dismembrationi iuxta votum Episcopi, qui praefiniat annuam summam a novo Parocho praestandam Parocho Ecclesiae Matricis in compensationem decimarum, nec non oblationem unius librae cerae albae elaboratae in festo S. Titularis in obsequium Matricitatis Ecclesiae, nec non assignato a Populo idoneo fundo pro manutentione tam Ecclesiae, quam lampadis sive diurnae, sive nocturnae, facto vero cum Sanctissimo – *in Massen. Dismembrationis die 19 Aprilis 1845* (1).

293. Quin imo iustam etiam dismembrationis causam praebent probabiles eventus spiritualis detrimenti, quibus enim, cum agatur de animae periculo, satius esse occurrere in tempore, quam post exitum vindicare, admonet opportune Fagnanus in Cap. *Ad audientiam* de eccles. aedif. n. 17 *in Camerinen. Dismembrationis Parochiae die 2 Decembris 1843* §. *His.*

Item *in Bononien. die 15 Martii 1845* §. *Distantia.*

294. Unde Paraeciae dismembratio conceditur etiam quando possibilis est decessus Paraecianorum absque Sacramentis *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Haud.*

295. Idcirco quum translatio Paraeciae per Episcopum facta haud sustineretur, sed redintegrari deberet, ob longam tamen distantiam et dissitos Parochianorum animos, Sacra Congregatio declaravit, locum esse dismembrationi et respective erectioni novae Paraeciae, constituta congrua pro novo Parocho ex pensione super alia Paraecia imposita et ex Gubernii laici liberalitate *in Placentina Paraeciae die 20 Novembris 1819 die 9 Iulii et die 3 Septembris 1825.*

296. Siquidem in Ditione Placentina prope torrentem *Nure* pervetusta aderat ruralis Ecclesia subiecta iurisdictioni Episcopi Papiensis, cui titulus S. Michaelis de *Revigozzo*, quae ab antiquissimis temporibus, undecimum Ecclesiae saeculum, uti ferebat, praecedentibus, in Paraeciam erecta fuit. Eius territorium, quippe quod vallibus includebatur et super montes extendebatur, in duas partes dividebatur, quarum altera inferior, superior altera nuncupabatur. Paraecialis Ecclesia cum plurimis Pagis *Casali* inter se longe lateque dissitis, in quibus aderat numerus animarum 231, in superiori vero extabat quoddam suburbium cum Oratorio S. Ioanni dicato, propterea dictum *Borgo di S. Giovanni di Bettola,* quod numerum habebat

(1) Speciem Causae huius habes in Verb. *Aperitio oris,* n. 35 ad 37, Tom. II.

animarum 350, aliaeque erant rusticae domus, quae una cum suburbio personas 471 in totum conflabant. Parvus duas hasce partes dividebat amnis, quem *rivo di S. Giovanni* Incolae vocabant. Incolae inferioris partis ac praesertim suburbii S. Ioannis petierunt a laica potestate, ut Ecclesia paraecialis S. Michaelis Archangeli *di Revigozzo* transferretur ad Oratorium S. Ioannis *di Bettola*, sed eorumdem preces reiectae fuerunt, salvo nihilominus recursu ad Superiorem ecclesiasticum. Re ita suspensa, ob quamdam terrae scissionem, quam vulgo *Lavina Libia et Frana* nuncupabant, circa parvum amnem, qui duas dividebat Paraeciae partes, sequutam, accessus ac recessus ab inferiori parte ad superiorem difficilior ac asperior evasit. Tunc Incolae S. Ioannis, exortis interim Ecclesiae et Imperio turbulentissimis temporibus, optatam translationem iterum tentarunt coram tribunali laico, inutili tamen conatu, salvum vero ius petendae Paraeciae divisionis laica illa potestas reliquit. Circa ea tempora illegitima laica auctoritate coactus Archiepiscopus Papiensis eam suae Diaecesis partem in Ducato Placentino positam cessit, ac Placentinus Episcopus Stephanus Fallot de Beaumont sibi suaeque Diaecesi univit. Hac arrepta occasione, rursus praefati Incolae Paraeciae translationem urserunt: et Praesul Fallot eorum instantiis indulgens sub die 13 iulii 1813, frustra reclamantibus et obsistentibus Parocho et Incolis superioris partis, translationem fieri mandavit, quam deinde eiusdem Antistitis Vicarius Generalis Loschi alio Decreto diei 7 ianuarii 1814 exequi curavit. At vix Supremus Ecclesiae Pastor anno 1814 ex captivitate ad suam remeavit Sedem, praedicti Incolae et Parochus Petrus Chiappa apud eum insteterunt, ut dignaretur Paraeciam ad vetustam Ecclesiam S. Michaelis iterum transferre, cum nulla ac irrita esset translatio a praefato Episcopo expleta. Quum autem translatio illa peracta fuerit, ob commodum maioris partis Parochianorum, qui Pagum S. Ioannis inhabitabant, et difficultatem accessus ad veterem Paraeciam, nec non ob exortam terrae scissionem vulgo *Lavina*, locus esse poterat sanationi, vel veteri Paraeciali Ecclesia reintegrata, satis consuli poterat spiritualibus inferioris Populi indigentiis per constitutionem Capellani, aut dismembrationem et respective erectionem novae Paraeciae.

297. Rebus sic stantibus, propositis dubiis: – I. An constet de nullitate Decreti Episcopi Fallot de Beaumont in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An redintegranda sit Paraecia in antiqua Ecclesia S. Michaelis *di Revigozzo*, vel sananda potius iam facta translatio in casu? *Et quatenus affirmative ad primam partem.* III. An et quomodo sit locus dismembrationi et respective novae Paraeciae erectioni in Oratorio S. Ioannis in Burgo *di Bettola* in casu? *Et quatenus affirmative.* IV. An et quomodo consulendum sit pro assignatione congruae dotis novae Paraeciae in casu? *Et quatenus negative ad tertium dubium.* V. An et quomodo quibus iuribus et quorum impensis sit locus deputationi Capellani Curati in casu? –, Sacra Congrregatio die 20 novembris 1819 respondit: – Ad primum, provisum in secundo. Ad secundum, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Ad tertium quartum et quintum, dilata; et scribatur Episcopo, qui, auditis in scriptis Parocho et Parochianis, referat distincte de vera necessitate vel erigendae novae Paraeciae, vel deputandi Capellanum Curatum, et de congrua assignanda in uno alterove casu –. Episcopus retulit, necessariam esse Paraeciae divisionem non solum propter distantiam habitantium in Burgo S. Ioannis ab Ecclesia parochiali S. Michaelis, rivo praesertim interfluente, et non infrequentibus terrae scissionibus, sed multo magis propter dissitos animos et nunquam conciliata dissidia inter Parochianos inferiores et superiores. Quoad vero dotem novae Paraeciae, nihil detrahi posse dixit ex veteri, cum huius Parochus vix congruam haberet. Ceterum paullo ante vacaverat Paraecia S. Mariae in Caelum Assumptae loci *Tarvenaghi*, cui iam alias imposita fuit pensio scutorum quinquaginta circiter. Hinc petiit, ut pensio haec perpetuo solveretur novo Parocho, dum pro complemento dotis Gubernium alia scuta quinquaginta annua in bonis stabilibus tradebat. Repropositis itaque dubiis: - I. An et quomodo sit locus dismembrationi et respective novae Paraeciae erectioni in Oratorio S. Ioannis in Burgo *di Bettola* in casu? *Et*

quatenus affirmative. II. An et quomodo consulendum sit pro assignatione dotis novae Paraeciae in casu? *Et quatenus negative ad primum dubium.* III. An et quomodo quibus iuribus et quorum impensis sit locus deputationi Capellani Curati in casu? –, Sacra Congregatio die 9 iulii 1825 respondit: – Dilata, et audiantur Ministri Datariae Apostolicae quoad impositionem pensionis –, qui mox retulerunt, iam reservatam fuisse pensionem quinquaginta scutorum pro erigenda praedicta nova Paraecia. Repropositis igitur dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative in omnibus iuxta votum Episcopi. Ad secundum, satis provisum. Ad tertium, provisum in primo – *in Placentina Paraeciae die 3 Septembris 1825.*

298. Quum itaque inter Populum, dismembrationem et respective erectionem novae Paraeciae reclamantem, et Ordinarium eam denegantem magna haberetur discrepantia quoad distantiam difficultatem viarum reditus Paraeciae et media providendi tuitioni novae Paraeciae, Sacra Congregatio mandavit, ut Archiepiscopus accuratius referret de distantia et difficultate viarum de reditibus Paraeciae de mediis providendi tuitioni novae Paraeciae nec non congruae novi Parochi, hisque per successorem Ordinarium pene impletis, qui cum schema topographico etiam Agronomi Periti relationem quoad viarum difficultatem transmisit, unde praefata Sacra Congregatio declaravit, locum esse dismembrationi, iuxta conditiones ab novo Ordinario propositas, reservato annuo canone cerae albae elaboratae veteri Paraeciae in signum Matricitatis, offerendo a novo Parocho in festo Sancti Titularis *in Camerinen. Dismembrationis Parochiae die 2 Decembris 1843 et die 15 Martii 1845.*

299. Enimvero constabat Plebania Castri S. Angeli ex nonnullis Pagis hac illac circa montem positis, videlicet S. Angeli S. Stephani, *Cicogna, Pietrano, Mascioni, et Ciarroni* nuncupatis: qui omnes uno Parocho regebantur, residenti in Ecclesia S. Michaelis in Castro S. Angeli intra territorium Cingulanum. Sequuta sub anno 1840 morte Parochi Sestili, adfuit Sacrae Congregationi Populus S. Stephani Cicogna Pietrani Mascioni et Ciarroni, postulavitque dismembrationem ac respective erectionem novae Ecclesiae parochialis in Villa S. Stephani, quae erat veluti centrum aliarum quatuor Villarum, ubi antiquitus iam Paraecia existebat. Nam praefata Ecclesia erat extra centrum omnino, distantia trium milliariorum, et viae difficiles ac asperae, tempore praesertim hyemis, atque plures Sacrum diebus festis non audiebant, plures ex hac vita migrarunt sacramentalibus subsidiis destituti, et quidam Infantulus obiit paucos dies post acceptum Baptisma, cum gravia tulisset incommoda, ob accessum ad parochialem Ecclesiam. Precibus at vero per Populum oblatis obstitit acriter tunc temporis Archiepiscopus in sua relatione, cum exposita haud in facto subsistere dixit. Asseruit insuper, integram eiusdem Paraeciae populationem centum viginti sex familiis constare intra territorium sex milliariorum circuitus degentibus, quae complexive sex centum nonaginta trium animarum numerum attingebant; et aliunde apparere ruris S. Stephani Populum reclamantem aliis esse viciniorem, cum nonnullae illarum familiarum nonnisi per medium, vel integrum ad summum milliarium essent dissitae, nec viae faciles deessent, quocumque tempore, uti Testes comprobabant, et ipsi compertum fuit in actu sacrae visitationis. Proposito interim dubio: – An et quomodo sit locus dismembrationi Paraeciae in casu? –, Sacra Congregatio die 2 decembris 1843 responsum dedit: – Dilata, et scribatur iterum Archiepiscopo, qui accuratius referat de distantia et difficultate viarum, de reditibus Paraeciae S. Angeli, de mediis providendi tuitioni novae Paraeciae, quatenus dismembratio concedatur, nec non congruae novi Parochi et manutentioni lampadis –. Archiepiscopus transmisit relationem Agronomi Periti, ex qua colligebatur quales essent viarum difficultates: ac uti Antecessor retulit, inane esse commentum Pueros in fidei praeceptis non erudiri, Infirmos absque Sacramentis decedere, et alia huiusmodi; Capellanum Curatum Sacrum semper perfecisse; reditum nitidum Paraeciae attingere summam scutorum 257, pro nova Paraecia constitui posse dotem scutorum 133. Quum autem Ecclesia S. Stephani omni re ad divinum cultum necessaria esset destituta et Sacristia domoque pro Parocho careret,

censuit Archiepiscopus, conditionem esse apponendam in erectione, ut Oeconomus tantum esset in Ecclesia illa usque ad tempus, quo domus sacristia et supellectiles existerent, ac modum indigitavit, quo ea erant facienda. Reproposito hinc dubio sub eadem formula, Sacra Congregatio respondit: – Affirmative, satis tamen quoad modum conditionibus ab Archiepiscopo propositis et adiecta novae Paraeciae Villa *Ciarroni*, nec non reservato annuo canone unius librae cerae albae elaboratae Plebanae Ecclesiae S. Angeli in signum Matricitatis offerendo a novo Parocho in festo Sancti Titularis, nec retardata provisione Paraeciae S. Angeli – *in Camerinen. Dismembrationis Parochiae die 15 Martii 1845.*

300. Unde Ecclesia parochialis, quae a tribus seculis alteri fuit unita, attentis distantia quinque quatuor vel trium milliariorum, via satis commoda et facili, excepto tempore hyemali, aliisque rerum adiunctis, iure ac merito dissolvitur ac noviter erigitur, restitutis bonis, quibus antiquitus fruebatur, facta tamen quotannis oblatione sex librarum cerae albae elaboratae Ecclesiae priorali in memoriam pristinae unionis *in Camerinen. Dismembrationis Paraeciae die 29 Iulii 1843.*

301. Siquidem paraecialis Ecclesia loci *Mergo*, a divo Laurentio Martyre nuncupata, unita prostabat Prioratui S. Angeli e Pino Oppidi Terrae S. Quirici. Cum unionis Decretum in tenebris delitesceret, quo tempore facta fuerit, quaeque eius causa, exploratum non erat: traditione ferebatur, tercentis ab illinc annis decreta ad patratum in Parochum homicidium vindicandum: interea Populo *Mergo* vicariam praestabat operam Capellanus a Parocho S. Angeli nominatus ad nutum, et ab eo stipendio auctus. Subinde adstiterunt Merganenses, ut post obitum moderni Prioris dismembrationis ope ea Ecclesia ad primaevum statum restitueretur. Nam Paraecia Mergana habebat Parochianos octingentos quinquaginta circiter, cum tempore unionis tantum quatuor centum habuisset. Capellanus mobilis Parochi officio fungens, ac Ecclesia non sponsa sua, totum seipsum non impendebat, ut omnia exequeretur: hinc maximum in Populum spirituale detrimentum. Parochus contra et Paraeciani contenderunt, nullam adesse causam, cur unio, quae perdiu stetit et perpetua stare iussa est, destrui posset. Etenim Mergi Incolis satis superque semper in spiritualibus provisum fuit per Vicarios Curatos, qui sane utpote stipendio aucti scutorum circiter nonaginta, comprehensis incertis emolumentis, spectatissimi semper et doctrina illustres Presbiteri inventi sunt. Viarum conditio non erat impervia, teste ipso Vicario Apostolico, cum tres essent semitae, prima rotabilis et satis commoda, quae ad passuum quinque circiter millia protrahebatur, altera prima milliario brevior, facilis accessus, excepto tempore hyemis, postrema perhibebatur milliariorum trium, accessus tamen non facilis. Vicarius Apostolicus vero censuit, decernendam esse dismembrationem, assignatis Mergano Templo bonis, quibus antiquitus fruebatur, relicta tamen Priori Pini pro tempore summa scutorum quindecim, quae superesse ex Mergi Ecclesia dicebantur, in obsequium Matricitatis et damni compensationem. Nam Mergi Castrum antiquissimum erat, et divites atque illustres amplectebatur Familias, habebatque Ecclesiam eleganter aedificatam et pretiosis supellectilibus instructam, et dato etiam, quod Parochi amissio fuerit in poenam, quodcumque scelus expiare tria secula videbantur sufficere, et bona Ecclesiae Merganae seiuncta iugiter extiterunt. His itaque perpensis, proposito dubio: – An et quomodo permittenda sit dismembratio Paraeciae in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative in omnibus, restitutis bonis Paraeciae Mergi, quibus antiquitus fruebatur, facta quotannis in festo S. Angeli oblatione sex librarum cerae albae elaboratae Ecclesiae Priorali S. Quirici in memoriam pristinae unionis, facto verbo cum Sanctissimo, et notificetur Ministris Datariae Apostolicae – *in Camerinen. Dismembrationis Paraeciae die 29 Iulii 1843.*

302. Idcirco iustis superventis causis Sacra Congregatio facultatem tribuit Episcopo erigendi Parochiam in loco, ubi iam fuerat, cum assignatione bonorum ad antiquam Ecclesiam spectantium *in Mantuana die 2 Iunii 1629 lib. 14 Decretorum pag. 96.*

303. Nam dismembratio duarum Ecclesiarum secumfert, ut bona alteri Ecclesiae unita

et incorporata unione vigente redeant ad Ecclesiam suam, haud maneant penes Ecclesiam, cui fuerant adiuncta, Garz. part. 12 cap. 2 de Benef. de union. §. 309, Petrus de Perusio tract. de union. et dismembrat. C. 7 §. 5 *in Ferrarien. seu Adrien. Pii Relicti super avocatione bonorum vel fructuum die 2 Iunii 1860 §. Quod.*

304. Quum igitur duae Paraeciae ob unius inopiam unitae fuerint, locus est resolutioni seu dismembrationi etiam post plura secula, ex eo quod redituum exiguitas cessaverit, distantia unius milliarii cum itineris asperitate extet, ac animorum aversitas aemulatio ac odium inter utriusque Oppidi Incolas vigeant etiam post deputationem Vicarii Curati *in Lucana Dismembrationis die 27 Iunii et die 28 Novembris 1857.*

305. Iamvero Moriani Oppidum in duas partiebatur regiones, quas vocabant *sezoni*, cui alteri a S. Stephano, alteri a S. Cassiano nomen erat. Unaquaeque regio propriam habebat Ecclesiam, quarum altera ab altera per asperum iter millibus passuum circiter distabat; ac utraque olim parochialis erat. Initio autem seculi decimi quinti Paraecia S. Cassiani causa, ut ferebatur, tenuitatis redituum Paraeciae S. Stephani unita fuit, ac usque in praesens manebat, assumpto a Parochis pro tempore titulo Rectoris Ecclesiarum unitarum S. Stephani et S. Cassiani. Sed nec ob temporis lapsum, nec ob unionem peractam pristinae conditionis immemores Incolae S. Cassiani huiusmodi invectum rerum ordinem aegre nunquam non tulerunt. Hinc perpetua querelarum occasio, et magna inter utriusque regionis Oppidanos animorum aversio, nunquam intermissa ac veluti hereditaria, ex qua frequentia, recentiori praesertim aevo, et gravissima iurgia ac rixae ortae sunt, quibus compescendis tam ecclesiasticae, quam civilis auctoritatis animadversione non semel opus fuit. Atque inde etiam petitiones pro dismembratione obtinenda toties iteratae, quoties Paraeciae vacatio contingebat. Hisce malis occurrere cupiens Sacerdos Franciscus Martini anno 1821 testamento condito optimum legatum reliquit Ecclesiae S. Cassiani, ut in praefata Ecclesia vel Capellanus Curatus, vel Parochus, prout melius Superior ecclesiasticus censeret, constitueretur. Proxime itaque sequenti anno Archiepiscopus tunc temporis Lucanus Capellanum Curatum, ad nutum tamen amovibilem et dependentem a Parocho S. Stephani, constituere in Ecclesia S. Cassiani censuit. Haec tamen provisio displicuit huius Oppidanis; idcirco eveniente Paraeciae S. Stephani vacatione anno 1843, iterum pro dismembratione penes Curiam Archiepiscopalem institerunt. Ac denique in postrema vacatione anni 1853 instantius per adlectos Deputatos Paraeciarum divisionem postularunt, sive per resolutionem unionis, ob cessatam in S. Cassiani Ecclesia exiguitatis redituum causam, ob quam unio decreta fuit, sive per dismembrationem, ob distantiam et difficultatem viarum, et ob summam animorum aversionem, qua utriusque regionis Incolae ad invicem maxima cum religionis bonique publici iactura ferebantur. Archiepiscopus hinc Defensorem pro Paraecia S. Stephani constituit, ac Peritum deputavit, qui retulit, reditus Paraeciae S. Stephani, oneribus detractis, pertingere summam scutorum 102, et, reditus Paraeciae S. Cassiani, omni pariter onere purgatos, ascendere ad summam libellarum 130, praeter reditus satis pinguis Legati Martini. Exquisivit etiam Archiepiscopus votum Capituli Cathedralis, quod propositam separationem plenis probavit suffragiis. At vero cum Defensor Paraeciae S. Stephani ex officio deputatus contrarium edidisset votum, et acriter separationi obsisterent plures eiusdem loci Parochiani, hinc Archiepiscopus ipse Oratoribus suasit, ut ad Apostolicam Sedem sese verterent. Archiepiscopus autem censuit, locum esse dismembrationi, tum quia odia et contentiones inter utrumque Populum in spirituale utriusque damnum vertebantur, tum quia cessata erat exiguitatis redituum causa, ob quam unio decreta fuerat. E contra qui iura Ecclesiae S. Stephani tuebatur, dissolutioni unionis primum obstitit fretus praescriptione, quae eidem Ecclesiae favebat, ne ullum in suis iuribus detrimentum exinde pateretur; deinde ob legitimae causae deficientiam, quum nec distantia cum itineris difficultate existeret, nec aversionis aemulationis ac odii causa attendenda, sed potius despicienda esset. Qui vero Populi S. Cassiani iura defendebat, contendit, locum esse reso-

lutioni unionis, ex eo quod iamdiu cessaverat causa unionis; cessante enim causa, cessant effectus, quin obesset praescriptio. Nam haec non currit contra non valentem agere, quae quidem in conditione versata erat Ecclesia S. Cassiani, quousque laboravit inopia, quae causa unionis fuit. Nec iustas dismembrationis causas deesse dixit; nam non levis distantia unius milliarii censenda erat, accedente praesertim asperitate viae, quam Adversarii ipsi haud negabant. Accedebat et altera gravissima causa, animorum scilicet aversitas, livor, aemulatio, ac odium diuturnum, ac nullo pacto extinguendum inter utriusque regionis Incolas, vigens etiam post deputationem Vicarii Curati.

306. His utrinque perpensis, proposito dubio: - An et quomodo sit locus resolutioni unionis seu dismembrationi Ecclesiae S. Cassiani in casu? –, Sacra Congregatio die 27 Iunii 1857 responsum tulit: – Affirmative, iuxta votum Archiepiscopi –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu? –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis, et amplius – *in Lucana Dismembrationis die 28 Novembris 1857.*

307. Unde Card. De Luca in disc. 35 n. 8 de Parochis ait: - Cessante causa depauperationis, ob quam únio facta erat, eadem manus, quae ligaverat, solvere poterat, atque Ecclesias ad primaevum statum reducere –; quod quidem generatim obtinet, cessantibus causis, etsi unio perpetua fuerit, Reclus. de re paroch. part. 1 tit. 12 n. 74, Seraphin. ius eccles. part. 2 tit. 21 de union. Eccles. §. 8 *in Lucana Dismembrationis die 27 Iunii 1857* §. *Adlectus.*

308. Qua de re indulgetur erectio novae Parochialis etiam in Civitate, ubi antiquitus sex erant Paraeciae, sed bellorum causa subinde vastatae et imminuto Populo ad duas redactae manent, iamque rursus aucto vero Populi numero, aliam Paraeciam cum binis Vicariis esse erigendam censet Episcopus, applicatis novo Parocho et dictis Vicariis pro congrua reditibus duorum Beneficiorum, accedente etiam consensu interesse habentium *in Verulana Erectionis Parochiae die 22 Maii 1784.*

309. Siquidem in Civitate Frusinonis, quamvis Incolae essent fere septem mille, nihilominus duae tantum extabant parochiales Ecclesiae: una nempe Beatae Virgini dicata, quae etiam erat Collegiata, ibique duo Vicarii curam animarum exercebant, et altera S. Benedicti, in qua unus Parochus titulo Abbatis insignitus Sacramenta administrabat. Episcopus Verulanus animadvertens, duas tantum Parochias non sufficere ad Populi multitudinem, de altera erigenda Parochia cogitavit in Ecclesia Sanctissimae Annunciationis, quae in commodiori Civitatis loco sita erat, et sacris supellectilibus abunde ditata. Modum autem constituendi congruam novo Parocho oblatis precibus Summo Pontifici exposuit et petiit facultatem uniendi in praesens duo Beneficia, ita tamen, ut unio sortiretur effectum tunc, cum illorum vacatio contingeret. Unum ex his Beneficiis pensionibus gravatum erat, eiusque reditus ascendebant ad annua scuta bis centum, illudque tunc possidebat Sacerdos Dominicus Sallari: aliud vero sub titulo Sanctorum Thomae et Theodori annui reditus scutorum septuaginta, et illius possessor erat Clericus Franciscus Antonius Guglielmi. Suam praeterea exposuit Episcopus mentem, ut scilicet statim ac sequuta fuerit vacatio unius ex hisce Beneficiis devenire ipse posset ad actum erectionis Parochiae, cum assignatione mille et quingentarum animarum existentium in ea Civitatis parte, quae denominabatur *il Borgo di Napoli ed il Colle di Campogiorni,* quaeque tunc suberant Parocho S. Mariae. Post vacationem vero alterius Beneficii adiiciendas novae Parochiae censuit alias mille et quingentas animas, quae incolebant regiones nuncupatas *il Borgo di Roma di S. Martino e Giardino de' Pesci,* quarum aliquae erant ex Parochia S. Mariae, aliae ex Parochia S. Benedicti. Praeter Parochum, binos in nova Parochia constituendos existimavit Capellanos Curatos ad nutum Episcopi amovibiles, qui tenerentur coadiuvare Parochum in Sacramentorum administratione, eisque congruam assignare desiderabat ex reditibus Beneficiorum, postquam forent unita. Petitioni assensum praebuit tum Capitulum Collegiatae S. Mariae, tum etiam Parochus S. Benedicti, qui tantum sibi reservavit praecedentiam in omnibus sacris functionibus reditus certos suae Prae-

bendae, nec non Ecclesiam filialem S. Elisabeth cum respectivis reditibus. Unde Promotor Fiscalis advertit, antiquiori tempore sex extitisse in Civitate Frusinonis parochiales Ecclesias, illasque subinde bellorum causa vastatas, et imminuto Populo, ad duas fuisse redactas Parochorum Praebendas. In praesens autem auctus erat numerus Incolarum; quin obesset, quod ex dispositione Tridentina, ob auctum Populi numerum et difficultatem accedendi ad Parochialem, locus esse deberet deputationi Vicarii Curati. Notavit enim, per deputationem Vicarii non satis posse provideri, et utilius esse Parochum perpetuum constituere cum binis Vicariis Curatis.

310. His igitur perpensis, proposito dubio: – An et quomodo sit locus erectioni Parochiae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative iuxta votum Episcopi, reportato tamen consensu Capituli per actum Capitularem; et amplius – *in Verulana Erectionis Parochiae die 22 Maii 1784.*

311. Hinc Sacra Congregatio indulget quidem dismembrationem et noviter erectionem seu reintegrationem parochialis Ecclesiae in loco, ubi antea existebat, sed haud admittere merito censet conditiones, quae damnum inferunt novae Parochiae, et occasionem iurgiorum ac dissensionem inter veterem et novum Parochum praebent, adeoque mandat, ut expectetur vacatio curae parochialis, cum actualis Parochus seu Archipresbiter absque illis conditionibus consensum praestare renuat *in Imolen. Erectionis Paraeciae die 22 Maii et die 20 Novembris 1830.*

312. Enimvero Imolensis Episcopus in sacra visitatione anni 1576 unionem Ecclesiae parochialis sub invocatione S. Andreae Apostoli, quae ab Oppido Balneariae nonnihil distabat, et Ecclesiae parochialis sub auspiciis S. Ioannis Baptistae, intra moenia existentis, decernendam censuit. Ne quid autem Populus ex huiusmodi unione pateretur detrimentum sanxit, ut reditibus Praebendae S. Andreae et quarta parte proventuum utriusque stolae duo fruerentur perpetui Capellani, qui Archipresbitero in obeunda animarum cura inservirent, ac insuper quartam expensarum partem pro Ecclesiae sacrorumque supellectilium tuitione uterque perferret. Verum Cardinalis Donghi, dum sacram anno 1659 ageret visitationem, proventus et bona Capellanis perpetuis attributa perpetuo uniri decrevit Praebendae Archipresbiterali, ea tamen sub lege, ut binos Capellanos ad nutum amovibiles sibi adscisceret Archipresbiter, quorum singulis scutata quinquaginta quolibet anno solvere teneretur. Decretum istud, ubi primum alterutrius obtigit perpetuae Capellaniae vacatio, illico executioni ex parte demandatum fuit, altera vero Capellania Rectore perpetuo nunquam caruit, bonisque iam inde a principio sibi addictis gaudere semper permansit. Inter huius perpetuae Capellaniae Rectorem et Archipresbiterum crebra superioribus temporibus exarserunt iurgia, quibus causam praebuere munia a Capellano explenda, ac praesertim divisio tam emolumentorum stolae, quam expensarum pro Ecclesiae servitio et Dei cultu. Huiusmodi Capellania suo nuper orbata est Rectore: hinc Emus Episcopus preces detulit ad Sacram Congregationem, ut sibi novam certis sub legibus impertiretur facultas erigendi Paraeciam in Balneariae territorio, cum ibi e fundamentis excitata ac etiam dote ornata fuisset ex fidelium eleemosynis Ecclesia elegantis structurae et satis ampla in honorem Deiparae ab divino auxilio, quae mille circiter passus ab Oppido dissita erat, applicatis praefatae Capellaniae perpetuae reditibus pro congrua novi Parochi, qui memoratae Ecclesiae dotem, cuius procurationem gerebat Archipresbiter Balneariae, in posterum administraret. Archipresbiter consensum suum liberum et spontaneum dedit, ut nova Paraecia erigeretur cum dismembratione animarum quatuor centum quinquaginta, sed in damnorum compensationem petiit cessionem domus, in qua residebat Capellanus perpetuus, et tornaturarum decem terrae, ad praedictum Capellanum spectantium. Archipresbiter contra in se onera assumebat, quae ad Capellaniam pertinebant, et favore eiusdem cedebat duo capitalia census, quae reddebant summam scutorum trium et obulorum septuaginta duorum cum dimidio. Archipresbiteralis autem Ecclesiae Balneariae reditus ascendebant ad scuta ter centum cum incertis stolae; et reditus praefatae Capellaniae perpetuae summam scutorum centum et decem, comprehensis incertis stolae, comple-

bantur. Plura exinde onera et iura, quae novum Parochum et Archipresbiterum respicerent, Emus Episcopus proposuit.

313. His interim perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus erectioni novae Paraeciae in Ecclesia Deiparae ab auxilio in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An et quae bona ad Capellaniam perpetuam spectantia sint unienda Praebendae Archipresbiterali Ecclesiae SS. Ioannis Baptistae et Andreae Apostoli in casu etc. III. An et quae pars redituum Ecclesiae Deiparae ab auxilio sit tribuenda novo eiusdem Ecclesiae Parocho in casu etc. IV. An et quae iura ac honoris signa sint reservanda Archipresbitero SS. Ioannis Baptistae et Andreae Apostoli in casu etc. –, Sacra Congregatio die 22 maii 1830 respondit: – Ad primum, Affirmative. Ad secundum tertium et quartum, dilata; et ad mentem: mens est, ut scribatur Emo Episcopo ad effectum eumdem certiorandi, eam esse Sacrae Congregationis sententiam, ut ex bonis ad Capellaniam perpetuam spectantibus domus tantum uniatur Praebendae Archipresbiterali SS. Ioannis Baptistae et Andreae Apostoli, reliqua cedant novae Paraeciae: ex reditibus autem Ecclesiae Beatae Mariae Virginis ab auxilio nuncupatae nihil tribuatur novo Parocho. Quod vero attinet ad iura et onera ab Emo proposita satius duxisse Sacram Congregationem, ne dissensiones et iurgia inter animarum Curatores exardescant, rem ita componere, ut Rector novae Paraeciae honoris ergo singulis annis libram cerae albae praestet Archipresbiterali Ecclesiae, cui integrum sit praelationis ius in pulsatione campanarum utroque Sabbato Sancto. Praeterea in suo robore maneat consuetudo asportandi sacram Imaginem Deiparae ab auxilio triduo tantum Rogationum, eam comitantibus, tam Archipresbitero, quam Parocho. Quae quidem Sacra Congregatio ad notitiam Emi Episcopi in antecessum perferri voluit, ut ipse resolutionum seriem agnoscens Archipresbiterum moneat de necessitate moderandi conditiones ab eo propositas, ac de resultantibus certioret –. Archipresbiter vero propositas moderare conditiones omnino renuit: et Emus Episcopus advertit, novum Parochum adhuc habere scutata centum et decem, detractis etiam expensis et bonis propositis ad sarciendam Ecclesiae Archipresbiteralis iacturam. Advertit insuper, nullum incommodum Plebem novae Ecclesiae pati ex privatione baptismalis Fontis, cum modica esset eius distantia ab Ecclesia Archipresbiterali, facilisque etiam in hyeme accessus: et quoad defunctorum exequias, quas ius peragendi in Ecclesia novae Paraeciae Archipresbitero servare nolebat Sacra Congregatio, perpendit, – quod caemeterium Ecclesiae Archipresbiteralis Balnearium situm sit ante Ecclesiam Beatae Mariae Virginis ab auxilio novo Parocho cedendam, unde haec loco Ecclesiolae, quae in caemeterio desideratur, hactenus inservit. Occasione itaque Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, qua die Archipresbiter consuevit solemnia peragere in Ecclesia praefata, et inde ad caemeterium transire pro absolutionibus complendis, itemque casu, quo alicuius Defuncti Archipresbiterali Ecclesiae subiecti officium celebrandum foret in Ecclesia Beatae Mariae Virginis ab auxilio, atque etiam quoties defunctum intra Archipresbiteralis Ecclesiae limites degentem solemniter associari contigerit ad publicum caemeterium, Archipresbiter nedum cupit, sed sibi reservat ius utendi Ecclesia Beatae Mariae Virginis ab auxilio. Ex hoc autem iurgiorum occasionem exorituram non arbitror; ceterum Archipresbitero necessitatem inesse accedendi quandoque ad caemeterium pro exequiis Defunctorum in comperto est –. His autem perpensis, repropositis praefatis tribus dubiis, Sacra Congregatio respondit: – Dilata, et expectetur vacatio curae Archipresbiteralis – *in Imolen. Erectionis Paraeciae die 20 Novembris 1830.*

314. Haud vero locus est dismembrationi Parochiarum, si causae iurgiorum inter unum alterumque Populum passim insurgentium facile tolli valeant, licet ratio, qua illae fuerint perpetuo unitae, iam cessaverit; attenta tamen laboriosa animarum cura, nec non quaestionibus inter Parochum et Vicarium amovibilem passim ferventibus, Sacra Congregatio permisit subinde, ut Vicarius non posset amoveri, nisi ex causa per Episcopum approbanda, non vero ut ille esset perpetuus *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis die 3 Martii 1703 lib. 53 Decretorum et Deputationis Vicarii perpetui die 21 Aprilis 1742.*

315. Siquidem – ad evadendas assiduas Turcarum invasiones, quibus de anno 1565 Terra Milliarinae afficiebatur, illius Populus coactus extitit hinc inde per loca circumvicina confugere, ibidemque proprias domos transferre, qua de re Episcopus Lunen. Sarzanen. circa annum 1572 parochialem Ecclesiam S. Ioannis Baptistae dicti loci Milliarinae alteri Parochiali S. Iacobi Terrae Insulae, per bina milliaria ab eodem loco distanti, perpetuo univit, eo quod in dictam Terram Insulae maior pars habitantium se receperat. Successive autem cum dictae invasiones illarumque timor cessaverint, Populus paulatim ad patrios lares redire cepit, eoque temporis aucto, anno 1673 Episcopus tunc temporis in actu visitationis, ad consulendum illius indigentiis, decrevit, quod Fons baptismalis, alias ad Oratorium S. Bernardi de Felectino translatus, ad eamdem Ecclesiam S. Ioannis Baptistae Milliarinae denuo asportaretur. Verum quia ex causa praedictae unionis inter Confratres Oratorii dictae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Milliarinae et alios Oratorii S. Iacobi Terrae Insulae plures, ratione praecedentiae, exortae fuerunt lites et controversiae, quae adhuc vigent non sine scandalis, homines saepedictae Terrae Milliarinae, ad illarum occasionem submovendam, preces huic Sacrae Congregationi porrexerunt pro dictarum Ecclesiarum dismembratione seu potius disunione, quibus primo ad Episcopum Lunen. Sarzanen. et deinde ad Episcopum Brugnaten. viciniorem pro informatione remissis, horum primus refert, adhuc certo non constare, homines Milliarinae aliquando habuisse proprium Parochum et Parochiam, sed ab immemorabili iura parochialia resedisse in Insula, dissidia vero nunquam oritura, si uterque Populus Decretis pro necessaria reparatione editis obtemperet, et demum concludit, quod dum Populus Milliarinae in administratione Sacramentorum nullum patitur detrimentum, et Parochus Insulae percipit tenue emolumentum, comprehenso etiam eo, quod habet ex territorio Milliarinae, censet, non esse locum petitae dismembrationi. Secundus vero scilicet Episcopus Brugnaten. plura referens in eius relatione per EE. VV. manus circumferenda concludit, ex documentis sibi exhibitis constare de existentia Ecclesiae parochialis in dicta Terra Milliarinae, assiduos oriri contentiones inter utrumque Populum, reditus utriusque Parochiae esse sufficientes pro duorum Parochorum manutentione, et denique hanc dismembrationem cessuram in Dei honorem animarum salutem ac in perpetuam pacem utriusque Populi –.

316. His utrinque perpensis, proposito dubio: – I. An sit locus petitae dismembrationi? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative –. Res ita stetit usque ad annum 1742, quo enim Homines Milliarinae postularunt, ut, unico manente Rectore, perpetuus ad ipsius nominationem in Ecclesia S. Ioannis Baptistae Vicarius pro exercenda animarum cura deputaretur. Episcopus votis eorumdem favit. – Agitur enim (sunt eius verba) de cura animarum laboriosa ratione multitudinis Populi, nam maior pars planum inhabitat, et ad Ecclesiam Milliarinae pro Sacramentorum susceptione confluit. Augetur labor ex nimium frequentibus morbis, quibus planities ob aeris malignitatem obnoxia est, aestivo praesertim tempore, et salarium vix sufficit pro necessaria Curati sustentatione. Quod si haec incommoda sola satis essent retrahendo probato et idoneo Sacerdoti a susceptione muneris Curati, multo magis hoc praestant, si superaddantur assiduae, quae inter Parochum et Curatum incidunt quaestiones de huius dependentia ab illo in Sacramentorum administratione, ac de obligatione se ab una ad aliam Ecclesiam transferendi, quoties advocetur, cum evidenti discrimine, ne si Parocho pareat, Populum Milliarinae sibi infensum reddat, si vero obtemperare detrectet, vel per usum facultatis removendi, qua Parochus fruitur, vel per dilationem in salario persolvendo, a munere dimittatur, vel decedere cogatur –. Huic tamen Vicarii perpetui deputationi nedum Parochus, sed etiam Populus ipse loci Insulae acriter contradixerunt. Proposito vero dubio: – An, non obstante resolutione capta sub die 3 martii 1703 super asserta dismembratione Parochiae, sit locus deputationi Curati perpetui in Ecclesia S. Ioannis Baptistae loci Milliarinae cum annuo assignamento seu congrua librarum bis centum dari solita Curato amovibili in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Negative, ita tamen, ut Vicarius

non possit amoveri, nisi ex causa per Episcopum approbanda – *in Lunen. Sarzanen. Deputationis Vicarii perpetui die 21 Aprilis 1742.*

317. Quin imo quum ex amovibilium Capellanorum systemate saepissime factum fuerit, ut plerique ex Paraecianis ex hac vita migrarint omni prorsus Religionis auxilio destituti, et prolixa saepissime scandala et obtrectationes inter praefatum Capellanum et Parochum obortae fuerint, Sacra Congregatio censuit, dissolvendam esse unionem Paraeciae, ut loco Capellani rursum Parochus constitueretur cum debita congrua et onere offerendi quotannis cereum duarum librarum veteri Ecclesiae Parochiali die festo S. Titularis nec non applicandi Missam pro Populo diebus festis et expediendi Literas collationis in Dataria Apostolica, reservato etiam veteri Parocho iure decimandi in nova Parochia, soluta tamen annua summa favore novi Parochi *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852 et die 26 Novembris 1853.*

318. Enimvero binae paraeciales Ecclesiae extantes in Archidiaecesi Urbinatensi, altera sub invocatione S. Michaelis Archangeli in Aiola, altera sub titulo divi Gregorii in Monte Astrualdo, iam ab aevo unitae, uni eidemque suberant Rectori Archipresbitero, qui residentiam agens in prima, curam alterius exercebat per Capellanum Curatum amovibilem. Pervetustae huius unionis intuitu obligationi applicandi Missam pro Populo quoad utramque Ecclesiam satisfieri suevit per idem Missae Sacrificium, quod diebus festis litare solebat Archipresbiter Paraeciae S. Michaelis, relicto dumtaxat onere Capellano S. Gregorii Missam in festo celebrandi, quin ad eam pro Populo applicandam teneretur. Modernus Archipresbiter vero petiit utriusque Paraeciae dissolutionem, ut perpetuus Ecclesiae S. Gregorii Parochus deputaretur. Longaeva namque experientia duce conquerebatur, haud facili negotio reperiri Capellanos, qui id muneris obire vellent, vel si quos inveniri datum erat, eos statim officium deserere spe pinguioris assequendi Beneficii, atque eo tempore, quo ibi immorabantur, mercenariorum potius, quam Pastorum vice perfungi. Archiepiscopus retulit, Patresfamilias S. Michaelis dismembrationi consensum praestitisse; congruam pro Archipresbitero Ecclesiae Matricis summam attingere scutorum 106 38, pro altero S. Gregorii scutorum 67 20; causas dismembrationis esse evidentem spiritualem Paraeciarum S. Gregorii utilitatem, cum ex amovibilium Capellanorum systemate saepissime factum fuerit, ut plerique ex Paraecianis ex hac vita migrarint omni prorsus Religionis auxilio destituti; ac deinde alteram esse dixit remotionem discordiarum in emolumentis Capellano assignandis, ex quibus prolixa saepissime scandala et obtrectationes fuerunt obortae. Quas ob causas precibus Archipresbiteri assensum praebuit, reservatis tamen pro honoris signo favore Matricis Baptisterio decimis et fructibus, idest fructibus quoad maiorem, decimis quoad maximam partem Matrici reservandis, addens, non aliud honoris signum Matricibus in ea Diaecesi existentibus reservatum invenisse. Probavit etiam conditiones per Archipresbiterum appositas, scilicet ut Parochus S. Michaelis Missam diebus festis pro utriusque Ecclesiae Populo applicaret, quia semper ita factum fuerat, quia tenues erant reditus Parochi S. Gregorii, et quia Parochus S. Michaelis maximam decimarum partem a Paraecianis S. Gregorii colligeret; ut nova Paraecia conferretur per concursum, ea tamen lege, ut literae collationis nonnisi in Archiepiscopali Curia expedirentur, vel si Romae id fieri contingeret, a solutione mediae annatae aut cuiuscumque huius generis taxae eximeretur, vel saltem detraheretur ab ea iam existente in sacra Dataria pro Ecclesia Matrici S. Michaelis Archangeli in Aiola, ne una et eadem taxa applicaretur, Paraeciarum paupertas et aequitas postulare videbantur.

319. His itaque perpensis, propositis dubiis: – An permittenda sit dismembratio Paraeciae S. Michaelis in casu? *Et quatenus affirmative.* II. An sit probanda proposita congruae constitutio pro nova Paraecia in casu? III. An et quomodo sit annuendum precibus quoad dispensationem Missae pro Populo in casu? IV. An sit annuendum precibus quoad expeditionem Literarum et solutionem annatae in casu? V. An approbandae sint ceterae conditiones in casu? –, Sacra Congregatio die 27 novembris 1852 respondit: –

Ad primum, Affirmative. Ad secundum, Affirmative iuxta modum, nempe ut praeter scutata 67 et obulos 20 ius sit Parocho S. Gregorii Fontis baptismalis et decimandi in propria Paraecia, imposito tamen eidem Parocho onere offerendi quotannis cereum duarum librarum Ecclesiae S. Michaelis die festo Sancti Titularis in signum honoris. Ad tertium, Negative in omnibus. Ad quartum, Negative in omnibus. Ad quintum, provisum in secundo –. Archiepiscopus hanc resolutionem haud mora Decreto suo exequutoriali munivit: ast Parochus S. Michaelis haud sibi acquiescendum esse duxit in eo, quod respiciebat assignationem iuris decimandi novo Parocho S. Gregorii in propria Paraecia; unde si forte fuerit Sacrae Congregationis mens integrum decimandi ius novo Parocho adiudicandi in territorio Paraeciae erigendae, suum intenderet revocare consensum, mallens, rem in pristino statu manere. Episcopus retulit, decimas, quae intra fines Paraeciae S. Angeli in Aiola colligebantur, ad scuta circiter 46 pertingere, quae vero in Paraecia S. Gregorii ad scuta circiter 84. Ex his, nempe ex decimis S. Gregorii, quae omnes in praesens a Parocho S. Angeli iure colligebantur, pars quaedam novo Parocho S. Gregorii cederetur ad summam usque circiter scutorum 20, et altera pars scutorum circiter 64 Parocho S. Angeli reservaretur. Alias enim praefatus Parochus congruam statutam in scutis 106 38 non haberet. Reproposito hinc secundo dubio sub formula: – An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu? –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis iuxta modum; nempe Parocho Sancti Michaelis ius sit decimandi etiam in Paraecia S. Gregorii, solutis tamen quotannis Parocho pro tempore S. Gregorii scutis decem in augmentum congruae eidem assignatae in scutis 67 et obulis 20 – *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 26 Novembris 1853.*

320. Quum itaque Summus Pontifex, attento praesertim amplissimo numero bis centum decem Puellarum in Conservatorio existentium, illud ab Ecclesia parochiali dismembraverit et uni ex tribus illarum Confessariis Parochi munus tribuerit, Sacra Congregatio, ex eo quod numerus ille Puellarum redactus subinde extabat ad nonaginta, censuit, consulendum esse Sanctissimo pro reintegratione iurium Parochialium *in Ravennaten. Parochialis die 14 Decembris 1816.*

321. Siquidem Moderatores Conservatorii S. Willelmi Civitatis Ferrariae, quod ob numerum bis centum decem Puellarum vocabatur magnum Conservatorium, putarunt magis illarum spiritualibus necessitatibus consultum fore, si primus ex tribus Confessariis animarum curam gereret et Parochi munus exerceret; utque voti compotes fierent, anno 1807 Summum Pontificem rogarunt, ut Auctoritate Apostolica fieret dismembratio a Metropolitana Ecclesia, intra cuius fines illud positum erat, et nova illius Parochia erigeretur, primo ex tribus Confessariis committenda. Audito Capitulo, penes quod ius parochialitatis residebat, Canonici capitulariter congregati die 5 maii eiusdem anni 1807 certis sub conditionibus assensum praebuere. Illis probatis conditionibus, prodiit Rescriptum Summi Pontificis diei 3 iulii 1807, scilicet: – Sanctissimus, attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus ac informatione et voto Vicarii Generalis, itemque consensu Capituli Metropolitanae Ecclesiae Ferrariensis, benigne commisit eidem Vicario Generali, ut Oratorum precibus pro suo arbitrio et prudentia indulgeat ad tramites resolutionis capitularis diei 5 maii proxime praeteriti, cuius exemplum in forma authentica praesentibus inseratur, servatisque conditionibus in eadem resolutione contentis; ad quem effectum tam ex parte Capituli, quam ex parte Oratorum publicum instrumentum in Cancellaria Archiepiscopali conficiendum erit, contrariis quibuscumque, speciali quoque et individua mentione dignis, non obstantibus –. Spatio novem et ultra annorum omnia pacifice acta fuerunt ad formam Pontificiae gratiae et mutuae conventionis. Hoc tempore placuit Archiepiscopo Puellas in unum collectas ita dividere, ut, retentis in magno Conservatorio iis, quae olim spectabant ad Asceteria S. Iustinae S. Barbarae et S. Apollinaris, quorum cura a Fundatoribus ipsi Archiepiscopo demandata erat, ceteras dimitteret, quaeque per modum provisionis receptae fuerunt in Domo Mendicantium, donec reintegrarentur Conservatoria

S. Mariae a Rosa S. Margaritae S. Agnetis et SS. Petri et Pauli, quae aliis Moderatoribus subiecta erant. Unde factum est, ut quae primum supra biscentum numerabantur Puellae, in praesens in magno Conservatorio nonaginta tantum vitam ducerent. Hinc orta quaestio inter Parochum Metropolitanae, qui ex hac Puellarum divisione putabat, revixisse primaeva iura sua parochialia, et Sacerdotem Sanctem Carriari magni Conservatorii Confessarium, qui iudicium Sacrae Congregationis imploravit. Archiepiscopus censuit, non esse locum privilegio exercendae curae primario Confessario concesso, ex eo quod numerus Puellarum ita imminuerat, ut non haberentur amplius tres Confessarii, sed unus tantum, et quidem novus, dimissis aliis, qui pro eiusdem spirituali regimine sufficiens credebatur. Proposito igitur dubio: – An Parochus Cathedralis sit reintegrandus ad curam animarum in Conservatorio magno S. Willelmi, seu potius obstet Rescriptum Sanctissimi diei 3 iulii 1807 in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Consulendum Sanctissimo pro reintegratione, iuxta votum Archiepiscopi – *in Ravennaten. Parochialis die 14 Decembris 1816.*

322. Idcirco quum plures Paraeciae ob temporum vicissitudines reductae fuerint, ac ex suppressarum Paraeciarum bonis plures Vicariae ad Ordinarii nutum amovibiles erectae, sed inde gravia ex praefatis Vicariis mala et damna obvenirent, Sacra Congregatio permisit, ut, Vicariis suppressis, Paraeciae redintegrarentur *in Ravennaten. Paraeciarum die 12 Decembris 1829 et die 24 Aprilis 1830.*

323. Iamvero iam inde ab anno 1806 Paraeciae undeviginti Ravennatensi in Civitate extantes ob temporum vicissitudines ad novem tantum, Pontificia haud reluctante Auctoritate, reductae fuerunt; atque suppressarum Paraeciarum bona partim undecim Vicariis tunc erectis pro earum Rectorum substentatione, partim in administratione novem Parochis tributa fuere, ut pro Ecclesiarum bono reditus impenderent, reddita tamen quotannis Archiepiscopo gestae administrationis ratione. Sed Praesul Falconerius agnovit, praefatas Vicarias, quamvis in adiumentum parochialium Ecclesiarum institutas, minus recte tamen et ad animarum curam promovendam et ad suscitandam in Clero aemulationem pro sacris theologicisque literis ediscendis congruere, ea praesertim de causa, quod earum Rectores ad Ordinarii nutum amovibiles erant: censuit idcirco, easdem esse penitus supprimendas, nonnullasque potius ex suppressis Paraeciis esse reintegrandas. Viditque praeterea praefatus Praesul, innumeram inutilemque a Parochis impendi pecuniam pro administratione fundorum: ad haec igitur praecavenda mala petiit a Summo Pontifice, ut aliquid apponeretur remedium immodicis impensis pro administratione bonorum Parochis cessorum, atque ut, suppressis Vicariis, nonnullae redintegrarentur Paraeciae. Hinc die 20 iunii 1827 Summus Pontifex tribuit potestatem – uniendi in unam tantum administrationem, ab eodem Archiepiscopo deputandam, et ab eo dependentem, bona variis Paraeciis unita –; et quoad suppressionem novamque Paraeciarum erectionem – Sanctitas Sua distulit huiusmodi concessionem, et interim mandavit, quod idem Archiepiscopus, auditis prius interesse habentibus, eorumque consensibus reportatis, media omnia disponat, ac mappam conficiat, descriptis limitibus uniuscuiusque Paraeciae dismembrandae vel redintegrandae, quae omnia ad Sacram Congregationem Concilii transmittat –. At vero sicut gravis exarserat lis inter Parochum SS. Nicandri et Marciani ac Vicarium in Ecclesia Suffragii, quae in Sacra Congregatione proponebatur, idcirco prudentissime additum fuit in Rescripto: – Nihil tamen innovato, tum quoad administrationem bonorum, tum quoad redintegrationem et dismembrationem circa Paraeciam SS. Nicandri et Marciani ac Vicarium in Ecclesia suffragii usque ad exitum Causae etc., et tunc providebitur. – Omnes Parochi consensum in id praestiterunt, excepto Parocho S. Mariae Magdalenae, qui declaravit, effectum nullum sortiri posse a se praestitum assensum, nisi post eius obitum. Re huc perducta, preces praefati Praesulis Falconerii remissae fuerunt Emo Card. Marco y Catalan, ut illas expenderet animique sui sententiam aperiret, qui reapse, singulis mature perpensis, conclusit: – Quod liceat Archiepiscopo Oratori undecim Vicarias anno 1806 erectas sup-

primere, quatuor Paraecias redintegrare sub invocatione S. Euphemiae, SS. Victoris et sociorum Martyrum, S. Mariae de Suffragio ac S. Agatae, easque circumscribere intra limites in typo expressos; cuique ex novis Parochis congruam adsignare in annuis scutis tercentum circiter ex bonis suppressis Vicariis spectantibus, atque unire Paraeciam S. Apollinaris in Veclo cum Paraecia S. Mariae Maioris, quae sit unius Paraeciae titulus, salvis tamen iuribus Parocho Dominico Civinelli, quoad vixerit, super Paraecia S. Mariae Magdalenae in S. Petro Maiori, iuxta eius declarationem atque reservationem, ac etiam adiecta lege, ut Archiepiscopus certiorem reddat Sacram hanc Congregationem de usu bonorum, quae post Parochiarum dotationem supererunt ad easdem Vicarias pertinentia –.

324. His igitur perpensis proposito dubio: – An sint supprimendae Vicariae et redintegrandae Paraeciae in casu? –, Sacra Congregatio die 12 Decembris 1829 responsum dedit: – Affirmative in omnibus iuxta votum Emi Relatoris, et scribatur Archiepiscopo, qui referat de causis dissensus Parochi S. Mariae Magdalenae, et ad Datariam Apostolicam pro expeditione Literarum Apostolicarum –. Archiepiscopus retulit, ex nova limitum Paraeciarum circumscriptione Palatium Apostolicum recludi intra ambitum novae Paraeciae S. Mariae de Suffragio, quod alias ad Parochum S. Mariae Magdalenae spectabat, idcirco petebat, ut saltem donec ei comes vita fuisset, hanc notabiliorem suae Paraeciae partem liceret retinere, et Archiepiscopus eidem libenter favebat. Proposito hinc dubio: – An ulla sit habenda ratio dissensus hodierni Parochi S. Mariae Magdalenae in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Negative, et ad mentem: mens est, ut Parochus S. Mariae Magdalenae exercere pergat parochiale ius super Palatio Apostolico, durante eius vita, iuxta votum Archiepiscopi – *in Ravennaten. Paraeciarum die 24 Aprilis 1830.*

325. Ceterum Sacra Congregatio declaravit, facultatem erigendi novas Parochias, Episcopis tributam a Concilii Tridentini Decreto in cap. 4 sess. 21 de reformatione concurrentibus requisitis, haud extendi ad separandam certam Populi partem ab antiqua Parochia, et alteri Parochiae commodiori assignandam, loco novam Parochiam erigendi, si vel exiguus numerus Populi, vel inopia, vel alia iusta causa erectionem impediat *in Mediolanen. lib. 2 Decretorum pag. 177.*

326. Si vero non agatur de vera dismembratione, etiam Episcopus Diaecesis Administrator valide ob nimiam locorum distantiam dismembrare potest Ecclesias parochiales ac alteri unire, quam et in titulum Plebanatus erigere valet *in Sarsinaten. Dismembrationis die 12 Maii et die 1 Septembris 1736.*

327. Siquidem Apostolicus Sarsinatensis Ecclesiae Administrator parochiales Ecclesias locorum de Piavola Falcini Valderipae et Linari, ob nimiam eorumdem distantiam a tribus plebanis seu archipresbiteralibus Ecclesiis Rivoschii Franchii et Montis Sorbi dismembravit, ac aeque Ecclesiae parochiali S. Romani, quam propter maiorem propinquitatem in Plebanatum erexit, unire censuit. Adversus hoc Decretum repugnarunt Plebani seu Archipresbiteri praefatorum locorum Montis Sorbi Franchii et Rivoschii: primo enim, quia memorato Episcopo, licet deputato ad curam et regimen Diaecesis Sarsinatensis cum omnibus facultatibus ad id necessariis et opportunis, vetitum tamen fuerat, ne ecclesiastica Beneficia conferret, adeoque carens facultate disponendi de Beneficiis, multo minus potuerit enunciatas Parochias a suis Plebaniis dismembrare; secundo, quia dismembratio, ipsis inauditis cum evidenti et notabili iurium suorum detrimento et absque iusta causa, peracta fuerit; et tertio, quia etiamsi actum fuisset de sola erectione Ecclesiae S. Romani in simplicem titulum Plebaniae absque aliarum Parochialium dismembratione, adhuc illa, utpote vertens in ipsorum iacturam, nequivisset ab Episcopo, ipsis dissentientibus, expleri. At Gabriel Massius Rector Ecclesiae S. Romani contendit, non agi in praesens de vera Ecclesiarum dismembratione et illarum unione Ecclesiae S. Romani, sed de mera tantum facultate ipsarum Rectoribus impertita interveniendi functionibus ecclesiasticis et conferentiis casuum conscientiae in eadem Ecclesia imposterum habendis, adeoque his in terminis non habere locum dispositionem Alexandri III in Cap. *Ad audientiam* de ec-

clesiis aedificandis. Addidit, praefatum Episcopum iampridem impetrasse a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium facultatem conferendi Beneficia, ac quemlibet Episcopum erigere posse parochialem Ecclesiam in simplicem titulum Plebanatus aut Archipresbiteratus. Proposito igitur dubio: – An dismembratio Ecclesiarum parochialium facta ab Administratore Sarsinatensi et respective aggregatio seu unio Ecclesiae S. Romani in titulum Plebanatus erectae sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio die 12 maii 1736 responsum dedit: - Affirmative –. Reproposito dein dubio sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: - In decisis et amplius - *in Sarsinaten. Dismembrationis die 1 septembris 1736.*

328. Quum itaque, facta suppressione Paraeciae eiusque Populo aliis Parochiis commisso, Episcopus recte bona distribuerit ac applicaverit, Sacra Congregatio censuit, esse servandam dismembrationem et applicationem ab ipso factam *in Forolivien. Dismembrationis die 16 Aprilis 1825.*

329. Iamvero Paraeciam S. Martini in Civitate Forolivii anno 1806 suppressit Foroliviensis Episcopus Mercurialis Prati, specialibus ab Apostolica Sede facultatibus munitus, et illius bonorum reditus Parocho Hieronymo Sassi, dum viveret, concessit; simulque statuit, ut, eo decedente, bona Paraeciis egentibus, praesertim iis, quibus suppressae Parochiae Populus committeretur, ab Ordinario essent applicanda. Antistite Prati iam defuncto, Parochus Sassi anno 1819, et modernus Foroliviensis Episcopus die 5 iulii eiusdem anni decrevit, ut bona suppressae Paraeciae S. Martini applicarentur Paraeciae Cathedralis Ecclesiae S. Thomae Cantuariensis, utpote nimium tenui dotatae censu, et cui Populus S. Martini pro maxima parte fuerat adscriptus. Quum vero dos Ecclesiae S. Martini unico et pingui constaret praedio, idem Episcopus mandavit, ut illud integrum cum domo parochiali dictae Paraeciae S. Thomae assignaretur, et quatuor terrulae, ad ipsam Paraeciam S. Thomae pertinentes, Apostolico impetrato Beneplacito, Paraeciae suburbanae S. Ioannis Baptistae in Vico, nuncupatae *de' Cappuccini*, ad eius levandam inopiam traderentur. Decreto suum praebuit assensum Parochus Ecclesiae Cathedralis Bartholomaeus Rinaldi, qui, praevia declaratione dimittendi terrulas, easque interea retinendi titulo administrationis, in possessionem praedictae domus et praedii fuit immissus. Verum decessit Parochus Rinaldi, eique suffectus fuit Canonicus Alessius Danesi, qui terrulas tradere detrectavit. Quamobrem Parochus S. Ioannis Baptistae in Vico Franciscus Pastori Sacram adiit Congregationem, atque ab ea terrularum applicationem suae Paraeciae earumque traditionem decerni imploravit. Nam eius congrua vix quolibet anno ad scuta 17 69 pertingebat, dum e contra Parochus Danesi percipiebat annua scuta 143, cum in facto esset, quod eius Praedecessores unum tantum Capellanum habuissent. His itaque perpensis, proposito dubio: – An sit locus dismembrationi et applicationi terrularum in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Affirmative, et esse servandam dismembrationem et applicationem factam ab Episcopo die 5 iulii 1819 – *in Forolivien. Dismembrationis et Applicationis die 16 Aprilis 1825.*

330. Unde indulgetur dismembratio Pagi, qui distat ab Ecclesia parochiali ultra unum lapidem per iter hyemali tempore praeruptum et impervium, et respective illius unio alteri Paraeciae, quae ab illo distat quarta milliarii parte, assignatis annuis scutis viginti in fundis veteris Paraeciae favore novi Parochi, ob auctum laborem *in Tudertina Dismembrationis die 24 Novembris 1804.*

331. Siquidem uni Parocho suberant unaque parochiali Ecclesia complectebantur habitatores Castri S. Faustini et Castri Turris Laurenzettae, quorum alterum ab altero distabat ultra unum lapidem, per iter hyemali tempore praeruptum et impervium. Parochialis Ecclesia et Parochus manebat in Castro S. Faustini, quo fiebat, ut Parochiani Turris Laurenzettae raro aut fere nunquam ad Parochialem accederent, et Parochus ob loci distantiam callisque asperitatem praesto eis esse nequiret. Ne vero Terrigenae Turris Laurenzettae carerent spiritualibus subsidiis, concedebant in conterminam Paraeciam Castri Collis Petracei, cum Pagus ille non hinc pro-

cul distaret quarta milliarii parte, ibique Sacris interessebant verbum Dei audiebant et in extremo discrimine Parochum Collis Petracei advocabant. Hinc Parochus iste ex Decretis sacrae visitationis retinebat a Parocho S. Faustini traditam clavem Olei Sancti, quod in Ecclesia Castri Laurenzettae asservabatur, necessaria suppeditabat pro Sacramentorum administratione, funera ad propriam Ecclesiam, propriaque elata Cruce, ducebat, et quamdam funeris portionem percipiebat. Ex hoc veluti vinculo quodam et coniunctione evenit, ut Incolae Turris Laurenzettae habuerint pro sua Paraeciam Collis Petracei, et legata saepe saepius in eadem adimplenda reliquerint, inter quae praecipuum illud erat, ut Capellanus Castri Petracei geminam Missam festivam per singulos menses in Ecclesia Turris Laurenzettae celebraret. Quamquam vero Parochus Castri Collis Petracei impiger semper ex charitatis officio Incolis illis opitulatus fuisset, attamen cum iurisdictione careret et suis ovibus praecipuo munere adesse teneretur, maiora mala evellere non poterat, et aliquando fiebat, ut pueri instructione, infirmi Sacramentis, morientes auxiliis spiritualibus carerent. Ut his incommodis subvenirent Oppidani Turris Laurenzettae nacti occasionem, qua Ecclesia parochialis per obitum postremi Rectoris Octavii Bracci vacans erat, postularunt, ut a Paraecia S. Faustini dismembrarentur et unirentur Paraeciae Castri Petracei. Oeconomus Ecclesiae parochialis aperte repugnavit: sed Episcopus Tudertinus censuit, opportunius futurum et Incolis et Parocho, si dismembranda portio uniretur Paraeciae Castri Collis Petracei, cuius Parocho assignanda erat pro aucto labore compensatio annua viginti scutorum, ipso consentiente Parocho, qua certe summa, nec alia triplo vel quadruplo saltem maior satis fuisset, si Capellanum assumere cogeretur. Proposito igitur dubio: - An et quomodo sit locus dismembrationi et respective unioni in casu etc. -, Sacra Congregatio responsum dedit: - Affirmative, assignatis annuis scutis viginti in fundis Paraeciae S. Faustini, arbitrio Episcopi - *in Tudertina Dismembrationis die 24 Novembris 1804.*

332. Quin imo ubi domus Parochianorum ita distant a Parochiali, ut nonnisi absque magno incommodo accedere possint ad recipienda Sacramenta, maxime si flumina interiaceant, non potest Episcopus unire has parochiales Ecclesias Parochialibus propinquioribus et commodioribus; sed debet erigere novas Parochias ex Cap. 4 sess. 21 de reformatione, assignata competenti portione fructuum ex Matrice detrahenda Sacerdotibus novis Parochiis praefectis *in Perusina lib. 2 Decretorum pag. 90 a tergo.*

333. Haud autem sustinetur dismembratio Ecclesiae parochialis ac respective unio alteri Ecclesiae parochiali patronatae laicorum, si uterque Populus dissentiat, ac Familiae dismembratae ad primaevum statum redire percupiant, atque iusta causa deficere videatur *in Sancti Miniatis Unionis die 16 Novembris 1715 lib. 65 Decretorum.*

334. Siquidem quum Ecclesia Praeposituralis S. Martini Curatam Ecclesiam S. Mariae ad Soffianam unitam iam haberet, Praeposito ac Parocho alterius Ecclesiae S. Stephani nec non Capitulo Cathedralis S. Miniatis consentientibus, haec divisa et a Vicario Generali dismembrata fuit ab Ecclesia Praepositurali una cum situ pro domo parochiali construenda et una cum Familiis tredecim et Ecclesiae S. Stephani ad Intrainum absque Patronorum laicalium praeiudicio unita. Praepositus enim nequibat eiusdem regimini, ut decet praesidere, neque animarum curam obire ac spiritualia subsidia Parochianis impertiri, cum ipsa Ecclesia S. Mariae ab altera Praepositurali longe distaret, atque Arni fluminis inundationibus interdum subiaceret; e converso autem eadem Ecclesia finitima erat eiusque animarum cura commodior videbatur memoratae Ecclesiae S. Stephani. At modernus subinde Parochus S. Stephani huiusmodi unionem nullam ac irritam esse contendit, tum quia unio facta fuerat Ecclesiae patronatae laicorum, cum etiam ex defectu iustae causae; atque Episcopus testatus est, utrumque Populum ab praefata unione et respective dismembratione dissentire, cum Parochiani S. Stephani aegre ferrent, quod eorum Parochus extra limites resideret prope Ecclesiam S. Mariae, Familiae vero dismembratae ad primaevum statum redire percuperent. Proposito hinc dubio: - I. An dismembratio et respective unio sive aggregatio, de qua agitur,

sustineatur in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – Ad primum, Negative – *in S. Miniatis Unionis die 16 Novembris 1715 lib. 65 Decretorum.*

335. Alias quippe Sacra Congregatio declaravit, Episcopum erigere posse novam parochiam, concurrentibus requisitis praescriptis in cap. 4 sess. 21 de reformatione, et in Cap. *Ad audientiam* de Ecclesiis aedificandis *in Mantuana die 13 Decembris 1629 lib. 14 Decretorum pag. 204.*

Item *in Cremonen. die 13 Ianuarii 1635 lib. 15 Decretorum pag. 153; in Neapolitana die 22 Septembris 1646 lib. 18 Decretorum pag. 202.*

336. Unde hoc habet locum etiam in Parochiis administratis a Regularibus, si concurrant supradicta requisita, cum assignatione congruae novo Parocho *in Mediolanen. lib. 2 Decretorum pag. 177.*

Item *in Ianuen. die 20 Septembris 1642 lib. 17 Decretorum pag. 104.*

337. Hinc potest Episcopus erigere novam Parochiam intra fines Parochialis, unitae Regularium Monasterio, concurrentibus requisitis per Constitutionem Alexandri III, quae incipit *Ad audientiam,* et Concilii Tridentini Decretum in Cap. 4 sess. 21 de reformatione *in Eugubina mense Maii 1603 lib. 10 Decretorum pag. 61 a tergo.*

338. Imo Episcopus cogere potest Regulares ad erectionem novae Parochiae extra Civitatem pro commoditate et administratione Sacramentorum Parochianis, qui noctu ob portas Civitatis clausas non possent ea recipere, administrandae tamen ab iisdem Regularibus, quatenus vellent; sin minus per Sacerdotem secularem ab Episcopo approbandum *in Novarien. lib. 3 Decretorum pag. 34.*

339. Quum vero causae ad obtinendam dismembrationem Parochiae seu translationem adductae haud reapse existerent, Sacra Congregatio eam non esse explendam censuit, sed esse constituendum a Monasterio, ad quod Parochia pertinebat, Capellanum secularem et coadiutorem curae animarum, sumptibus eiusdem et Populi loci *in Derthonen. Dismembrationis Parochiae die 18 Novembris 1730 die 17 Februarii 1731 die 5 Aprilis die 30 Augusti 1732 et die 10 Ianuarii 1733.*

340. Iamvero Parochia S. Petri de Praecipiano pertinens ad Monasterium Congregationis Olivetanae, in quo tres vel quatuor Monachi degebant, continebat sub se Incolas Oppidi *delle Vignole* nec non Casalium Vairani et Mochi; et ex relatione Episcopi ac etiam accessu et planta nec non Testium examine resultabat, quod in loco de Praecipiano existebant dumtaxat quindecim habitatores; in Oppido vero *delle Vignole* et Casalibus supradictis 800 circiter Incolae commorabantur. Hinc sub motivo, quod ex dedocumentis exhibitis constaret, Oppidum Vineolarum distare a Praecipiano mille passibus, Casalia Vairani et Mochi duobus milliaribus cum dimidio, quodque hyemali tempore impervium esset iter, ob ingentes nives ac pluvias, adeo ut Incolae, stantibus impedimentis praedictis, et ob loci distantiam, pluries ad conveniendum in Parochiam detinerentur, et ulterius tredecim ex ipsis absque Sacramentorum susceptione decesserint, homines dictarum Villarum inhaerentes dispositioni Cap. *Ad audientiam* de ecclesiis aedificandis et Concilii sess. 21 cap. 4 de reformatione, supplicarunt Sacrae Congregationi, vel pro translatione Parochiae ad Ecclesiam S. Iacobi, sitam in dicto Oppido Vineolarum, quae tamquam intermedia, foret magis commoda omnibus Parochianis, vel pro eiusdem Parochiae dismembratione. Propositis interim dubiis: – I. An sit locus dismembrationi Parochiae ab Ecclesia S. Petri Praecipiani eiusque translationi ad Ecclesiam existentem intus Terram Vineolarum? *Et quatenus affirmative.* II. An et quomodo sit providendum pro assignatione congruae novi Parochi? –, Sacra Congregatio die 18 novembris 1730 respondit: – Dilata –. Repropositis mox praefatis dubiis, Sacra Congregatio die 17 februarii 1731 respondit: – Scribatur Episcopo iuxta instructionem –; ea scilicet mente, ut Episcopus suam aperiret sententiam, num expediret parochialem titulum transferri ad memoratam Ecclesiam S. Iacobi, vel potius in ipso Pago Vineolarum constitui Vicarium pro administranda animarum cura. Rescripsit Episcopus his verbis: – Satius duxi mittere Vicarium meum Generalem una cum Cancellario Curiae in rem praesentem, ex cuius accessu et multorum Testium examine resultavit

factum omnimode diversum. Nam et multo minor est distantia loci et difficultas viarum prout etiam numerum animarum, quam tunc fuerat mihi suppositum: minusque sequuti casus mortuorum sine Sacramentis expressis. Et cum citati fuerint ipsi homines Vineolarum duo tantum et non ex probioribus inventi sunt, qui adhaererent instantiae, licet ipsa fuerit nomine publico facta; quin imo ceteri protestati fuerunt, se esse de persona praecitati Parochi valde contentos, a quo laudabiliter geritur munus parochiale. Ex diversitate igitur facti et praesentis status, congruum mihi non videtur, neque retinere Vicarium in loco Vineolarum, neque ad Ecclesiam S. Iacobi eiusdem loci Parochiam transferre. Sed quando aliquis particularis vel etiam Populus persistat in novitate petenda, agatur, servatis servandis, prout videtur de iure notissimum –. Repropositis igitur dubiis sub eadem formula, Sacra Congsegatio die 5 aprilis 1732 respondit: – Negative –. Subinde Parochiani degentes in Pago Vineolarum demonstrare studuerunt necessitatem obtinendi novum Parochum in memorata Ecclesia S. Iacobi. Repropositis vero dubiis sub formula: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 5 aprilis proxime praeteriti? –, Sacra Congregatio die 30 augusti 1732 respondit: – In decisis; sed etiam esse a Monachis constituendum sumptibus Monasterii Capellanum secularem et Coadiutorem curae animarum, ab Ordinario approbandum in Ecclesia S. Iacobi Vineolearum, et in ea etiam asservandum esse Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum; et amplius –.

341. Reclamavit Monasterium, cui nimis grave videbatur novum onus stipendii Capellano solvendi ad commodum Parochianorum in Pago degentium, a quibus id sine iusta necessitatis causa optari contendebatur. Proposito vero dubio: – An sit standum, vel recedendum a decisis die 5 aprilis et 30 augusti 1732 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: – In decisis die 30 augusti, quo tamen ad stipendium ad Emum Praefectum iuxta mentem (1) – *in Derthonen. Dismembrationis Parochiae die 10 Ianuarii 1733.*

342. Non potest autem Episcopus privare iure praesentandi Regulares, etiamsi negligentes fuerint, vel in puniendo Rectores ab ipsis deputatos ad curam animarum in Ecclesiis eorum Monasteriis unitis delinquentes, vel in eis amovendis, vel alios in eorum locum substituere recusantes *in Augustana lib. 8 Decretorum pag. 4 a tergo.*

343. Hinc multo minus est locus dismembrationi et erectioni novae Parochiae, cum haud subsistat, quod Monachi valde negligant curam animarum, atque Parochiani vix ad numerum 1070 ascendant *in Nolana Dismembrationis die 14 Aprilis 1736.*

344. Siquidem Communitas Oppidi Turris Annunciatae postulavit, ut nova parochialis Ecclesia ibidem suis sumptibus erigeretur, cum Patres Caelestini animarum curam sibi ex Apostolica concessione commissam adeo negligerent, ut Infirmi sine extrema Sacramentorum expiatione et absque Parochi assistentia in dies obire conspicerentur, et Populus ita adauctus esset, ut unus Rector nequiret ecclesiasticis Sacramentis ministrandis divinoque cultui peragendo sufficere. At memorati Patres contrarium non modo probarunt ex testimonio plurium Sacerdotum et Parochorum, qui conterminis praeerant Ecclesiis, sed etiam processum quemdam superiori anno confectum exhibuerunt, unde satis constare videbatur, Religiosos sedulo et laudabiliter animarum curam gerere, ac neminem ex Parochianis ob negligentiam vel imperitiam dictorum Patrum sine Sacramentis obiisse. Vicarius Generalis, qui vices Episcopi absentis supplebat, retulit, parochialem Ecclesiam dictae Universitatis ad praesens 1070 componi numero animarum, nec in Curia, nec in sacra visitatione eiusdem Universitatis, querulas voces ad aures ipsius atque Episcopi pervenisse. Proposito hinc dubio: – An sit locus dismembrationi seu erectioni novae Parochiae in casu etc. –, Sacra Congregatio

(1) Mens est, ut eligatur a Monasterio Capellanus secularis ad eius nutum amovibilis, et Incolae Vineolearum teneantur solvere pro eius manutentione quantum hactenus solvere consueverunt, et quatenus dicta summa non sit congrua, reliquum teneatur supplere Monasterium praescribendum ab Ordinario, cum onere eidem Monasterio asservari faciendi Oleum Sanctum ac Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia S. Iacobi Vineolearum cum lampade perpetuo accensa sumptibus eiusdem Monasterii, *ceu videre est in lib. 83 Decretorum.*

responsum tulit: – Negative – *in Nolana Dismembrationis die 14 Aprilis 1736.*

345. Verum ex eo quod cura animarum per binos Canonicos Cathedralis Ecclesiae negligeretur in Villa, quae ab eadem Cathedrali una itineris hora dissita erat, Sacra Congregatio attento etiam Capituli dictae Cathedralis assensu ac favorabili voto Episcopi, censuit, concedendam esse dismembrationem, salvis tamen iuribus Matricitatis favore praefatae Ecclesiae Cathedralis, et reservato competenti honore a Rectoribus pro tempore novae Parochiae, quotannis eidem Cathedrali praestando arbitrio Episcopi *in Segobricen. Dismembrationis die 30 Ianuarii 1740.*

346. Iamvero cum animarum cura Cathedrali Ecclesiae Segobricensi adnexa protenderetur ad Oppidum seu Villam de Torcas, quae ab eadem Cathedrali una itineris hora dissita erat, bini vero dictae Cathedralis Canonici, quibus exercitium praefatae curae committebatur, socordes in eo obeundo munere erga Incolas memorati Oppidi comperirentur, Ioannes Basilius Castelvi eiusdem Oppidi seu Villae Marchio animadvertens, plurima spiritualia detrimenta sive ob assertam Canonicorum negligentiam, sive ob loci distantiam, praefatos Incolas pati, curavit sub annum 1734 in Ecclesia seu Oratorio dicti Oppidi Capellaniam erigi, imposito illius Rectori, praeter annuam quarumdam Missarum celebrationem, onere occurrendi, quamtum fieri poterat, spiritualibus eorumdem Incolarum necessitatibus; inde vero ob pericula, quae adhuc animabus illarum gentium imminere non desinebant, postulavit, ut dicta Capellania in Parochialem erigeretur, cum ipse paratus esset, ad praestanda omnia ornamenta dictae Ecclesiae necessaria, erectionem Fontis baptismalis et custodiam pro Sanctissimo Sacramento ac manutentione lampadis. Capitulum assensum praebebat, salvis tamen suis partialibus iuribus primatialibus, quae certo paucissima erant, in omnibus et per omnia perpetuis futuris temporibus. Episcopus petitioni favit. Proposito hinc dubio: – I. An concedenda sit dismembratio Villae de Torcas ab Ecclesia Cathedrali Segobricensi?–, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum, Affirmative, salvis iuribus Matricitatis favore Ecclesiae Cathedralis, et reservato competenti honore a Rectoribus pro tempore novae Parochiae, quotannis eidem Cathedrali praestando arbitrio Episcopi – *in Segobricen. Dismembrationis die 30 Ianuarii 1740.*

347. Compertum enim est, Paraeciae dismembrationem passae exhibendum esse aliquem honorem, eumque vel in aliquo censu, vel alio onere consistere scribit Fagnanus in Cap. *Ad audientiam* n. 40, et Reiffenstuel lib. 3 Decret. tit. 48 n. 18 *in Surrentina Processionum die 16 Aprilis 1825* §. *Profecto.*

Item *in Imolen. Erectionis Peraeciae die 22 Maii 1830* §. *Nihilominus; in Asculana Literarum Apostolicarum die 20 Novembris 1830* §. *Quaeritur; in Mutinen. Dismembrationis Paraeciae die 17 Decembris 1842* §. *Propositis.*

348. Siquidem dismembratione arctantur nimium iurisdictionis limites, neque ea capit Parochus emolumenta, quae olim ex universa Plebe colligebat: sentiunt hinc Canonistae, iura ad novam Paraeciam praesentandi veteri Ecclesiae pertinere, Innoc. in verb. Fundatoris n. 1, Hostien. n. 3 in verb. ad praesentationem, Ioan. Andr. n. 3 in verb. Fundatoris, Fagnan. et Rot. in divers. part. 2 n. 4 decis. 167 *in Fesulana Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 30 Aprilis 1830* §. *Quae.*

349. Qua de re Parocho Matricis Ecclesiae competit ius praesentandi ad Parochiam noviter institutam *in Imolen. Dismembrationis die 21 Iunii 1721* §. *Haec sunt.*

350. Id autem procedit, si Ecclesia antiqua et matrix de suo contulit pro aedificatione, aut fundatione novae Parochiae, secus quando sumptibus alterius fuit fundata et aedificata; huic enim et non matrici Ecclesiae reservandum est ius ad ipsam praesensentandi, uti adnotarunt in Cap. *Ad audientiam* Abb. n. 10, Fagnan. n. 39, Adden. ad Lap. allegat. 66 litt. N, Lambertin. de Iurepatronat. part. 1 lib. 1 quaest. 8 art. 1 per totum, Pirhing ad lib. 3 Decret. tit. 48 §. 2 n. 12, Lotter. de re Benef. lib. 1 quaest. 28 a n. 40, Reiffenst. lib. 3 Decret. tit. 48 n. 18 *in Imolen. Dismembrationis die 21 Iunii 1721* §. *Haec sunt.*

351. Nam si ex reditibus antiquae Ecclesiae aedificata aut dotata est nova, requiritur, ut Rectori antiquae relinquatur ius prae-

sentandi ad novam, Reiffenst. in lib. 3 Decret. tit. 48 n. 17 et 18 *in Urbinaten. Dismembrationis vel Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Demum.*

352. Quod si agatur de iis, quae praeeminentiam et honorificentiam super nova Ecclesia parochiali et Parochum constituendum, huiusque erga illum Matricis obsequium respiciunt, haud Canones refragantur, quamvis dotatio novae Parochiae non desumeretur ex reditibus veteris Paraeciae, siquidem Reclus. de erect. Parochiarum part. 1 tit. 3 n. 127 ait: – Dum Episcopus antiquam Parochiam dismembrat novamque independenter erigit, etsi ex reditibus antiquae Ecclesiae nova Ecclesia non aedificetur vel dotetur, cavere debet, ne illam ita exuat, ut nullum saltem honoris et distinctionis praeeminentialis vestigium, et signum illi reservetur; quandoquidem si Parochus reclamaverit, audiri omnino debet – *in Aquinaten. seu Sorana Dismembrationis Paraeciae die 29 Ianuarii 1848* §. *Praestat.*

353. Ceterum quoad honorem Ecclesiae matrici reservandum non unum idemque praescribitur a Doctoribus signum: iuxta enim nonnullos in eo consistit, quod nova Paraecia debeat antiquae dare aliquem censum, arbitrio Episcopi moderandum, vel quod debeat nova antiquam adire pro Baptismo *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Demum.*

354. Quandoque etiam designari solet celebratio Missae solemnis cantandae in Ecclesia noviter erecta a Rectore Matricis in die Sancti Titularis, aut in aliqua ex solemnioribus anni festivitatibus, vel quod Curati pro tempore una cum parochianis novae Paraeciae semel in anno accedant processionaliter ad Ecclesiam matricem et cereum offerant *in Urbinaten. Dismembrationis et Erectionis Paraeciae die 27 Novembris 1852* §. *Demum.*

355. Quin imo Sacra Congregatio declaravit, potuisse ab Episcopo Ecclesiam parochialem insigniri titulo Praepositurae *in Comen. Praepositurae die 18 Martii 1684 lib. 34 Decretorum pag. 76 a tergo.*

356. Insignitas vero huiusmodi tituli Praepositurae non eximit Rectorem a praestandis obsequiis Matrici, quae ante huius tituli assequutionem praestare solebat *in Comen. Praepositurae die 18 Martii 1684 lib. 34 Decretorum pag. 76 a tergo.*

357. At non potest Episcopus Ecclesiam parochialem erigere in Abbatiam *in Conchen. ad Cap. 18 sess. 24 de reformatione Posit. 100.*

358. Alias in iure receptum est, quemlibet Episcopum erigere posse parochialem Ecclesiam in simplicem titulum Plebanatus aut Archipresbiteratus, uti constat ex Rescripto Sacrae Congregationis in Squillacen. 15 maii 1603, Relato per Nicol. in lucubr. can. lib. 1 tit. 24 n. 7 *in Sarsinaten. Dismembrationis die 12 Maii 1736* §. *Deinde.*

359. Hinc validam Sacra Congregatio declaravit erectionem factam ab Episcopo in visitatione, instante Populo, licet contradicente Plebano Ecclesiae parochialis, in Archipresbiteratum non tamen insignem cum exemptione a Plebania, cui in aliquibus subiecta erat, nec non cum facultate habendi et benedicendi Fontem baptismalem ac faciendi processionem solemnem in festo Corporis Christi *in Placentina Plebanatus die 26 Aprilis 1698 et die 29 Novembris 1710 lib. 48 et 60 Decretorum.*

360. Iamvero – vetustus iam antea mos erat, quod Rector parochialis Ecclesiae loci Planellarum certis anni temporibus adiret plebanam Ecclesiam S. Mariae Campagnoli loci Trevotii, ad illum Plebanum coadiuvandum in quibusdam ecclesiasticis functionibus, cum de anno 1691 modernus Episcopus Placentinus, instante Populo Planellarum, Decreto lato in actu visitationis perpetuo exemit Rectorem Planellarum eiusque Successores ab huiusmodi accessus subiectione, eumque ex gratia speciali Archipresbiteri titulo decoravit, ac eidem facultatem fecit quotannis in Ecclesia Fontem benedicendi in die Sabbati Sancti, ac solemnem processionem habendi in die Sanctissimi Corporis Christi. Ab huiusmodi Decreto provocavit Plebanus Trevotii ad hanc Sacram Congregationem, in qua post acceptam eiusdem Episcopi informationem Parocho Planellarum favorabilem, proposito dubio sub die 26 aprilis 1698: « An Decretum Episcopi substineatur? » Affirmativa prodiit resolutio. Cui quidem resolutioni minime acquiescens Pleba-

nus Campagnoli noviter adversus eam audiri obtinuit. Atqui inter haec Partes ad concordiam devenerunt stipulatam de anno 1702, in qua praevia litis renunciatione, conventum fuit, ut liceret Parocho seu Archipresbitero Planellarum retinere Fontem baptismalem in propria Ecclesia, inibique Fontem benedicere in die Sabbati Sancti et in vigilia Pentecostes, sed viceversa idem Archipresbiter, qui tunc praesens erat Ioannes Baptista de Nuce, eiusque Successores tenerentur sub poena pecuniaria etc. per seipsos sive per alium Sacerdotem suis ipsorum sumptibus respective transmittendum, interesse functionibus faciendis in die Sabbati Sancti in Ecclesia plebana Trevotii, nec non minime licere eidem Archipresbitero in eadem die pulsare campanas in sua Ecclesia, priusquam pulsarentur in praefata Plebana Trevotii. Haec quippe concordia observata fertur, quousque vixit antedictus Archipresbiter de Nuce, eoque tamen defuncto, modernus eius Successor Bartholomaeus Anguisciola eiusmodi observantiam detrectavit. Quapropter Plebanus Trevotii, resumendo primaevà sua iura et etiam innixus dictae concordiae, iterum habuit recursum ad eamdem Sacram Congregationem, petens recessum a decisis, hinc concordatum fuit inter Partes infrascriptum dubium, cuius decisio ex utrinque in Summario deducendis pendet a summo EE. VV. iudicio: - An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 26 aprilis 1698 in casu etc. –, Sacra Congregatio responsum tulit: - In decisis, et amplius - *in Placentina Plebanatus die 29 Novembris 1710 lib. 60 Decretorum.*

361. Episcopus vero nequit in detrimentum Matricis Ecclesiae erigere parochialem Ecclesiam in Archipresbiteratum *in Thelesina Archipresbiteratus die 31 Iulii 1717 lib. 67 Decretorum* (1).

362. Nam Ecclesia parochialis nequit in Archipresbiteratum erigi in praeiudicium Ecclesiae matricis *in Sarsinaten. Dismembrationis die 12 Maii 1736* §. *In Thelesina.*

363. Unde nulla iusta intercedente causa, haud locus est ex gratia erectioni Ecclesiae parochialis in titulum Plebanatus, multoque minus dismembrationi et unioni Parochialium in praeiudicium tum quoad emolumenta, tum quoad praeeminentias Ecclesiae Plebanae matricis *in Sarsinaten. Erectionis Plebanatus die 5 Septembris 1778.*

364. Siquidem in Diaecesi Sarsinatensi plures erant Plebanae Ecclesiae, quarum praestantior erat illa loci S. Damiani. Huic Ecclesiae subiectae erant novem Paraeciae finitimorum Pagorum, quas inter numerabatur Ecclesia parochialis contermini Pagi seu Oppidi Fori Saraceni vix per dimidium milliarii distantis a Plebana Ecclesia S. Damiani. Antiquitus enim universus Populus Fori Saraceni plebs erat antedictae Plebanae et parochialis Ecclesiae S. Damiani: subinde vero et de anno 1653 virtute Constitutionis s. m. Innocentii X, quae incipit: *Instaurandae,* suppresso Conventu Eremitarum Ordinis S. Augustini in dicto Foro Saraceno degentium, Ecclesiam in eo existentem sub invocatione S. Mariae novae Sarsinatensis tunc Episcopus in Parochialem certis limitibus circumscriptam erexit, eiusque Parochum titulo Prioris condecoravit, cuius animarum curae commisit totum Fori Saraceni Populum a plebana Ecclesia dismembratum, illaesa tamen manente illius subiectione plebanae Ecclesiae S. Damiani. Inter onera subiectionis reverentiae praeeminentiarum et similium, quae a suffraganeis Parochis iure debebantur Plebano sive Archipresbitero S. Damiani ea erant, accedendi singulis mensibus iuxta Synodales Constitutiones ad plebanam Ecclesiam, ut sese congregarent in conferendis conscientiae casibus, nec non die Sabbati maioris hebdomadae ut interessent sacri Fontis benedictioni. Inde vero modernus Prior parochialis Ecclesiae Fori Saraceni nomine etiam eius Cleri et Populi, non ex titulo iustitiae, sed ex gratia, quippe quia amaenitas Oppidi eiusque decor et honor supra Pagum S. Damiani id exigere videretur, postulavit, ut, ad evitandas contentiones et dissidia frequenter exorta ipsum inter et Plebanum S. Damiani, dignaretur mandare erectionem suae parochialis Ecclesiae in Plebaniam, eidemque subiicere quatuor parochiales Ecclesias Pagorum Montis Castelli Montis Saxi

(1) Speciem et resolutionem Causae huius habes in Verb. *Archipresbiteratus*, §. II, n. 35 ad 37, Tom. II.

Columnatae et Rodognani, eis divulsis a Plebana Ecclesia S. Damiani, cui ipsae iamdiu subiiciebantur. At obstitit Plebanus sive Archipresbiter S. Damiani sustinens, Oppidum Fori Saraceni humillimum esse, eiusque honorem et decorem processisse ab indulgentia Episcopi: dissensiones autem et amaritudines, quae eousque nunquam fuerant, in praesens ortas a voluntate Prioris, qui suam subiectionem erga Plebanum agnoscere recusabat; probavitque simul, nullam iustam adesse causam petitae erectionis et dismembrationis dictarum quatuor Parochialium, quarum duo Parochi, nimirum Montis Castelli et Rodognani, postulatae dismembrationi expresse dissentiebant. Sustinuitque demum, huiusmodi dismembrationem vergere in maximum ipsius praeiudicium, quoad emolumenta et praeeminentias.

365. His utrinque perpensis, propositis dubiis: – I. An sit locus erectioni Ecclesiae parochialis Fori Saraceni in titulum Plebanatus in casu etc. *Et quatenus affirmative.* II. An sit locus dismembrationi eiusdem Ecclesiae parochialis et aliarum quatuor Parochialium Montis Castelli Montis Saxi Columnatae et Rodognoni a plebana Ecclesia S. Damiani earumque unioni praedictae Ecclesiae Fori Saraceni in casu etc. III. An Archipresbitero seu Plebano S. Damiani competat ius praeeminentiae in omnibus functionibus ecclesiasticis fieri solitis in parochialibus eidem suffraganeis in casu etc. IV. An Parochi suffraganei teneantur mense quolibet accedere ad dictam plebanam Ecclesiam pro conferentiis casuum moralium, seu potius sit locus alternativae cum altera Ecclesia Fori Saraceni in casu etc. –, Sacra Congregatio respondit: – Ad primum et secundum, Negative; et amplius. Ad tertium, serventur Constitutiones Synodales; et amplius. Ad quartum, Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; et amplius – *in Sarsinaten. Erectionis Plebanatus die 5 Septembris 1778.*

366. Hinc multo minus potest ab Episcopo Ecclesia parochialis erigi in Collegiatam *in Conversanen. die 27 Iunii 1626 lib. 13 Decretorum pag. 27* (1).

(1) Reliqua habes in Verb. *Ecclesia Collegiata.*

IMPRIMATUR

Fr. Raph. Arch. Salini Ord. Praed. S. P. A. Pro-Magistro

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens

GTU Library
3 2400 00622 0721

DATE DUE

DEMCO, INC. 38-2931

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

37247